UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat scelerum Ultor Deus

**Selhamer, Christoph**

**Norinbergae, Anno Gratiæ M.DC.XCIX.**

urn:nbn:de:hbz:466:1-52721


Visual Library

Th 3148.

H IV
6
H 248

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


IERICHO.
Clangentibus tubis, postquam in aures
multitudinis vox sonitusq; increpuit, muri
illico corruerunt Josue VI. v. 20.

# TUBA TRAGICA,

*Seu*

# HISTORIÆ HORRORIS PLENÆ DOMINICIS

*Per*

# ANNUM

*Concionatorio ritu aptatæ,*

Quibus ad oculum oſtenditur, quàm acribus pœnis flagitia proſcindat ſcelerum

ULTOR DEUS.

# OPUS RECENS,

Ad ſaluberrimos timores peccatorum animis incutiendos luci datum

Collegii Sortis Jesu Paderbornæ A. 699

AUCTORE

CHRISTOPHORO SELHAMER,

SS. Theolog. Doct. Celſiſſimi ac Reverendiſſimi Principis & Archiepiſcopi Salisburg. Cap. Civ. Animarum Curione ibidem.

*Anno Gratiæ M. DC. XCIX.*

*NORINBERGÆ,*

Sumptibus JOAN. LEONH. BUGGEL, Bibliopolæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

TUBA TRAGICA,

SEU

HISTORIA

HORRORIS PLENA

DOMINICIS

IN

ANNUM

Concionatorio vitæ æternæ,

Quibus ad oculum ostenditur, quam acer-
bus pœnis flagitia prosequatur Deus

OPUS REGENS,

Ad libertinos tinnitus peccatorum animos

AUCTORE

CHRISTOPHORO SELHAMER,

Theologiæ Doct. Cellensis Rectore.

Anno Gratiæ M.DC.XCIX.

# APPROBATIO
## REVERENDISSIMI CONSIST. SALISBURG.

LEgi ex Mandato Reverendiſſimi Officii præſens Opus *Tubæ Tragicæ* in Dominicas & Feſta per Annum; in quo cùm nihil probis moribus aut Fidei Orthodoxæ adverſum occurrat, ſed undique potiùs ad profliganda vitia in utilitatem Concionatorum mirus ſpargatur ſonus, id publica luce ac prælô dignum cenſeo.

JOAN. CASP. BOCKH
ab Arnholz, Celſiſſimi ac Reverendiſſimi Princ. & Archiep. Salisburg. Conſil. Conſiſt. SS. Theol. Doct. & Parochus in Bercam & Andring. &c.

## *AD BENEVOLUM LECTOREM.*

TE, amice Lector, bona cum D. P. Auguſt. venia, eo ritu fidenter alloquor, quô ſui olim Tomi de SSS. Trin. elaborati avidum Lectorem, memoratus Eccleſiæ Doctor ſalutavit: *Sicut Lectorem meum nolo mihi eſſe deditum, ita Correctorem nolo ſibi: ille me non amet amplius, quàm Catholicam Fidem; iſte ſe non amet amplius, quàm Catholicam Veritatem.* S. Aug. l. 3. de Trin. c. 1.

INDEX

# INDEX THEMATUM,

## Quæ in hoc Opere per singulas Anni Dominicas tractantur.


*Dominica I. Adventûs.*
Graviter deceptus Iber.
*Dom. II. Advent.*
Curionum Cura.
*Dom. III. Advent.*
Porcorum tergo.
*Dom. IV. Advent.*
Execranda Potestas.
*Dom. I. post Epiphaniam.*
Prava educatio prolis.
*Dom. II. post Epiph.*
Sanitatis compotatio.
*Dom. III. post Epiph.*
Irritatus verna.
*Dom. IV. post Epiph.*
Rancor inveteratus.
*Dom. V. post Epiph.*
Concio diabolica.
*Dom. VI. post Epiph.*
Purgatorii semen.
*Dom. Septuages.*
Tremendi hospites.
*Dom. Sexages.*
Fatalis ira.
*Dominica Quinquages.*
Bacchi festum infestum.
*Dom. I. Quadrages.*
Acherontica libido.
*Dom. II. Quadrages.*
Orci obsequia.
*Dom. III. Quadrages.*
Prava Confessio.
*Dom. IV. Quadrages.*
Rabidus Euclio.
*Dom. Passionis.*
Concionum fuga.
*Dom. Palmarum.*
Procrastinatio Pœnitentiæ
*Dom. I. post Pascha.*
Cruor Williſovianus.
*Dom. II. post Pascha.*
Lupa femina.
*Dom. III. post Pascha.*
Gaudium tragicum.
*Dom. IV. post Pascha.*
Perjurii pœna.
*Dom. V. post Pascha.*
Elusa Peregrinatio.


*Dom.*

*Dominica VI. poſt Paſcha.*
Scandalum phariſaicum.
*Dom. I. poſt Pentecoſten.*
Orci præda plutophilus.
*Dom. II. poſt Pent.*
Ilias malorum.
*Dom. III. poſt Pent.*
Opum furioſa Cupido.
*Dom. IV. poſt Pent.*
Retia diabolica.
*Dom. V. poſt Pent.*
Mors phariſaica.
*Dom. VI. poſt Pent.*
Auri ſitibunda Xantippe.
*Dom. VII. poſt Pent.*
A ſtyge inſaccatus Doctor.
*Dom. VIII. poſt Pent.*
Æquiſſimô judiciô fulminatus (euclio.
*Dom. IX. poſt Pent.*
Templorum profanatio.
*Dom. X. poſt Pent.*
Cœca præſumptio.
*Dom. XI. poſt Pent.*
Lethalis lingua.
*Dom. XII. poſt Pent.*
Latrocinans amicitia.
*Dom. XIII. poſt Pent.*
Reſtitutionis defectus æternùm noxius.
*Dom. XIV. poſt Pent.*
Mali Chriſticolæ Mammoniſtæ.
*Dom. XV. poſt Pent.*
Spirans cadaver.
*Dom. XVI. poſt Pent.*
Invidiæ tormentum.
*Dom. XVII. poſt Pent.*
Speculum Juventutis.
*Dom. XVIII. poſt Pent.*
Stygia cogitatio.
*Dom. XIX. poſt Pent.*
Contemptibilis Legatus.
*Dom. XX. poſt Pent.*
Finis impœnitens.
*Dom. XXI. poſt Pent.*
Doctor Carthuſianorum.
*Dom. XXII. poſt Pent.*
Pravi pictores.
*Dom. XXIII. poſt Pent.*
Funus bufonianum.
*Dom. XXIV. poſt Pent.*
Judicium inauditum.

DOMI-

# CONCIO I.

# DOM. I. ADVENTUS.

*Respicite & levate capita vestra. Luc. 21.*

## Graviter deceptus Iber.

NEmo dicat, se nôsse Deum, se credere in Deum, utut in Deo summam Dei Bonitatem, non item Justitiam Dei suspiciat: Regius Psaltes binis hisce attributis, Clementiæ ac Justitiæ tanquam solido fundamini totam Divinitatem visus est inædificare; inde voces illæ: *Deus* (1) *misericors & miserator & justus.* Misericordiam Dei Bernardus (2) *Dexteram* vocat, *lævam* verò manum Justitiam nuncupat; quisquis ergò Deum tanquam purè bonum & infinitè pium, exclusâ justitiâ, prædicat, is hoc ipso *unimanum* facit Deum, seu rectigidolum, aut spurium Deum, quia mutilum, imperfectum. In Deo nec Justitia à Bonitate, nec Bonitas à Justitia se patitur separari. Quisquis Deum tanquam Salvatorem mundi colit, prædicat, is eum quoque tanquam judicem vivorum simul & mortuorum colat necesse est. Cultum hunc si renuas, hoc uno ex capite audies atheista, licet nomen Catholicum tumentibus buccis crepetur. Unde autem Justitiam Dei clarius dignoscas, quàm ex tot plagis, quibus reprobos peccatores castigat? sic iterum David (3) *pluet super peccatores laqueos, ignis & sulphur &c.* ratio hujus mox innuitur: *quoniam justus Dominus, & justitias dilexit &c.* Dei proin justitia ex pœnæ sceleribus decreta eruitur, quâ reprobos ideò flagellat, ut eos ad veri nominis pœnitentiam inflectat, discantque saltem animitus timere, quem hactenus ex imo pectoris meditullio nolebant amare.

(1) Ps. 111.
(2) S. Bernardus Serm. 4. in Vig. Nat. Dom.

A.
Qui Deum solummodò ut infinitè bonum, ac mundi servatorem, non item quà judicem colunt, ex Deo faciunt idolum.

(3) Ps. 10.

amare. Sic omnis juſtitia & ſeveritas punienda noſtro bono intenditur, ut intuitu judiciorum Dei omnes reprobi peccatores ſuis pravitatibus ſeriò nuntium remittant, ſeque totis viribus ad Deum convertant. Summum malorum omnium malum nullis unquam gravioribus pœnis juſtum Numen proſcindat, hoc ipſo pauci terrigenûm ſurſum ad cœlos emergerent, quia potior hominum pravorum pars ſe per omnes ſcelerum cloacas porcorum inſtar verſaret. Dantur hanc in horam perquàm multi, qui ſummi momenti actus flocci faciant, pœnam damni forti cachinno explodant, & unâ ſenſum pœna ſe percelli patiantur. Niſi reos peccatores, exoſſari & deartuari, rotis confringi, vivicomburio conſumi, virgis & flagris dilacerari, mille probris corripi, & ab orco videant raptari, pœnâ damni non moventur. Si modò nec orcus eſſet nec diabolus, aut orci pœnæ non ita horridæ eſſent & acerbæ, vel ſaltem non eſſent æternæ, cœlo facilè valedicerent; accidit inde ut pœnam ſenſûs, quâ unâ liberari exoptent, judiciô verè paradoxô, pœnæ damni ſeu ſummi Boni jacturæ perenni præferant. Opus itaque fuerit, ut huic hominum pravorum generi ad oculum oſtendatur, quàm diſtrictè hic & ibi pravos judicet, & caſtiget Deus, qui ex ſe miſericors pater etiam potum aquæ æternantibus bonis præmiatur, promptus ritè contritos in gratiam recipere, inſuper habitis quibuscunque grandium delictorum portentis. Porrò ſicut per infinitam Dei clementiam omnes abjecti & puſillanimes cogitatus fortiter diſſipantur, & invicem illorum conſtans in Deum amor reaccenditur; ſic pariter per juſtitiam Dei omnes pravi actus, omnes peccaminoſi affectus reprimuntur, & mortalibus animis ſaluberrimus horror incutitur, qui omnem mali moralis umbram proſcribat. *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Oppleat bonis ac donis ſuis graviſſimos peccatores ter clemens Deus; ſpondeat illis aureos montes miſericors Deus, hominum tamen natura in malum prona, ſe citius corrigi patietur juſti Judicis aſpero vultu, quàm mitiſſimi Servatoris comi obtutu, plus minis dabit quàm pœnis. Adhæc etiam illi, qui jam amplos in virtutis ſtudio progreſſus fecerunt, ſuis adhuc ſtimulis & calcaribus opus habent, ut ne pœnarum metu gravi tentationi ſuccumbant.

B. Juſtitiam vindicativam Deus perenni bono noſtro exercet.

C. Aliqui plùs minis, ac pœnis quàm præmiis moventur.

Hinc

Hinc toties ad Deum vota illa ejaculari auditus est Regius (4) Vates: *confige timore tuo carnes meas.* (4) Ps. 110.

Hæc ita se habeant Opt. AA. jam tribus verbulis expromam, quid anni hujus decursu hac ex cathedra coram meis purè Catholicis auditoribus agere statuerim.

D. Rectè adeò Justitiæ Divinæ attributum per nos totô annô expenditur, & tragicis exemplis firmatur.

Cùm malorum omnium princeps causa sit peccatum, quò omnis aditus ad cœlos à Justitia Divina obseretur, decrevi hôc annô singulis Festis & Dominicis, vel Evangelio, vel currenti Festo tragicam aliquam historiam accommodare, eámque ritu concionatorio morali doctrina largiter instructam, hic locorum proponere, eum in finem, ut omnium animis vivax odium peccati imprimatur, si videant, quantis pœnis magna & modica peccati pravitas, in orco & in purgatorio, in vivis & post fata justo à Deo proscindatur. Qui se tangi sentient, discent inde, pravis animi motibus modum ponere Superis exoptatum, animabus proficuum; qui opitulante Dei gratia vitam vivunt sceleris puram, discent alienô malô plùs sapere; discent in timore ac tremore salutem suam juxta S. Pauli (5) monitum operari. Hodie proin decreti laboris prima pono fundamina, quibus ritè positis tota fabrica ritè inædificetur. Ingressus ad concionem hodiernam prolixior esse debuit, quia totum in annum, annique Festa & Dominicas excurrit. Annô alterô si Superi faveant, alterum Divinæ *Clementiæ* attributum pari methodo suspiciemus, unde spem ac fiduciam, solamen hauriant ac lenimen contriti peccatores. D. T. O. M. pios hosce labores felicitet, ut per me fructuosè inchoentur, & adhuc fructuosiùs consummentur. (5) Eph. 6. Phil. 2.

E. Horroris plenum est præsens Evangelion.

Opt. AA. est quidem præsens Evangelion sua ex natura horridum. Stant in eo quatuor elementa verè attonita, & quasi sidere tacta. Ad Supremi Judicis judicium Sol & Luna pallescunt, locô suô moventur astra, cœlorum virtutes contremiscunt, mare fluctuat, tumultuatur, & in id totis quasi viribus enititur, ut tanti Judicis furori se totum subtrahat maturè. Nos proinde his ab elementis edocti, pares animô curas concipiamus, ne tandem lamentabili sententia justo à Judice Deo fulminemur. Divo Patri Hieronymo nec mensa sapuit nec somnus. Quid tantam utriusque nauseam peperit

rit Stridonenſi? *Tuba Tuba ſpargens ſonum per ſepulchra regionum, cogens omnes ante thronum*: Tuba judiciaria, ſacris auribus perpetim illapſa, *venite ad judicium &c.* Idem S. Spiritus omnium auribus hodie intonat: *levate capita veſtra*, & eminus proſpicite venturum Judicem. Hæc omnia ſi nos quoque pronis auribus hauriamus, ſalva res; ſic enim malis omnibus tempeſtivè obviabitur; ſic pœnitentiæ tabulæ fortiter apprehendentur, dum tempus eſt, ut ira Dei ante obitum ſopiatur. Levemus itaque capita noſtra vivi, & non erit, cur ea ſine fructu, ſine lucro levemus mortui. Levant utique hi etiam capita ſua, ſed ad probrum, ad pœnam ſuam, cujus evidens argumentum producit (6) Nadaſi, fide ſua digniſſimus Author. Accingor operi, & hiſtoriam promo tragicam, quam Hiſpaniæ Granata ſubminiſtrat.

(6) Nadas. an. dier. mem. p. 2. 18. Oct.

F. Tragica hiſtoria de Hiſpano, qui poſt obitam mortem ter caput extulit, faſſus, ſe graviter deceptum eſſe.

Vocabatur fortè Religioſus quidam Pater, cujus ab ore totum hunc actum hauſit Nadaſi, à menſa ad ægrum magnatem, fatô repentinô jam propè confectum. Rupit omnes moras vocatus, & propero pede ad moribundum contendit; at cùm ſcalas emenſus ægri cubiculum attigiſſet jam funus reperit. Doluit, inexpiatum obiiſſe pius Pater, inde ociùs ad præſentes converſus, lacrimas & planctus in calidas preces convertit, authórque fuit ſingulis, ut pro extincti ſalute junctis viribus in vota vocarent ter clemens Numen. Ipſe primus omnium humi fuſus coram Chriſto è Cruce pendulo pro Nobilis hujus anima Lytanias evolvere cepit de omnibus SS. jacente interim in lecto velata facie defuncto. Parte media vix expedita, hem, novô prodigiô ad voces illas, *propitius eſto ei*, corpus animâ exhauſtum moveri, levare in altum caput, & tragica voce altùm inclamare: *heu gravi errore deceptus ſum!* mox iterum fato corpus ſubiicere. Credebat præſens Pater, animam adhuc imis corpuſculi fibris concluſam ſpirare; ideò totas vires exſeruit, ut altiſona voce ſpiritum contritionis excitaret; ſed actum egit, quidquid egit. Jacuit funus ſaxeum, & nec ſignô vitæ latentis umbram exhibuit; reſumptis itaque Lytaniis ſacra proſequi, ceptamque tedam lecto affuſi pertexere. Jam Agnum Dei ardentibus votis

votis implorabant, ecce tibi altera vice caput è lecto funus elevans, mœstissima voce veterem næniam resumpsit: *heu quàm gravi errore deceptus sum!* dictóque citiùs se suo iterum lectulo composuit; resumpsit pariter animos suos zelosissimus Pater, & quidquid vocis habuit, in jacentem resolvit, irrito iterum conatu; jacuit funus inanime, inflexile. Peractis etiam reliquis Ecclesiæ precibus, tandem coronidis locô adjecta fuit formula illa, quâ *pacem* omnibus defunctis apprecamur, *& fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace!* & ecce, tertia vice caput in altum sustulit funeratus, instar horridi canis jam latrare, jam ululare auditus: *heu heu, quàm gravi errore deceptus sum!* quantum horrorem hæc tertia & ultima vociferatio præsentibus incusserit, cogitari potest, scribi non potest. Omnium pili sursum stabant attoniti, & tremula formidine perculsi. Ex vocibus ita conclamatis, & ex stygiæ fuliginis sordente vultu, pessimum omen æternæ reprobationis præsentes hauriebant, persuasi nempe, voces hasce tertiùm iteratas, proximo gradu illas attingere, quas hanc in horam reprobi despumant in picea æternitate, prout Sapientiæ Libellus (7) perorat: *ergò erravimus à via veritatis*, (seu quod idem, ergò gravi errore decepti sumus) *& justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis? quid profuit nobis superbia? divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa* (liceat omnia unô fasciculô complecti) *tanquam umbra, nuntius, navis, avis, sagitta &c. nos autem in malignitate nostra consumpti sumus! talia dixerunt hi, qui in inferno peccaverunt,* seu, qui suis peccatis immortui, æternùm perierunt. Credibile adeò fuerit hunc nobilem Hispanum, non sursum ad gloriam, sed potiùs deorsum ad pœnam abiisse, quia, ut memini, parem næniam adhuc hodie damnati ejulant, se nempe à carne & à sanguine, ab auro & à fortunis, ab orco & à pravis sociis, à vitiis & à concupiscentiis à Sacrorum facilitate, à temporis fugacitate &c. enormiter deceptos, à veritate in reprobum sensum, ab impœnitentia in repentinam mortem, à morte sine Sacris obita in averni puteum defluxisse, casu nunquam reparando, casu ne lacrimis quidem eruentis unquam

(7) Sap. 5.

ſatis deplorando. Hæc, Auditores, prima ſit tragœdia, quâ tragicum hodie annum auſpicamur. Nunc ex præſentibus actis mores formemus, viſuri pariter, quid utiliter ad præſens funus animô coqui poſſit Chriſtiano.

G. Moribus formandis accommodatur, & primò quidem ad avaros dirigitur.

Ah! permittat optimus Deus, ut vel hodie capita ſua mortui ſuſtollant! quoties hanc ipſam næniam recantarent: *heu! quàm gravi errore decepti ſumus*! Loqui liceat poſt obitum opulento euclioni, alieno ære multoties gravato; vocem cum capite datum ſit levare mortuo judici, lucri gratiâ plurium iniquitatum nefario patrono, rationum depravatori, penſionum decimatori, curienſium mulctarum clepario &c. pari næniâ circumſtantium aures oppleret: *heu gravi errore deceptus ſum*! credebam ego, ſalva fore omnia, ſi furta omnia & omnes rapinas, lucra impia & mammonam ſacro Tribunali affatus, nuda confeſſione in aures Preſbyteri deponerem; jam verò prô dolor, actu expertus ſum, quàm verè dictum ſit (8) à S. P. Aug. *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſi quidem reſtitui poſſit ablatum*, quia juxta tritam Juris regulam ad impoſſibile nemo tenetur.

(8) S. Aug. ep. 54. ad Maced.

H. Ad Venerem olentes hircos.

Idê obſcœnus leno, Veneris procus, Epicuri de grege porcus, voce tragica reponeret, qui pravis motibus omnes laxavit habenas, centies expiatus, centies in idem lutũ relapſus, nec proximas peccandi occaſiones removit, nec pravis amoribus ſeriò valedixit, laſcivis cogitatibus ſuis miſerè imortuus, nunc à juſto Judice Deo æternùm cœlô proſcriptus; hîc iterum iterumque Hiſpanienſem audias cantilenam, *ah quàm turpi errore deceptus ſum*! credebam, nudos cogitatus nec ad culpam trahi poſſe nec ad pœnam, nunc verò contrarium didici damnô meô eóque ſempiternô. Sicut Deus piam voluntatem immarceſcibili gloria coronat, ſic pravam interminabilibus pœnis caſtigat. Experto credite Roberto Veneris aſſeclæ, & alterius irreparabili damno reſipiſcite!

I. Ad ebrios gulones.

Itdem oraculum ebrius ſipho profunderet, qui in ſuo ebrietais ſtrepitu ſcalis delapſus crepuit medius, & animam vomuit gulo; huic ſi loqui conceſſum foret jam extincto, nil ſanè aliud ejularet, quàm tritum illud Hiſpani: ô quàm graviter per combibones meos deceptus ſum! quàm impiè, quàm

quàm miserè me vinô tumulavit sodes ille, ut jam mihi pariter illud euclionis aptetur: *& sepultus est* (9) *in inferno.* Credebam ego, me crapulam, ut aliàs, etiam hoc nocte edormiturum; at quàm graviter deceptus sum! mors obruit incautum, & in alteram prima longè deteriorem ebrium detrusit! jam pice liquefacta sitim diluo! jam in sulphureo lacu pœnas do contractæ, & ad supremi Judicis urnam translatæ ebrietatis! (9) Luc. 16.

K.
Ad Conjugatos.

Quæratur subinde, quo statu post obitum vivant conjugati? vereor sanè, ne multi horum horrida voce exclamare cogentur: *gravi errore decepti sumus*! ô quàm luridè contraximus! pessimo fine Deo insuper habitô socii thori fœdera sanximus; tanquam equus & mulus, quibus non est intellectus, brutos amores irruimus; homines tanquam animales & spiritum non habentes, conjugii legibus graviter abusi sumus, nunc primùm experti, quàm verè dixerit Climacus, proprio etiam ex dolio contrahi posse ebrietatem focis cremandam sempiternis. Alii gravissimos errores deplorarent, quos in prolibus suis ad omnem luxum & luxuriam, ad omnem gulam & gastrimargiam educandis identidem commiserunt; unde cum liberis parentes, cum parentibus liberi orci prædæ cesserunt, nullô ævô redimibiles.

L.
Ad Ecclesiasticos & Religiosos

Quid multis? datum foret etiam Sacris & Ecclesiastica dignitate inclytis, avita religione conspicuis Capitibus post fata caput extollere, promere vocem &c. idem sanè suis occinerent, qui togâ & nominetenus statum eminentiorem in vivis professi, in omnem laxitatem machiavelli spiritu resoluti, à primo fervore, à strictioris observantiæ regulis tam enormiter desciverunt, ut fatendum sit, novissimos à primis tantâ viarum intercapedine distingui, quantâ cœlum à terris, terra toto ab orco discriminatur; hi pariter unis vocibus exclamarent: ah quàm enormiter decepti sumus! credidimus nostro è cœtu nullum damnari posse, nullum sacris his vestibus & cucullis amictum stygia morte mulctari posse: ita sanè privilegia loquuntur, sed illis duntaxat promissa, *qui ad literam, ad literam* primis legibus & statutis mordicus essent inhæsuri, proscriptis exemtionibus, difflatis dispensationibus, quas rectius *Ordinũ dissipationes* dixit

dixit Bernardus. *His*, ut Abbas inquit Guil. (10) *à cella in cœlum patet transitus, aliis omnibus lata curritur via & spatiosa, dudum Divinis ab Oraculis reprobata.*

10) Guil. Abb. ad frat. de mont.

M. Ad Pœnitentiæ procraſtinatores.

Tandem ſurgant à mortuis corvini cantores, qui procraſtinatâ in horas pœnitentiâ, *ſine lux*, ut ajunt, & *ſine crux*, impœnitentes ad plures migrârunt, juſtô Dei judiciô in abyſſum præcipitati, iterum plangi audiemus errores, quibus decepti, in ſenium pœnitentiam prorogabant, perſuaſi, ſe Mathuſalæam ætatem transgreſſuros, qui adhuc hodie facti erant funus. Opt. AA. ut nullus unquam nos error corripiat, cum Guiliel. Bavar. Duce juxta vocum triadem errores noſtros quotidie luſtramus & anathematizamus: *agnoſce, dole, emenda.*

Ita nemo noſtrûm caput levabit mortuus, ut errorem execretur, quem ſingulis diebus correxit vivus. Amen.

# CONC. II.

# DOM. II. ADVENTUS.

*Pauperes evangelizantur. Matth. 11.*

## Curionum Cura.

QUantùm conjicio, mecum contenti non ſunt Auditores mei. Aliis nuper loqui viſus ſum accentu gravi & aſpero, aliis nimis acuto. Ut quid ad hos & illos Germaniæ inquilinos devolvitur, quod actum legimus in Hiſpania? ut quid ſimplex & inveſtis veritas producitur? peplô potiùs nuditas tegatur; ſic paſſim moris eſt hôc ævô &c. Hæc ſi vera ſunt AA. cogor hodie obiter & perpaucis hiſce Momis occurrere, antequam ſuis è proſceniis extraham recentem tragœdiam. Ita qui momizant, verè ignorant, quàm arduum munus Sacris animarum Concionibus ſit à juſto Numine commiſſum; id ritè ſi expleverint, mercedem à Deo recipient largiſſimam; ſin minùs? væ multiplex in eos detonat Scriptura. Poſitus eſt Joannes hodiernus à Deo velut exemplaris forma & formalis Idéa, quam omnes Verbi Divini Præcones & animarum Curiones (quæ à ſe mutuò non debent ſeparari) omni ſtudio ſatagant æmulari; ſit adeò quivis Concionator vita & moribus alter quaſi *Joannes prædicans in deſerto;* extra cathedram ſuis cum AA. pauca loquatur, neque ulli ſe reddat familiarem; nimia enim familiaritas contemptum parit, & omnem concionis fructum peſſumdat; ſobriam ſemper ac labis puram vitam vivat, Deô minimè indignam, cujus Vicarium agit. Quidquid linguâ enuntiat, id manu ſua per operum pravitatem ne corrumpat; ſic enim quas animas dextra attrahit, ſiniſtra iterum repellit. Omni hominum careat reſpectu, nec tantum Judæis aut plebeis, ſed ipſis etiam Herodianis & Phariſæis veritatem prædicet Evangelicam. Id, quod hodie Chriſtus ipſe renuntiari voluit Joanni,

A. Lubrica & periculi plena obligatio Sacrorum Curionum.

B. Joannem ſequantur Eccleſiaſtæ

omnibus verbi Divini Præconibus proprium ſit quartô ut ajunt modô: *pauperes evangelizantur*, ita quidem, ut nulla fiat diſtinctio Græci aut Hebræi, nec illis tantùm pauperculis, qui ſtipem legunt oſtiatim, & ſenui ſalillô victitant, ſed illis etiam, qui in ſpiritu & pietate, in amore Dei ac proximi, atque in aliis virtutibus grandem penuriam patiuntur, & verè *ſpiritu pauperes* proclamantur; tales *ſpiritu pauperes* ſunt ſæpè grandibus fortunis inclyti eucliones, magni Domini ac Domicellæ, virifeminæ, Conſules & Prætores, ſacri & profani, Laici & Clerici, Eccleſiaſtici & Religioſi. Quisquis ex pulpito ad populum declamat, cum Paulo ſibi (1) occinat fidenter: *ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.* Cujus rei? puræ veritatis omnibus & ſingulis ſine reſpectu prædicandæ. Id niſi probè cordi habeat Eccleſiaſticus præco, ac præſens debitum ſeriò expediat, ſibi ultrò tragicum illud Pauli (2) evangelizet: *væ mihi ſi non evangelizavero*! væ mihi niſi ſancta ſanctè, Verbum Dei ad omnes candidè tractavero! væ mihi ſi magnatibus palpum obtruſero, plebem innocuam criſibus & minis perſtrinxero! væ mihi, ſi tantùm placentia meis declamavero, ſi coquum adipalem ſed informem egero, qui mulsô & ſaccharô cibos condiam, ollâ quæ acetum fundat, contritâ! væ mihi, ſi verborum inanium lenocinia ſectatus, floſculos ſeminavero, quos craſtinâ videas *in faſciculos* (3) *alligari ad comburendum* Matthæo teſte! Væ mihi, ſi non Dei, ſed proprii nominis inanem gloriam, non animorum ſalutem, ſed pinguem menſam, ſed opimam merendam & vinô natantes culullos prenſavero! væ mihi, ſi prurientes aures jocis ſcalpſero & facetiis; ſi arctam ad cœlos viam pravis vitæ exemplis laxavero! væ mihi, niſi ſeriò primas vitiorum radices, proximas peccandi occaſiones excaudicavero! væ mihi niſi ſanctam veritatem omnibus promiſcuè prædicavero! Opt. AA. ubicunque in ſcripturis tragicum alteri *væ* intentatur, ibi juxta utrumque (4) Cornelium à ſpiritu S. æterna damnatio ſignatur. Scripturæ Sacræ omnia pænè oracula conſonant Divorum Patrum. Ut tempori parcatur, duos ſiſto ex innumeris. Primus ſit S. Proſper (5) magni Patris Auguſtini flexilis Diſcipulus. Alter ſit S. Greg. Pont. Rom. & Eccleſiæ Doct. D. Proſper de Concionatorio munere ſic perorat:

(1) Rom. 1.

(2) 1. Cor. 9

C. Væ pravis verbi Præconibus intentatur.

(3) Matth. 13.

D. Probatur ex Script. & PP.

(4) Cornel à lap. in Ep. ad Cor. Cornel. Janſen. in Evang.

(5) D. Proſp. l. 1. c. 10 de vit

orat : *Cui dispensatio Verbi Divini concessa est, etiamsi sanctè vivat, tamen perditè viventes arguere aut erubescit, aut metuit, cum omnibus, qui eo tacente pereunt, perit; & quid ei proderit, non puniri suô peccatô, qui puniendus est alienô?* Adhuc clariùs idem Prosper perorat, cùm Ezechielis (6) vaticinium accurato examine librat. Tertio Capite singulos Verbi Præcones his acrimoniis affatur: *fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël; si impio non locutus fueris, ut se ab impietate sua custodiat, & ille perierit, sanguinem ejus de manu tua requiram.* Hanc amarulentam crisin laxis & languidis concionatoribus impertitam sic explanat citatus Prosper: *hoc est dicere, si ei peccata sua non annuntiaveris, ut ab impietate sua convertatur & vivat, te, quia eum non increpásti, & simul ipsum, qui te tacente peccaverit, flammis perennibus perdam.* Prô! quàm horridis vocibus, quàm enormibus minis sub æternæ salutis jactura omnibus Ecclesiastis Verbi Divini præconium inculcat? *ecquis, obsecro,* (verba iterum recito D. Prosperi) *tam saxei, tam ferrei erit pectoris, quem hæc sententia non terreat? ecquis erit tam alienus à fide, ut, si huic sententiæ credat, non totus illicò contremiscat?* Pari acrimonia zelô flaccidos, & spiritu emedullatos Præcones S. Pater Gregorius (7) exagitat: *nos*, inquit iste, *qui Sacerdotes vocamur, super ea mala, quæ propria habemus, etiam mortes addimus alienas; tot enim occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus.* Homiliâ septimâ in illos totam crisin suam exonerat, qui totius anni decursu, dives Ecclesiæ patrimonium sibi vendicant, suas interim oviculas raro per annum vel nunquam, Verbi Divini pabulô è cathedra refocillant, sed arduum hoc munus in aliorum humeros transportant, qui subinde suam ultimô manè manicâ excussam homiliam (si tamen hoc nomen mereatur deproperatum chaos) sine nervo, sine spiritu & fructu despumant, quia sciunt, se tantùm operam præstare vicariam, nullis legibus ad id muneris obstricti, quibus tamen perpetim obstrictus est animarum Curio. Quid ergò de mutis hisce Pastoribus sentit Gregorius? audiamus ipsum (8) denuò Patrem: *quid agimus, ô Pastores? mercedem consequimur, & tamen operarii non sumus. Pensemus,*

(6) Ezech. 3

(7) Greg. in Ezech. hom. 11.

(8) Idem hom. 7. in l. c.

*ſemus, cujus damnationis ſit, ſine labore mercedem laboris percipere. Hem! ex oblatione fidelium vivimus! ſed quid pro animabus fidelium laboramus?* vult dicere S. Pater, arctam aliquando rationem ad ſupremi Judicis urnam à taciturnis hiſce Curionibus exquirendam; at quam dabunt requiſiti? an capitis vertiginem? an impotentiam? an ſacri laboris immenſitatem? cur ergò pedum ſibi vendicant paſtorale? cur munus adeunt, cui expediendo pares non ſunt? Innocentius Tertius Pontifex Romanus, prout recitat (9) Oliva, etiam Epiſcopum eúmque Brixienſem denuò in ordinem redegit exauctoratum, eo ex capite, quòd Verbum Dei proprio marte nullibi prædicaret. Quid cum infimæ ſortis Curionibus facturum creditis Innocentium, ſi quos notâſſet hoc Parochis proprium munus eluſiſſe, ſubterfugiſſe? Ex his, ni fallor, abundè patet, quàm arduum, quàm lubricum munus adeant animarum Curiones; accidat ſubinde ut hoc munus ſuum luridè obeant vel oſcitanter, ocius in eos cum ſcriptura etiam SS. Patres *væ* fulminant. Quid hoc *væ* importet, jam ſupra binis ex Corneliis dictum eſt. *Maledictus, qui opus Dei facit negligenter* (10) ita legunt locum citatum 70. Interpretes, *non fraudulenter.* Utinam, ah utinam hæc bruta tantùm fulmina eſſent; ſed multiplex experientia hanc in horam contrarium oſtendit. Multi ſanè cœlô, cœlique gloriâ exciderunt, quòd Verbô Dei in pulpito abuſi, non animarum lucrum, ſed neſcio quid ex obliquo quærerent, plùs hominum quàm Dei gratiam prenſando, ad palmaria ſuorum flagitia conniverent, quibus non rarò ipſi etiam medicaſtri ſordebant.

E. Innoc. 3. Ep. exauctorat. Cur? (9) Oliv. Conc. 3. Op. nov.

(10) Jer. 48.

F. Hactenus dicta etiam tragicô Exemplo firmantur. Hiſt.

Placet, ut hæc omnia firmô experientiæ argumentô confirmem? votis pareo, & non tam auditoribus meis, quàm omnibus animarum Curatoribus tragœdiam exhibeo, quam probè capiant velim hi pariter & illi: hi quidem, ut intelligant, quàm verè dictum ſit, ab eccleſiaſtico Veritatis cultu, à ſedula ſcelerum correctione & extirpatione, à Zeloſis concionibus horum ſalutem pendere; illi verò ut ne Sacros Curiones ſuos hirquis oculis reſpiciant, multò minùs eis obloquantur, ſi munus ſuum probè adimpleant, ſed hos potiùs flammea charitate ſuſtineant, colant, foveant, & tanquam boni nuntii angelos

angelos evangelizantes pacem prædicent & extollant. Scripserunt hanc tragœdiam sat multi, ut de fide illius neutiquam valeat dubitari. Guil. (11) Baël, Jacobus (12) Hautinus, & Petrus (13) Doultreman, Belgæ. Alphonsus Andrada (14) Hispanus, & Joannes Nadasi (15) Hungarus. Hi tamen non unô eodémque calamô tristem hanc tragœdiam depingunt. Factam esse luctuosam cataströphen ante annos non ita multos, ait Nadasi. Modus controvertitur; aliqui enim veri nominis apparitionem nuncupant, alii raptum vocant, quo uni tantùm spectatori tragœdiam exhibuisse dicitur Divina Themis. Spectatorem hunc solus nominat Doultreman, *Martinum Guttierez*, quem etiam domesticæ Sanctitatis titulô condécorat. Quo jure? ipse viderit. Hactenus certè nomen illud Divorum Cœlitum albo ab Apostolica sede nullibi vidimus insertum. Quantum conijcimus variis ex circumstantiis hic ipse Martinus fuerit Confessarius ejus, qui se Martino spectandum post mortem exhibuit; mortuus verò & post fata spectatus, Curio fuerit in vivis Ecclesiasticus, animarum Rector. HuncCurionem sæpiùs quidem saniora docuit & monuit Martinus, hortatus eum identidem, ut Sacrum Curionis munus ad amussim expleret; donis & talentis liberaliter è cœlo subministratis, ad Dei gloriam & plurium animarum salutem strenuè uteretur, vitam viveret sacro statui suo conformem, & quod vivæ vocis oraculô palàm ex pulpito AA. suos doceret, etiam factis firmaret; poneret fastum Superis & mortalibus infestum, omnes potiùs humili obsequio & prompta charitate in Domino foveret, cum illis plùs ex Divino quàm ex politico spiritu amicè ageret ac paternè, suisque Verbum Dei sine ullo mortalium respectu prædicaret &c. Quam vitam duxerit Curio iste, ex hac ipsâ toties repetita correctione sat abundè redditur manifestum. Fuerit nempe illorum ex numero, quos S. P. Stridonensis (16) Pammachio suo gravi penicillo hunc in morem depinxit: *cùm superbia propria sit dæmonibus, lascivia pecudibus, avaritia mercatoribus, invidia opificibus, ex his omnibus factum est monstrum, quod est malus Clericus.* Juxta hunc artificiosissimum Apellem jactabundo simul & auri sitientissimo spiritu, carneo simul & lusorio spiritu, guloso

(11) Guil. Baël in Cor. Cons. 1.
(12) Jac. Haut. in Sac. Am. Evch.
(13) Pet. Doult. in Am. Incr.
(14) Alph. Andr. in Operar. Evang.
(15) Jo. Nad. in An. Ang. Hebd. 33.
(16) S. Hier. ep. ad Pam.

simul & pseudo-politico Machiavelli spiritu infessus Curio ille, pluribus unà flagitiis sordebat. Movit quidem omnem lapidem Martinus, ut tot flagitiis mersum orco subtraheret, & ad frugem revocaret; sed actum egit, quidquid egit; more politicis recepto verba dabat mellea, facta plumbea. Ibat in antiquam scelerum silvam sacro à tribunali regressus, & qui gibbosa humilitate, aurea Correctoris monita excepit, ea redux sonante cachinno elusit. Non tulit ultrà Deus tot sacrilegiis adauctam pravitatem. Ut malis omnibus finem imponeret, fatô inopinatô è medio sustulit, & repentinum funus fecit Curionem. Apoplexiâ tactus jam animam posuit, antequam ritè animam agere crederetur. Accitus properè Martinus, ut moribundo assisteret, jam antè intellexit, quô locô anima esset subitaneô fatô extincti. Eô momentô, quô animam vomuit, videbatur Martino totum Musæum domi suæ in illustre palatium migrâsse, lumine plenum ac numine. Eum in ordinem disposita erant cuncta, ut crederet, judicium huic loco decretum. Rectius sensisset brevem tragœdiam parari, cujus solus esset Martinus testis & spectator. Stabat hæc præter morem choragis usitatum quinque scenis. Primam muta eáque princeps persona mœstis nutibus expediit, quam modica sub finem vocula excepit. Erat hæc persona teterrima umbra, nigra fuligine tincta, cujus aspectu arrectæ surgant comæ, & vox faucibus hæreat. Hæc lævâ manu frontem atque oculos operuit, dextrâ verò exertam & flammis æstuantem linguam signavit, quasi diceret: hæc mali causa; hôc linguæ spiculô configi debebant ex cathedra notoriæ pravitates; id cùm factum non sit, quòd iisdem flagitiis sordescerem, linguam & caput, totumque truncum focus corripuit, quem nulla ætas extinguat. Loqui tandem cepit hæc etiam umbra seu potiùs lugubri ululatu horridùm ejulare quaternas duntaxat voces ex psalmis transsumptas: *operuit confusio* (17) *faciem meam.* Horruit ad primam scenam Martinus, mox tamen animos ex mitiore spectaculo erexit. Genius vultu placidus umbram velut umbra corpus sequebatur, qui ut alteram hic loci scenam aperiret, Martino totam rei seriem detexit, & cujus hæc umbra esset explicuit, dixitque: en Pater, hic filius erat tuus, toties à te correctus, sed in idem semper lutum relapsus; egit animarum

(17) Ps. 68.

rum Curionem, qui rectius egiſſet ſubulcum. Ne plures animas perderet, hôc momentô è vivis rapi voluit inexpiatum, & judicari, ſcelerum ultor Deus. Tu judicium ſpecta, & plures alios alterius damnô ſanctioribus curis inflamma. His dictis tertia ſe aperuit ſcena eáque ſubtriſtis muſica. Vidit ex alto Cœlites Angelos unum in chorum conglobari, audiit unà mœſtis vocibus 34tum Iſaiæ Caput (18) decantari, *væ paſtoribus Iſraël! quod infirmum fuit, non conſolidâſtis; quod ægrotum fuit, non ſanâſtis; quod confractum fuit, non alligâſtis; quod abjectũ fuit, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiviſtis.* Heu! quàm triſtibus modulis, quàm acerbis vocibus Judicio præluſum eſt ſequenti! quis ad præambula tam luctuoſa mitem ſententiam expectet? Quarta ſcena mox ipſum Judicem Deum exhibuit pro tribunali ſedentem, & manu ſua triſulcũ fulmen vibrantem; hic torvo quidem vultu præſentem umbram reſpexit, mox tamen os Divinum in illas Iſaiæ (19) voces reſolvit: *tacui ſemper, ſilui, patiens fui: jam ſicut parturiens loquar: diſſipabo & abſorbebo ſimul.* Dictum factum. Ultimâ horum ſyllabâ vix benè prolatâ, ex alto umbra fulminatur, terra panditur, & ab orci cerbero umbra ſeu rectius anima Curionis hauritur. Reſtat chorus, quô tota hæc tragœdia claudatur. Quintam ergô ſcenam iterum cœlici choraulæ formabant, qui unis denuò vocibus illud Iſaiæ (20) reiterabant: *detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*, gula, & libertas tua &c. His expeditis, ſcena vanuit & theatrum, urna judicaria & illuſtris aula, ſéque Martinus iterum ſuo in muſéo vel depoſitum vidit, vel à raptu mentis quaſi à profundo ſomno expergefactum; inde laudibus extulit, & elogiis Juſtum Judicem condecoravit, qui etiam ſuis in vicariis flagitia proſcindat, & ſeu mutos, ſeu aliis etiam vitiis contaminatos Curiones æternâ mergat abyſsô.

(18) Iſa. 34

(19) Iſa. 42.

(20) Iſa. 14.

F. Concluſio inde tam à Curionibus, quàm ab ipſis etiam Curionum auditoribus formetur.

Dicite modò AA. quem hæc Judicia non terreant? hæ quis audiat, & unà muneri ſuo, curæ ſuæ indormiat? hæc quis reſciat, & adhuc molli brachio decumanas ſuorum pravitates attingat? fuerit Curio ille aliis etiam flagitiis coopertus; fuerit bibo, luſor, thraſo, leno, euclio &c. tacuit tamen primus chorus hæc vitia & unum *væ* mutis & pravis paſtoribus occinuit: *væ paſtoribus Iſraël &c.* ut omnibus conſtaret, non tam propter illa tetri nominis flagitia, quàm

quàm Verbi Divini abuſum & ſcelerum conniventiam, ſeu mutos ex cathedra clamores, judicandos & fulminandos eſſe animarum Curiones. His ſtantibus AA. quis nobis vitio vertet, ſi pro viribus noſtris voce ac lingua multiplex ſcelus ex cathedra configamus, ac palàm demonſtremus, quàm grandibus pœnis in orco flagitia juſtum Numen caſtiget, in vivis non expiata. Id niſi accuratè præſtiterint Curiones, caveant ſanè, ne poſt fata ſerum fiant ſpectaculum mundo & Angelis, quod pium Numen avertat! Pergo itaque in ceptis, & ſingulis poſthac Dominicis ſuam deſtino tragœdiam, quæ ſaluberrimos peccati horrores reis mentibus injiciat. Id tamen hic loci monitos velim omnes. Gravia ſcelera juſtiſſimè à Deo caſtigata ſi adduxero, nemo de me præſumat, quaſi meos AA. iiſdem pravitatibus merſos credam & contaminatos. Huc minimè tendit hiſtorica narratio. Ut tantò fortiùs grandia ſcelera caveantur, ſimiles tragœdiæ fuſiùs enarrantur. Hic omnium ob oculos verſetur illud (21) Aug. *Non eſt homo, qui non poſſit facere, quod fecit alter homo, niſi hominem gratiâ ſuâ præveniat homo, qui pro homine factus eſt homo.* Cautelæ locò dicuntur, quæ tragicè proponuntur, ut boni reddantur meliores, pravi alienò damnò fiant cautiores. Si proin meo ex officio uni vel pluribus veritatem dixero, me poſthac ab omni vitio mei AA. abſolvent, & locum dabunt ſanctæ veritati. Ego omnes in Domino amplector, ut tamen in illorum gratiam tanto cum ſalutis propriæ periculo veritatem ſubticeſcam, nemo ſomniet. Amicus Plato, amicus Socrates, ſed magis amica Veritas, ea maximè quam *primam* dicimus, JEſus Chriſtus Dominus noſter, cui ſit laus & gloria in ſecula. Amen.

(21) S. Aug. l. de Grat.

# CONCIO III.
# DOM. III. ADVENTUS.

*Tu quis es? Joan. 1.*

## Porcorum Ternio.

QUid monstri fuerit Circe, AA. lippis, ut ajunt, & tonsoribus notum est. Calepinus (1) eam vocat *enormem triveneficam*. Sarmatarum Rege, cui nupserat, per immane veneficium sublatô, regnóque per scelus partô cum more feminis recepto crudeliùs imperâsset, ab incolis regnô ejecta in Italiam transfugit, & in monte Circæo, sic à Circe nuncupato, antiqui olim Latii termino, herbis uberrimo, sedem fixit. Hîc cùm Glaucum Hippolochi filium, tùnc verò marinum Deum hospitiô exceptum amâsset, is autem Scyllam Phorci Sardiniæ Regis filiam, quam secum duxerat, ardentiùs deperiret, irâ & odiô succensa Circe, Scyllæ balneum paravit, in quo corpus ejus incantatis ollaribus herbis ablui fecit, unde mediam sui partem in marini canis formam, Scyllam vidit abiisse. Territa informi forma & confusa ultrò mare insiliit, ubi ocius in petram adhuc hodie naufragiis infamem mutata fuit Scylla. Cùm Ulysses Ithacæ Rex Trojâ captâ suam in patriam remearet, vi tempestatis Circæum ad montem appulsum Ulyssem largô excepit hospitiô Circe; cum hac ita largam consuetudinem Ulysses contraxit, ut cum ea totum per annum hospes subsisteret, & ex Circe sub anni finem Telegonum susciperet filium, à quo tandem neci datum esse perhibent Ulyssem, ictu fatali in ignotum detorto. Antequam hoc ex monte abiret, Circe senos illius socios & viæ reliduos comites in porcos transmutavit, altùm cachinnari solita, cùm luto & limo setas revolverent. Picum Latinorum Regem, quòd uxorem suam cantatricem Circæ præferret, & hujus connubium respueret, in sui nominis avem transmutavit.

(1) Calep. F. 295. A. Quid rei, quid nominis fuerit Circe apud gentiles?

Hactenus de Circe recensita rectè quidem fabulis accenseas; ex his autem fabulis nostrô etiam ævô centies historias facit peccatum. Hoc monstrum veri nominis Circen dixeris, quia non tantùm senos Ulyssis socios in sues, nec unum tantummodo Picum in picam, unam duntaxat Scyllam in canem, sed homines propè innumeros in deformes bestias transformat. Quotquot peccatis infecti terras obambulant, rectiùs feras dixeris quàm homines; foris quidem ratione præditum hominem repræsentant, intus verò totam Herculis Augiam ostentant. An clarum hujus specimen ex Scripturis ostendi vultis? hem! positus in medio, quò me vertam nescio. Vix grande peccatum in paradiso peccabant protoparentes nostri Adam & Eva, suam quantocius nuditatem vestibus contegebant. At unde has vestes Adam transsumpsit? Scriptura sic (2) loquitur: *fecit quoque Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas.* An ergò Deus ipse in terrestri viridario vel sartorem egit vel alutarium, aut pellionem, cùm ex animalium pellibus Adæ ac conjugi ejus primas vestes conficeret? id antiquus dierum Origenes (3) seriò reprobavit, Augustinus tamen (4) hoc ipsum ratum habuit.

B. Apud Christianos quodvis grave peccatum Circe est, hominem bestificans.

(2) Gen. 3.

(3) Orig. in Gen.

(4) S. Aug. l. 11. de Gen. ad lit. c. 39.

Quærat hic nonnemo: cur quæso excoriari voluit belluas Deus, ut inde protoparentibus nostris vestimenta coaptarentur? alius utique modus & ratio Adamum & Evam vestiendi supremo Numini occurrit. Nodum hunc expeditè solvit Carnotensis (5) Arnoldus: *aptatum est corporibus, quod intus erat in moribus.* Vestis hæc statum exhibuit, qui tunc temporis protoparentes nostros corripuit; hi legem Divinam impiè transgressi, hominis formâ in se ultrò per peccatum protritâ, se per idem peccatum in brutum pecus passi sunt transformari. *Aptatum est corporibus, quod intus erat in moribus.* Interempto fratre innocuo Abele his verbis Cainum dicitur Deus (6) compellâsse: *cur concidit facies tua?* deorsum caput flectere, bestiarum est irrationalium, homines verò ratione cœlitus instructi, ad cœlos capita elevant, Ovidio (7) teste:

C. Probatur ex Script.

(5) Arnold. Carnot. Not. de op. 6. dierum.

(6) Gen. 4.

(7) Ovid. 1. Met.

*Pronâque cùm spectent animalia cætera terram,*
*Os homini sublime dedit, cœlúmque videre*
*Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

Cain

Cain utique sursum oculos suos extulisset, si hominis formam servâsset; at Circe stygia, seu peccatum, per odium & invidiam tantoperè Cainum incantavit, ut bestiæ instar ferocissimo assultu fratrem aggressus, latrocinante furia pium Abelem conficeret: *egressus Cain à facie Domini, habitavit profugus in terra*; Cain homicida hominum choro inseri non poterat belluarum in ordinem redactus; ideò profugus silvarum abdita transcurrit! Similes textus adhuc plures exhibet Script. quos studiosè prætermittimus. Questus est multoties David, à Circe hac ita turpiter hominem deformari, (8) *homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Idem plures alii Prophetæ deplorant (9) Isaias. (10) Jeremias. (11) Amos. (12) Oseas. & in nova lege 4. Evangelistæ. Pro scelerum diversitate, etiam forma variat bestialis, ut proin jure inquiras: *tu quis es?* ex quo tam parum hominis, tam parum rationis tralucet? has omnes peccaminosas belluarum formas uno brevi syllabo concluſit aureus (13) Orator: *neque enim homo es*, verba sunt Chrys. *cùm tanquam asinus recalcitres; lascivias ut taurus; tanquam equus post mulieres hinnias; ventri tanquam ursus indulgeas; ut mulus carnem impingues; & malum memoriâ teneas tanquam camelus; rapias ut lupus; ut serpens irascaris; serias ut scorpius; subdolus sis ut vulpes; tanquam vipera venenum spargas; quomodo te hominibus connumerare valeam, talis in te naturæ cùm nulla intuear signa?* hanc sententiam mundo applica præsenti & assectis ejus, *tu quis es?* & fatendum erit, plures dari bestias quàm homines. Amplissimum cum Diogene forum obeas, ubi densæ prostant hominum catervæ, cum Cynico centies exclamabis: *homines quæro, non jumenta.* Vos pridem Circææ pravitas bestificavit; quia vita, quam ducitis, non humana est vita, sed belluina.

(8) Ps. 48.
(9) Isa. 56.
(10) Jer. 5.
(11) Amos. 4.
(12) Ose. 13.
(13) S. Jo-Chrys. hom. 23. ad pop. Ant.

D.
Et ex PP.

Opt. AA. quæ hactenus de abominabili ferarum forma, quam sua ex natura quodvis grave flagitium velut altera Circe homini affricat, ex Scripturis & D. P. Chrys. produximus, nunc etiam cepto hactenus more, unô vel alterô aut etiam tertio exemplô eóque tragico demonstremus. Unum quidem

ex illis abundè sufficeret; at quia una sub forma tangunt varios, promamus singula. Primum luridos patres, alterum impias matres, tertium iniquos & discolos subditorum Rectores perstringet. S. P. Chrys. in prolixa sua paulò antè adducta sententia, de porcina peccatorum forma nullam fecit mentionem, hanc proin triplici sub schemate resaricam. Optandum quidem foret, ut hæc acherontica Circe peccatum, nullum ultrà mortalium & rationalium creaturarum in fæculentos sues transmutaret; at sicut ibi senos Ulyssis socios in fœtentes porcos Circe transtulit, ita sanè peccatum hanc in horam innumeros homines in hispidos & lutulentos sues transportat. Primam transformationem describit (14) Barelet. Antiquus Author. Erat Florentiæ in Italia Civis opulentus, sed adulteriô infamis. Ait quidem de cerea juventute Poëta: *cereus in vitium flecti, monitoribus asper est puer &c.* & idem hic de quadragenario etiam viro dixeris: centies monitus, *monitoribus asper*, pia hortamina vel elusit vel protrivit. Nempe! nullum ita piceum scelus est, quàm vaga libido. Aegrè hominem deserit, dum spiritum trahit vitalem! ut plurimùm his fœcibus altùm indormit leno, & nonnisi cum moriente libido moritur. Quæ causa tantæ tenacitatis? hanc paucis innuit (15) Aug. *dum servitur libidini, fit consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, fit necessitas.* Ita tandem alteram quasi in naturam transit pessima turpitudo, quam rarò videas ante ultima fata everti, juxta tritum illud & multiplici experientia suffultum dogma:

(14) Gabr. Barel. in Quadrag. E.

Ac tragicis tribus exemplis. Primum de impiô patre.

Hist.

(15) S. Aug. lib. 6. Conf. c. 12.

*Naturam expellas furcâ, tamen usque redibit.*

Multis annis hunc adulterum lenonem Deus sustinuit, ut uberes tandem pœnitentiæ lacrimas eliceret; sed callum pravitas obduxit. Hæsit in obscœnis fœcibus, donec animam vomeret, fatô subitaneo justi Judicis judiciô extinctus. Truncô corporis terræ mandatô, ea ipsa nocte solâ filiâ pro paternis manibus domi suæ ardentiùs orante, subitò hypocaustum porcus irruit, qui mox grunire, & latè omnia lutulentis sordibus conspurcare. Vidit hæc orans filia, & mox fustem rapuit, turpe pecus suum in locum fugatura. At ecce! librato ictu, porcus

cus articulata voce hæc ad precatricem puellam: *noli me tangere filia mea! sum ego parens tuus; huc veni sub orci schemate, quia vitam vixi porcinam. Meô damnô, heu æternô sape filia! sic jubet altissimus, cujus ex imperio hæc ego ad te.* His dictis totum spectrum ex oculis vanuit, & post se teterrimos fœtores reliquit, ut scires, hanc bestiam justô Dei judiciô in acheronticum suile detrusam esse. O bellum patrem! hunc exitum deformes *proci* seu verius Epicuri de grege *porci* sortiuntur. Anagramma *porcus* est, cui bellè *procus* respondet, ut patet ex Florentino. Qualis vita, finis ita. Vitam qui vivit suillam, is etiam mortem suo tempore obibit, sed porcinam. Sapuit filia sibi reddita, hoc grunitu propè propiùs exanimata, totique mundo calces illisit, sacros intra parietes vitam professa, sacris pœnitentiæ legibus circumscriptam, ubi nulla Circe, nulla peccati lues pedem figeret.

Huic alterum illud est affine, quod de nobili femina Cremonensi, suis quatuor Novissimis (16) Gabr. Inchinus inseruit. Dicitur hæc vitam vixisse fucis pharisaicis oppletam. Nemo hâc matronâ in publico modestior, in foro erga pauperes liberalior, in Ecclesiis devotior, in sacris obeundis frequentior; pientissimæ mulieris nomen passim sortita, de statis precibus suis nihil unquam remisit. At sicut non omne id, quod rutilat, vel aurum est, vel ignis; scoria enim auri vigorem, & lignum undique putridum in umbris ardentem flammam mentiuntur; videntur multi preces fundere largas & numerosas, sed quas etiam viri fundunt & matronæ sepulchralibus saxis insculptæ, tenent diu noctuque manibus suis rosarium, interim nec syllabam ponunt meritoriam. Saxum remove, videbis potiùs grandi numerô tetros vermes & horridos bufones prosilire. Talis erat oratio feminæ hujus, foris picta & pharisaicis fucis largissimè cerussata, intus mera lues & abominatio desolationis. Sordebat clanculò luxuriantibus probris, quæ ut fortiùs tegerentur, eleemosynæ ac pietatis pallium latenti nequitiæ obtendit. Nullum violentum esse potest diuturnum; nulla hypocrisis annosam fert ætatem. Proditur nullo somniante; perit ac perditur nemine cogitante. Experta loquatur præsens Berta, quæ

(16) Gab. Inchin. de 4. Nov.

F. Secundum de impia matre. Hist.

quæ ſicut probra ritè confitendi ſummè noxium ruborem in annos retinuit, ita tandem juſto Numini ac ſcelerum ultori Deo tectæ pravitatis pœnas dedit horridas, multò antè mortua, quàm ſe ad mortem ritè obeundam pararet. Vix tumulo illatum erat corpus, filiæ domum reduci ædium ſub fornice, frixæ inſtar ſuis apparuit mater, his eam vocibus affata: hem matrem tuam, quam ſanctam cives proclamant! en porcinam matris formam, quam clancularia peperit libido. Ut vitam, quam vixi, patefaciam, ſuem exhibeo; ut pœnas tot probris decretas oſtendam, frixam porcam repræſento. O æternitas quàm longa es! ô dolor quàm immanis es! homines ſplendidè decepi, & Deum graviter irritavi, ut probris ac fucis immortuam ſtygi adjudicaret ad focum ſemper arſurum cremandam ſuem. Ceſſa proin tua pro matre orare, quam Nemeſis ſuprema flammis merſit acheronticis &c. Hem iterum nobilem formam, quam luxuria parit, niſi maturè in vivis ſacra exhomologeſi, vel in articulo mortis, vivæ contritionis beneficiô expietur. Proſtant modò bina ſpecimina porcinæ formæ, quam pater incurrit procando, quam mater contraxit fornicando & fictitia pietate numeroſum ſcelus palliando. Trahatur hinc, quidquid ſingulis placuerit. Sapient ni fallor, his ſpectaculis omnes, ne à peccato ceu ſtygia Circe, ſe unquam faſcinari patiantur, cùm ad oculum pateſcat, quàm citò noſtra hominum forma in ſuillam transferatur. Clareſcat pariter ex dictis, quàm miſeram coronidem vitæ ſuæ imponere ſoleant luridi & laſcivi parentes; accedat ſcandalum, quô ceream ætatem primis annis deſtruunt, pœnæ pœnis accumulabuntur. Tandem omnibus inoteſcat, quàm lubricô ſtet loco ſalus hominis in laſciviâ effuſi, qui juxta SS. PP. alibi citatos, jam erebi portam pulſat, niſi ſeriò reſipiſcat. O quàm verè dixit ſcripſitque Euſebius (17) alia inter hæc etiam oracula: *luxuria hominem beſtificat & in ſtygem præcipitat, quem Caſtitas in Angelorum numerum tranſportat.* Quam *beſtiam* hic loci Euſebius intellexit; uſus enim eſt generico terminô. Eam ſanè ante omnes alias, quam utrumque hoc exemplum Civis Forentini & matris Cremonenſis repræſentat.

(17) Euſeb. l. 7. præp. c. 3.

At quid ſoli luxuriæ adſcribitur, quod ſibi plures aliæ vendicant pravitates? nunquid enim ex oraculo S. P. Chrys. (18) *etiam ſues ex hominibus facit ebrietas?* habent proin ſuam quoque portionem, quam hîc tollant guloſi & biboſæ mulieres, etſi nullô luxuriæ tabô infectæ. *Væ* hic loci atque iterum *væ* non illis tantùm, qui alios ad beſtiales potus ſolicitant, donec totam rationem vinô ſepeliant, ſed vel maximè parentibus illis, qui liberis ſuis ultrò primis mox annis potandi luem inſtillant! novi parentes, qui ſuis nec dum pedibus nixis prolibus pro lacte materno latrocinantis in morem velut hauſtum Suedicum infunderent vinum aduſtum, quos jure dixerim porcinos parentes, herodianos parentes, qui carnem ſuam & ſanguinem à cunis ſtygio Moloch, & bibaci diabolo audeant immolare. Quid ad hæc Magiſtratus? cur non ex officio lurcones hos & latrones gladiô proſcindit, quem à Deo accepit? digni non ſunt tam execrandi parentes, qui liberos ferant, quia ſuis à parentibus præter immanes vitiorum cumulos naturam ita ſuillam participant, focis aliquando ſtygiis concremandam.

(18) S. Chrys. hom. 58. in Matth.

G.
Etiam ebrietas porcos nutrit.

H.
Notæ in biboſos parentes.

Coronidis locô amicè monitos velim omnes illos, qui urnam verſant judiciariam & pollent dominatu, populi rectores, judices, conſules, prætores &c. ne per horridam peccati triveneficam ſe in porcos transformari patiantur; hæc non tantùm impudicis lenonibus & bibonibus ſuem affricat, ſed iis etiam, qui ſuos tractant impiè & quaſi beſtialiter exagitant, venis ſanguinem exſugentes, & tyrannicè dominantes. Tam hiſpidi dominatûs lucrum eminus ſpectandum dabit Teridates Armeniæ Rex, qui, ut meminit (19) Metaphr. ob pauperes graviter preſſos, & innocentiam barbarè protritam, unà cum Optimatibus ſuis peſſimis Aulæ conſiliariis, pari ſupplicio mactatis, juſtô Dei judicio in porcum transformatus eſt, omnibus cloacis immerſum, omnibus ſterquiliniis implicitum. Mirum eſt, quod in terminis memorat (20) Nicephorus, porcos hoſce ſe tandem mutuò devorâſſe, in pœnam ſc. & vindictam mutua rabie diſcerptos. Timeant pares pœnas, qui hôc etiam ævô millenis artibus ſubditos deglu-

I.
Tertium de tyranno Teridate & ſtygiis illius Conſiliariis.

(19) Metaphr. in Vit. S. Greg. Mart.

(20) Nicephh. l. 8. c. 35. Hiſt.

deglubunt. Possem quidem plures adducere; sed fluxit hora, non est mora, ut his porcis ulteriùs vocem impendam. Ostendere jubear, quoties hæc Circe alios in equos & mulos, alios in vaccas & bubalos, alios in ursos & lupos, in canes & catos, in vulpes & vulpanseres transformet, nec dies nec hebdomas sufficiat omnibus his bestiis coràm eviscerandis. Plures nobis adventûs hujus Dominicæ si affulserint, stygias artes Circes hujus plurium bono fusiùs detegemus.

Interim singuli seipsos crebrò interrogent, *tu quis es?* an homo juxta legem Dei & humanam victitans rationem? an informis bestia per obscænam & luxuriosam, per ebriam & gulosam, per hispidam & hirsutam Circen pessimè incantata? an projecta hominis dignitate cum adultero Florentino fœtentem porcum, an cum Cremonensi matrona sordentem scropham, an cum Teridate Armenorum Rege setigerum suem repræsentas? hæc tunpitudo si hominem irruit, vel hodie opitulante Dei gratia pellis ponatur suilla; petatur *natatoria Siloë*, ad fontem tribunalitium ritè animus eluatur. Ita veteres & informes scelerum setæ cum infami rostro vanescent, succedet in vicem novi hominis forma Superis amica, in quam angeli è cœlo prospicere gestiant; in quam Deus ipse cœlestium gratiarum charismata largo copiæ cornu devolvat. Amen.

# CONCIO IV.
# DOM. IV. ADVENTUS.

*Annô quintô decimô Imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontiô Pilatô Judæam &c. Luc. 3.*

## Execranda Potestas.

A. Natô Christô totus mundus erat in maligno positus. (1) Avanc. p. 2. Orat. 2. (2) Gen. 6.

PRô! quanta scelerum farrago totum pænè mundum corripuit, cùm nova orbi prodigia *vox clamantis in deserto* nunciaret. Rectiùs de hac ætate dixeris, quod aureô calamô de Noëtica scripsit (1) Avancinus: *omnis caro corruperat viam* (2) *suam super terram*, & inter corruptos mores nullus integritati locus concedebatur. In adolescentibus annis adulta vitia, in senescente vita florens audacia, in omni ætate annosum scelus, in omni sexu indistincta iniquitas, in omni ordine ac conditione inordinati animorum tumultus. Nulla divinarum legum reverentia, nullus ordo juris, nulla sacrorum æstimatio, nullus uspiam justitiæ metus extitit.

*Aurô pulsa fides, aurô venalia jura.*

Inde nulla æquitas in Curiis, nulla severitas in pœnis, nulla fides in testibus, nulla ratio in judiciis, nulla gravitas in consessibus. Furta & rapinas, odia & cœdes, mutua turbatorum animorum funera, prostitutiones integritatis, pudicitiæ violationes, thori conjugalis mille probra &c. in totum, quà patet, orbem acheron invexit.

*Quocunque aspiceres, crimen, scelus, & mala mille*
*Orbis inundabant Oras &c.*

Deique summi effrons contemptus oculos pulsabat & aures,

aures. Si qua lex fuit, ea non virtuti, sed omnibus vitiis patentem fecit locum. Si quod templum extitit, omnigenæ idololatriæ patuit. Si qua urbs stetit aut respublica, decumanis impietatibus ericium in morem scatebat. Omnis æquitas procul à forensibus urnis, omnis veritas procul ab officiis & officinis, omnis scientia procul à scholis publicis, omnis virtus procul ex omnium animis in exilium acta emarcuit, eviluit, exspiravit. Est quidem præsens *mundus undique in maligno positus* (3) & ut D. Prosper de suo dixit (4) ævo, *multorum hominum talis est malitia, qualis dæmonum*, vel ut de suo palàm questus est (5) Salvianus: *totum hoc seculum ira iniquitatibus plenum est, ut vel mali sint, qui sunt in illo, vel qui boni sunt, multorum persecutione crucientur.* At si præsens status illi conferatur, quem duxit ætas Christo nato coæva, fatendum est, tunc temporis malitiam summos apices conscendisse, cui jure inscriberes, *ne plus ultra.* Hujus tam miseri statûs quæ ratio fuit? quæ causa? hanc dum obiter ob oculos locamus, unà viam sternimus ad tragœdiam sub finem exhibendam.

(3) 1. Jo. 5.
(4) S. Prosp ad Ob. Vincent. in 6.
(5) Salv. de prov.

B. Tantæ pravitatis quæ causa?

Opt. AA. quod astrum solare terris est, quod cor & caput corpori est humano, quod arduis ædificiis multiplex est columna, id terrarum incolis ritè gubernandis Præsides fuerint & Præfecti. Tollantur ædibus sumptuosæ Columnæ? tota structura in lapidum acervos resolvetur. Capite suo mortale corpus truncetur? totus homo humi fusus jacebit. Lethali plaga pectus hominis configatur? inanime cadaver erit corpus. Sic nempe gentium & populorum acervi suis à vegetis capitibus vegetantur, ex languidis languescunt, ex mortuis emoriuntur, juxta illud (6) Isaiæ, *omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis usque ad verticem non est sanitas in eo.* Ecclypletur solare sidus, unde in segetes & in hunc totum spectabilem mundum charites defluunt millenæ? omnes ocius ad diurnas umbras expallescent, de nocte meridiana scribent omnes summi, imi, medioxumi, lippi & tonsores; nemo non de patente spectaculo loquetur; sævient unà pestilentiæ; mugient tempestates; tremiscet tellus; exclamabunt Areopagitæ: *Vel Deus naturæ patitur, vel Mundi machina dissolvetur.* Sic sic totus

(6) Isa. 1.

C. Qualis Rex, talis grex.

populo-

populorum vigor à luminosis moribus dependet integerrimorum Summatum. Sic totum frigus, quod in subditis lugemus, à Rectorum caucaseo gelu proficiscitur. Facergò soles politicos, quales revera omnes sunt Superiores, suis à passionibus excœcari, à palustribus terræ vaporibus palpabilibus umbris involvi, immanibus flagitiis commaculari? nemo sanæ mentis amicam lucem à subditis exspectabit; nam & ipsi diem in noctem vertent Majorum exemplô. Rarò soli peccant Magnates. Transeunt in absentes, cùm recitari audiunt flagitia, liberè à Majoribus patrata. In membra defluunt infecti capitis pestiferi humores. Subditis scelus affricatur, quoties per Summates peccatur. Non intelligo hic loci Principes ad Provinciæ clavum sedentes Monarchas, vel eorum Vicarios Officiales, quos *communes omnium patres*, unde subditi pariter patrissent, Baldus (7) vocat. Suo etiam sensu *Principis* nomen, quocunque nomine *Superior* sortitur. Ita hunc in censum trahas Ecclesiasticos Antistites, *Regale Sacerdotium*, sacros Animarum Pastores, cœli Legatos, ac Dispensatores mysteriorum Dei. Huc porrò parentes devolvas, ludimagistros, patresfamilias, tutores &c. quorum singulis ex officio incumbit, lucem cum vita suis dispartiri, & inferiorum subsistentiam vivis virtutum exemplis fulcire, ne pravo capitis affectu correptus, proximus Ucalegon inardescat, atque idem in scelus & iniquitatis voratriam pars vicina trahatur. Gestias proin, qui talem personam in terris sustines, subditorum tuorum acta explorare? tua multò antè in te ipsô explora. Tales tuos cogita, qualis tu fueris in teipso. A tua pietate, religione, justitia, sobrietate, & omnigenâ virtute salus pendet subdita.

(7) Bald. Cons. 410. n. 5.

## *Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

Patrissabunt subditi tuis ex moribus vel ad cœlos directi, vel ad orcum deducti. Qualis Rex, talis grex; quod sanè usu perpetuo compertissimum habemus, bonum esse in Republica gregem, si quem Ducem Rectorem nactus est, bonus sit; malum ex adverso, idem si malus existat. Oraculum Numinis (8) est, *secundum Judicem populi, sic & ministri ejus, & qualis Rector est civitatis* (adde, qualis Rector est Cœnobii, Parochiæ,

(8) Eccl. 10.

familiæ, domûs, ſcholæ &c.) *tales & inhabitantes in ea.* Trahunt illi exemplô ſuò, & à ſuis fieri imperant, quæ ipſi peſſimis moribus depravant; nam ſicut in corporibus, ita in imperio (ſeu ſacro ſeu profano) morbus ille omnium graviſſimus eſſe creditur, teſte (9) Plinio, qui à Capite deſcendit. Cur? quia plerumque totam membrorum omnium compágem irruit, & acerrimè ſingulos artus depopulatur, ut videre eſt in apoplecticis.

(9) Plin. l. 2. ep. 62.

Hæc ſi vera ſunt AA. uti planè veriſſima eſſe, quotidiana experientia confirmat, nemo ultrà quærat ſolicitus, unde tanta malitia, pænè omnium maxima totum terrarum orbem corripuerit, cùm in deſerto verbô & exemplô pœnitentiam intonaret Joannes. Legatur præſens Evangelion, & mox patebit, per quos tunc temporis Roma & Judæa, nec non aliæ per orbem provinciæ ſint deſtructæ.

Deum immortalem! quæ monſtra video? quæ hominum, imò belluarum portenta exhibet Scriptura? non eſt totius anni decurſu Evangelium tot beſtialibus ſcelerum monſtris oppletum, quàm hodiernum. Proſtant hodie Tiberii Cæſares, Pilati Procuratores, Herodes, Philippi & Lyſaniæ Tetrarchæ. Hi politicum corpus regebant; hi populis ac gentibus hebræis imperabant, in omne ſcelus projecti Magnates, in omnem proterviam effuſi Proceres, in omnem luxum & luxuriam procincti Officiales. Secularibus hiſce principibus & dynaſtis nec hilô meliores erant Pontifices; horum primipili erant Annas & Caiphas, quorum uterque Chriſtum Deum ac Dominum noſtrum, ad lethiferam Crucem promovit, ſanctæ Veritatis ſtygii latrones & veſpillones. Hinc illæ lacrimæ. Hinc tota malorum ilias. His hominum monſtris ad clavum ſedentibus factum eſt, ut totus terrarum orbis velut eminus peſtifera lue afflatus, ad ſummum pravitatis & malitiæ gradum eluctaretur, cui, ut memini, jure ſuo tritum illud appingeres, *ne plus ultra!* Hic humanæ pravitatis termius eſto, quem nemo hactenus attigit, niſi cùm à ſceleſtiſſimis hiſce capitibus Romanus Orbis regeretur. At placeat nonnihil fixiùs hæc monſtra, hæc vitiorum oſtenta intueri.

D. Infamis vita Tiberii.

Quis ergò fuit Tiberius? ſi veneris mancipium, ſi avaritiæ ac per-

ac perfidiæ monſtrum, ſi gulæ ac crudelitatis dixero portentum, nimis parùm dicar hiſtoriographis dixiſſe. Nullus calamus ſcelerum iliadem deſcribat, quibus ſe totum ſubditis execrabilem reddidit Imperator. Vix ſolium conſcendit, omnes doctos in exilium egit, ſumptis invicem rudibus aſinis, qui toti à Tiberio penderent & aſſentatorio ruditu conſilia probarent plumbea, ficulnea, impia, truculenta. His ſtipitibus, his præuſtis ſudibus innixus Cæſar, ad omnem vitæ licentiam mollem ſibi viam compoſuit, in omnem audaciam effuſus. Ait Sueton. (10) eum dies cum noctibus bibendo continuâſſe, ac ſtrenuis bibonibus adipales præfecturas impertiiſſe; quô lucrô ad ſubditos translatô, hinc etiam Amuſi colligent. Ei nullus fidem probavit, niſi grandibus poculis plures alios depoſuiſſet. Accidit inde, ut à continua bibacitate non *Claudius Tiberius Nero, ſed Caldius Biberius Mero* diceretur. Pompejus Magnus Baccho ſimul ac Veneri Romæ fanum erexit. Cur non utrique proprium condidit? Audi Tertul. (11) *ubi ebrietas, ibi libido. Theatrum ventris etiam Liberi domus eſt; ſemper enim ſimul incedunt, & ſub eodem tecto commorantur gula & luxuria.* Unde temerarium judicium non eſt, ſi de homine guloſo & biboſo minùs etiam pudica præſumas. *A gula in laſciviam tranſitur*, inquit (12) Alcuinus. Sicut ergò gulam fovit Tiberius, ſic pariter gulæ ſociam venerem impensè coluit Tiberius; hunc in finem totam aulam luxurioſiſſimis inſtruxit, quibus omnium oculi ad omnis generis libidines accenderentur. Nemo dicat, caſtitatem coli, ubi tam propudioſæ imagines proſtant. Orco victimæ litantur innumeræ harum ope ac ſubſidio, qua ex cauſa nullibi locorum bona cum conſcientia tolerari poſſunt. *Diſcitur adulterium, cùm ſpectatur adulterium* Gregorio (13) teſte. Tiberium *omnium voluptatum magiſtrum* vocat (14) Plutarchus. *Impuriſſimum lenonem & monſtroſum pœderaſten* (15) Cæl. Rhodig. Fuit, qui novum libidinis genus Tiberio aperiret? artis ſtygiæ grande præmium & plauſibile officium recepit. Fuit, qui vel ſuæ, vel alterius pudicitiæ fugâ conſuleret? morte peracerba luit fugam. Quid multis? eò ventum eſt graſſante Tiberio, ut etiam publicum officium erigeret optimè dotatum, eique Priſcum præficeret, cujus una eſſet

(10) Suet. in Vit.

(11) Tert. L. cont. Pſichic.

(12) Alcuin in Gen. quæſt. 38.

(13) S. Greg. l. 9. ep. 9. ad Siren. Epiſc.

[14] Plut. in Tib.

[15] Rhodig. l. 20. c. 30.

cura, laſcivis voluptatibus præſidere, ut nil unquam vel procis deficeret, vel forenſibus lupis. Unde verò in hoc duplex ſcelus corruit Tiberius? ſuxit utrumque flagitium cum lacte puellus; Livia Mater ejus formæ gratiâ propriam ſobolem lactare renuit, eam ergò more paſſim recepto lamiæ obtulit lactandam, quæ cùm bibula eſſet & luxurioſa, mores proſtibuli hujus cum adulterino lacte in ſe tranſtulit. Avaritia ejus nullô poterat fiſcô, nullis mulctis & exactionibus ſe paſſa eſt ſaturari. Exhauſit ſuos ad imos uſque pedes; cùm enim tot penſionibus non eſſent, ſandalia paſſim ex informi trunco fabricârunt, ritu hodie Franciſcanis Patribus per Boicam reformatis uſitato; memorat Sabel. (16) eum unis tantùm vicibus ultra 67. milliones coronatorum in parata pecunia corraſiſſe. Suet. teſte l.c. animô etiam ad rapinas conversô, quæſitis undique calumniis, opibus ſuis & fortunis, imò etiam vitâ ſuâ per ſummum nefas opulentos ejecit, & ſibi omnes fortunas vendicavit. Fuit, qui minimam dicacitatem in Cæſarem expromeret, capite ſtetit & fortunis dicacitas, ita quidem, ut etiam capitale eſſet, circa Tiberii ſimulacrum alium palàm cecidiſſe, fibulam conſtrinxiſſe, lotium poſuiſſe, nomen aut effigiem Cæſaris annulo inſerta in lupanar, vel in latrinam detuliſſe. His ex capitibus multos capite damnavit, aut feris objecit, unà ſub capitis demetendi periculo palàm prohibuit, ne ſuos truci fatô ſublatos, propinqui lugerent. Talis erat Tiberius orbis caput, ut vix deterior fingi poſſet tyrannus; utut verò enormibus vitiis hirteſceret, ſuum tamen infame nomen adhuc coli voluit & honorari. Sed Officiales Tiberii luſtremus.

16) Sabel. l. 2. En. 7.

E.

Pilati elogia.

Pilatus Præſes erat Judeæ; at quis erat Pilatus? ſtygius procurator, avernalis judex, ſacrilegus impoſtor, Barrabæ latronis patronus, ſeditionum fautor, juſtitiæ oppreſſor, Innocentiæ traditor, homo turbulentus, homo ſanguinolentus, lanio virtutis, turpis pſeudopoliticus, latro veritatis, Dei Hominis ac ſui tandem ipſius carnifex truculentus. Ut prima ſodis hujus cunabula inveſtiges, Galliam adi Pontiorum feraciſſimam tellurem. Fuit ſpurium veneris germen Pilatus, ex lupa molitoris filia per Tirum Baronem Gallum imprægnata, Lugduni Galliæ prognatum. Dicitur primis annis ex odio ac impe-

impetuoso furore proprium fratrem ferrô necâsse; adultior etiam Legati Romani filium interemit; unde in Helvetiam ajunt exulem transfugisse. Extat hodie Lucernæ mons grandis & propè inaccessus, à nonnullis *pileatus*, ab aliis tritâ hodie linguâ *Pilatus* passim nuncupatus; fortè hac in vicinia pedem fixit Pontius, donec patratum scelus evanesceret. Si jam tunc temporis jejuni Helveti annuæ pensiunculæ gratia fortius Galli quàm Cæsaris jura propugnârunt, mirum videri non debet, in Eigental Lucernensis Cantonis, ad montis Pilati Pedem sedem fixisse Pilatum. Vidi locum, sed alia nulla quàm antiquæ traditionis vestigia reperi. Quærat hîc nonnemo, quibus modis Judææ præturam nactus sit Pilatus, duplici ex capite infamis? Respondebit Poëta.

*Auri sacra fames quid non mortalia cogis pectora?*

Bursa aurô turgida hæc emit tribunalia. Cæsaris aula tunc temporis fronti suæ inustam tulit epigraphen, quam necdum expunxit.

*Currere Cæsaream si cupis, unge rotam.*

Sic fasces obtinuit Pilatus, quibus tamen enormiter abusus, exauctorari meruit, & alteris vicibus in exilium relegari Galliæ Viennam, ubi suimetipsius & lictor fuit & carnifex. Philo Judæus (17) eum his titulis condécorat: *Pilatus duri fuit & pervicacis ingenii homo pessimus, rapinis, injuriis, cladibus, tormentis, crebris cædibus indemnatorum, sævissima crudelitate infamis judex corruptissimus, & omnibus flagitiis cooperatus.* Hucusque Philo. Sed linquimus Pilatum, & reliquorum virtutes obiter exploremus.

(17) Philo. L. de Legat ad Cajum.

F.

Herodis & Philippi fratrum germana Virtus.

Herodes Antipas filius erat infanticidæ Herodis, mali corvi ovum pessimum. Arcto carcere Christi Prodromum Joannem conclusit, eúmque in gratiam Herodiadis suæ decollavit; alba etiam veste Christum tanquam fatuum elusit, totus atheus, adulter, sacrilegus, incestuosus, à Cajo Caligula, qui Tiberio successit, bonis ac fortunis suis exutus, Lugdunum Galliæ tanquam exul relegatus, prout Salmeron (18) testatur. Philippus frater ejus (19) fungus erat Josepho, & simplicianus idiota,

(18) Salm. t. de Pass.

(19 Joseph l. 18. c. 6.

idiota, fautor ſcelerum, palmarium flagitiorum diſſimulâtor, ideò uxore illius facilè potuit vaferrimus Antipas abuti. Sed cur ita ſtolidus caudex in Ituréæ Tetrarcham electus eſt? hæccine parens ejus meruit, à pediculis corroſus infanticida? quid, quæſo, prima hujus promotionis principia rimamur? fac nummorum peroret pluralitas, & vel hodie ad prima uſque ſubſellia ſacra & profana graſſari videas pépones & cucurbitas, hebetes fungos, & rurali vacuò tumentes bullas, duro de robore natos idiotas, abecedarios Corydones &c.

G. Lyſaniæ décora.

Lyſanias Abilinæ præfectus homo erat inſigniter barbarus, atrociter ſævus, graviter ſceleratus, ferociter pernicioſus, omnium facilè, quos Abila tenuit, teterrimus, cujus vel nudum nomen omnibus eſſet ſubditis execrandum.

H. Annæ & Caiphæ præconia.

Annas & Caiphas Summi licet Sacerdotes audirent, Chriſtum tamen uſque ad funeſtam eámque probroſiſſimam Crucem perſecuti ſunt, & poſt Chriſti mortem Diſcipulos ejus. Quibus technis gazophylacium expilaverint, memorant Evangeliſtæ. O bellos cuſtodes ovium, ut ajunt, lupos!

Hem perditi Statûs, quem tunc paſſa eſt mortalitas, miſerrimam rationem ac formam, per miſerrimos Superiores tunc ad urnam ſedentes, à Spiritu S. deſcriptam, ut ob oculos poneret univerſariam orbis pravitatem Evangeliſta, Præſides tantùm & Præfectos exhibuit omni flagitiorum genere coopertos, ut Philo meminit l. c. & Joſeph.

I. Væ pravis Superioribus! væ iniquis Officialibus!

Væ Reipublicæ! væ Curiæ! væ Civitati ac Provinciæ, quam Tiberii regunt aut Herodiani Tetrarchæ! væ familiæ, quam Caiphæ adminiſtrant! ruent in abyſſum cum Rectoribus ſubditi, cum Majoribus tantæ Poteſtati ſeu ſacræ ſeu profanæ ſubjecti. Omnibus Superioribus vel hoc uno ex capite magna benè vivendi neceſſitas eſt injecta, quia ex illorum manibus requiritur, quidquid in ſubditis vel deſtruitur, vel negligitur. Non ſine cauſa Sapiens (20) intonat: *judicium duriſſimum his, qui præſunt*; præſidis tamen & prætoris partes explent luridè; & quid inde ſequitur? audi porrò Scripturam: *potentes potenter tormenta patientur*. Quid hoc? ergò ſalus propria à ſalute pendeat aliena? rem acu tetigiſti. Impiè, perfidè, nequiter, ſciſcitanter munus obeant Superiores? certa ſunt tormenta nullô

(20) Sap. 6.

ævô

ævô terminanda. Obſigno præſens aſſertum triſti tragœdia, quam Kibler (21) exhibet. Obiit nuper in loco Catholico (ſic generalibus in terminis loquendum, ut familiæ parcatur) magni nominis Officialis Urnarius. At quomodo coram judicio ſtetit ſupremo, ubi maxima de minimis omniſcio Deo danda ratio? hic rhodus, hîc ſaltus, hîc tota lex pendet & Prophetæ. Cœcos homines facili opera ſupplantamus; at quis Deum implanet? fœtuit enormiter defuncti hujus exanime corpus, ſuâ licet ſandapilâ concluſum. Actum proin, ut in oppoſitæ plateæ vicino Sacello deponeretur, donec inde ſublatum ſolenni pompa ſuum ad tumulum Summo in Templo paratum aſportaretur. Illuxit tandem dies, quâ juſta extincto perſolverent, toto agmine jam in procinctu ſtante, ut feretro impoſitum funus tolleretur; hem ſubitò movetur tumba & reſeratur, ſurgit compoſitum funus, prodit ſpectante populo è ſacello, tranſit plateam, ædes ſuas ſubintrat, aſcendit ſcalas, & rectà petit hypocaustum, ubi tota ſtabat familia, funeri deducendo accincta. Stant in altum arrectæ omnium comæ, frigidus horror membra concutit, aliquos etiam humi fundit tremendi hoſpitis exitialis aſpectus. Medium hypocauſti ſpiritus tenuit ſingulos utrinque flagrantibus oculis quaquaverſum projectis exanimans. Nemo fuit, qui præſentem ſpiritum alloqueretur. Unus tandem reſumptô animô & elicita vivaci contritione omnium egit causâ, tritâ Eccleſiæ formulâ palàm enuntiatâ, quâ umbrarũ apparentiũ ſtatus exploratur: *omnis bonus Spiritus laudat Dominũ Deum*! necdum ultimam ſyllabam protulit, jam umbra infremit: at non ego, non ego. Rogatur ultrà, cur debitas laudes Deo negaret? an umbra eſſet ſtygia, damnata? ita, ita, reponit umbra, damnatus ſum! ratio eſt, quia vivus ſubditos meos tam enormiter exſuxi, eos ita durè, ita hiſpidè moderatus, ut aliqui ultrò ſibi manus inferrent violentas, quorum ſanguis jam à me per ſupremum Judicem requiritur; ratio meæ damnationis eſt, quia per fas & nefas iniquitatis mammonam adauxi, nullâ nec animô tenus præſumpta reſtitutione, mulctis grandibus modicam in ſubditis exerrationem plectendo, cujus vel totam, vel æquô majorem ſubſtantiam mihi uni per ſummam iniquitatem adſcripſi, librorum rationibus impiè detortis, ac meum in lucrum

(21) Kibl. p. 2. Spec.

K. Judicium duriſſimum his, qui malè præſunt. Probatur facto tragicô. Hiſt.

mutilatis &c. His dictis horrisonus turbo hypocaustum irruit, & in ictu oculi per patentem fenestram funus abripuit, atque iterum in medio atrii sub dio deposuit; hic spectante tota hominum catervâ stetit umbra, & capite in altum levato ultimum vale lucido soli, totique cœlo transmisit, altum ejulans: jam ultimùm te intueor lux publica mundi Sol, te porrò nunquam ultrà spectaturus in æternum in æternum in æternum! *Felix quem reddunt aliena piacula cautum!* felix; qui munus suum ipsi à Deo commissum, ita piè, ita candidè in vivis exequitur, ut spe ac solamine plenus, post fata piè in terris obita, cœli ac Dei sui gaudiosissimo aspectu frui valeat æternùm. Amen.

# CONCIO V.

# DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM.

*Dolentes quærebamus te. Luc. 2.*

## Prava educatio prolis.

AA. Perditæ prolis culpa pessimè imputatur Deiparæ.

(1) S. Aug. l. de nat. & grat. c. 36.

(2) S. Ambr. ep. ad Theoph.

NEmo culpam conjiciat perditæ prolis hodie vel in Deiparam, vel in Josephum AA. Hic loci ex parte pientissimorum Parentum nihil fuit neglectum. Hoc in negotio bini Patres Sancto Spiritu cœlitus afflati audiantur. *Cùm de peccatis agitur*, maxima est (1) S. P. Augustini, *de Sanctissima Virgine Maria propter honorem Domini, nullam prorsus habere volo quæstionem.* Idem sentit, idem loquitur Mediolanensis (2) Antistes: *Claudat ora sua perfidia, & erubescat, ne Matrem Domini aliquando audeat convitio temerare.* Discant potiùs omnes ac singuli parentes, quâ curâ, quâ industriâ suam in prolem ferri debeant parentes. Virgo Mater Divo Conjuge suo comi-

comitata, ubique Filium investigabat, qui se omni studio parentum oculis subtraxit absque ullo contrahendo malignitatis periculo. Credebant optimi Parentes, filium ad cognatos digressum esse omni morum sanctitate conspicuos; cùm verò illos inter nullum unquam pedem fixisset, nulli etiam quieti locum dabant parentes, donec lectissimam Prolem invenirent. Ita maturè omnem lapidem moveant parentes, ne ullam pravitatem foris hauriat cerea juventus. Hîc quidem, ut memini, nullum erat periculum imbibendæ pravitatis; at non inter millies occurrit. Hac in re ne quidem vicinis, ne quidem cognatis tota debet fides transscribi; possunt & hos inter luem contrahere tenelli, quam nulla diluat ætas. *Quo semel est imbuta recens, servabit odores testa diu.* Consuetudo à teneris hausta, naturam induit, quam furcâ expellas tamen usque & usque redibit. Scriptura teste (3) *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Accedant etiam pravi sodales, qui flexiles animos inflamment, facilè mores referet ætas tenera, tetro carbone notandos. Sit proin cura omnium prima parentum, ut suis magistros præficiant, qui cum scientia etiam solidam pietatem liberis instillent. Sit pariter cura omnium prima Magistratuum, ut nonnisi optimè morati hypodidascali scholis publicis applicentur; at quid juvat optimæ notæ magistros habuisse, nisi suis domi studiosè invigilent parentes, ut ne pravô aliorum consortiô destructi, pravitatem contrahant nullô ævô expungendam. Videas sæpè sub eodem tecto commorari, quos gula & libido infestat, quos noxia vitæ libertas in omnem proterviam præcipitat; hos inter liberè obambulet ætas cerea, *uvaque conspectâ livorem ducet ab uva.* Quod olim dictum erat (4) Abrahamo: *ejice ancillam & filium ejus*, id singulis ædium patronis dictum esto, si in omnem licentiam effusi, & ad quodvis flagitium projecti flagriones domum habitent. Multiplex scelus innocentiæ affricabunt, antequam ritè alphabetum didicerit. Rectius adeò talis pravitas totis ædibus proscribitur, ne pars sincera trahatur. Nemo hic vel se palpet vel suos; nemo virtuti fidat adultæ; *fallit enim vitium specie virtutis & umbrâ*, & incautam ætatem supplantat, nisi omnem in

(3) Gen. 8. B.

Moralis doctrina parentibus oblata.

(4) Gen. 21.

partem circumspecti parentes prima in herba vitii umbram succidant. Nemo dicat domum suam vel puriorem esse arcâ Noë, ubi tamen inter octonos unus erat reprobus Cham; vel meliorem esse domô David, ubi tamen cum sorore sua nequam filius concubuit, alter verò contra mansuetissimum patrem rebellavit; vel sanctiorem esse ipsa cohabitatione Domini nostri JESU Christi, ubi tamen inter undecim probos, proditor fuit Judas; vel cultiorem esse ipsô cœlô, ubi tamen suos etiam inter Angelos Deus reperit pravitatem; quantò magis hæc pravitas nidos irruet terrestres, nisi perennibus in vigiliis steterint patresfamilias & parentes. Utut Noë suis invigilaret & Abraham, uterque tamen suis exitium illatum esse vidit, quàm mali viciniam persentiscerent: Ille tres habuit filios: horum duos in officio continuit, tertius verò ex viciniâ destructus in ipsius patris irrisionem descivit: iste duos nactus est filios, quorum unus innocens permansit, alter verò fratris sui grandis extitit persecutor. Utut pius Jacob perennes excubias pro suis duodecim filiis ageret parens, unus tamen tot inter excubias venditus est per innocentiam, reliqui verò undeni per malitiam facti sunt optimi fratris teterrimi venditores. Quid ergò non malorum suis timeant parentes, si nullam curam, nullam vigilantiam suis impendant, nec mores illorum explorent, quibus tenerior ætas assuevit; aut, quod absit, si plus curæ deferant scabiosæ sui, aut informi catello, quàm carni & sanguini suo; si non tantùm ad palmaria suorum scandala conticescant, sed ipsi totam domum cœco impleant furore, undè citius majorum more millena liberi sacra evomant, quàm in scholis discant septena. Non sine causâ omnium auribus intonuit (5) Micheas: *Inimici hominis domestici ejus.* Hos inter inimicos, quod mireris, sæpè omnium primô stant locô improbi parentes; illos ego hic loci monuero, qui liberis suis omnem libertatem indulgent; qui decumanam suorum pravitatem adhuc palliant, extenuant & enervant, unde ocius ad majora, gyaris & carcere digna grassentur; rectè suis amorem exhibent & tutelam parentes; tollatur amor, etiam nulla erit parentela. Effatum est Spiritûs Sancti (6) *nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit eam.*

(5) Mich. 7.

(6) Eph. 5.

*eam.* Salomon ex hoc materno affectu veram à falsa matre (7) distinxit, *dividite infantem*, quia non passa est quidquam mali innocentis corpusculo irrogari; sed amor ille ne sit spurius, ne sit adulterinus, ne sit impius, heteroclitus, quali suos simiæ suffocant, & enecant amplexando; ideò bestias inter locantur, quia catulos, quos enituntur, affectuoso amplexu suo ita stringunt, ut eos incautis brachiis suis occidant. Unde Camerarii lemma profluxit: *Perdit amando.* Prosequatur parens tàm stulto amore filios suos, nimiùm tenerâ educatione sui abblandiatur, eos tandem in extremam perniciem devolvet. Tali simiarum affectu Ammonem suum etsi hispidum, & è flagitioso incestu cum Thamare patrato penitus monstruosum, David perdidit & destruxit. Ait sacer textus (8) *Noluit contristare spiritum Ammon filii sui, quoniam diligebat eum;* hinc animum ejus nec verbulo duriore perculit, nec ullo etiam supplicio amaricavit. At quantam hæc patris indulgentia catastrophen peperit! Absâlon è stulto illo patris amore opportunam vindictæ occasionem mutuatus, Ammonem vitâ, & ipsum Davidem vix non regnô & omnibus exuit fortunis, ut adeò, si rem hanc moraliter spectemus, nimius ille patris amor, Ammonem filium verè dici debeat occidisse. Prudens sit amor ac providus, quô liberos suos prosequuntur parentes. Pius sit amor ac Numine plenus, quô suam in carnem, suum in sanguinem feruntur parentes. Verbô talis sit amor qualem præscripsit (9) Augustinus his verbis: *Verè filios tuos diligeres, si Christum filiis proferres, ipsosque filios ipsi committeres. Verè filios tuos diligeres, si in ipso eos diligeres, qui eos tibi dedit, ut diligeres.* Hic veri nominis amor est, qui unum id totis cavet viribus, ne unquam Divinis amoribus præferatur.

(7) 3. Reg. 3.

C. Ne amore simiaco liberi fove antur.

(8) 2. Reg. 13.

D. Nec Heliano.

(9) S. Aug. de temp. c. 3.

At nunquid etiam spurii illius & verè stulti amoris in liberos novum petitis paradigma? vota expleo, & ocius ex Aug. (10) stultos amores expromo, quibus olim Civis Hipponensis Cyrillus suum fertur in filium perperam exarsisse. Sancti Patris formalia recitentur: *Filium habebat unicum Cyrillus, quem superfluè diligebat & supra Deum, ideoque superfluo amore inebriatus, eum corrigere negligebat, dans ei potestatem*

(10) S. Aug. Ser. 33. ad frat. in erem.

E.

Exemplum pravi amoris antiquum.

*tem omnia faciendi, quæ placita erant illi.* Sic Augustus. Væ parentibus, qui tàm præpostero amore suos depereunt, ut cum suis pereant æternum! Exprobravit Cyrillo letalem conniventiam Augustinus, cùm verò actum ageret Sanctus Pater, has in voces mœrentem linguam resolvit: *ô dolosa libertas! ô grandis filiorum perditio! ô mortiferus patris amor! en filios se dicunt diligere, quos jugulare contendunt! dicunt eos amari, quibus suspendia parant*, veri nominis latrones, veri nominis carnifices truculenti. Ah! quoties his in exemplum producitur Heli ex Script. (11) Jam corripuit liberos suos Heli, sed levi brachio nimis frigidè, nimis emarcidè; hinc ad tam enormem malitiam excreverunt. *Nolite filii mei hanc rem facere; non enim bona fama est, quam audio.* Hem plumaceum! hem molliculum parentem! cur non flagrô aut scuticâ multiplex aliorum scelus eliminavit, qui etiam libidinosè Dei templum incestabant. Id officii cùm pater negligeret, Deus irruitur Philisthæis, qui Ophni & Phinees perimerent; Heli verò seniculum sellâ excussit, ut fractis cervicibus (12) mortem oppeteret miseram, imò sempiternam, ut mox dicetur. Audiatur priùs hac super re Chrys. (13) *Non idcò, quòd malos haberet filios, punitus est Heli, sed quia increpationi pepercit, & cùm Dei leges violarentur, non severiùs in eos ultus est.* Quod non ultus fuit Heli, Deus ultus est, hîc scilicet probrosâ & præmaturâ, ibi verò etiam æternâ morte; multi enim SS. PP. eam in sententiam abierunt, ut crederent, Heli ob luridam prolium educationem damnationis æternæ fatali sententia justo à Deo fulminatum esse; quod tamen aliis ulteriùs eviscerandum relinquimus, quia summi DEI judicia hoc in negotio nobis nec revelata, nec aliundè certò & evidenter comperta sunt.

(11) 1. Reg 2.

(13) S. Chrys. l. 5. de provid.

F.

Exemplum recens & novum.

Hoc Helianum exemplum centies ex cathedra proponitur, unà etiam discolis parentibus & temporanea & sempiterna pœna pravæ filiorum educationi decreta ostenditur; sed multi hæc auribus hauriunt instar cribri pertusis; alii hæc & alia tanquam nimis exsoleta etiam rident & explodunt. Curabo proinde ut novo quodam eóque tragico filii perditi exitiô ambæ illorum aures percellantur. *Novum* dixi, quia tragici

gici hujus facti oculatus testis, jam ante annos circiter 30. fatis Leodii concessit, ut memorat (14) Sotvellus. Erat is Alandus Leroi Belga (15) nobilis Concionator & Confess. Societ. JESU. Quod vidit, palàm testatus etiam tumulo suo debono patrefamilias Leodii impresso parentum in gratiam & cautelam inseruit. Erat dives ac prænobilis Palatinus (nominum & locorum circumstantiæ tacentur, ut familiæ parcatur) una prole beatus, unô filiô illustris; ita quidem de se animô & linguâ tenus parentes paulò post graviter decenti. Cùm adhuc innocentes animos sub fascibus Prisciani Mussi excoleret, omnis modestiæ ac virtutis archetypon fuit filius. Nullum ille in rerum sacrarum studio priorem, nullum in placidissimis moribus parem, vix omni ex numero unum habuit, qui ei primas scientiæ ac innocentiæ præriperet. Rapuit in se omnium oculos animosque illa incedentis gravitas, illa loquentis suavitas, illa musas colentis dexteritas, illa scholas frequentantis aviditas, illa preces precibus accumulantis flagrans pietas. Nemo non florem ex hujus ætatulæ vagina proditurum sperabat splendidum, odoriferum; & verò prodiisset omni ex parte beatus, qui familiam condecoraret, nisi pruina inopinata omnem stirpem radicitus exussisset, unde quidem præter omnium expectationem flos alius proserpsit, quem dicimus *ambubejam* tragicâ falce demessam. Quis incauto adolescenti tantam stragem maturavit? pessima societas & proprius parens. Grandioribus Stois illato mox pessimæ sortis aderant sodales, quibus plerumque erycium in morem altiores scholæ hirtescunt. Hi sicut furorum instar fungorumque in athenæis vivebant, in omnem lasciviam effusi, in omnem audaciam projecti, ita pariter quosvis alios in consortium attrahere, in omnem vitæ licentiam totis viribus præcipitare satagebant. Eum in finem hunc quoque ceris atque opibus conspicuum adolescentem jam ad hortos suburbanos, jam ad haustus largiores, inde chartarum ludo implicatum & improbè falerno tectum, etiam ad chorum & choreas invitabant, ubi virgines illæ interpoles & an usæ præ musis, Stoæ novitio placuerunt. His probris captus jam sæpius à lectionibus abesse, jam more lurconibus recepto morbos fingere, causari negotia nescio quæ, res divinas flocc

(14) Nath. Sotvellus Bibl. t. 16.

(15) Alandus Leroi in patrefam. Leod. Hist.

G. Notæ in lurcones studiosos.

flocci pendere, libertinorum consortia frequentare, & quod malitiæ caput est, in lupas & prostituti nominis damas, capras & capellas, opum profluvia effundere. O miserrimas metamorphoses, quas toties ludunt sublimiores Athenæ. Petunt Stoas Angeli, qui domum remeant diaboli! afferunt secum ex patria omnigenæ virtutis apparatum; domum reduces tetra stygе larvati, non rarò etiam informem ac pessimè corruptum codicem reportant, inutilia terrarum pondera, scholarum probra, juventutis carcinomata, patriæ dehonestamenta. Hi opibus in popina, & sub fornice nescio quo impiè absumptis, artium rudes stoici, scientiis exhausti pepones, mille flagitiis cooperti caudices, tabacarii Siphones, velut alteri de musis omnibus optimè meriti Catones, coli volunt & sublimari. Eos nisi ocius sursum eleves & aliorum capitibus regendis præponas, summa imis miscent & flectere cùm nequeant superos, acheronta movere pravis artibus collaborant. O! nostris à terrarum angulis has publicas pestes boni cœlites averruncent! auxit hanc ipsam pestium classem præsens juvenis; jugò enim palàm excusso in omnia vitiorum abrupta præceps abiit, annò necdum mediam sui partem confectò, passim civium digitò signatus: hic est olim ille virtuti ac industriæ, nunc Bacho & Veneri juratus cliens; hic quantum aliis ante illicium erat ad pietatem, ita jam tanto aliis incitamento est ad flagitium. Quærat quis quâ protervià nunc multiplex scelus audeat, quod prius nec cogitare sustinuit nec audire? jam dixi: magistra societate stygia, magistro & incentore proprio parente pedetentim ab optimo recessit, & in deterrimum lurconem evasit, qui ruptis modestiæ repagulis leges humanas divinasque videri possit conculcare. Poterat eum parens & debebat ab hac vitæ licentia seriò revocare; vidit & audivit, quæ de ipso turpis fama vulgaret; at cùm alter esset Heli luridus parens, tanquam alter Heli tot scelerum fautor improbus, à Deo meruit post filium fulminari. Alia inter scelerum portenta etiam mœchum filius egit, lascivientibus focis in civis opificiò victoris lectissimam conjugem accensus. Erant quidem, qui eum à tanto scelere vicibus iteratis dehortarentur, quos inter etiam Alardus omnem lapidem movit, ut nuntium remitteret

teret impiæ familiaritati; sed saxo loquebantur. Risit ad repetita majorum hortamina, Alardi sacra etiam explosit. Ultimus erat aries, quô certò credidit animum juvenis expugnandum, ut turpi consortio valediceret, ipse parens, quem hunc in finem Alardus adiit, ut ei vivæ vocis oraculo filii probra candidè detegeret, persuasus ignorari à parentibus scelerum colluviem, quâ filius sorderet. Quid ad hæc parens? idem quod Heli, imò plus ultra etiam ausus est jocô excipere scelerum portenta, & palliare, palàm dicere auditus, hæc trita juvenum peccatilla esse, dandum aliquid ætati, ut in virum adoleverit, ad se ac suos cum fœnore reversurum &c. O cœlum! ô terra! siccine parens loquatur in re tàm manifesta, tàm lubrica & exitiali? feciſſet hic parens paternè monitus officium suum, & prolem discolam, ut par erat, correxisset, duplicem animam servâsset. Actum est, Optimi Auditores! de filio, & quidni etiam de parente ita latrocinante, ubi decumanum filiorum scelus à domesticis fidei hunc in morem palpatur. Non tulit insolens responsum Alardus, re infecta, domum repetiit, relictô tamen in animo & in auribus impii patris hoc verborum aculeô: *Timendum est, & utinam falsus sim Propheta, timendum est, ne tibi ac filio tuo à vindice Rei manu exitium inferatur æternum.* His dictis abiit excessit. Verùm fuisse oraculum, post tertiam patuit septimanam, ubi per ipsum vietorem in flagranti deprehensus nobilis, mox pœnas dedit infandi sceleris, ab oculato criminis teste obvia securi cum rea conjuge mactatus, actore sub noctem clausis ædibus ex urbe fugâ dilapso. Hem tragicam coronidem, quam suis obscœnitatibus tetra venus imponit! sed quid ad tàm horridum funus parentes? altera die cum plures in horas præter morem & tota domus & officina firmo adamante starent occlusæ, decretum est, ut foribus vi effractis, quid domi agerent, seriò lustraretur; ita duplex funus suo innatans cruori lustratorum oculos incurrit. Rumor tragicus totam ocius urbem pervolat, & matrem à templo reducem in platea percellit. Erat hæc pientissima mulier, spurios in filium amores suo prænobili marito sæpius exprobrare audita, irrito semper conatu; hæc ut inaudiit filium in flagranti flagitio extinctum esse fatô utinam non

æternò, quasi fulmine tacta humi corruit; sibi reddita tàm uberes lacrimas ex doloris acrimonia profudit, ut tandem utroque oculorum lumine caperetur; baculo inde per plateas ducta omnibus exemplo fuit, ne quidquam luis in educanda sobole contraherent. Ipsa quidem hoc in negotio nihil peccavit, quia tàm discolum filium, quàm æquò mitiorem patrem seriò corripuit, voluit tamen justus scelerum vindex Deus, ut hac in matre temporanea cœcitate confecta, tanquam in speculo se quivis alii parentes contemplarentur. Lacrimis tandem & uberrimis questibus, quòd in flagitio mactatus æternum filius periisset, piè mater immortua est, aliter utique moritura, si vel obiter se ream feciset perditæ sobolis, sicut se reum fecit destructi & in præceps acti filii pater improbus, ideò à reo fatò pariter miserò extinctus; vix enim hæc fama etiam patris toties moniti aures perculit, en ociùs pudore, ira & rabie succensus ac mente motus, rabidi canis instar latrare simul & ejulare, vestes discerpere, crines eradicare, corpus totum in patenti platea humi abjicere, tandem spiritum cloacâ mersùm ore spumanti evomere, urbe pænè tota ad enorme spectaculum effusa. Quò filius iverit in flagitio interemtus, quò pater perfidæ prolis impius protector, sine pœnitentiæ nota fatò pariter horridò enectus, pronum est conjicere. Vident modò ex dictis omnes ac singuli parentes, quàm miserum ac miserabilem exitum sortiatur spurius liberorum amor. Caveant, ne quidquam de cura liberis jurata remittant. Caveant, ne suos toties reos suam in perniciem vel extenuent vel excusent; eos potius etiam in minimis ita promptè corrigant, ut summi Dei omni-patentes oculos nunquam offendant. Ita tandem sua cum prole beati parentes Deo Duce ac Comite Angelo, ad cœleste Jerosolymas felicissimo transitu ascendent, ibi cum liberis suis Deum perennibus gratiis celebraturi. Amen.

H. Patris Heliani horrida castigatio.

Dom.

# CONCIO VI.

# DOM. II. POST EPIPHANIAM.

*Cùm inebriati fuerint.* ~~Luc~~ Joanni 2.

## Sanitatis Compotatio.

NUptiæ tam præclaræ nunquam ſunt celebratæ, dum vaſti ſtat machina mundi, quàm hodie in Cana Galilææ Opt. AA. Eas enim præſens Deus ac Deipara, nec non plures ſimul Apoſtoli coronabant; quæ gratia nulli unquam obtigit, quàm ſponſis hodiernis. Juxta Lyranum has quoque nuptias ſuâ præſentia condecorârunt quinque Apoſtoli, Petrus, Andreas, Joannes, Philippus & Bartholomæus. At quis ſponſus fuit? quæ ſponſa? libros ſi conſulas, merum chaos hoc in puncto repræſentant. Sponſus utcunque reſcitur, de ſponſa nec veſtigium deprehendas. Sponſus dicitur paſſim fuiſſe Simon Apoſtolus à Cana dictus Cananæus, qui nuptiali prodigio totus animô mutatus, dimiſsâ iterum conjuge, ſe Chriſti diſcipulum profeſſus eſt; ſic ergò ſex erant Apoſtoli, quorum caput erat Simon tanquam ſponſus. Aliqui, Beda nempe, Rupert. Dion. Carthuſianus, Ribera, Tirinus, Barradius, Cajetanus Simoni ſponſo ſubrogant Joannem, & ſponſam ejus fuiſſe dicunt Mar. Magdal. Trahunt hi ſuas in partes etiam Patres duos Hier. & Aug. ſed verè trahunt invitos, & reluctantes. Contrarium mox patebit. Auguſtinus hæc (1) habet: *Dominus de fluctivaga nuptiarum tempeſtate vocavit Joannē.* Hier. verò ſic (2) loquitur: *Petrus Apoſtolus eſt, & Joannes Apoſtolus eſt: maritus & virgo; ſed Petrus Apoſtolus tantùm, Joannes & Evangeliſta, & Propheta.* Hem totum duplex argumentum ex SS. PP. petitum, at verè mucidum, emarcidum! quis hoc ipſo ex Auguſtino evincet ſponſum fuiſſe Joannem? Vocârit Dominus

A. Præſentiũ nuptiarum ſplendor & nobilitas ſumma.

B. Joannes non fuit ſponſus.

(1) S. Aug. in præf. ad Joan.
(2) S. Hier. cont. Jovin. l. 1.

ex nuptiarum tempestate Joannem, quid tum ? An ideò sponsum dixerit ? negatur illatum, quia non *ut sponsus, sed ut hospes* vocatus dicitur. Hieronymus ritè legatur, sensu nempe vero, legitimo, genuino ; iterum nec umbram obtrusi sensus erues ex Hieronymo. Voces binæ *maritus & virgo*, non debent collectim uno de subjecto affirmari, sed binis de capitibus seorsim inter diversis ac divisim. Vox *maritus* Petrum tangit, vox *Virgo* concernit Joannem. Vis proin utrique Patrum infertur, quoties pro Joanne sponso allegantur. Salmeron (3) quinque palmaria promit argumenta, ut probet, sponsum non fuisse Joannem. Cùm has etiam duorum Patrum sententias perperam pro altera citatas examinaret, his formalibus controversiam concludit: *nullibi gentium dicunt hoc bini Patres Hieronymus & Augustinus.* Quis ergò *Sponsi* personam hic loci sustinuit? Jam dixi: Simon Apostolus à Cana dictus Cananæus. Hanc in sententiam conspirant S. Hier. S. Ignat. Antioch. S. Aug. S. Epiphan. Anastasius Synaita, Nicephorus. Baronius. Benedictus Justinianus. Salmeron. Toletus. Cornelius. Raynaudus, Lopez, &c. at ubi locorum sponsa? hic rhodus, hic saltus. Fuerunt quidem, qui dicerent, sponsam fuisse Magdalenam; sed quam crisin hæc sententia mereatur, sine fuco dicet (4) Raynaudus: *quidam ineptissimè dixerunt, sponsam fuisse M. Magd.* Lopez (5) hanc *sententiam* omninò dicit *temerariam*; quæ enim paritas inter pauperculi piscatoris filium, qualis erat Simon, (imò etiam Joannes) & inter nobilem ac prædivitem Magdalenam, quæ genere nobilis atque opibus prædives etiam arcem tenuit splendidam *Magdalam* dictam, & alia plura fortunæ micantis bona. *Si qua voles aptè nubere (6) nube pari.* Non potuit itaque sponsæ Nomen aptari Magdalenæ. Ergò alia signetur sponsa. Raynaudus, qui minima quævis ad trutinam vocat, & ipsos aëris atomos calculare videtur, pati quidem non vult, ut pro sponsa hic loci proclametur Magdalena, interim tamen nullam substituit aliunde. Lopez l.c. ait, frustra nomen sponsæ hujus inquiri, quod nullibi extare legatur. Verba ejus sic sonant: *hic alta nox, quænam fuerit Sponsa, neque ex historica fide, neque ex veterum monumentis, neque ex SS. placitis constare potest.* Quidquid sit, hanc in noctem irrepsit Carthusianus, quem vulgò

dicimus

(3) Salm. tom de mirac. C. Sed Simon.

(4) Rayn. t.8.

(5) Lopez in Dom. præsent. D. Nec sponsa fuit Magdalena.

(6) Ovid. ep. 9.

dicimus Ludolphum de Saxonia; hic solus sententiam propugnat sibi uni propriam, aitque sponsam fuisse *Anachitam*, sui Conjugis exemplô Virgini matri adhæsisse, nec ab ea & obsequio ejus latum unguem declinâsse. Sed mittamus ista suis necdum gordiis totaliter evoluta. Si sponsus Simon extitit, jure has nuptias Deus cum Deipara illustravit, proximo sanguine Simoni huic conjuncti. Simon filius erat Cleophæ, Cleophas frater erat Josephi, Joseph autem desponsatus erat Virgini. Scherer (7) credit, multos etiam dissitis è locis has nuptias frequentâsse, famâ magni Prophetæ has pariter nuptias ornaturi provocatos; ob tam numerosi populi affluxum etiam tot inter hospites non exspectatos, vinum defeciisse; hic ergò defectus non conjici debet in assiduas compotationes hospitum, in ambulones haustus & philothesios crateras, quibus omnium sanitatem adfundum exhauriri videas. Ah nullum hic locum habuit excessus, ubi præstò fuit cum Deipara Deus! deficiente vino soli necessitati Christus consuluit, ut tot eminus adducti hospites, fractas vires prodigiosè ac optimæ notæ vinô reficerent, easque reassumendo itineri aptarent. Liceat hic mihi per brevem saltum nostras obiter nuptias cribrare & ad propria reverti. Fuissent hæ nuptiæ solenni ritu nostros intra Germaniæ fines celebratæ, quantis quæso æstibus ac votis miraculosi hujus vini suavissimam virtutem prensâssent! vinum cùm esset prodigiosum, massicô fuit validius, & dulcius falernô. Prô! quoties novorum Conjugum saluti litatum fuisset à Germanis, donec se homines amplius esse nescirent, an canes. Multi stolidè credidissent, se Christi, se Deiparæ palmarem gratiam venaturos, si horum in gratiam, horum in salutem uno tractu scyphum hausissent herculanum. Singulorum saluti pocula sua libassent, quotquot nostris è popularibus his mensis assedissent. Hic numerô innumerô repetitum *vivat* aures pulsâsset & auram, donec vinô somnoque sepultus humi jaceret totus truncus. Stetissent pedes nostri sublatis jam mensis, adhuc integri, utrumque fregisset Joannæa Benedictio. Rectè cœci & hebetes dicimur Germani, qui alteri nescimus honores ullos deferre, nisi vinô probè calescant, nisi mensæ nostræ sub ferculorum scyphorumq; grandi pondere gemiscant. Hac ingluvie, hac bibendi bestialitate

E. Sed Anachita.

(7) Scherer postil. in Evang. hod.

F. Vini defectus non debet conjici in compotationes

G. Crisis in bibaces Germanos.

litate optimè de aliis mereri volumus; hac potandi vesania officii nostri partes ad usque fundum explemus. O verè stultos andabatas! bibitur sanitas, vomitur sanitas; salus potatur & mactatur; qui enim spiritum è cœlo cæleste, à Deo Divinum in tam fæculenta corporis cloaca detineat? hinc sursum gestit abire, tantò ardentius, quantò altiùs vino exta inundant. Tot inter exorbitantias non potest vita subsistere. *Non est in pota pota salute salus.* Inquirant singuli seipsos, quid lucri ex tot vitris & in orbem currentibus scyphis hanc in horam retulerint, omnes, ni fallor, unà fatebuntur: *bibendo sanitatem, sanitatem perdidi.* Non datur gens ulla sub sole, quæ hac græcandi petulcitate primas rapiat Germanis. à Græcis quidem græcatio profluxit, at pace vestra dixerim! Germani Græcos hodie multis post se passibus relinquunt. Nôrunt Græci gulæ suæ modum statuere; nôrunt certis aggeribus ingluviem obvallare. Athenis scimus regia Græcorum urbe mos iste increbuit, ut vacuam hominis calvariam per mensam tanquam ambulatorium craterem circumducerent, cujus medio hæc inserta erat epigraphe: *hanc intuens pota.* Quis hæc unquam de Germanis? Optandum quidem foret, ut hi Græcorum aurei ritus ad hæc plumbea, quæ vivimus secula transportarentur! Esset fortè, quod gulam reprimeret; Quod genium retunderet usque adeò in pocula diffusum. Premit hæc bestialitas solos propemodum germanos, & in eos tantoperè grassatur, ut vix locum videas his sordibus immunem. *Intra muros peccatur & extra.* Bibunt summi, potant infimi, *crateras magnos statuunt & viña coronant* medioxumi, & quod caput est malitiæ, etiam religioni ducunt, non properè calices herculanos exhausisse. Anathematizantur sobrii, qui pocula primoribus labris delibant, in id totis viribus intenti, ne loco suo & statione sancta ratio dimoveatur. Optimi AA. nemo crisin dicat amarulentam, quâ gulam & potandi libidinem insector; Id sceleris si ne quidem ex pulpito datum sit Ecclesiastis proscindere, dicite, quis alius movebit camerinam? siccine omnes ad tantæ molis probra conticescant? horreo fulmina in molliculos & pulvinarios præcones nuper alterâ Dominicâ Adventus detorta, & punctim cæsimque scelus impeto, totis ubique viribus eradicandum. Nimis fusè bacchatur scelus

hoc

hoc; quis sustinet! nimis impiè, nimis sacrilegè etiam in sacra grassatur sceius hoc! quis ferat? Coli utique debet ter clemens Deus ac Cœlites ejus; sed num crapula latriam expediat aut duliam? Superi saniora! Sancti Deo placuerunt per abstinentiam, & nos Deum Judicem per intemperantiam mitigemus? Prò quæ stultitia! extendatur etiam ad meridiem usque sobrietas nostra, hæc tamen ante vesperas adhuc tota tumuletur, & in vicem ejus amens temulentia reponatur, quid lucri hauriet pietas toto manè collecta, nunc ita petulanter eversa? prostat Sancti festivitas? ea splendidè toto manè celebratur. Agitur Templi consecratio? in tympano & choro matutino tempore propitium Numen adoratur. Turca cæditur? vel Turcâ deterior hostis mactatur? sacrificio solenni & Ambrosianô Hymnô festivo manè prò gratiis gratiæ superis referuntur; at quousque hæc pietas durat & gratitudo? dum clarum manè fenestras irradiat. *Cùm facit exiguas jam sol altissimus umbras*, more passim recepto popinæ frequentantur, mensæ mensis accumulantur, summi, infimi græcantur, inebriantur, & probè tecti tinctique grandibus adhuc scyphis pro salute Cæsaris prœliantur. Sic reliduus Turca Dannubiô mergitur, sic hostis ultra caucasum profligatur. O tempora! ô mores! his ritibus hostes potiùs nostram in perniciem exasperantur. Crescunt post prælia vires nostris hisce flagitiis adauctæ. Interim ad tanta scelerum portenta majorum exemplis provocamur Ambrosio (8) teste: *Bibamus inquiunt pro salute Imperatorum, & qui non biberit, reus sit indevotionis; videtur enim non amare Imperatorem, qui pro salute illius non strenuè biberit. O hominum stultitiam*, exclamat porrò citatus, *hæc vota ad Deum pervenire judicant*. Eò nempe malitiæ stygia potandi libido ascendit, ut Deum ac Cæsarem lædere credatur, qui suæ parcit rationi, ne pessum eat; qui suæ invigilat sanitati, ne per immodicos haustus trucidetur. Ut cuncta fraternitatis jura conculcâsse videatur, qui sacris ex legibus, salutem suam temporaneam simul & æternam suis pro viribus tutatur. Hinc in compitis & in triviis perpetim cani audias perditorum heluonum execrabilem cantilenam, quâ se mutuò ad decumanos haustus inflamment:

(8) S. Ambros. L. de Elia & jejun.

1. *Qui-*

1.
*Quicunque vult esse frater*
*Bibat ter vel quater.*

2.
*Bibat semel cum secundo,*
*Donec nihil sit in fundo.*

3.
*Bibat hera, bibat herus;*
*Ad bibendum nemo serus.*

4.
*Bibat ille, bibat illa,*
*Bibat servus cum ancilla.*

5.
*Bibat Abbas cum Priore,*
*Bibat Coquus cum Sartore.*

6.
*Et pro Rege, & pro Papa,*
*Bibamus vinum sine vappa.*

7.
*Et pro Papa & pro Rege,*
*Bibamus sine ulla lege.*

8.
*Hæc est lex potatica,*
*Amicorum spes unica. &c.*

H. Definitio compotationis, quâ salus bibitur aliena.

At quærat nonnemo, quid est propriè *salutis compotatio, & haustus sanitatis* hactenus cribrati quid impotant? bona cum venia vestra, rem totam paucis concludo & definio: *compotatio sanitatis aliud non est, quàm execrabile propositum, quò quis proximum ac vicinum suum ad immodicos haustus provocare, provocatum sub amoris & amicitiæ pallio, sub honoris, obligationis & gratitudinis prætexta in bestiam transformare, transformatum seu bestificatum proprii nominis famâ exuere, in omni generis*

*generis flagitia devolvere, vitâ privare temporaneâ, cœlô excludere, & in orcum præcipitare, totis viribus contendit.* Hem brevissimam dictæ compotationis synopsin! qui potest capere capiat. Nil resorbeo; quod scriptum, scriptum est. Hæc nimis quàm vera esse, experientia probat ferè quotidiana. Vitris prægnanti bus boni hospites salutantur, grandioribus culullis liquidissimè honorantur, sex hydriis capientibus singulis metretas binas veternas penitus teguntur, Joannæô Calice ac melleo Bernardi nomine consummati, tanquam fœculenti sues non homines domum remittuntur. Dixi *execrabilem* potum, quia sic impiè Deus læditur, sic proximus gravissimè violatur, sic ratio humana crudelibus plagis proscinditur; sic scelera sceleribus addensantur, sic terrea mors properatur, sic mors sempiterna maturatur. Et hoc ego pro evidentis amicitiæ signo recipiam, si vir honestus in omne probrum, si homo pius in omne flagitium, si homo sobrius in ferinam bestialitatem, si homo prudens in palpabilem stultitiam, si homo sanus in lepram & apoplexiam, in hydrópem & luem hecticam, in chiragram & in podagram, imò in teterrimam mortem per latrones bibones præcipitetur? Procul à me tam belluina familiaritas! amicus Plato est, sed magis amica veritas est. Amicus Princeps, Comes, Præsul, Consul sed magis amica sanitas est. Chorædô sim stultior, qui tantô me patiar toxicô inescari. Pepo sim & cucurbita, qui vitam præsentem vinô expungam, mihique post fata æternantes pœnas accersam. Possem hæc quidem pluribus exemplis firmare; at cùm hodie de hoc uno salutis potandæ acherontico ritu agere statuerim, unum illud de duobus pessimæ notæ combibonibus exemplum profero, quod Ecclesiasticæ historiæ suæ (9) Prateolus inseruit. Patebit inde, quò tandem gulosum & bibosum lurconem belluina potandæ salutis protervia impellat. Prout refert citatus, accidit quod sequitur 24. Julii An. 1580. Necherhusii in pago Heidelbergæ adsito inferioris Palatinatus; hîc loci duo strenui combibones, cauponam ingressi, vinum ocius petebant, quô gulam diluerent. Oblatum est primò recens subacidum, delicato gustui non satis acceptum; erat nempe ex despicatiore vini genere, quod illis in locis passim nuncupabant *Hornanum*. Hausto semel atque iterum ingrato potu, vinum

I. Pœnâ plectitur temporaneâ & sempiternâ

(9) Gabr. Prateol. t. 2 hist. Eccl. f. 704 in an. 1580 Hist.

aliud sapidius, generosius, quocunque tandem pretio venderetur, afferri postulant. Auditi sunt, & vino, quale optabant, allato, dapibus etiam mensæ illatis, quæ bibendi pruritum acuerent, tempus sat longum græcando extraxerant; ubi more his Siphonibus recepto, alter alteri propinantes, jam hujus in gratiam, jam illius in salutem vitris atque pocclis concertabant. Ita vices alternando, pænè ad fundum ventum est, ut nullus ultra bibendi titulus occurreret. Alium ergò ex alio cum quærerent, cui propinarent, alter tandem ex Siphonibus has in blasphemas voces avernalem linguam resolvit: quid anxiè disquirimus, cui post tot exhaustas salutes propinemus? Deo propina, quid responsi daturus sit, dabit eventus. Placuit combiboni recens consilium, at duplici è vino, quod in mensa prostat, quod nam Deo fundemus? tuum est seligere, subivit alter. Ut vis, inquit, frater bibo; Deo ego Hornanum affundam, qui fecit Hornanum; hoc si minus sapiat palato, cur pro sua in vineas omnes suprema potestate ac dominio non probatius fecit vinum, & jucundius palato? Dixit hæc blasphemus lurco, & scyphô mox in manum sumptô, usque ad summum repleto, sublata in altum dextrâ, in has denuò blasphemas voces, altùm cachinnante socio, erupit: audi me Deus, fil ubet. Ego tibi plenum hunc scyphum in tui gratiam & cultum propino ea tamen lege, ut tantundem ebibas, quantum à me vides absorberi, nisi tecum agi velis injuriarum. O cœlum! ô terrâ! quid ad tantam blasphemiæ immanitatem moras nectitis? tetrum scelus exscindite! lurconem stygium orco transmittite perennibus focis cremandum! tacent ad horridam pravitatem elementa, & soli Deo gravissimè læso vindictam transcribunt. Sustulit interim avernalem dexteram, sed priusquam ad os blasphemum siccando calici reduceretur, momentô diriguit, ipse verò blasphemus quasi semifatuus aut semiextinctus locô hæsit obstipus, neq; tantùm impos loquendi, ore luit horridum diducto, & protractâ enormiter linguâ, sed sui etiam locô movendi facultate orbatus; superstitem tamen vitam oculorum perennis motus, eorumque jam apertio jam iterata conclusio testabatur. Socius tantô prodigiô attonitus, totis artubus contremuit, & è caupona se celerrimè proripuit; ubi sub

dio

dio rei gestæ buccinator factus, ad horridum hoc spectaculum suis oculis usurpandum innumeros excivit, plerisque ad efferum bibonem loco dimovendum frustra connisis. Rei gestæ famâ ad Justitiæ publicæ Rectores delatâ, ocius ipsi quoque advolârunt, blasphemum validis funibus vinciri & applicitis pluribus equis inde abstrahi præceperunt; sed nihil horum ex sententia cessit. Irrito conatu vim admovere, equos applicare lictores; hæsit enim ad omnem vim tractricem undique adhibitam fixus & immobilis; visa ergò justissima Dei hoc in blasphemum caput animadversione, materiam congeri accommodam, & cauponam una cum teterrimo illo Divinæ Majestatis violatore concremari præscriptum est. Noluit quidem stuppa primitus ignem concipere, quo simul cum impio lurcone istud etiam diversorium conflagraret; at visus est Deus vim ignis activam eum in finem suspendere, ut plures etiam eminus ad prodigium excitati, blasphemiæ portentum vivis oculis spectarent, unà simul gulam & potandi libidinem ejurarent, quæ tot mala bibonibus parturirent. Expleta curiositate fecit tandem munus suum, & urendi virtutem exseruit flamma, non ipso tantùm pessimo lurcone, sed etiam popinâ in cineres redactis; sic à luculento terrarum igne in tartareum stygius propinator descendit, ubi vel hodie lethæas bibit undas sulphureámque picem. Quid socio sit actum, nec verbô meminit Prateolus. Sapuit fortassis tristi sodis exemplô tremefactus. Id si factum non est, penitus obbrutuit. Hem avidi lurcones! huc oculos huc animos vestros liquidi fratres advertite. Videte & palpate, quem exitum bibacitas & compotandi libido sortiatur; tandem ipsum etiam Deum provocant, ut hanc bestialitatem evellat, destruat, dissipet ac disperdat. *Felix, quem reddat tam mœsta tragœdia cautum!* *Amen.*

# CONCIO VII.

# DOMINIC. III. POST EPIPHANIAM.

*Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Matth. 8.*

## Irritatus Verna.

(1)Cor. 12.

THarsensis Ecclesiastes (1) Corinthiis suis doctrinam prædicat propè paradoxam AA. *ne sit schisma in corpore vestro.* Unde schisma in corpore orietur? nulla utique rebellio membra irruet? optandum quidem foret, ut sua perenni pace membra gauderent; quidquid enim simultatis hinc profluueret, id totum in corpus redundaret. Livio teste (2) Romæ olim membra contra ventrem conjurârunt, se nihil ultra bellariorum lurconi porrecturа: quid, mussabant socii, huic uni assiduè laboremus? hic solus ferias agat perennes, eique nos opem perpetim subsidiariam feramus, ipso jacente, ipso tacente? conspiremus fratres, & nihil ultra otiosissimo huic gulastro præbeamus. Sic manus renuit cibum ori suppeditare; irruit ex obliquo adipalis bolus? ferias suas urgebant dentes; pedes ventris in gratiam nullô se locô movebant; membra singula otio addicta omni ope ac subsidio, omni cibo & commeatu ventrem destituebant. At quô lucrô hæc inter membra simultas exarsit? paulatim exhausto languebant corpore vires: tremiscebant manus, vacillabant pedes, caput vertigine laborabat; hic primùm semet membra execrari, quòd unà sibi subtraxissent, quod negatum erat ventri; hinc omnium agi vitam, hinc omnium nervos debilitari; curandum adeò, ut ventri prima omnium cura deferatur

(2)Liv. l. 2. Dec. 1.

A. In humano Corpore nullum membrum impunè despicitur.

ratur; quidquid enim accipit, fida dispensatione singulis communicat. Hôc apologô suos olim ad rebellionem promptissimos cives in officio Romæ continuit Menenius Agrippa. In nostro mortali corpore nullum unquam membrum impunè despicitur; luunt singula, quod sæpè unius peccat protervia. In nostro fragili corpore, nullum unquam membrum se ab altero ludi patitur sine damno singulis proprio & communi. Caput non potest utramque manum explodere, nec lutulentos pedes despicatui habere; id si fiat, pessum eunt omnia. Utplurimùm pedes membra inter levidensia locantur, ego autem sic sentio: pedes in æquali amoris linea & curarum gradu cum capite consistunt: ergò cura, quæ capiti servando impenditur, etiam pedibus exhibeatur. Negligantur pedes? neglectos pedes caput luet & brachia. Ut superior pars corporis servetur integra, pedes infimi probè observentur. Salus capitis ex pedibus pendet. Dolor immanis caput tuum infestat? suadebunt Medici, ut pedes zythô probè calefactô abluas; sic humores capite proscribentur, sic totum caput serenabitur. Id quotidiana docet experientia: quò plus curæ ac præsidii binos in pedes devolvitur, eò fortiùs & caput & stomachus contra omnes morborum assultus corroborantur. Cùm adhuc puer essem, centenarius senex in plurium corona rogatus est, quô mediô ad tantam ætatem emersisset? hic senecio idem pro responso dedit, pedes meos, inquiebat silicernium, pedes meos plus omnibus membris colendo; hos nullo passus sum frigore constringi, nullis aquis madefieri. Madidus humor aut ipso de corpore fusus sudor pedes irruit? ocius absterși utrumque, ne ima penetraret, & soccos induxi recentes; sic sæpè uno die terque quaterque pedes exterși, eosque simul in suo nativo ac perenni calore retinui; hinc ad tantam canitiem extracta fuit ætas. Legatur Medicorum Alpha (3) Guarinonius; patebit etiam ex aureis hujus Archiatri libris, quanta cura pedibus debeatur; nos interim pedes nostros ita negligimus, eosque arctis calceis enormiter vinculamus, aut leviter tectos, ut graciles appareant, grassanti brumæ mactandos objicimus; currimus cum illis per gelidos lâtices & rapidos torrentes, & nihil ultra de pedibus solliciti, nostram in perniciem grandes &

B. Pedum neglectus oppidò periculosus est.

(3) Guarin. in abom. desol.

incurabiles morbos contrahimus; nascuntur indè mille pestes erebi, cephalæa, ventris tormina, febrium portenta, chiragra, podagra, quæ hactenus omnes omnium Medicorum uno mortariô contusas artes perenni cachinnô explodit. Rectè proin S. Paulus suis identidem Corinthiis inculcat: *Ne sit schisma in corpore vestro!* singula singulis opem ferant in tempore; ut spinam pes induit, se ociùs deorsum manus exporrigant, pectus imis è fibris gemitus edat, oculi participatum dolorem destillent, unà sedulò circumspiciant, quibus modis maturè spina extrahatur. *Quæ videntur infirmiora esse corporis membra, necessariora sunt*, iterum Paulus monet; nullum itaque membrum à socio fratre despiciatur; quò infirmius fuerit, eò magis necessarium erit, Apostolo teste, ergò reliquis omnibus studiosiùs foveatur.

C. Cura pedum sensu morali explicata & ad servos directa

Optimi AA. Possunt quidem hactenus dicta in sensu sumi literali ac proprio juxta Medicorum effata, at ego hæc potiùs dicta velim in sensu mystico, morali & accommodatitio. Quidquid totum aliquem cœtum, aut familiam constituit, unà etiam morale aliquod corpus repræsentat, ubi membra inter nulla sit simultas, nullum schisma. Hic capita reperies, oculos, aures, linguas, pectora, ventres pedesque, hæc ergò ita regi vult Paulus, ut tamen ope sua nunquam pedes fraudentur. Quis hoc in morali corpore pedum obit vices? quid trita inquirimus? corporis hujus pedes sunt vernæ ac servi, famulæ & ancillæ, semper in motu, ut quod caput prudenter imperat, illicò pedes adimpleant. Hos pedes, hos obsequiosissimos vernas bellè observavit hodiernus Centurio. Jacebat domi totis viribus fractus verna, opem inclamans alienam, cùm impotens esset propriæ. Primus omnium accurrit Centurio de servi sui salute reparanda solicitus paterfamilias, mali fontem inquirit, morbisque explorat gravitatem; inde mediis pluribus irritatis, non servum mittit alterum, qui Medicum investiget, sed ipse in gratiam servi sui decumbentis, se viæ committit, & rectà petit archiátrum, præsens orat, supplicat plenus fiduciâ in Servatorem conceptâ: *Ecce puer meus jacet domi meæ paralyticus, & malè torquetur.* Adeste patresfamilias, ædium patroni, & quôcunque dominiô clari Summates,

D. Lus Centurionis.

tes; discite à Centurione, quâ curâ, quâ industriâ foveri debeant pedes. Non dedignatus est herus ipse servum invisere paralyticum, multò minùs ægrum suis ædibus proscripsit. Cùm morbi radicem penetrâsset, malo pellendo mediis usus domesticis, omni studio famuli sui sanitatem maturare contendit; his per vim morbi elusis, cœlos primùm pulsavit, & Deo supplex factus media quæsiit supernaturalia, ocius reperta. Non illicò è cœlis miracula urgeantur. Salus antè terreis medicamentis firmetur, his verò vel deficientibus vel nihil operantibus peregrinandi vota captentur, ita tamen, ut suam semper stationem constans patientia tueatur. Multi vix levi morbô tentantur, antequam modicum patiantur, jam Deum tentant Medicum, eumque votis urgent millenis. Vota nostra, proposita nostra, quæ cudimus ægri, sæpè pallia sunt malitiæ latentis. Pati nolumus, Deum nostrâ gratiâ crucifixum sequi horremus; hinc ocius malis omnibus liberari exardescimus; hinc aureos etiam montes Deo ac Superis spondemus, reddita sanitate plumbeos reddimus aut ficulneos, Alástoris in morem, de quo hi duo versiculi decantantur:

*Dæmon languebat, Monachus tunc esse volebat,*
*Postquam convaluit, mansit ut antè fuit.*

Adhæc Centurio iste veri nominis Medicum accessit, à quo virtus exibat sanativa, non accivit ex Colchide vetulam Xantippen, quæ stygiis murmurationibus ægrum conficeret, quæ vacuos & inanes nucleos collo appenderet, quod hodiè multoties receptum est, ut Deô insuper habitô ac divinis impiè rejectis, tetra styx vel stygis assectæ implorentur. Deum ille solum in vota vocavit & attraxit, qui vel hanc in horam omnium morbos verbulô absterget, si piè fuerit imploratus. *Puer*, inquit, *meus jacet domi meæ paralyticus, & acerrimè torquetur.* Hem, *domi* jacet, suo nempe in lecto, quod ei meo ex imperio pia & solicita mater, charitas instruxit: non domô ejectus sub dio jacet, non ad bestias damnatus in stabulo jacet, non ad leprodochium avulsus sub vitrica pietate jacet æger, sed domi meæ locô purô & serenô mediis omnibus salutem reformandi affatim instructus. Hæc amoris verè paterni

terni larga obsequia servo suo miles detulit & Centurio, nullis adhuc fidei nostræ mysteriis imbutus gentilis. Quid ad hæc Christiani? quid ad hæc Catholici? quorum benè multi morbidos vernas ad propria remittunt. Deo hæc Centurionis charitas, famulo exhibita, usque adeò placuit, ut eâdem horâ prodigioso actu servum ejus curaret, *sanatus est puer in illa hora*, & Centurio vera fide illustratus, Christum cum suis sequi exardesceret, ut Origenes (4) refert. Sic à Deo multiplicem retulit sanitatem, corporis atque animæ, sibi ac suis communicatam.

(4) Orig. hom. 5. ex variis.

E. Sit exemplum omnibus Oeconomis.

Hunc Centurionem probè suspiciant œconomi, patres simul ac matresfamilias, qui suo sub imperio plures famulos numerant & ancillas; hos verò ita crassè, ita barbarè tractant, ut credi possit, obsequiosos vernas non homines, sed potiùs belluas inter & asinos locari, quod olim cœcis gentilibus usitatum fuit, qui cùm servum pingerent, monstrosum hominem adumbrârunt, pedibus cervinis & auribus asininis instructum: per cervi pedes velocitatem servi signabant, per aures asini obedientiam, per ipsum verò asinum, assiduos labores ac tenuem victum. Ut nôstis miserrima conditio est aselli; malè comedens multum laborare cogitur, & carduis ac verberibus cibatur; si verò mortem oppetat, pellis pro tympano servit, & Musicorum liber fit, in quo choreas seu carmina sua componant, ac sæpè de corio illius ludat Musica, in quod olim toties Agasonis verbera saltârunt. Ita nonnulli vivos excoriant & defunctos. Si quid salarii ac mercedis residuæ in urna prostet, heri sæpè rapiunt & prædantur, ut ex corio ludant asinino per scythicam barbariem & decumanam iniquitatem.

(5) Baron. ad an. 1. Christi.

Talis in suos erat sanguinolentus Herodes, (5) cui Cæsar Augustus, Baronio teste, hoc elogium panxit: *melius est Herodis porcum esse, quàm filium.* Filius ferrô ceditur, porcus in stabulo glandibus lactatur. Sic planè centies dicat famulus aut ancilla, si utrique datum esset veritatem profari: hic loci longè pluris ducitur, & in majori pretio habetur informis catulus, aut murilegus ælurus, quàm pius, candidus & laboriosissimus verna; illis mensæ primæ bellaria offerri videas & ingeri, his cœnæ purgamenta & ciborum quisquilias. Novi domicellam

micellam usque adeò caninam, ut etiam per quadrageſimam turpi catello ſuo aſſum gallinæ pullum apponi vellet, vernis interim & ancillis vix ſatis mucidi panis permitteret. Sæpè præter grandem inediam ſuis ab heris adhuc ſcommata & convitia, verba & verbera reportant. Dantur imperia, ſed inter mille fulgura & fulgétra; criſis evomitur, ſed unà mille iterum peſtilentiæ eructantur. Rarò audias illos ſuis ritè nominibus ſalutari; horum vicem obeunt ſagæ ac dæmunculi numerô innumeri, lupæ ac lupambuli, lyciſcæ ac bufones, aſini & proſerpinæ &c. ut adeò centies cum Auguſto dicas: melius eſt hic loci canem eſſe, felem aut porcellum, quàm famulum aut ancillam.

P. Patientia in ſervis læſa, fit furor, ipſos in heros redundans

Opt. AA. Ubi hoc ritu vivitur, nulla pedum curâ heri ac heræ tanguntur. At quô lucrô? quô emolumentô? ſæpè caput cum manibus & tumido ventre, imò ſinguli ædium inquilini pœnas dare coguntur contempti pedis. Quid mirum, ſi tot & tantas inter cruditates ima pars pedum contra caput tumultuetur, vel heris ſuis vale relinquant immemorabile, inextinguibile. *Caro noſtra ænea non eſt, ut tot injuriis pares ſimus ferendis*, ait doctiſſimus (6) Bleſenſis. En vermem! ut totis viribus pro vita pugnat propè pedibus protrita. *Etiam formicæ ſua bilis ineſt*, & nihil ita in terris abjectum eſt, modicum & exile, quod irritatum non grave poſſit nocumentum afferre, ſuas ſi velit vires contra hoſtem ſuum intoxicare. Quis ergò credat barbariem in bonæ fidei homines effuſam plus ultrà impunè abituram? *Servos non habemus hoſtes, ſed facimus*, inquit (7) Seneca. Facient officium ſuum vernæ, ſi & heri munus ſuum ritè fuerint exſecuti; hôc ſubtractô, & illi amorem ſubtrahent & candorem, horumque in locum odium ſubſtituent lethiferum, & horridam impietatis vindictam. Vultis hujusmodi tragœdiam adhuc hodiè ſpectare, en ociùs ſcenas reſero, & famulum ſiſto ferocientis heri truculentum ultorem.

(6) Pet. Bles. ad Diac.

(7) Sen. ep. 47.

Vir nobilis è bello redux ut recitat (8) Bodinus, ſecum in patriam barbarum famulum adduxit, an bellô captum, an de cataſta emptum, non auſim affirmare. Hunc ad operas ſerviles domi expediendas nobilis deſtinabat, eumque in finem,

(8) Bodin. l. 1. de Republ.

ne quà forsan aufugeret, arctis compedibus vinctum velut mancipium rigidè custodiebat. His vinculis irretito laborandum fuit ad seram usque vesperam, ubi tandem totum laborem una simplex cœcutiens & grandibus plagarum bolis scatens offa concluſit; tam dura servitute pressus brevi alia & alia consilia coxit, quæ tandem raro etiam ultionis genere consummavit. Poterat quidem facili fugâ libertatem captare, at quò fugeret grandibus catenis constrictus? hoc dictu facilius erat quàm factu. Poterat quidem precibus herum suum sollicitare, ut aliquid de rigore suo remitteret; at novit heri indolem hispidam, hirsutam, barbaram, truculentam, flecti nesciam, & ad fustes impingendos, quàm ad preces audiendas multò promptiorem. Nihil adeò restabat, quàm ut miserabilis servus viveret ac moreretur. Tulit hanc miseriam alterum in annum plagis propemodùm & inediâ exhaustus. Victus ergò patientiâ tàm prolixâ, cepit occultè novum aliquod vindictæ genus seriò excogitare, multa in mentem venerant, sed nullum satis truculentum & herili morum cruditati conforme. Poterat per insidias herum perimere; at res unico actu conficeretur. Poterat hero suo toxicum propinare; at sic fatô nimis properô vitam clausisset, quam ipse voluit media inter tormenta prorogari. Poterat flammis totam nobilis arcem in cineres redigere, sed erat ei etiam hoc vindictæ genus nimis tritum & humile, nimis plebejum & vulgare. Ira longè gravior servi animos obsedit, quàm ut malis ita brevibus se saturari paterentur. His omnibus majus aliquod & atrocius nefas excoxit, quod tamen ante nunquam prodidit, quàm re ipsa perpetravit. Erat fortè dies innubis & undique serenus, qui Nobilem sua cum familia in prædium horâ dimidiâ ab arce sejunctum visus est provocare. Placuit Domino aurea cœli serenitas, placuit servo nobilis opportunitas & exequendæ vindictæ ansa. Abiit in villam herus, herum cum grege suo uxor insecuta campos agrosque animi causa peragrabat, solo servô catenis constricto & nutrice cum binis liberis in arce relictis. Hanc occasionem velut in sinum delapsam servus apprehendit, arcis portas probè occludit, pontem tollit sublicium, inde pueros infantes per vim nutrui ereptos in prælatam

G. Probatur exemplô perquam tragicô. Hist.

arcis

arcis turrim abstrahit, ex ea totam tragœdiam auspicaturus, ut primùm è prædio tota esset familia in arcem reversura.

Jam ad arcem Herus venerat, ignarus quid rerum domi ageretur, ecce videt occlusas fores, sublatum pontem, & quod caput est tragœdiæ, ex alta turri prospicientem servum ac herum ab arce sua exclusum esse fusissimè ridentem. Jussit quidem Nobilis fores actutùm reserari ac pontem demitti; sed surdo fabulam. Lusit imperia servus, & ipsas etiam minas heri sæpè in rabiem acti flocci fecit & contempsit. His probris acrius in furias accensus crucem jussit & rotas expediri, quibus in contumacem servum animadverteretur. At neque sic territus verna, ultrò etiam per recens ludibrium cum hero suo paciscì voluit: & quid dabis servo tuo, si remisso ponte ac reseratis foribus te herum intromittam? spondè, jura, & à me tot insolentiarum veniam pete. Recruduit ira novis probrorum facibus accensa: & quid tu de venia scelestum caput! tuis ego pedibus effundar herus effrons verbero? dispeream nisi te hodiè adhuc inauditis cruciatibus ulciscar. Risit ad hoc denuò verna, & ridens iterum ex alto: ô quàm promptè tu veniam à me, si videris quæ hactenus ocului. Scio ego, paulò pòst agnô eris mitior, ad omne pactum mecum hodiè paciscendum alacer & pronus. Hæc cùm Nobilis audiret, vix non irâ crepuit medius: sui velut impos hac illac discurrere, operarios convocare, scalas admovere, totis viribus aditum moliri visus: & versa brevi aleâ vaticinium servi explebat herus; nam ecce fremente foris hero, pede altero raptum filiolum ex turri exhibet parenti, manu altera jam ferrô accincta & in lanienam expedita. Inclamabat blæsis vocibus patris nomen victimandus infans, & parentum præcordia ita sursùm rapuit, ut positis omnibus minis herus pariter cum uxore sua humi fusus, preces precibus ingeminaret, veniam peteret præteritorum, & offerret, insuper infantem si dimitteret, præter auream libertatem ei quoque bis mille philippeos promitteret. Triumphabat servus, cùm heros suos sibi coràm supplices spectaret, eos tamen ut acerbioribus satis excruciaret, truculento simul ac renidenti ore, benè, inquit, nunc paciscar; unam ego jam pœnam à te uno, here, requiro;

eâ contentus moriar, nec porrò in tuos, quos mecum habeo, infantes, ira mea desæviet, prius tamen tibimetipsi nasum proscindas, ut tuæ in me crudelitatis ipse sis carnifex & testis æternus; id nisi properè feceris, hem binis his infantibus tuis, quos unà ex turri præbuit spectandos, necem inferam tuis in oculis. Tacet hoc pactum Bodinus, id tamen disertè memorat Dultremannus (9) qui eandem tragœdiam mutatis paululum circumstantiis recensèt. Pepercit hoc in pacto dominæ servus, cùm sciret, hanc sæpiùs ab immani barbarie herum suum dehortatam esse. Lacerabat quidem mater hæc comas genásque, cùm utriusque infantuli vitam agi cerneret, ad exorandum servum horridos ejulatus & preces convertit, sed irritas planè; animârunt potiùs & armârunt parricidam iteratæ preces, quia vidit, nunc se tandem votô suô potitum esse, ut vindicandi modum, qui herum & uxorem ejus omnium maximè affligeret, ociùs expromeret. Quare ut aliquando tragœdiam pridem animô suô concluſam expediret, iterum iterumque nasum amputari urgebat. Quô infeliciter obtentô, jam, inquit, triumphabundus moriar servus & laureatus hinc ad stygem defluam; sed audi here; abjecisti modò rhinocerotis nasum, at nunquid oculi restant? ut verò videas, tecum benignè agi, maneant hi suâ in statione, sed jam spectaculum videant ultimum, votorum meorum exoptatissimam metam; dixit hæc & unà rapuit infantes, cultroque in utriusque jugulum adacto, vagientes pueros, spectante, horrente, & ejulante circumstantium turba, rabiosè interemit; inde in objectum vallum undis stagnantibus oppletum, utrumque infantem, novissimè etiam mersô in pectus cultrô seipsum præcipitem abjecit, & animam belluinam orco transmisit, exemplo futurus omnibus patribusfamilias, heris & œconomis, quàm periculosum sit, ad iracundiam & indignationem domesticos provocare. Tandem patientia læsa fit furor, ut commune inquit proverbium, cujus experimentum abundè præsens servus exhibuit.

(9) Dultr. in Am. increat. f. 895.

Audistis modò non hominis furentis sed grassantis belluæ barbaram vindictam AA. Ad tam fœdum sævumque facinus pedum protritio servum induxit. Duram nimis & inhumanam servi-

servitutem hero suo servire jussus fuit servus; hinc tantos in furores exarsit, quos nonnisi fusus sanguis extinxit, ut in orco reaccenderentur; sæpè scilicet ab hero suo impudentibus verbis, sæpè, imò quotidiè verbis & verberibus objurgatus, nonnisi trucem vultum, oculos minaces, & nullum unquam benevolentis animi signum videre potuit. Interim labor assiduus, victus ferè caninus, & omni labore ac inedia gravior & acerbior pedum trivialium contemptus. Hæc tandem ita servum exasperabant, ut heri verbera & convitia servili ferro proscinderet; vultus rugosos & aduncas nares cædibus & plagis vindicaret; atroces minas & perennem inediam morte altera sanè tragica, morte vel audientibus horrescenda ulciscceretur.

Fuerit hæc belluæ hujus cœca atque stolida injurias ulciscendi pertinacia, at unà omnibus illis documentum est, qui plures in servos seu subditos imperia disputant. Vident hinc omnes ac singuli, longè tutius esse, si heri suis à vernis se potius amari curent quàm formidari, curâ etiam ad imos pedes devoluta, ne capiti supremo exitium parent horridum, formidandum. Nemo hic in illam cum multis verè stolidam sententiam abscedat, ut credat, se tantò potentiorem, tantò majori authoritate præditum fulgere, si suos erga servos perpetuò frontem caprare, vultum contrahere, supercilio minitari, trucibus verbis & verberibus imperia urgere, vocem ac manus asperare præsumat; hic morbus nihil præter fatale odium conciliatur. Mutetur potiùs efferus iste & intractabilis genius, & heri suos in homines servos humanius dominentur: *nec tonet assiduè neque semper fulmina mittat* in vernas suos rector herus. Si vis amari, ama. *Hoc non fit verbis Marce, ut ameris ama.* Operibus ostende Centurionis exemplo, à te etiam pedes servos curari, & vicissim te colent domestici tui, teque velut parentem reverebuntur. *Est tibi fidelis servus*, inquit (10) Sirach, *sit tibi quasi anima tua.* Ita tuorum affectus lucraberis, qui se antè proscindi patientur, quàm se à te ferant separari; digni adeò servi, quos Deus ac Dominus noster justus Judex illis Matthæi (10) vocibus excipiat: *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

(10) Matth. 25.

Amen.

# CONCIO VIII.

# DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

*Imperavit ventis & mari. Matth. 8.*

## Rancor inveteratus.

SI, ut Greg. (1) meminit, *omnis Christi actio nostra est instructio* AA. æquum sanè fuerit, ut in omnibus actibus & operibus nostris juxta Divinarum actionum regulam procedamus; ergò etiam maris dominium, cujus evidens testimonium præsens exhibet Evangelion, æmulari jubemur, ventis pariter & tumultuanti freto imperia elargiri, sed fortia, valida & ponderosa, quibus suam ociùs obedientialem potentiam deferant inanimata. At verò quibus mediis tam prodigiosam virtutem assequamur, ut de nobis pariter dici valeat, quod hodie dictum est de Christo: *imperavit ventis & mari!* Opt. AA. juxta literalem sensum id à nullo exigitur, quia miraculorum patratio viribus tantùm Divinis propria est, non item humanis. Poterunt tamen hæc prodigia etiam per nos promptè ac utiliter expediri morali in sensu, quem modò explanare, & sub finem tragico quædam exemplo firmare constitui.

(1) S. Greg. in Mor.

A. Etiam nos mari ac ventis efficaciter imperemus.

Juxta S. P. Bernardum (2) *mare magnum & spatiosum manibus cor est humanum: illic reptilia quorum non est numerus; hoc benè novit, qui dixit* (3) *pravum est cor hominis & inscrutabile.* Per hoc vastissimum simul & profundissimum mare sæpenumerò validi ac violenti, turbidi ac fulminei, asperi & hyberni, nimbosi & procellosi, horrisoni & furibundi venti

(2) S. Bern. tr. de int. dom. c. 44.
(3) Jer. 17.

venti tumultuantur, qui fluctus ad sidera tollant Poëta (4) teste:

*Heu subitò quanti montes volvuntur aquarum!*
*Jam jam tacturos sidera summa putes.*
*Jam jam tacturos tartara nigra putes.*

(4) Ovid. de trist.

B. Mare cor est, venti passiones indomitæ, navis anima.

Væ navi! væ carinæ! væ animæ, quæ navis instar non rarò effera tempestate quassatur! jam propè altô mergitur, jam petræ allisa propè tota conteritur. Quales hi venti sint, & quibus à se mutuò nominibus discernantur, pridem explicuit (5) Mediolanensis Præsul his verbis: *magnam faciunt tempestatem multitudines passionum, iracundia, avaritia, libido, ambitio: gula &c. hi velut procellosi venti in corde nostro grandes fluctus concitant.* Prô! quàm periculosi sunt hi venti! heu! quot animatæ rates spumantibus hisce procellis obruuntur, & terra merguntur abyssô! heu! quot felicibus eteśiis alto comissæ, rectà portum Palæstinæ petebant, at in ipso salutis portu naufragium passæ, imo gurgite sunt absorptæ! *imperavit Christus ventis & mari, tempestatémque compescuit* verba sunt cit. Præsulis; *Sic ratio fide illustrata pravis cupiditatibus imperet, fiétque tranquillitas magna.* Clariùs per sequentia mentem ac sensum suum Ambrosius explanat: *si iracundia, avaritia libido, ambitio &c. velut procellosi venti magnos fluctus in corde nostrô concitant, rationem fidémque expergefaciamus, ventos increpemus, dicamúsque tacete, obmutescite.* Ex dictis clarescit, quis velut argonauta nostram ritè naviculam dirigat ad portum æviternæ salutis; is duplex est Ambrosio, *Ratio* ac *Fides*; his ad proram stantibus & ad puppim, nullus turbo navim evertet; junctis potiùs viribus in id unum uterque contendet, ut procellosi turbines maturè reprimantur, & toto è mari proscribantur; Ratio quidem totum naviculæ cursum eò diriget, quò digitô signabit eundum Divinæ voluntatis magnes: quidquid hæc sanctissima voluntas dictaverit; quidquid Leges illius præceperint, expediri ratio urgebit, hoc uno contenta, sic Deum voluisse, sic Numen ab alto imperâsse juxta illud: *sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.* Accidat porrò, ut rancor & ira turbulenti venti gelidâ bacchentur ab Arcto, modica injuria exciti, levi semiverbio provocati, malis omnibus hinc nascituris socia Rationis *Fides* obviabit cruce armata, quâ

(5) S. Ambr in apol. David. c. 3.

C. Venti pravi sunt ira, libido, avaritia, superbia, &c.

quâ omnis illicò tempestas reprimatur; dicet adeò Fides hæc, quod Christus suis visus est discipulis exprobrâsse: an servus major sit herò suo? an ideò Christus in cruce mortuus est, ut nos insuper habita cruce ac cruenta passione, genio vacaremus, crucem minimam exosi, lenem ac tenuem patientiam pertæsi? Nunquid hæc & his majora Cœli Regia meretur? ad quam hodie omnes cœli candidatos sola & unica Regia via Sanctæ Crucis deducit, nullô unquam hic loci exemptô, ne illo quidem, *qui peccatum nec fecit*, (6) *nec inventus est dolus in ore ejus*, *figura substantiæ* (7) *ac splendor æternæ gloriæ*! nunquid etiam de hoc in terminis memorat (8) Evangelista: *sic oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*! en non huc loci tota etiam lex illius tendit & Prophetæ! legatur una vel altera. Quid imperat illa, quam (9) digitô tangit? *si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi & alteram*, seu quod idem ictu valido exceptus, pressus calamitate, promtus esto paratúsque, plùs ultra ærumnis obrui, plagis excarnificari. Quid altera signat, quam citat (10) idem Matth. *orate pro persequentibus vos; benefacite his, qui oderunt vos, neque sol occidat* (11) *super iracundiam vestram. Dimittite & dimittemini.* Veniam scelerum proximo remittite, ut vobis à Reo mutua flagitiorum venia impertiatur; nec vos ultrò in abyssum cœco impetu præcipitate. Quamdiu pestifero rancore in vicinum mens æstuat, tamdiu etiam sub æquissimi Judicis Divino Pectore in animos irâ percitos odium flagrat decumanum; procul ergò facessant ira & invidia, rancor & inimicitia. *Amor omnia vincit.* Amor solus tanquam Spiritus pacis nostra diffiet præcordia! amor omnia vincit, etiam invincibilem Deum. Sic *ratio*, sic *fides* perorabit, ut turbulentum rancoris ventum maturè dissipent & profligent, totum mare reddant tranquillum ac animæ naviculam ab omni naufragio præservent.

(6) 1. Pet. 2.
(7) Heb. 1.
(8) Luc. 18.
(9) Matth. 5.
(10) Idem l. c.

D.

Unus iræ & inveterati rancoris ventus eventilatur.

Dil. AA. tempus non patitur, ut singulos, quos adduxit ventos Ambrosius, explanemus. Unum illum ex omnibus, quem primô posuit locô, eventilandum suscipimus, dicamusque, quàm bellè per *rationem* & per *fidem* debeat repelli, imò exterminari. Multi nec hodie credunt, hunc ventum ita truculentum esse, ut uno impetu navim deturbet in orcum.

Quid-

Quidquid hunc in finem ex Script. & SS. PP. allegatur, à multis plumæ instar aut flocci difflatur. Aliis pluribus id perpetim in ore vel in animo versatur, quod Christus ipse (11) ad incredulos Capharnaitas deflexit: *nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Hi, quidquid dicitur, etiam manibus palpare gestiunt, ut credant. Centies dicas, animam solius rancoris ream cœlô excludi, licet nunquam foràs ex animo digressi, nulla cæde purpurati, suum illud triviale occinunt, non credo, non credo, unum vindictæ nunquam in opus deductæ cogitatum focis mergi tartareis. His ergò fides practica inculcari debet per exempla; sic animos in melius mutant, sic rancores omnes imis è præcordiis profligant, sic se cum Reo cum proximo reconciliant, verbô, sic mari ac ventis imperant, totúmque pectus tranquillant, variis huc usque motibus in diversa eáque pessima vindictæ consilia abreptum. Sit ergò; his saxô durioribus animis prodigiosè molliendis factum exhibebo ita tragicum, ita funestum, ut comæ surgant audienti. Tangit historia duos Ordinis Religiosos, quorum uterque hoc turbine in præceps acti, undis hausti sunt phlegethontæis. Nemo credat me hoc ex capite coronatis Capitibus peroraturum. Hæc nihil ad me. *Habent Moysen & Prophetas; audiant illos.* Habent suos domesticos præcones, Blosios, Antonios, Didacos, Alanos, Humbertos, Guerricos, Olivas, Rodriquezios, Nigronios, Lancicios, Zucchios, Gaudieros &c. Viros consummatæ virtutis ac spiritu plenos, non pseudo-politicô Machiavelli æmulô, sed emphaticô ac veri nominis religiosô, purè ascetico. Audiant illos, & horum charismata æmulentur. Habent leges suas, regulas & constitutiones, ut ajunt cœlô lapsas, ipso à Deo præscriptas, à Deipara dictatas; servent illas ad literam, ad literam, ut suis multoties Franciscus occinuit, neque ex illis jota unii aut literulæ apicem aboleri patiantur; habitus enim & tonsura & clausura sine regularum observantia tanquam *hypocrisis* irridetur teste Kempensi (12) Thoma. S.P. (13) Basil. S. P. (14) Bernardo & Joanne (15) Cassiano. Et vicissim spondeo, juro, ultra denos vel undenos cœlorum orbes à laicis extollentur. Si quid etiàm hos inter limâ vel gyaris dignum patretur, non ideò scabies unius membri, toti debet corpori affricari. *Si videris Sacerdotem,* inquit

(11) Jo. 4.

E. Horridum illius exemplum è claustro petitum ab omni sequiore nota præconem absolvat.

(12) Thom Kemp. 1. de imit. 11 & 17.

(13) S. Basil. interrog. 22. ex fasci

(14) S. Bern 5. de Consid. sub finem.

(15) Cassian. 1. instit. c. 3.

inquit (16) Chrys. *indignum, non ob id calumniari sacerdotium debes; neque enim calumniandares est, sed ille solum convitiis onerari meretur, qui tantò bonò abutitur.* Pergit S. Nort. *multi etiam medici carnifices sunt, qui pro medelis toxica propinant, neque tamen artem vitupero, sed qui arte sua iniquus abutitur. Et nautæ complures navigia amiserunt, neque tamen ars navigandi, sed eorum perversa voluntas damnanda est.* Quamdiu vitam vivimus mortalem, semper verum est dicere: *nihil omni ex parte beatum.* Rosæ suos secum gestant paliuros, triticum paleas, venenum medicina. Idem voce atque calamo notavit Raymundus sanctitate conspicuus Pater ex Ord. S. Dom. his verbis (17) *Novi omnem congregationem habere triticum & zizania, nec magis privilegiatam esse scholam S. Dominici, quàm scholam Christi, quæ cum undecim Judicibus seculi unum habuit conjunctum eis diabolum.* Idem sensit (18) Bonav. & (19) Aug. quem obiter audiamus: *quantumvis vigilet disciplina domus meæ, homo tamen sum, & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quàm domus Abrahæ, ubi dictum est, ejice ancillam & filium ejus, aut melior sit, quàm domus ipsius Jacob, ubi lectum patris filius incestavit; aut melior sit, quàm domus ipsius David cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contra patrem ita mansuetum rebellavit; aut melior sit, quàm cohabitatio Pauli Apostoli, qui si inter omnes bonos habitaret, non diceret, neminem habeo, qui de vobis germanè solicitus sit; omnes enim, quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt JESU Christi; aut melior sit, quàm cohabitatio ipsius Domini nostri JESU Christi, in qua undique boni perfidum Judam tolerârunt; aut tandem melior sit quàm cœlum, unde Angeli ceciderunt.* Si nec Dei domus terrestris, nec paradisus; nec ipsum cœlum scoriâ caret suâ, quid ergò de claustro miraris, de cœtu aut cœnobio Sanctorum, seu ubi omnes ac singuli sanctitatem vitæ specialem profitentur. Cœlo passim Religio comparatur, nec malè; at si in illo Deus *reperit pravitatem*, Script. (20) teste, reperiet pariter suam in hoc cœlo tantùm similitudinario. Disputant in scholis Philosophi, & hoc super puncto enormiter altercantur & vociferantur, an nempe *liquidi* sint cœli, vel *solidi*? an mobiles, an fixi & immobiles? Nostra in philosophia, quantùm memini, acriùs *liquidos*

(16) S. Chrys. hom. de virt. & vit.

(17) S. Raim. Cap. l. de ref. relig. f. 38.

(18) Bonav. l. de 6. alis. seraph.

(19) S. Aug. ep. 137.

F. Malè in totum aliquod Religionis Corpus refunditur, quod ab uno vel altero membro peccatur.

(20) Job. 4.

*liquidos* seu *fluidos* cœlos propugnavimus quàm *siccos*; id quod vel hodie credo, cùm pro se experientiam habeat pænè quotidianam, maximè per Germaniam, quod ultrà nolim eventilare. *Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum*, inquit (21) Paulus, ubi per barbaros intelligit Romanos. Et quid debuit Paulus? juxta Chrys. & Theoph. omnibus ac singulis veritatem prædicare debuit Paulus, modis quibus potuit. (21) Rom. 1.

Hactenus dicta disertè probant, etiam intra clatros & claustra subinde scoriam reperiri, quæ tandem stygios in carbones transformetur. Piis inde tam parùm detrahitur, atque olim undecim Apostolis per Judam, vel probis Angelis in cœlo per Luciferum apostatam detractum fuit. Improbis saluberrimus horror incutitur, ut totis viribus peccati umbram execrentur, Deoque serviant in Spiritu & veritate. Laicis speculum exhibetur, ex quo idem legunt trabalibus literis exaratum, quod olim Christus ipse flentibus feminis dixisse fertur: *si in viridi ligno* (22) *hæc faciunt, in arido quid fiet?* Nunc ergò manum operi accingo, & tragœdiam ostendo, quam palàm omnibus Paulus Zechentner (23) repræsentat, insignis Scriptor & Asceta Soc. JESU patriâ Oenipontanus Tirolensis, Cùm arte concionandi omnibus aliis præstaret, artem hanc apud Eleonoram Augustam Ferd. II. Cæsaris Viduam multis annis exercuit. Moriturus id unum disertè suis à Majoribus expetiit, ut sibi desertô lectulô, humi liceret mortem oppetere; verùm hôc negatô, id saltem obtinuit, ut infra octavam B. V. natæ Spiritum Deo redderet, ante annos circiter 40. extinctus. Hic Auctor nobiles duos tractatus inter alia typo dignissima posteritati reliquit; unum dixit *malæ conscientiæ vermem*, alterum *malæ spei promontorium* nuncupavit, seu quod idem, *signum reprobationis esse procrastinationem pœnitentiæ*. In hoc altero tomo recitat fusè id, quod suo tempore binis Polonis, nomine ac togâ tenus religiosis dicitur accidisse; hos inter grandes inimicitiæ gliscebant, quos nulla poterat virtus, nulla valuit charitas dissipare. Alter in alterius vindictam mutuis furoribus exarserant, in id perpetim intenti, ut ultricibus pœnis suum uterque odium exsaturaret. Quæ causa fuerit tam tetræ (22) Luc. 23. (23) Zechent. in prom. malæ spei.

simultatis, nec verbulô author memorat; eam operosiùs investigare, operæ pretium non est. Notum est tritum illud diverbium: rancor, ira & invidia in aulis principum, in ædibus Magnatum concipitur, in claustris & in cœnobiis instar monstrosissimi pulli ovô excluditur, inter opifices educatur, inter rusticos augmentatur, inter fratres & sorores sustentatur, in Xenodochiis moritur, mox tamen iterum resurgit, totúmque orbem péragrat, & turbidi instar venti obvia pectora infestat. Post aliquot annos mutuis hostilitatibus absumptos, alter horum lethali morbo corripitur, & paucis post diebus etiam à Medicis conclamatur; rebus ergò omnibus abdicatis, totis in id viribus æger incubuit, ut Deo ac fratri reconciliatus, vitales linqueret auras. O proposita verè aurea, modò etiam ipso fuissent opere collustrata! Novit nempe atque animô suô illud Siracidis (24) revolvit: *homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam*, quasi diceret Propheta, ut Ambrosius (25) commentatur: *non habebis indulgentiam, nisi fratri tuo dederis veniam.* Occurrit etiam animo conclamati alterum Siracidis effatum; *memento novissimorum, & desine inimicari.* Memento mori, & ê præcordiis proscribes, quidquid modici rancoris umbram repræsentat. Vidit sibi moriendum esse, ergò, inquit, totis viribus curabo, ut in Domino moriar, & fatô defungar, quod vitam pariat æternam; fecit inde, quod ante omnia sacra omnibus moribundis præstandum; vocabat ad lectum suum hostilem socium, cum quo tot annis inimicitias fovit perennes, promptus cum eo in gratiam redire, priusquam fatis concederet. Paruit vocatus, quem æger hunc ocius in modum familiariter affatus est: hem frater charissime, quo statu vita mea periclitetur. Vides eam tenui filo pendere, ut hinc soluta, petat alteram vel æterna sorte beatam, vel æterna morte infaustam. Diem dixit Podalirius. Migrandum est. Moriendum est. *Venit summa dies & ineluctabile tempus. Mors ultima linea rerum* instat, urget, meque ad iter æternitatis accingi jubet imperat. Quæ & quanta nos inter jam pluribus annis simultas exarserit, & cupiditas vindictæ, abundè nôsti frater mi; hanc credo præsens hora discerpet, mihi fortassis ultima, postquam judicium heu horridum & undique tremendum. Non ausim ego

(24) Eccli. 28.

(25) S. Ambr. l. 4. ep. 29. ad Florian.

mei

meis cum rancoribus coram summo Judice animam sistere nec reo nec tibi reconciliatam. Urnam horreo fatalem; Ambo itaque statum, in quo viximus, nostris coram fratribus execramur; ambo veniam damus erratorum, & quidquid rancoris mentem irrepsit, ultra caucasum profligamus, ut tantò certius etiam à Deo scelerum nostrorum veniam recipere mereamur. Id nisi fiat, salute nostra actum fuerit æternùm. Te itaque frater mi ex imis præcordiorum fibris oro obsero, ignosce mihi quidquid contra te vel lingua mea evomuit, vel mens mea impiè designavit omnium pravitatum, omnium machinarum veniam à te flexis etiam genibus exorarem, tantas si vires mihi lethifer morbus relinqueret; id cùm humi fusus exequi nequeam, cape frater operis locô piam hanc voluntatem meam, & mihi mox æternitatem adituro vicissim ignosce &c. ah! quàm bellè se ad mortem præparavit æger iste! hæc omnium prima sint consilia, quæ animô versent infirmi, ut veniâ proximo impertitâ, parem à Deo reexspectent. Nihil ad mortem piè obeundam huic fratri defuit, quàm constantia. Quid juvat benè cepisse, nisi principio suus etiam finalis terminus exactè correspondeat. Non sine causa lytaniis suis etiam has preces inseri voluit Ecclesia mater: *ut nos in tuo sancto servitio confortare & conservare digneris! te rogamus audi nos.* Quod Angelo Ecclesiæ Sardis seu loci Episcopo Deus per internuntium nuntiavit, jure suo etiam huic ægro ingeri poterat & occlamari: *esto vigilans* (26) *& confirma cetera, quæ moritura erant. Veniam ad te tanquam fur, & nescies quâ horâ veniam ad te. Ecce venio citò: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Jam quasi manibus tenuit coronam suam, modò eam sibi à nullo manibus suis eripi permisisset. Rapuit pro dolor, ægro huic coronam suam avernalis frater, quem ad veniam mutuò exhibendam tam piè, tam fraternè visus est ægrotans invitare. Nihil illô crassius videas & obstinatius; stygiam retorsionem ipsi audite: Vade vias tuos caput perditum! Fauces irrue cerbereas stygis victima! tibi ego non ignosco. Vindictam meam adhuc mihi reservo, etiam cum salutis meæ dispendio. Prô acheronticas voces! prô animos flecti ferreos, & duro de marmore cæsos! nunquid vicissim dare veniam,

(26) Apoc. 3.

hanc rorantibus etiam oculis liquidam reddere debuit amicè compellatus! At surdo fabulam. Morituriens frater tam acerbè tulit retorsionem istam, ut & ipse suis pariter à ceptis resiliret, ac novis iracundiæ facibus reaccensus has in maledictas voces erumperet: ergò nec ego tibi ignosco. Veniam datam resorbens dicta palàm revoco, tibique celerem juro vindictam, quam porrò maturari exopto, hic vel ibi ociùs expediendam. His dictis ultimum ructat spiritum & eructat, vultu illicò tetri carbonis instar nigricante. Ah! quàm citò hic loci mutata est alea, sed in pejus! rancor inveteratus ad animum reversus ægrum confecit ac pœnarum mersit abyssô, Anima truncô corporis egressa, & ad supremi Judicis urnam abrepta, ocius vidit, quò libra penderet. Ut Moschus alibi factum recitat (27) etiam hic magnô numerô dæmones accurrere, saccos & sarcinas scelerum in lancem projicere, & fatalem sententiam ab alto exspectare. Hos inter & ille fuit, qui olim Abbati Jacobo spectabilis asseruit, se *rancoris ac vindictæ spiritum* esse, qui omnes injurias observet, ne unquam memoriâ dilabantur. Hic spiritus omnes alios lancibus opplendis occupatos sonante cachinnô irrisit dixitque: apage saccos hosce & sarcinas, unam ego schedulam infero, quæ omnibus saccis præponderet. Verum dixisse firmavit eventus; mox enim à projecta hac scheda, cui inscriptum erat: *vindicta*, tota lanx quasi plumbô repleta deorsum fluxit, ac nullo se pondere alteri lanci commissô passa est elevari. Jacebant hic loci toga ejus & cucullus, sed lancem nec hilum movebant; hæc nempe si monachum facerent, quis à monachismo simias vel asinos excludat? jacebat in lance altera cilicium ejus, juxta regulas sæpius gestandum; cùm verò nec pilus in eo motus esset locô suô, neque totam potuit lancem dimovere, ut se attolleret. Jacebant ibidem flagrum ejus & grande Rosarium; cùm autem rarus esset usus illorum, nec ab his ullum potuit lanx pondus mutuare. Sic scheda illa omnibus prævaluit. Hôc visô ita secum frater: an ergò tot ex operibus nil boni, nil meriti residuum! an ex choro nihil penitus lucri? irrita sint tot jejunia? manca sit tam frequens patientia? cassæ sint tot vigiliæ nocturnæ? una *vindictæ* scheda operum omnium uberem apparatum profliget? sim

æternùm

F. Vis ac virtus vindictæ in judiciô Divino, (27) Jo. Mosch. in prat. spir. c. 161.

æternùm damnatus? ita, inquit Judex, damnatus es, unà sententiam in eum fulminavit & orco præsentem addixit. Jam orci erat victima, ultimùm his Judicem affari præsumpsit: Juste Judex, me si fulminas ex vindictæ scheda, æquum sanè fuerit, ut is quoque fulminetur, qui causa extitit, cur spiritum *vindictæ* tuam ad urnam deferrem. Damnâsti Luciferum incentorem, ergò & illum damna, qui, qui me præcipitavit. Da ut etiam hostem meum mecum possim abripere &c. Audiit hæc judex, eique, licentiam dedit exoptatam. Mox ergò ad funus suum spiritus revertit, intrat refectorium, torvo vultu omnium cœnantium vultus obambulat, ac tandem fratrem evocat causam damnationis; præsentem his affatur: en præsto sum, quem in orcum deturbâsti. Jam veni & vindica te; ego verò me prior vindicabo. Dixit hæc, & unà impium fratrem amplexus, animam rapuit ad orcum, relicto corpore exanimi togâ suâ involuto. Hem! quid ira possit & rancor, si cum moriente pariter moriatur! hem quàm turbidus ventus ira est, quæ navem jam portui proximam adhuc evertit, & in barathrum trudit miseriarum & pœnarum. *Nemo se circumveniat fratres mei*, *rectè* monuit Aug. (28) *qui hoc in mundo odio habet hominem*, *quidquid Deo bonis in operibus obtulerit*, *perdet. Nemo sine charitate de virginitate præsumat; nemo sine charitate de jejuniis & orationibus confidat; quamdiu enim in corde suo inimicitias tenuerit, nullis bonis operibus placare sibi Dominum poterit.* His ergò irarum ventis maturè homo imperet; his obviare discat in tempore, ut animæ nostræ navicula salva integra portum salutis attingat. Amen.

(28) S. Aug. Ser. 5. de S. Steph.

# CONCIO IX.

# DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

*Colligite zizania, & colligate ea in fasciculos, ut comburantur. Matth. 13.*

## Concio diabolica.

REdit hodiè stata concio & ordinaria; at verum ut fatear, modicô animô ad dicendum feror hodiè. Cur? quid dicam nescio. Aliis nimium prolixius, nimis acerbus aut rectius nimis germanus sum, aliis nimiùm brevis & succinctus. Aliqui semper aliquid novi audire desiderant, nolunt alii unam eandemque sententiam sæpius iterari. Nonnullis Patres latini nimis copiosè citantur, alii contra quodvis assertum ex Patribus & Scriptura probari gestiunt: istis testimonia nimis pauca ex utroque Script. ac Patrum armamentario allegantur, dicuntque passim (cum quibus & ego sentio) vanam & emarcidam, inanem & emortuam battologiam seu rudem garrulitatem, ubi nihil ex Script. nihil ex PP. in asserti firmamentum adducitur; illis contra nimis multa obtenduntur. Tot geniis à se mutuò diversis quis respondeat? ego certè is non sum, qui omnes stomachos coquus expleam. Uni quod sapit, denis aliis desipit. Scio, quid in votis habeant hi mordaces Momi & Sacrorum Præconum rudes Aristarchis; volupe fuerit huic hominum fæci vel nullam penitus audire concionem, Aristarchi ideò enim singulos sine fronte sine pudore criminantur; vel singulis Festis aut Dominicis novum semper Ecclesiasten excipere, ut semper habeant, quod nigerrimis dentibus suis malæ bestiæ arrodant. Hæc si vera sunt AA. digitum hodiè ori meo appono & conticesco, meamque interim

A. Novo Præconi cathedra traditur.

interim cathedram alteri transcribo, jure inter Recentiores locando, quia rarissimè sacro ex pulpito peroravit. Quid capita colliditis? quid inania murmura miscetis? jam dixi: nauseo cathedram; hanc tamen alteri tradam, cujus ad vocem omnium aures tinniant. Dicam tamen obiter, quid dicturus sit: idipsum sc. quod Evangeliô concluſum est hodiernô. Jam triticum zizaniis mixtum est & zizania triticô; at veniet tempus, quô triticum à zizaniis segregetur, inde quod triticum est, cœlesti horreo committetur, zizania verò in fascículum collecta igne comburentur. Christus per hunc ignem ipsum orcum intellexit, ubi zizania semper ardebunt, & nunquam tamen vel absumentur vel exurentur. Hunc orcum nemo aptius depinxerit, quàm ille, qui eum diu noctuque secum per terras discurrens sinu suo circumgestat. Quidquid alii de orco prædicant, dicunt tantùm sua ex auditu, prout libri loquuntur & historiæ; hic autem ut testis loquitur auritus simul & oculatus. Ehodum sodes, inquient non pauci, an ergò nobis dæmon præconizet? id Superi averruncent! Rem acu tetigistis. Mihi credite, insignis præco dæmon est, modò velit veritatem profiteri mille mendaciorum architectus. Dixit jam sæpiùs ex pulpito, sæpiùs ut scimus etiam alteri dictavit de verbo ad verbum integras conciones. Id testantur probatissimi Authores (1) S. Antonin. S. (2) Vincent. S. (3) Thom. Cantipr. Ludolphus (4) de Sax. Spondanus (5) in Eccles. hist. Theoph. (6) Rayn. Cornelius (7) de Cornel. Joan. Erhardus (8) Fulonius, quorum ultimi quatuor signatè meminerunt, similem concionem Parisiis in Gallia ante annos 400. declamatam esse. Ibi jussus est ab Episcopo in publica eaque provinciaria Synodo ad Vener. Clerum palàm concionari Sacerdos; studuit hic sermoni suo inseram noctem, neque tamen ad votum fluxit sermo; anxio itaque quid crastinâ dicendum, hem stygius alastor formâ & figurâ suâ Sacerdotem mentitus nocte concubia musæum subintrat, & sine cæremoniis eum hunc in morem affatur, dictans unà concionem ad Ecclesiasticos dicendam: *Quid angustiaris his Clericis prædicare, dic eis hoc & non aliud: principes tenebrarum salutant Principes Ecclesiæ: lætì nos omnes gratias ìùdem referimus, quia cum ipsis eorum pariter subditi nobis*

(1) S. Ant. tit. 16. c. 15.
(2) S. Vinc. Bel. Spec. l. 25. c. 89.
(3) S. Th. Cant. l. 1. apum c. 20. n. 8.
(4) Lud. de Sax. in vit. Christ.
(5) Spond. ad an. 1248.
(6) Rayn. in heter. p. 1. f. 119. n. 44.
(7) Corn. in Apoc.
(8) Fulon. Exc. in 2. Mich. 5.

B. Is est diabolus jam actu alibi concionatus.

offeruntur, ac per eorum negligentiam, totus pene mundus ad nos devolvitur. Hæc ego ad te diabolus Altissimi jussione coactus. His dictis evanuit, sed ante genis ejus nigrum theta impressit, eum in finem, ut ei tanto certior fides deferretur. Addidit una, ut primum hoc theta aqua benedicta eluerit, totum theta e vultu migraturum. Dicti veritatem firmavit eventus. Audita concione horrida inexspectata, domum ibant pene omnes probe contriti, & nullus ultra fuit, qui hunc in morem vellet a Beelzebub salutari. Factæ sunt inde præclaræ leges etiam Clero, quibus animæ prope innumeræ orco sunt subtractæ. Tantum valuit concio tantum a Dæmone alteri dictata; plus utique virium habitura, si eam ipse Dæmon declamasset. Talis concio jam est in procinctu. Vos aures atque animos advertite. Eo nempe jam ventum est hoc ævo, ut conciones per homines puros expeditæ delicato mundi genio haut amplius probentur; prodeat ergo ex orco ipse orcinus Alastor, & palam prædicet, quid in orco agatur. Ita post multos annos jactare poterunt & crepare, se hac quinta post Epiphaniam Dominica *diabolicam concionem* excepisse. Lucrum ut spero inde profluum majus erit & longe ponderosius, quam si nostrum deni ex cathedra detonarent. Abeo itaque, ac dæmoni cathedram committo. Valete.

(9) Ant. Bonc. in exemp.

Factum sequens suis exemplis inseruit (9) Anton. Bonciarius tersæ latinitatis fautor, qui hæc ait ex Collectore Patavinsium Exemplorum transumpta esse. Est Patavii in Italia Templum splendidum D. Antonio ævi hujus thavmaturgo sacrum; ibi ex more Festo die concio erat quadragesimalis ad confertum auditorem habenda, & quidem de orco & orci pœnis, ad quam ex industria paulo ante ab ordinario loci Ecclesiaste Franciscano invitati erant AA. Accidit autem, ut ipso die, quo cathedram erat conscensurus, subito cordis deliquio correptus, inter fratrum brachia semianimis humi flueret. Defertur in cellam suam, lecto committitur, potentibus pharmacis fovetur. Vocatur propere Medicus, qui morbum nec periculosum, nec diuturnum esse pronuntiavit, jussit tamen lectulo foveri in alterum diem, & pulpito abstinere, dum vires resarcirentur. Fecit hic casus tam ipsum decumbentem, quam reli-

reliquos cœnobitas multùm anxios, quis ægri vicem tam modico temporis spatio paratus in cathedra obiret. Erant quidem multi ex illis arte prædicandi bellè instructi, quibus hæc spartha posset amplissimè committi; at horum nemo ausus est humeros oneri tanto submittere; quod quidem Patribus istis nullus sanæ mentis vitio dare poterit. Fervidæ conciones, qualis hæc esse debuit, non ex obvia quavis manica excutiuntur. Omnis festinatio, omnis deproperatio cœcos parit catulos. Spiritu carent ventosæ conciones, succô ac nervis omnibus ut plurimùm exhaustæ. Stomacho nec sapiunt nec prosunt cibi luridè à coqua deproperati. Similes Ecclesiastas ipse Deus pridem rejecit (10) *maledictus, qui facit opus Dei negligenter.* Tenuit cathedras etiam aulico-Cæsareas per annos 40. summa cum laude ac fructu Georgius Scherer patriâ Suacensis Tirolensis, vir, ut Sotvellus (11) loquitur, impiger, pietate, sui contemptu & vel maximè temperantiâ insignis, laborum patientissimus, mirâ eloquentiâ præditus. Hic tanti nominis ac nativæ eloquentiæ Vir in prologo Dominicalium (12) palàm fatetur, se quidem jam per annos 40. concionari, eò tamen necdum venisse, ut ociùs è manica sua, vel ex obvio lapide protrahat concionem; ei vix totam hebdomadem pro una expedienda sufficere, ac licet benè paratus pulpitum conscendat, tremere sè tamen totis artibus initio concionis, etiam cùm rusticis aut civibus perorandum. Hæc de maturandis & probè discutiendis concionibus primæ notæ ac nominis Concionator Cæsareus. Notent hæc probè clamosi thrasones illi, auræ non aurium verberones, qui omnium horarum concionem crepant ore tumido & cretensi, suis cum quodlibeticis omnes cathedras & peragrant & pererrant. Modestiùs de se loquantur, & fructu suo non carebunt. Has inanes gloriæ bullas, has puriles prosopopœias docti rident, explodunt plebei etiam laici & amúsi, boni omnes execrantur. Non ergò, ut paulò antè memini, vitio verti poterat Patribus illis, qui tàm brevi temporis spatio constricti, cathedram subterfugiebant. Laudem potius hoc uno ex capite merentur & elogium palmare, quòd imparati vel non probè succincti, se officio ingerere nollent tam arduo, tam sublimi. Poterant quidem

C. Bonæ conciones non debent deproperari.

(10) Jer. 48

(11) Sotvel. in Bibl. lit. G.

(12) Ge. Scher. in prol. Dominic.

D. Notæ in quodlibeticos & potius omnihorarios Verbi Divini verberones.

dem Divinæ providentiæ, & gratiæ S. Spiritûs se totos committere, hic autem tàm properè, tàm promiscuè miracula sua non operatur: nisi ab alto specialis instinctus ad vicariam opem in tali articulo ferendam urgeat vicinum, non suaserim, ut eam sibi vendicet alter; diceretur potiùs præsumptuosè agere, qui similia tentaret. Quis ergò vicarias partes in cathedra explevit Paduæ? ipse diabolus formâ & habitu Ordinis illius Religiosum mentitus, quod mirum nemini videatur, cùm sciamus, Deo permittente, transfigurâsse se luciferum etiam in Crucifixum, & in glorioſissimam ejus Parentem Deiparam; hic casu ad portam venit quasi peregrinus, ex Gallia in Italiam primò Lauretum inde Romam moturus. Vir erat egregius, copiâ dicendi bellissimè instructus & quasi factus ad concionandum, vir, ut apparuit, omni literatura refertus, quasi alter cœlô lapsus Cato, modò etiam animi bona extrinsecis formalitatibus respondissent. Rogatus hic hospes nulli adhuc probè cognitus, ut eloquentiæ suæ flumen in avidos AA. evolveret, atque ægro suppetias ferret in tempore, humeros quidem jactabat, causatus, se itineri non cathedræ accinctum, nuper etiam acri morbo detentum, jam à biennio ad populum verba non fecisse; hanc sui excusationem ita splendidè produxit, ut hæc ipsa ejus excusatio fieret illius accusatio, bellè omnibus reconditam ejus eruditionem ac eloquentiam manifestans. At quid multis tempus extraho? iterum iterumque rogatus tandem cathedram novus hospes conscendit, & duabus integris horis flebile argumentum de orco ita fervidè tractavit, ut AA. uberrimas lacrimas effunderent, suspiria suspiriis ingeminarent, fremitu ac singultibus, præcordiorum assiduis tunsionibus & querelis totam D. Antonii Ecclesiam opplerent. At quæ concio fuit duas in horas extracta? en compendium illius & synopsin. Principium illius jam spirat paradoxam novitatem. Sic ille ex Virgilio Archipoëta suam de orco auspicatus est concionem:

E. Concio Diabolica.

*Non mihi sint linguæ centum, sint oraque centum,*
*Ferrea vox, omnes scelerum comprêndere pœnas,*
*Omnia pœnarum percurrere nomina possem.*

Est

Est quidem, ut Job (13) meminit, in inferno *nullus ordo*, (13) Job. 10.
est ipse orcus *terra miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Ego tamen in orci adumbratione ordinem certum servabo. Primò dicetur, quid sit orcus, ubi sit orcus, quàm magnus sit & spatiosus; porrò pœnæ potiores orci detegentur, pœna ignis, pœna morborum, pœna vermium, dipsadum, bufonum & draconum, pœna dæmonum, pœna fœtoris, pœna famis ac sitis, pœna æternitatis.

F. Quid rei orcus?

Orcus, ubi damnatæ hominum animæ æternùm per diabolos torquentur, est juxta Matth. (14) profundissima *vallis tristitiæ & miseriæ* seu *gehenna.* Orcus est, juxta Sapientis effatum, (15) *tenebrarum carcer*, ubi nec solem videas interdiu, nec noctu lunam. Orcus est, juxta Apocal. Joannem, (16) plumbea & piceata cloaca, *locus iræ Dei, stagnum sulphuris.* Orcus est, juxta Paulum, (17) omnium malorum, omnium pœnarum interminabilis *abyssus.* Verbò orcus est talis ora, talis provincia, in qua omnes confluunt excogitabiles ærumnæ. Hunc Orcum quoties meditari cepit S. P. Bernardus, gelidus toto de corpore fluxit humor, & exangui crines horrore rigebant. Sic ipse ad Eustoch. (18) & in Cant. *Regio gehennalis regio dura est & extimescenda, totus sudo, & contremisco ad memoriam regionis hujus.* Si tam S. Pater, ac Bernardus fuit, ita orcum exhorruit, quos & quantos metus peccaminosi terricolæ concipiamus, qui Deum identidem temerario ausu, quasi nec Deus esset nec orcus, fine fronte lædimus & violamus. Situm orci si exquiras, jacet ille in medio terræ centro. At ubi medium terræ? in palæstina, in monte Calvariæ, ubi Christus probrosissima morte sua vitam nobis peperit sempiternam. Sic pridem meminit Ps. (19) *Operatus est salutem in medio terræ.* Juxta hunc sensum tota Palæstina orco est inædificata.

(14) Matth 18.
(15) Sap. 18.
(16) Apoc. 14. & 19.
(17) Rom. 10.
(18) S. Bern. ep. ad Eustoch. & Serm. 16 in Cant.

G. Ubi est orcus?

(19) Ps. 76.

Orci longitudo, terræ sanctæ longitudini respondet, quæ juxta Adrichomium milliaria germanica numerat 67. latitudo verò illius 20. cùm autem longitudo & latitudo in orco commensurentur, sequitur, orci latitudinem longè fusiorem esse quàm sit Palæstinæ. Orci profunditas triplò major est quàm longitudo & latitudo illius. Cornelius ait, profunditatem obi-

H. Magnitudo ejus.

ter computatam ad 500. milliaria extendi, quæ pro tot millenis millionibus damnatorum adhuc arctus & angustus carcer dici potest. Orci abyssus seu ima illius pars & pavimentum ex Sacerdotalibus & monasticis pravorum Capitum coronis, ex calvis hæresiarcharum capitoliis, qui plerumque Monachi erant apostatæ, undique instratum est; huc etiam suam mittunt calvariam sacri & profani Capitones seu Magistratus, qui se in vivis ita gesserunt, ut eis totus orcus publicas grates referret, quòd per eorum negligentiam, conniventiam, scandala, iniquitates ac mille alia vitæ impiæ opprobria potior pars mundi orcum irrueret. Ajunt quidem passim quamplurimi, nec à vero abludunt, tantô numerô, tantâ arctitudine damnatos compingi, quantâ lateres igniti in fornace lateraria, in dolio haleces, & in carbonaria strue igniti carbones, penitus immobiles & quasi loco affixos, quo imperceptibili tormento illi maximè in æternum plectuntur, qui procaciter in omnem luxum & luxuriam, ad omnem gulam & gastrimargiam, ad omnis generis petulantias & choreas quà data porta currebant dicentes ac se mutuò in omnem gulam & venerem extimulantes (20) *nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.*

I. Pavimentum ejus.

(20) Sap. 2.

K. Pœnæ orci.

Videas tamen subinde his etiam ex acervis magnô numerô varios extrahi, ut variis pœnis excarnificentur, & in fasciculum collecti, ut Christus inquit de zizaniis, jam in medium inextinguibilium flammarum detrudantur, jam iterum ex bullientibus focis protracti in puteum grandine ac gelu horridum præcipitentur, jam iterum in altum pilæ instar projecti acutissimis dæmonum unguibus aut gladio & pertica excipiantur, inde iterum uncis & harpagonibus dilacerati vel flammantibus furnis, vel stagnantibus cloacis, frigore caucaseo rigentibus & fœtentibus latrinis mergantur, focis & undis urendi, nunquam tamen exurendi.

L. Pœna ignis.

Primaria orci pœna ignis est, qui sæpius antonomasticè inferni nomine à Christo exprimitur: *Ite maledicti in* (21) *ignem æternum.* Ultimum ignis diluvium descripturus Moyses (22) ait: *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima: devorabitque terram cum germine suo, & mon-*

(21) Matth. 18.

(22) Deut. 32.

*& montium fundamenta comburet.* Magna certè vis est ignis hujus; comburet enim silvas cum arboribus, segetes cum horreis, arces cum urbibus; siccabit maria, montes ut ceram liquefaciet, lapides absumet & metalla, montium fundamenta devorans, ad orci novissima penetrabit. At quid ignis iste respectu gehennalis flammæ? congere hos omnes focos, & mundi hujus ignes etiam, quos Moyses vidit, pro solatio, pro refrigerio erunt damnatis, picti erunt ignes, foci erunt umbratiles, si orcinis comparentur. Hinc ille dixit apud Cæsarium (23) malle se in ignibus terrenis toto ex mundo coacervatis usque ad judicii diem ardere, quàm per unius horæ spatium illos orci ignes sustinere. Aug. teste (24) *ignis hujus potentiam nulla vox exponet, nullus sermo explicabit. Non mihi sint linguæ centum &c.* Nunc ergò ex se singuli seriò quærant illud (25) Isa. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Si terreus ignis iste tanta pollet urendi potentia, quantâ pollebit orcinus, quò anima simul & corpus æternùm cremantur.

(23) Cæsar. l. 12. c. 23.
(24) S. Aug. Ser. 18. de temp.
(26) Isa. 33

Sufficere posset hoc unum ignis tormentum ad excruciandos peccatores, sed plures aliæ pœnæ tactum exercent, morbi sc. acutissimi; dicuntur hi morbi passim *peccati effectus*, qui sicut vivos infestant, ita etiam ad orcum usque malè mortuos comitantur. Pro quantos sæpè dolores causat una catarrhosa gutta! loquantur illi hic loci, qui dentibus laborant. Quantos dolores cholica parit, podagra, calculus, tormina, ulcera. Ruant hæc mala unum in hominem, nescio sanè, an vires humanæ citra mortem vel amentiam hæc omnia valeant sustinere. Hi tamen dolores omnes singulis à reprobis tolerantur & mille alii; juxta quos si omnes terreos locaveris, exclamabit iterum (26) Chrys. *Hæc omnia ludicra sunt & risus ad supplicia illa.* Jobo teste (27) *irruet super eos omnis dolor*, qui vel dari vel fingi potest, dolor morborum, dolor famis ac sitis, desperationis, ignominiæ, maledictionis perpetuæ, ac perpetui sine fine cruciatus.

M. Morborum pœnæ
(26) S. Chrys. hom. 49. ad pop. Ant.
(27) Job. 20.

N. Pœna vermis.

Porrò diu noctuque damnatos rodet vermis conscientiæ, qui nunquam moritur, seu memoria præteritorum, hinc serò nimis temporis perditi pretium deflebunt, seque mutuò repro-

reprobi manes execrabuntur, quod pro bestiali voluptate, pro carnis bolo, pro auri bursa, pro modico lucro, glauci permutatione cœlos dilapidârint, se ultrò hos in ignes detruserint, pœnitentiam in menses & annos procrastinârint, donec tandem fatô inexspectatô oppressi, rectà in hos piceos lacus sint projecti. Præter hos mysticos vermes non desunt etiam veri nominis serpentes & dracones, visu & sibilis horrendi, qui ut pisces in aqua, ita vivunt in flamma, intolerandos dolores assiduis morsibus totum per orcum damnatis infligentes. Hi vermes, & is vel maximè, qui conscientias erôdit, facilè possunt fugari, si vinô mergantur, illô nempè, de quo in Cant. (28) Bern. *vinum Angelorum sunt lacrymæ.* His lacrymis tingite vermem, & qui post fata nullô unquam ævo moritur, morietur tamen hôc vinô mersus ante mortem.

(28) S. Bern. Ser. 28. in Cant.

O.

Pœna Sociorum ac dæmonum horribilis aspectus.

Ulterius sicut in cœlo summas parit delicias Dei ac Deiparæ, Angelorum atque omnium Sanctorum glorioſissima Societas, sic in orco pœnas auget horridas non tantùm damnatorum, sed ipsorum etiam dæmonum teterrima fraternitas. S. Francisca Rom. & S. Cath. Senens. videbant una tantùm vice Diabolum, & ecce visio hæc tantos utrique horrores incussit, ut mallent ardenti furno immitti, quàm vel semel iterum avernalem cerberum intueri. Quid ergò horroris pariet tot dæmonum aspectus in orco? ah quot ærumnæ hoc uno in loco veluti malorum omnium sentina confluunt! coge omnes mundi hujus ejulatus, adhuc suavis erunt musica, si cum orcinis conferantur. Collige unum in fasciculum omnes pœnas, omnia martyria, adhuc erunt paradisus, si orcinis opponantur. Hostis hostem in vivis persequitur, eumq; oculis hirquis intuetur, ibi una eaque catena ferrea hostes constringet & amicos, heros & servos, eos maximè, qui causæ fuerunt alienæ damnationis; hi velut canes & cati, aut rabidi leones ac tigres se mutuis vulneribus & plagis proscindent perennes inter execrationes, tu me huc locorum deturbâsti, tu perditionis meæ causa extitisti &c. hos execrabiles socios societas parit venerea, culinaria, popinaria, lusoria, socios immanitate barbaros, visu horridos, manibus ac pedibus truculentos, socios insolubiles, fratres inseparabiles, quibus (29) pridem orco solenne lemma gentilis Poëta accinuit: *Non possum tecum vivere, nec sinè te.*

(29) Mart. l. 12. ep. 47.

De

De fœtore quid dicam? *putredo & vermes hæreditabunt impium*, Prophetâ (30) teste. Accensô sulphure, ocius hîc nasum premimus; ibi quid fiet, ubi totus homo sulphureo stagno mergetur, non emersurus? Rex Antiochus prout Machab. libri recensent, (31) à justo Deo fœtore ac putredine percussus, tantam mephitim exhalavit, ut totus multorum millium exercitus regium fœtorem sub dio tolerare non posset. Si fœtor ita fuit molestus in aura libera, quidsi jam mille Antiochi unô locô constringantur, suúmque in singulos mutuò fœtorem diffundant? nota est Mezentii crudelitas, quâ vivos cadaveribus alligavit, os ori, membra membris applicando, donec fœtore fracti cum cadaveribus computrescerent, de qua Virg. (32)

P. Fœtoris pœna.

(30) Eccli. 19.

31) 2. Mach 9.

(32) Virg. 8. Æneid.

*Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,*
*Componens manibusque manus atque oribus ora.*
*Tormenti genus! & sanie taboque fluentes*
*Complexu misero, longa sic morte necabat.*

Horridum sanè ac inhumanum supplicium, sed adhuc longè mitius orcinô, ubi saniem in se mutuò derivant vinculo insolubili & amplexu horrido in æternum constricti. S. Phil. Nerius una tantùm vice afflatus fuit ab energumena, & ecce fœtorem naribus immissum tridui spatio vix eluere potuit, fuit etiam tàm enormis, ut crederet, tolerabilius esse mortem oppetere, quàm tantam mephitim plùs ultrà naribus circumgestare. Abbas Elias, ut habent Vit. PP. (33) jam propè victus cesserat Asmodæo, pronus carnis libidinem explere, en vidit immanem terræ hiatum reserari, in quo carnalibus olim deliciis immortui, merum inter pus & putredinem miserrimè volvebantur, audita pariter voce: *Væ homini illi, qui Deum deseruit propter has sordes!* inde tantos animô horrores concepit, ut pro fœtore semianimis corrueret. Sibi redditus in tumulum usque pœnitentiam extendit. Huc huc nares vestras exporrigite molliculi gnathônes & thrasones. Hîc suaves favonios captate pigmentorum servi, stibiorum ac cerussarum servæ, capri & capellæ, damæ ac domicellæ, quibus vestes ac chi-

(33) Vit. PP. prat. Spir. c. 86.

rothecæ, caput & capilli sordescunt, nisi balsamum spirent, post fata datura mephitim caucaseam, phlegetontéam.

Q. Pœna famis ac sitis.

Quærat nonnemo, quibus mediis damnatorum vita inter pœnas servetur? Dico brevissimè: coquus eorum fames est, cellarius illorum sitis est. Psalmista teste (34) *famem patientur ut canes.* Quos tangit hæc prophetia? *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis*, inquit (35) Veritas. Expertus loquatur Euclio, qui suis cum fratribus & gulonibus terrenis nec guttam reperit, quâ linguam refocillet. Horum bellaria, pulli & aviculæ modò sunt aspides & bufones; horum nectar & ambrosia est modò pix, sulphur & cicúta. Suadeo vobis ô gulones & eucliones: vobis vivi occinite illud ex Matthæo (35) *quid manducabimus aut quid bibemus?* ita si pergamus abdomini nostro servire, cuticulam curare, ubi sæpè nec Christi patrimonio parcitur, nec gazophylaciis, nec templorum aut xenodochiorum reditibus, vel pauperum sudoribus. Audiant quid hujus farinæ socii ex orco clament: *ego autem hic fame pereo &c.* audiant quid vocis è cœlo fulminetur: *recepisti bona in vita tua. Ite maledicti.* Audiatur (36) Hieron. *difficile, imò impossibile est, ut de deliciis transeas ad delicias; ut hic ventrem, ibi mentem expleas.*

(34) Ps. 59.

(35) Matth 6.

(36) S. Hier ep. 34. ad Jul.

R. Aeternitatis pœna unde triplex conclusum formatur.

Restat æternitas pœna omnium maxima. Centum millia, mille millia annorum numera, nil adhuc de æternitate dixisti: Opt. AA. cum hac æternitate, quæ nullum habet terminum ac finem, finem facio sermonis mei, & ex eâ triplex conclusum educo.

*Concluf. 1.* Quidquid in orbe nostros quinque sensus exhilarat, purum nihil est respectu æternitatis, ut quid ergò me ob purum nihil in horridam æternitatem detrudam? ô stultitiam! lucri gratiâ terreni cœlestia perdere, & pœnas æternas in vicem vani gaudioli participare.

*Concl. 2.* Nullus est in orco, qui non omnes pœnas pati ambiat ad usque judicii diem, modò tunc eminus daretur cœlum

cœlum intueri. Sit Angelus, cui Deus dicat, singulis seculis unam guttam è mari tolle, siccato mari damnatos eximam. Nemo foret, qui non sua ferret patienter, spe illa lactatus, venturum aliquando finem. O quid ergò tàm stolidè tàm impetuosè nos eò præcipitamus, unde alii tantis sudorum dolorumque expensis emergerent, si possent.

*Concl. 3.* Omnis ergò cura, & labor, quibus æternitas non attingitur, vana sunt. Oculis nostris duo circuli obversentur, ô æternitas beata! ô æternitas damnata! Illa prensetur, hæc totis viribus evitetur. Modum evitandi Bernardus innuit (37) *descendant in infernum viventes, ne descendant morientes.* Ille, qui omnes ex nihilo creavit, omnibus orci horrorem incutiat, vi cujus peccata fugiant, in tempore pœnitentiam agant, seque orco subtrahant, suúmque itet hinc rectà in cœlos dirigant. Quod si hæc concio à nonnullis explodatur, ipse coram Deo judice singulos accusabo. Dil. AA. hæc concio est promissa. Quæras unde nôsti hæc à dæmone declamata? & hoc expedio. Finita concione fervido præconi inter grates & applausus pedes loti sunt, quos cùm pius frater caprinos esse vidisset, adjuratus dæmon palàm fassus est se ideò dixisse, ut neque sic motos gravius posset cruciare. Sic vanuit. Colligite jam zizania & comburite. Foco admovete scelera, & brevi animum subibit S. pœnitudo. Amen.

(37) S. Bern. ad Eust.

# CONCIO X.

# DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

*Minimum quidem est omnibus seminibus. Matth. 13.*

## Purgatorii Semen.

SEmen Sinapi minimum quidem est inter semina, sic ipsa loquitur Veritas, id tamen pedetentim in arbusculam excrescit, in qua possint aviculæ nidos suos extruere. Virtutem seminis hujus tota propè Gentilitas miratur. Plinius (1) cum aliis ipsô Senioribus nobile hoc germen pænè ad cœlos, saltem ad elysios campos laudibus extollit. Plinium sequitur Salernit. Schola, binis vestibus virtutem prædicans (2) Sinapi:

(1) Plin. l. 22. c. 22.
(2) Schol. Salernit. c. 50.

*Est modicum granum, siccum, calidúmque sinapi,*
*Dat lacrimas, purgatque caput, tollitque venenum.*

A. Sinapi virtutes habet suas & vitia.

At præter has virtutes multæ adhuc aliæ præsens semen commendant: firmat cerebrum, in concoquendis cibis juvat stomachum, tussin procreat, fugat noxios humores & catarrhos, quibus non rarò ipsi etiam oculi perpluuntur; lieni medetur; ciborum excitat orexin, solo suffitu suo angues profligat & serpentes, morsus scorpionis sanat, à fungis pellit toxicum, melle circúmlito qui vescitur, tussi liberatur; Id qui pedibus applicat contusum, & unà temperantiam colit, podagræ dolores sedabit, solvit in renibus lapillos, abstergit lepram, proscribit hydropem, curat epilepsiam; unà tamen etiam calore suo felleam bilem excusscitat, iram movet & indignationem, auget tristitiam & melancholiam; hinc ab Ennio *triste sinapi* nuncupa-

nuncupatur, quod etiam proverbio locum fecit: *en! semen hausit sinapicum*, seu quod idem fuerit, passus est se denuò irritari, inflammari, ira & rancore succendi. Etsi ergò hoc semen multis virtutum privilegiis floreſcat, suos tamen etiam manes patitur, seu suis etiam vitiis hirteſcit, quia, ut dictum, iram excitat, cui etiam alii luxuriam sociant ob immodicum calorem. Mitto hæc omnia in sinapi hodie, quæ utiliter possent ad mores formandos revocari, & in eo unicam virtutem illam expendo, quâ lacrimas provocat. *Dentibus attritum mille fluenta parit.* Opt. AA. granum sinapi nemo dentibus comminuet, quin unà lacrimas fundat. Hæc sinapis natura est, ut in fletum oculos resolvat; novit apprimè hanc efficaciam hypocritica Xantippe illa, ut Philander meminit, (3) quæ cùm ridere mallet, quàm ut vel guttam marito suo jam ad tumulum portando affunderet, hoc sinapi masticato, uberes lacrimas excivit, animô intus ad recentes choreas tripudiante. Sic dolorem forinsecus mentita, nullum animô recepit, eorúmque numerum adauxit, de quibus pridem Poëta: *ut flerent, oculos erudiere suos.* Hanc in lacrimas vim ac potentiam sinapi propriam partim *vitium* dixerim, partim *virtutem.* In sensu morali quodvis modicum & veniale peccatillum sinapis est, *minimũ quidẽ omnibus seminibus*, at dentibus probè comolatur, prodibit naturæ prodigium; patebit oeius, quantos calores & flammas pariat, quibus animæ post obitum corripiantur; hoc sensu utique *vitium* est sinapi, animas vivis ardoribus urens, ac spiritum præter ordinem naturæ summi Numinis ope ac nutu inflammans. Sed & *Virtus* dicatur, quia omnes illi, qui hæc grana dentibus frangunt, & ritè ignes illos pectore versant, minimi etiam peccati saluberrimos horrores & unà flagrans studium omnigenæ virtutis concipiunt. Dil. AA. jam candidè loquar, & germanè. Ante octiduum carceres orcinos lustravimus, vidimus eminus atroces pœnas damnatorum lemurum, &, ut spero, ex *diabolica concione* solidam aversionem ab omni gravi ac mortali flagitio domum retulimus, vi cujus tot animæ cœlô excidunt & stygiâ merguntur abyssô, nisi hæc feria in vivis pœnitentiâ diluant mortales. Hodie oculos nostros iteratò in subterraneos specus reflectimus,

(3) Phil. Sitenvv. in visione.

B. In eo hodie sola vis illa expenditur, quâ lacrimæ provocantur.

sed in purgatorios, non verò in orcinos, jam nuper spectatos. Hodie lustremus, quàm acerbè Justus Judex etiam levia & omnium quasi minima piacula lustrales inter flammas castiget. Hoc est granum sinapis dentibus comminuere, unde simul justissimam in leves noxas iram hauriamus, cùm horum causâ tam horridis tam enormibus pœnis ac tormentis his in locis piæ animæ discrucientur.

Quàm graves, quàm atroces sint pœnæ istæ, quibus hic loci peccatorum reliquiæ expiantur, meis AA. tribus ex capitibus ostendo. Primò horum atrocitatem reddit abundè manifestam Justitia Divina, quæ sola, demptâ Dei misericordiâ, post obitum nostra in piacula grassatur. Quamdiu vivimus, merito locus est; tollatur vita? unà etiam omne cessat meritum, omnis apud Deum gratia evanescit, ac sola in mortuos Themis dominatur. Est quidem in omnes infinitè misericors, sed quatenus mortali vita circumseptos. Ut sic multis annis pœnitentiam exspectat & reexspectat. Ut sic parcit & indulget, connivet & dissimulat, quasi nesciret, quid in terris terrarumque Angulis ageretur, cùm oculis ejus Divinis etiam minima, & pectoris ima patescant. Ut sic quosvis peccatores in gratiam recipit, quacunque hora thronum gratiæ, thronum miseri cordiæ pulsaverint. Ut sic ad seriam scelerum gravissimorum emaculationem, & sacramentariam Exhomologesin, ad Indulgentiæ plenariæ lucrum grandes debitorum syllabos rescindit, & quævis flagitiorum portenta remittit; ut primùm verò socium corpus anima destituit, unà in tumulum cadit omnis gratia, omnis clementia. Post fata itaque sola Dei Justitia ad clavum sedet, & singulis jura partitur pro meritis, piis quidem ac Deo totaliter reconciliatis uberem gloriam ac delicias in cœlo prævios operibus commensuratas; reprobis porrò & in gravi flagitio extinctis orci pœnas sine fine perennes; iis verò, qui factâ ritè pœnitentiâ, necdum omnes nævos in vivis expunxerunt, pœnas iterum gravissimas ad certum tempus, annos, menses, vel etiam ad usque fatalem Judicii diem juxta demerita decretas. Deum immortalem! si Justitia Divina etiam in modicos excessus his in terris animadvertat, ubi tamen Justitiæ latus stipat misericordia, facile hinc argumentum trahe-

C. Purgantium pœnarum atrocitas tribus argumentis ostenditur. Argumentum primum à Justitia Dei transsumitur.

trahetur, quanta sint illa tormenta, quibus in altera vita scelerum reliquias proscindit sola Justitia nulla misericordiæ matre comitata. Adam protoparens noster grande peccatum peccavit, ut Script. loquitur, plus tamen ex immodico & summè noxio amore, quò Conjugem suam deperibat, quàm ex malitia propria; ad Deum tamen ex intervallo revertit, & gratiam ilius obtinuit, ita tamen, ut nongentis annis in sudore vultus sui pane vesceretur. Filii ejus ac nepotes grandes ei miserias, enormes curas & ærumnas pariebant; tot nempe mala unum malum præproperè gustatum coacervavit. Vacillabat modicùm in fiducia soli Deo deferenda pius ac Deò plenus Moyses (4) ut SS. Paginæ testantur; erat utique vix notabilis nævus, quem vir Dei mox iterum acri pœnitentia, & reaccensò in Deum amore fervido, extinxit, luit tamen, sic Deo dictante, annis quadraginta errorem suum, errans per eremum, atque insuper terrâ sanctâ cum suis exclusus. Hæc si minimos in reatus viventium reorum Dei Justitia deturbat, quid mortuis credimus futurum?

(4) Num. 20.

D. Argumentum. 2. ab austera SS. pœnitentia depromitur.

Secundò purgantium pœnarum acrimonia ex illis claresçat, quæ sanctitate conspicui mortales ad extirpandas peccatorum reliquias sibi ultrò in vivis visi sunt dictare. O quàm uberes lacrimas etiam ob exilem legis transgressionem profuderunt! quàm immanibus pœnis propriam hallucinationem mulctârunt! lustrentur obiter vitæ Divorum Cœlitum, S. Pauli, S. Antonii, S. Hilarionis &c. Obeantur cum S. Climaco veterum Eremitarum cellæ, horum vivendi methodus evolvatur; quid erant illorum speléa & casæ stramineæ nisi *vivum* aliquod *purgatorium*, prout ipso à Climaco nuncupantur? Augustinus, ut passim constat, utique peccavit, quod nemo negaverit; at verò seriam egit pœnitentiam Augustinus; ac licet jam omnia expiaverit, pro Deo tamen diu noctuque sudavit & alsit, & cùm mortem oculis oberrantem cerneret, flens ac gemens 7. Psalmos pœnitentiales alta voce intonuit. S. Gregorius à cunis piè sanctéque vixit in tumulum usque: Adultior factus, S. Benedicti Celeberrimæ Religioni, quæ tunc sui S. Patris prima principia, & sanctissimas leges adhuc mordicus propugnabat, nomen dedit, seque totum non suæ

sed

sed unius Dei sui gloriæ totum per orbem ampliandæ ardentissimè impendit; inde supra candelabrum positus, ut luceret omnibus, qui in Domo Dei sunt. Credebant pænè omnes, eum nunquam peccâsse; saltem nævi nullius etiam ab æmulis, à discolis fratribus argui poterat. Ecclesiæ bono diu noctúque laboribus & curis immersus, sè tamen nec gravissimis calculi & podagræ doloribus satiari passus, fractum corpus etiam jejuniis quasi assiduis, funibus cilicinis in carnem detrusis constanter macerabat, eum in finem, ut in vivis quotidianos nævos suos pro viribus expungeret. Quàm castam, & innocentem vitam Bernardus vixerit, nemo est, qui nesciat; suum tamen corpus iis quotidie pœnis ultroneâ pœnitentiâ afflixit, ut ei magna etiam vitæ morúmque probitate præditi tritum illud accinerent: cave Pater, ne dum acriores pœnas ab innocuo sumis corpusculo, omne nimium in vitium vertatur. Quid dicam de S. Carolo Borromæo, qui quasi omnium bipedum nequissimus esset, nudis pedibus, & fune à collo pendente omnes plateas peragrabat, licet in eo nec mordax hæresis inveniret, quod nigris dentibus arroderet. Quid de S. Francisco Salesio, de S. Francisco Xaverio & aliis numerô innumeris commemorabo? quis horum prodigiosam sanctitatem ignorat? suum tamen in corpus tantâ ferociâ sæviebant, ut credi possent, se loris & flagris grandium peccatorum gravissimam molem dissipare. Ardebant hi omnes Justitiam Divinam adhuc vivi præoccupare, ut minima etiam nævorum grana, si qua fortè occurrerent, hic probè contererentur, nihilque ultrà post fata restaret, quod justa Nemesis piatricibus flammis purgaret. Sic omne pabulum purgatorio igni subtrahebant, ut sancta morte defuncti, rectà cœlos peterent, gloriâ tantis meritis proportionata coronandi. Eluxit hæc virtus etiam in *devoto fœmineo sexu*, ut passim de hoc hominum genere ipsa loqui solet Ecclesia cùm Aug. B. Paula. Hier. teste (ς) ita planxit minima, atque si grandia sacrilegia patrâsset. Omnes nempe utriusque sexus Sancti longè consultius esse credebant, hîc in vivis quidquid peccaminosum est, morbis perennibus & ærumnis, assiduis doloribus & ultroneis pœnitentiæ operibus emaculare, quàm vel per unicum horulæ quadrantem purgantibus focis cremari.

(ς) S. Hier. ep. ad Eustoch.

Tertiò

Tertiò acrimoniam pœnarum istarum ex libris & scriptis SS. PP. quorum oculi millies nostris perspicaciores, imos specus hujus subterranei Angulos penetrârunt, sole clariùs eruimus. Prout Fulonius (6) asserit, post vitam sanctissimè in terris obitam, ipse S. Hieronymus alteri apparuit glorioſus, alia inter fassus, tritum illud proverbium nimis quàm verum esse, quô passim dici solet, inter orcum & inter purgatorium unum dari parietem intermedium eumque chartaceum, papiraceum, seu quod idem fuerit, utrobique pœnam dari eandem, hoc tamen cum discrimine, orcinam æternùm infligi, purgatoriam ad certum tempus irrogari. Hoc ipsum recens assertum fusè probat Dion. (7) suo ab instituto dictus Carthusianus, suum identidem solenne inculcans ac reiterans: *eodem igne justus purgatur, & damnatus crematur.* S. Cæsarius Arelatensis Episcopus omnibus illis temerariam præsumptionem, quâ sordebant, acriter exprobrabat, qui visi sunt purgatorios ignes parùm curâsse, satìs abundè contenti, modò certi essent de adeunda cœli gloria, utut aliquo tempore his in focis anima flagraret. Verba ejus hæc sunt: *Nemo hoc dicat, fratres charissimi, quia ille ipse purgatorius ignis durior erit quàm quod possit pœnarum in hac vita vel accidere, vel sentiri, vel cogitari.* Simile oraculum fundit Bernardinus Senensis (9) cùm verò mille annis ante Bernardinum vixerit Cæsarius, junior à Seniore, Bernardinus à Cæsario idem oraculum hausisse dici debet. Juxta S. P. Aug. (10) *ignis purgatorius excedit omnes pœnas, quas aliquis hac in vita passus sit.* Juxta S. Greg. (11) *ille transitorius ignis omni præsenti tribulatione intolerabilior.* Juxta Doctorem Angelicum (12) *minima purgatorii pœna millies major est maximâ vitæ hujus pœnâ.* Similia multò antè S. P. Anselmus voce & calamo suo produxit, ex eo unam tantùm Elucidarii sententiam (13) audiamus: *hic minimum majus est, quàm maximum, quod in hac vita exogitari potest tormentum!* En minimum Sinapis granum, minima peccati labes ut animos urit! ut justos proscindit! quidni *dentibus attritô, mille fluenta ruant!*

(6) Fulon. in 2. Mach. 12.

(7) Dion. Carthus. l. de judic. an. c. 14.

(8) S. Cæs. de purg.

(9) S. Bern. Sen. Serm. 60.

(10) S. Aug. l. de cur. pro mort. c. 19.

(11) S. Greg. in Ps. 37.

(12) S. Thom. in 4. sent. dist. 20. q. 1. a. 2.

(13) S. Ansel. in Eluc.

F. Dicta tragicô exemplô firmantur

Ex dictis sat liquet, quàm horridè, Deo ignis naturam ad spiritus urendos elevante, animas urat purgatorius ignis.

Dolores hinc prognati non differunt ab orcinis nisi quoad tempus determinatum, & acerbitate sua mille gradibus omnes terreos ac temporaneos transcendunt. Hæc tamen omnia nunc etiam more hactenus recepto, tragicô quodam exemplô suffulciamus. Offert palmare aliquod Zach. Boverius (14) Capuc. Annalium Director. Quod sequitur, accidisse memorat in Provincia Bononiensi Italiæ, ipsum tamen cœnobium nomine tenus non allegat. Ibi fortè post horas matutinas in choro expeditas brumâ solitô acrius grassante, annis & laboribus fractus senex ad emaciatum corpus calore modico refocillandum, patentem caminum adibat; at ecce cùm solus culinam transiret, videt ibidem ad focum stare furnarios duos nigerrimo carbone signatos, quasi recèns huc ex vulcani officina transmissos Steropes: alter illorum ardentes prunas novis pabulis in ignem conjectis adauxit, alter ferreis rastris locô fixis, eum in ordinem carbones dispersit, ut crederet spectator prunas inter locum tertio parari. Horruit ad invisos hospites senecio, arrectæ stabant comæ, & vox faucibus hæsit attonito. Focô carbonibus instructô, qui etiam assando bovi sufficerent, uterque horum properè pedes ex culina movebant, mox tamen ad focum reversi, nudum hominem prægrandi veru transfixum secum raptabant, quem ociùs super ardentes prunas compositum junctis viribus in orbem rotabant, donec undique assatus nigresceret. Vidit inauditam atrocitatem Senecio, tantis inde terroribus perculsus, ut totis artubus tremisceret, & vacillante vestigio abitum moliretur. At vix passum unum vel alterum progressus est, hem, alter furnarius senem togâ suâ prehendens, quò rerum, inquit, ignarus fugis? audi antè, quis hic loci torreatur & cur? nôsti virum hunc, quem veru transfiximus? negante seniculô, à se virum dignosci, subjecit focarius, ergò ego tibi viri hujus nomen, statum, culpam & pœnam ejus fidenter detegam: hem vir, quem vides, tuo nuper in cœnobio extinctus frater est, cùm viveret inter vos culinæ ministeriô hic loci functus; cùm autem protrita paupertatis lege, ligna nimis profusè hunc ad focum amburet, nec tanti, ut par erat, lignorum faceret jacturam, justô Dei judiciô exuretur, dum totam peccati hujus pœnam expendat. His dictis,

(14) Zach. Bov. t. 2. f. 711. n. 87

dictis, tota visio evanuit. Dil. AA. Nemo dicat hic loci hôc spectaculo tangi duntaxat Religiosos, id, quod ubique perfectius est, vi regulæ sectari obstrictos, quod neutiquam laicos ligat profanos & seculares. Deus omnibus ac singulis tam sacris quàm profanis hominibus similes visiones decrevit. Seu laicus sit seu quamcunque religionem professus, si venialibus immoriatur, quæ in vivis expuncta non sunt, eum ocius post fata sine ullo discrimine Justitia Divina corripit, correptumque in ignem deturbat, qui, demta æternitate, unus ac idem est cum orcino. Videas hic loci etiam magna sanctitate conspicuos ad tempus subinde captivari; ita sc. arctè ac studiosè omnes præcordiorum angulos omniscius Judex rimatur. Nimirum juxta Apostolum (15) *etiam ligna, fœnum, stipulas ignis proba-bit*; minima sc. opera, quæ per stipulam, fœnum, & ligna signantur, S. Thoma (16) interprete. Hic modica & vix visu attingibilis festuca grande incendium suscitabit, quô festucæ bajulus diu noctúque amburatur. S. Udalricus Pontifex Augustanus erat etiam in vivis prodigiosus; legitur enim mortuos ad vitam revocâsse adhuc vivus, fatô tamen extinctus à justissimo Judice ad hos lustrales focos relegatus est, ut antè amorem illum expiaret, quô in carnem & sanguinem plùs æquô exarsit. Promovit cognatum suum Adalberonem ad mitram Pontificalem, qui hâc etiam dignus erat; obiit in hoc carneo affectu Udalricus, qui eum etiam ad modicum tempus cœlô excluſit, donec ardentibus focis absumeretur teste (17) Surio. Deum bonum! quid hodie tritius est ubivis locorum etiam sacros inter claustrales, quàm nepotum promotio, etsi subinde pingui sint Minervâ prognati, & tam ingenio quàm virtutibus hebescant. Hic amor passim probatur, nec tanquam vitiosus rejicitur, sed in dies augetur. Hunc amorem qui reprobat, is hôc ævô malè audit totum per orbem. At portetur hic amor ad urnam Divnam, alia longè judicia justus Judex judicabit. Qui potest capere capiat. S. Ep. Severinus multis erat negotiis implicatus, suum itaque Breviarum primo manè totum piè, attentè ac considerabundè uno quasi tractu evolvit, ut tantò exactiùs sua posset negotia expedire. At causam istam turbati ordinis justum Numen ocius evertit & abjecit.

15) 1. Cor. 3
16) S. Thom. in 4. dist. 51. q. 1. a 2.

G. Noxæ levidenses in purgatorio acerrimè castigantur.

17) Sur. t. 4.

abjecit, abjectô pariter in ignes lustricos mortuô Severinô, donec modicum hoc piaculum elueret, ut recitat (18) Damian. Ah quid illis accidet, qui horas suas luridè distractè deproperant; qui eas sine causa in tempus noctis prorogant; qui eas vel somnolenter vel crapulosè despumant. S. Vitaliana erat prodigiosè pia virgo, hos tamen ignes post obitam mortem effugere non potuit. Cur? sextâ feriâ, quâ mundi Redemptor passus est, caput aquis abluit, ut perhibet (19) Turon. Heu! quid ad illas Judex Divinus, quæ tot horis ad speculum prostant, ut totam faciem, & fucatos crines reforment, eum plerumque in finem, quo gratiam non Dei, sed proci, sed diaboli consequantur. Hæc hæc Sinapi grana probè dentibus terantur, & uberes lacrimas provocabunt, quibus hæ pravitates in vivis aboleantur. Prô quàm enormia tormenta hic loci minimis etiam reculis & noxulis deputantur! ille ad *Gloria Patri* nullam capitis reverentiam exprompsit; ille ad *Verbum Caro factum* nullum genu lunavit; ille in majore Passionis hebdomade pro Sacro Passioni legendæ decreto, breve dixit Requiem Sacerdos; ille matri suæ unicum nummum clepsit, nec restituit; ille ad mensam ultra necessitaem unicum scyphulum in alterius gratiam exhausit; ille nautæ vectori naulum subtraxit; ille in annua Parascevastica supplicatione sine Majorum suorum licentia candentem saccum indutus totum tergus flagris cruentavit; ille suam concionem, suum librum, suum calamum nimis magni fecit; ille nugis & levium verborum salibus plùs æquô vel addictus vel gavisus est; ille vinum in mensa juxta regulam suam, somni conciliandi causâ, nullo fonte diluit, & ecce ob tantilla piacula hi omnes ad certum tempus missi sunt in stagnum picis & sulphuris, donec modica hæc peccatilla concremarentur. Possent hactenus dicta singulis historiis confirmari, si tempus suppeteret. Sufficiat in genere causas aliquas sed veras & actu positas allegâsse, quibus hos in focos delapsi sunt innumeri. Ex adductis erroribus verè factis non fictis, linea duci poterit ad alias actiones nobis hactenus receptas, quæ maximam sui partem grande pabulum præbeant purgatorio igni, nisi adhuc in vivis per virtutem pœnitentiæ dissipentur.

(18) S. Pet. Dam. l. 2. ep. 15.

(19) S. Greg. Turon. de glor. Conf. c. 5.

Hæc

Hæc ita se habeant AA. multiplex utique ratio urgebit singulos, ut sinapi grana utut modica frequenter dentibus suis comminuant, ac pœnas venialibus decretas attenta mente revolvant. Id si fiat, utique contritum uberes etiam lacrimas exsulcitabit, prout scimus coquo illi accidisse, de quo Clim. refert, eum identidem ad focum suum flevisse; causam ragatus dixisse fertur: & quis lacrimas reprimat, si juxta hunc pictum quasi focum, focus æternùm arsurus in orco, focus idem ad tempus certum animas usturus in purgatorio, seriò cogitetur. Fugiamus proin etiam levia, etiam venialia peccata pro viribus, eluamus ea in vivis per preces & jejunia, per eleemosynas & indulgentias, per tolerantiam laborum ac dolorum, per repetitum sacrorum usum, ut cùm venerit dies Domini magnus, dies iræ ac horroris, quo singulis standum fuerit Divinam ad Urnam, nihil ultrà in nobis reperiat Justitia Divina, quod purgandum lustralibus focis committat. Amen.

# CONCIO XI.

# DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

*Multi sunt vocati, pauci verò electi. Matth. 20.*

## Tremendi Hospites.

A. Tragica Quæstio an nostrûm plures salventur aut damnentur?

HOdie curiosam quidem, at simul utilissimam, summè necessariam unâque tragicam quæstionem expediamus AA. an ex Catholicis nostris plures damnentur, an salventur? E cœlo modicum nobis solamen affunditur; ait ipsa Veritas Divina: *multi sunt vocati, pauci verò electi.* Hanc quæstionem ut ritè suis ex umbris evolvamus, antè celeri cogitatu totum terrarum orbem excurrimus. Ut vivitur hôc ævô? præviæ vitæ sua ubique mors respondet, qualis vita, finis ita. Lustrentur hominum mores, acta eorum cribrentur, ut inde possit certa conclusio formari, an nostrûm plures sursum ferantur an deorsum? Cùm Ovidius Româ pulsus Pontum peteret, (1) iter suum mari expeditum & mille periculis obseptum, hunc in morem descripsit:

(1) Ovid. de trist.

*Quocunque aspicias, nihil est nisi pontus & æther.*

Oculis aut pedibus, animo aut corpore totam mundi hujus machinam obeamus, idem pænè lemma omnium oculos ubivis locorum irruet:

*Quocunque aspicio, scelerate crimina vitæ*
*Infestant oculos innumerô numerô.*

Ita pænè totum orbem scelera inundant palmaria, decumana, luxus & luxuria, gula & avaritia, rancor & ira, dolus & injustitia. &c. &c.

Quod

B.

Quod in noſtro mortali corpore cor eſt, aut anima, ſpiritus ille è cœlo cœleſtis, à Deo divinus, *Divinæ particula auræ*, id apud Catholicos ſint Sacerdotes, quibus ex officio incumbit *cordis* inſtar totum hominem vegetare, *animæ* inſtar Catholicos vivificare. Sic loquitur S. P. Juſtinus (2) quantò altior & nobilior brutis eſt quivis homo, tantò etiam quivis in Sacris conſtitutus vitæ ſanctimoniâ omnibus laicis præcellat. Idem ſentit (3) aureus Orator. Petrus (4) grandibus titulis Ven. Sacerdotium colluſtrat: *Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium.* At num omnes hunc titulum merentur? an omnes *cordium* aut *animæ* partes in regendis hominibus adimplent? Horroris plenum eſt, quod olim quinque Patres literis ſuis conſignârunt. Citentur ſinguli. Primus eſto S. P. Chryſ. Conſtantinop. Patriarcha, qui ante 1200. annos vixit; hic quartò poſt Chriſtum ſeculò ſic loquitur in (5) Græcia: *Non arbitror inter Sacerdotes multos eſſe, qui ſalvi fiant, ſed multò plures, qui pereant.* Alter ſit S. P. Bern. Clarevallenſis Abbas, qui ante 1100. annos vixit; hic de ſuo ſeculo, poſt Chriſtum quinto (6) ſic pronuntiat: *Domine multiplicaſti gentem, ſed non multiplicaſti lætitiam.* Cur his à næniis orationem auſpicatur Pater melleus? audiatur ratio, quæ uberes lacrimas Bernardo excivit: *Currunt ad ſacros Ordines, & ipſis etiam Angelicis Spiritibus reverenda myſteria homines apprehendunt ſine reverentia, ſine conſideratione, tanquam ſine curis victuri, cùm vel maximè ad curas pervenerint.* At quales ſæpè ſunt homines hi, gloriæ & Sacerdotalis corollæ Candidati? audiatur iterum Bernardus: *Homines, in quibus avaritia regnat, in quibus ambitio imperat, in quibus ſuperbia dominatur, in quibus iniquitas & luxuria principatur.* Verbò, ut Apoſtolus (7) meminit, homines ſcandaloſi, quorum ſcandala ne quidem nominari vult Tharſenſis: *Fornicatio autem & immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum actio &c.* Tertium locum expleat S. P. & Eccleſiæ Cardinalis Bonavent. qui pariter ante annos vixit 1200. hic in Italia de ſuo quarto ſeculo poſt Chriſtum hæc (8) memorat: *Quanti hodie infelices ad ſacerrimos Ordi-*

In Eccleſiaſtico ſtatu videntur Patribus plures damnari.

(2) S. Juſtin. ep. ad Diogen.

(3) S. Chryſ. l. 2. de Sacerd.

(4) 1. Pet. 2.

(5) S. Chryſ. hom. 3. in Act. Ap.

(6) S. Bern. de Conv. ad Cler. c. 29.

(7) Phil. 5.

(8) S. Bonav. de præp. ad Miſs. c. 8.

*Ordines accedunt, non cœlestem panem, sed terrenum quærentes, non spiritum, sed lucrum, non Dei honorem, sed suam ambitionem, non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum, non Christo servire, sed deliciari, diuari, ludere, superbire, & de Christi patrimonio luxuriari &c.* Quartus Pater, qui suam quoque symbolam conferat, sit S. Eusebius, centum annis Bonaventurâ prior, qui ad Damasum Papam multas dicitur epistolas exarâsse; hic (9) omnes alios acerba sua, quam dedit, crisi, evidenter transcendit; sic loquitur citatus in Syria: *Ecce mundus ubique fervet Sacerdotibus, & tamen ita sunt rarissimi Sacerdotes, ut vix de centum unus reperiatur bonus. Nulla certè in mundo tàm crudelis bestia est, quàm malus Sacerdos; nam corrigi se non patitur, nec veritatem unquam vult audire, &, ut breviter dicam, omnia, omnes malitiâ præeminet.* Hæc acrimonia huic Patri recepta est. Quæ hic loci Eusebius produxit, non certis locis, urbibus vel Canonicatibus aptari debent, ut fervidi animarum curiones in vinea sua strenuè collaborant. Eusebius & alii Patres collectim sumunt totum orbem, unde semper major numerus discolorum prodibit. Ultimus Pater sit Greg. M. (10) qui ante 1109. annos vixit; hic Pater de hac materia in Italia sic perorat: *Per nos quidem fideles ad sacrum Baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, & per impositionem manuum nostrarum à Deo Spiritum S. accipiunt, & ecce, nos per negligentiam nostram deorsum tendimus. Sacerdotes ipsi per viam reprobam ad inferni supplicia festinant. Hos cui rei similes dixero, quàm aquæ Baptismatis, quæ peccata baptizatorum diluens, eos ad cœlorum regna promovet, & ipsa posteà in cloacam descendit.* Hujus clarum specimen dabit apud Dion. Carthus. (11) Clericus ille, qui in Anglia olim spiritu raptus exstatico, ab ipso S. Nicolao Myrensium Episcopo ad purgatorium ductus, singula exactè lustravit; alia inter tam enormibus tormentis territus hospes, etiam hoc obstupuit, sacros homines ita paucos hic locorum reperiri, cui ocius responsum est eo ritu, quo quinque hactenus citati Patres suam animi sententiam vulgabant, partem nempè potiorem orco insolubili mulctatam esse. Has inter crises, quæ sacros homines in genere tangebant; possunt etiam, si vo-

(9) S. Eusebius Cæsar. Ep. Ep. ad Damas. de vit. & mort S. Hier.

(10) S. Greg. M. hom. 17. in Evang.

(11) Dion. Carth. l. de 4. Nov. a. 13

si volunt, suam tollere symbolam, eamque probè rimari Regulares, ac veri nominis Religiosi, ne per ipsos pravorum numerus in Sacris augeatur, sed potius mutiletur. Utinam omnes etiam Regulares ac Religiosi suum salutis portum attingerent; at vereor ne hic etiam tritum lemma suum (12) Horatius intonet:

(12) Horat in Ep.

*Iliacos intra muros peccatur & extra.*

C. Status Regularis Religiosus excutitur.

Quærebat olim Franciscus I. Galliarum Rex è supremo Claustri alicujus Moderatore, quot Religiosos suis sub signis numeraret? Responsum, quod Regi dedit, insolens erat & paradoxum: *Nescio*; obstupuit Rex ad vocem è trivio petitam *nescio*, & non sine gravi accentu hac eum crisi perstrinxit: hem bellum custodem ovium, qui nescias, quot curæ tuæ oves sint commissæ. Tu Claustri Caput audias, & corporis membra ignores! apage, silicernium! non terruit Virum vox regia & æquò acerbior dica, quin ocius sententiæ suæ claram periphrasin subjecit: Serenissime Rex, quod dixi, dixi; bona cum venia Majestatis Tuæ etiam repeto assertum, *nescio*, quot meo sub imperio habeam Religiosos, quod unum scire gestit Majestas vestra. Quot tonsa, & coronata numerem capita, scio exactè, quot autem ex illis veri sint Religiosi, id soli Deo constat, non mihi; ergò rectè quæsitum illud per triviale *nescio* expedivi. Nec toga, nec cucullus faciunt Monachum, nec collare, nec scapulare faciunt Religiosum, quasi diceret, & hic dari subinde, qui corpore tenus, qui vestium tenus audiant Religiosi, dicantur professi, *foris Catones, intus Nerones*, ut loqui placuit Hier. *professionem facientes ovinam & mentem lupinam circumferentes*; ubi intrinseca forinsecis nullatenus conformantur; ubi vox quidem vox Jacob esse videatur, manus verò sint Esau; ubi corporis truncus chorum frequentet, animus interim forum ac viciniam excurrat.

D. Toga & Kappa non faciunt Religiosum.

Horroris exotici plenum est, quod disquisitionibus suis Delrio (13) & annuis suis inseruit (14) Salianus. Hic antequam hanc tragœdiam repræsentet, præambulo utitur sequenti: *Nescio, an aliquid formidabilius afferri possit.* Annus agebatur millesimus, tercentesimus & septuagesimus, quò casus iste tristissi-

E. Exemplum horridum

(13) Delr. Disq. l. 6. c. 2. s. 2. q. 3.

(14) Jac. Salian. de tim. Dei. l. 2. c. 28.

tristissimus dicitur Neapoli accidisse. Uterque suo nomine Claustrum & Ordinem compellat, quæ tamen ego hic loci ex industria subticesco, ut ne illicò toti corpori labes affricetur, quô nihil tritius, at unà nihil est iniquius hôc ævô. Ut quid totum corpus luat membri putridi verminositatem? abscindatur tale membrum, ut reliquum corpus servetur integrum. Et quid undecim Apostolis exprobrabis Judam bipedum nequissimum proditorem? num ideò horum singulos sequioribus oculis aspicias, quia cœtum illorum contaminavit Judas? imprudenter agit & insipienter, qui totam velit urbem, totam universitatem, totam religionem in suspicionem vocare, quòd ex ea unus aut alter sceleribus coopertus lurco prodiisset. Tam stultè qui argutantur, & ab uno ad plures, ad omnes alios trahunt argumentum, multò antè in ipsos etiam cœlos & novem Angelorum choros suam fœculenti oris cacochymiam eructent; nunquid *Deus*, Jobo teste (15) *etiam in Angelis reperit pravitatem*, sua nempe cum secta Luciferum, cœlo pulsum & in teterrimam dæmonis formam transmutatum? Reliqui tamen hanc in horam cœlos occupant, Deumque laudant in tympano & in choro, in chordis & organo, eosque tanquam magni consilii Angelos & totius orbis potentes patronos tota Mater Ecclesia, tota tellus veneratur. Quid ergò mirum fuerit, si terra etiam nostra rigidos stolones protrudat? Exeat orbe toto, & cœlos subeat empyreos, qui bonum quærit integrum & nulla mixtum pravitate. Dum terram colimus & incolimus,

F. Bonis per malos nil detrahitur. (15) Job. 4.

*Infelix lolium & steriles grassantur avenæ.*

Ubi vinum crescit falernum, etiam labruscæ prostant, quibus excoquas acetum. Ubi mel, ibi fel. Inter triticeas fruges suum quoque sibi locum vendicant zizania.

*Sunt bona mixta malis, sunt mala mixta bonis.*

(16) Tub. Echon. dom. 5. & 6. post. Epiph. Mantua Cremonæ vicina est; civis optimus pessimæ notæ propinquo. Cur quæso Deus tantam boni malique vicissitudinem terris illabi, terris prognasci patitur? Evisserata est hæc quæstio in Echon. Tuba mea (16) quam consule, si placet. Nunc

Neapo-

Neapolin regredior, & seriò tragœdiam auspicor promissam.

Neapoli post vesperas frater ille, cui cœnaculi commissa erat cura (vulgò *credentiarii* nuncupantur) suum ex officio cœnaculum ingressus, mox oculis hausit spectaculum horridum, formidandum. Sedebant utrinque jam magnô numerô ad mensam ordine suo distincti fratres, vultu cucullis obducto, prompti cibos absumere, quos ordinaria esset charitas appositura. Horruit ad invisos hospites frater, retróque pedem cum voce repressit, currens, volans, ut rei novitatem Superiori detegeret. Videbatur primitus somnia narrare; cùm verò vultu toto pallidus, tremula voce, tremulis artubus visi spectaculi veritatem urgeret, ipse tandem Superior descendit, fratre suo comitatus, & visu propriô idem spectaculum legit. Anxiè ac timidè suam ad cellam reversus, ociùs graviores ac prudentiores cœnobii Patres accersit, cum illis properè consultaturus, quid hôc in articulo agendum; omnium vota eò collimabant, ut illatô & coram exhibitô Vener. Sacramentô, hi spiritus à loci Superiore adjurarentur, detegendam ociùs rei abstrusæ candidam veritatem. Horum ergò ex consilio sacras vestes Superior induit, ac Divinissimum Christi Corpus deferendo, tota fratrum accensis facibus comitante caterva, cœnaculum petit. Vix pedem loco intulit, ecce omnes à mensâ surgere & capita sua profundissimo motu præsenti Deo inclinare, mox iterum attollere, ac se denuò ad sedendum componere, ita tamen, ut prominens ex umbris vultus non pateret. His factis, directo ad eum, qui primo & honoratiore loco sedebat, sermone suo, adjurare cepit præsentes orbis alterius manes, illisque in nomine Domini, quem manibus gestabat, disertè præcepit, ocius aperirent, quinam sint? cur huc loci venerint? & quid velint? adhæc, qui eos inter præcipuus esse videbatur, inclinato prius Deo Eucharistico capite suo, sic respondit: fuimus olim, quotquot his mensis affusos cernitis, vestri Ordinis Religiosi, ut ex fucato habitu liquescit, & majori ex parte grandes fuimus & jubilati, magno in pretio vos inter habiti, ac splendidis officiis donati, nunc à Deo Judice unâ omnes sententiâ fulminati, & illius imperiô huc ablegati,

ut universi Ordinis cultores nostrô damnô saperent, ac per nos commonefacti legibus ac regulis suis strictius inhærerent; Id quia nos togâ tenus religiosi neutiquam præstitimus, omnes modò damnati sumus, & flammis cremamur æternis. Ut verò hujus asserti evidens signum capesserent vivi, hem omnes ac singuli reductô nonnihil velô totum vultum exhibebant ardentibus & strepentibus flammis circumseptum. At quæ causa tantæ damnationis? ut hæc quoque inclaresceret, resumpto spiritu iteratò per Superiorem in Dei Eucharistici Nomine ac Virtute, spiritus adjurati etiam causam reprobationis propalârunt, una voce horridùm ejulantes: *Superbia & crapula traxerunt nos in tartara. Rancor & invidia struxerunt hæc incendia.* Expeditâ hac lugubri næniâ, is, qui primô sedebat locô, manu valida quasi signo ad abitum datô, mensæ tabulam percussit, ut vel hodiè grandis in mensa cicatrix, perindè acsi igne tacta, perduret. Sic tota visio disparuit, & omnes validô exemplô accendit, ut in timore ac tremore suam quoque sacros intra clatros salutem operarentur, (17) Phil. 2 ut Paulus (17) monet. I modò, & dic hac & hac in religione nullum damnari. Credam, si regulis stetur ad literam, procul in exilium actis exemtionibus & nocivis dispensationibus, quas Bernardus aliquis veriùs ac rectius *dissipationes* dixerit.

G. Conclusio tragica ex dictis eruitur.

Ex hactenus dictis facilis conclusio educitur: *Si hæc in viridi, in arido* (18) *quid fiet?* si fatali sententia tot sacri seculares ac regulares fulminentur, quid spei restat laicis, qui nec penetrant salutem suam, nec tot habent benè vivendi media, mille potius curis temporalium implicantur, unde centies perdant æterna, ubi claustrales vix unam peccandi ansam sortiuntur. Nemo dicat, hæc pridem facta esse, jam aliter vivi, quàm tunc fuerit victitatum. Utique aliter vivitur, quia centies pejùs vivitur. Verum est: vix ævum invenias, ubi tot docti per orbem claresçant; at ubi pietas, Dei ac proximi ardens charitas, fervens animarum zelus? nunquid rectiùs cum Bernardo suprà cit. exclames: *Domine multiplicâsti gentem, sed non multiplicâsti lætitiam.* Dicatur adeò præsens seculum perquam doctum in omni genere, at unà nequam & hypo-

& hypocriticum, vafrum & iniquum, mendax & doloſum, impium & propè atheum dicatur.

*Quocunque aſpicias, ſceleratæ crimina vitæ*
*Infeſtant oculos innumerô numerô.*

H. Hominum malitia videtur ultimum ut ſic attigiſſe.

Ubique lolium videas & latè ſteriles avenas dominari. Ubique pravitas graſſatur ita inolita, ita inveterata, impudens & projecta, quaſi nec Deus eſſet qui puniat, nec orcus eſſet, ipſi focis æternantibus impœnitentium ſcelera caſtiget. Quid de laicis beandis an damnandis ſentiendũ, iterum Patres dicant; ne mihi dica imputetur, qui tantùm relata refero & inculco. Unus ex omnibus ſufficiat Chryſ. (18) Bibulis civibus ſuis Antiochiæ ſanctus hic Pater ex pulpito prædixit ſequentia: *quot putatis eſſe in hac urbe veſtra, qui ſalviſiant? infeſtum quidem eſt, quod dicturus ſum, dicam tamen: non poſſunt inveniri ex tot millibus centum, qui ſalventur, quin etiam de his dubito.* Jam ſinguli hanc urbem ſuæ opponant, hujus incolas ſuis quibus convivunt. Deum bonum! quæ diſparitas prodibit? Antiochiæ primam ſedem fixit S. Petrus, à quo etiam magnum in fide fervorem tranſumpſit. Poſt Petrum Lucas Evang. urbi præfuit; hunc excepit S. Ignatius Mart. quorum uterque totam urbem ſanctioribus flammis accendit. Præter hos nacta eſt urbs iſta nobiles EccleſiaſtasD.Paulum &D.Barnabam, qui paſſi non ſunt ſcelera ſuccreſcere. Poterat hæc urbs jure dici *urbs Mariana*, cui in vivis præſens Deipara benedixiſſe dicitur, ut Vega perhibet (19) Hiſpanus; unde in græco urbs iſta nomen tulit divinum, *Deopolis* nuncupata, ſeu quaſi *urbs Dei*, ſeu *urbs Divina*, ubi primum nomen hauſerunt Chriſtiani, dicti paſſim Antiocheni &c. His omnibus non obſtantibus, clamat Chryſ. ex tot millibus nec centum ſalvari, an ergò noſtræ urbes hodiè ſint ſanctiores quàm Antiochia olim fuerit? non credo, niſi Angelus è cœlo aſſertum roboraverit. Ah! contrarium potiùs inferatur. Ubi Antiochiæ unus graſſari viſus eſt diabolus, jam triginta, jam 40. graſſantur. Obeantur urbes & oppida, quid ibi videbis & audies aliud quàm væ væ! Sacri cum Sacris propè in trivialem contemtum abiêre, fidem perfidia excepit; germanus candor exploditur; pie-

(18) S. Chryſ. hom 40. ad pop. Ant.

I. Laus Urbis Antiochenæ.

(19) Veg. in Theol. Mar.

tas ridetur; fraus & dolus artes inter locantur; mendacia ex induſtria duplicantur; jurare ac pejerare gloriæ ducitur; luſus impíus animi ſerenatio nuncupatur; procatio & fornicatio officioſa urbanitas, cruenta digladiatio magnanimitas prædicatur; gula & ebrietas, comeſſatio & compotatio, dum totus homo in beſtiam transformetur, vivax amicitiæ teſſera proclamatur; iterata ructatio politica dicitur; formalis temulentia, quâ tota ratio tumulatur, ut neſciat ebrius virum agat an fœminam, levidenſis ſtrepitus cognominatur, (vulgò ein ſ. Räuſchl) qualis perperam Jeſuitis affingitur; quibus tamen vi regulæ 16. ſtrictiſſimè inhibetur, ne conſueta extra tempora ſine licentia bibatur. Legatur ipſa (20) regula: *ut conſulatur valetudini, nemo extra conſueta tempora bibat, nec extra domum cibum ſumat ſine Superioris facultate.* Outinam hæc lex alios inter vigeret, non tot ſcandalis laïci premerentur. Credunt multi judiciô nimis erroneô, licitam eſſe temulentiam, quia eam vident toties à Sacris ſeu Secularibus ſeu Regularibus practicari. Sic gravia peccata annullantur, ut pro ludo reputetur, ſi homo rationalis vinô merſus & everſus tanquam beſtia domum, tanquam ultroneus peccator etiam orco transmittatur.

(20) Reg. Com. Soc. 16.

Luſtretur porrò totus hic orbis; nunquid verè dixeris *mundum in maligno* ſeu *in malo igne poſitum* cum (21) Joan. ardet libidine totus pænè mundus, prout eum ardere vidit S. Furſeus. Erigatur ante ſingulas ædes, ubi venalis proſtat puritas, arbor majalis, nec ſilva truncis ſufficiet Bohemica. Et quis eſt, qui hoc ſcelus ſeriò urgeat extirpari? Illi nempe, qui ad urnam ſedent & virgam vindicativam manu verſant, his ipſis ſæpè in ſordibus computreſcunt. Audiatur S. Remigius (22) *demtis parvulis ob carnis vitium, ex adultis pauci ſalvantur.* Quid, inquies, an hîc etiam conjugalem ſtatum involvas, quem Deus & Deipara condecorârunt? eſt utique ſtatus Deo acceptus, ſine quo nec virginitas ſubſiſteret, modò etiam in eo viverent piè, providè, timoratè conjugati, prout hunc ſtatum Deus erexit; at vidit S. Cath. alios inter damnatos etiam plurimos conjugatos, qui nempè matrimoniô abuſi, tanquam

(21) 1. Jo. 5.

(22) Remig in ep. ad Rom.

tanquam mulus & equus voluptatibus vacabant, nullo unquam scrupulô de tàm pravis cruditatibus conceptô.

Gestiat quis aulas intueri? dicite quot ex illis Theodosianum ferunt lemma: *intret in hanc aulam, qui volet esse pius.* Aures potius flagellabit alterum illud: *exeat ex aulâ qui volet esse pius.* Petantur curiæ, urnæ judiciariæ & tribunalia Justitiæ sacra, ut exploretur, quantùm Justitia colatur? gemitus viduarum, pauperum, civium & ruricolarum lamentationes audientur, quibus identidem è cœlo vindicta provocatur. Quotus hodiè iniquitatis mammonam restituit? quotus hodiè sententiam revocat malè in alios fulminatam? O quantis in periculis versantur, qui urnam versant Judiciariam, etiam corvos lucri causâ absolvunt, ut possint cruciare columbas & deplumare. Fuit subulcus, ut Bissélius (23) scribit metrico carmine, qui cùm porcorum gregem ad stabulum cogere non posset, irâ succensus has in voces erupit: ite malæ bestiæ & stabulum vestrum irruite sicut orcum irruunt juridici advocati & pravi legistæ. Vix dixit, facto impetu suile involabant omnes. Sed nunc ad conclusum ex dictis eruendum transimus.

(23) Bissel. in delic. æst.

Id cùm factum jam sit, multis ultrà non opus erit parergis, ut eruatur. Fixa manet ac firma sententia illa: *multi sunt vocati, pauci verò electi.* Quàm pauci sint, Nilus dicat, qui ante 600. vixit annos. Mihi uni nolim ego tanto in negotio fidem adhiberi. Quid ergò dixit (24) Nilus? *ex decem millibus vix una his temporibus anima reperitur, quæ salvetur.* Hic totum jacet conclusum quæstioni positæ aptandum. Sic Nilus loquitur. Quis reclamet? fuit discipulus S. Joan. Chrys. verbo & opere prodigiosus. Hôc ævô majori pietate instructum esse mundum quàm fuerit Nili tempore, non ausim dicere; id potiùs crediderim creviisse malitiâ tot gradibus, quot annis nostrum seculum à Nili ævo discriminatur. O ergò *multi* sed *pauci*! ô voces horridas, periculosas! quis non totis eò viribus collimet, ut *paucorum* numero accenseatur! id in votis si fuerit, turba vitetur, & laxa seu *spatiosa via, quæ ducit ad interitum* Matthæo (25) teste. Contendatur potiùs, ut *arcta* illa & *angusta porta* (26) penetretur. Salus nostra timore ac tremore fulciatur. Deus unà ex corde intimo ametur ac unà timeatur: illud quidem, quia infinitè misericors est, paratus etiam ad vivax suspirium in articulo mortis

(24) S. Nilus ex tom. 5. Bibl. PP. par. 2.

(25) Matth. 7.

(26) Luc. 13.

mortis ad cœlos mittendum, peccata condonare; hoc verò, quia infinitè juſtus eſt, & impœnitentes pœnis addicit ſempiternis, quas omnium à cervicibus avertat JESUS Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre & Spir. S. vivit in ſecula. Amen.

# CONCIO XII.

# DOMINICA SEXAGESIMÆ.

*Fructum afferunt in patientia. Luc. 8.*

## Fatalis ira.

NObile germen patientia eſt AA. *ex fructibus cognoſcetis* (1) uberrimam indolem ejus & naturam. Juxta commune diverbium, *patientia congerit roſas* variarum nempe virtutum, ſpei, timoris, humilitatis & charitatis. *Patientia párturit roſas* & merita coacervat, expungit debita apud Deum contracta, eluit flagitia, flammas purgatorias pacat, mitigat. *Patientia colligit roſas*, ſpei plenas & Divini ſolaminis, ut talis anima ſæpè cum Xaverio S. Indiarum Apoſtolo exclamet: *amplius Domine amplius! patientia ſpondet & exhibet roſas* tanquam evidens ſymbolum obtentæ Beatitudinis & paradiſi celeſtis feliciter penetrati, unde ſuo Theophilo per Angelum roſas tranſmiſit Dorothea S. Virgo & Martyr, quibus pariter ad Martyrium inflammavit Theophilum. O quot millia orco victima ceſſiſſent, niſi eis per patientiam datum fuiſſet has roſas decerpere. Fatentur illi hanc in horam cum Jobo (2) *vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio cuſtodivit ſpiritum meum. Patientia roſas procurat*, ex quibus tandem nobis gloriæ texatur corolla. Ad hanc coronam omnis patiens anima identidem cum Paulo (3) ſuſpirat: *momentaneum hoc & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* En fructus verè ſplendidos, quos parit patientia! Eſſet quidem operæ pretium, ſi ſingulos fructus ſingulis ſermonibus condecorarem;

(1) Matth. 7.

A. Patientiæ fructus magni & multi.

(2) Job. 10.

(3) 2. Cor. 4.

rem; at cùm ſtatuerim hôc annô nonniſi tragica producere, fructus hoſce in aliud tempus ſepono, & contrarios impatientiæ, tragicos & peſtiferos iræ fructus luſtrare decrevi, unde omnes primam tot peſtium radicem, iram & rancorem ſuis è præcordiis proſcribant. O quàm mortiferos fructus hoc ſtygium iræ ſemen éducat, animi tumorem & rixam, clamorem & contumeliam, indignationem & blaſphemiam, cladem ac ruinam! Opt. AA. non loquor hic loci de ira, quæ laudabilis ac Deo etiam probata eſt. *Iraſcimini & nolite peccare* (4) Pſaltes inquit regius. Poteſt quis unà iraſci & nullatenus peccare, & viciſſim poteſt quis non iraſci & ſimul non iraſcendo graviter peccare. Datur nempe ira *per zelum*, quæ juſta eſt; & datur ira *per vitium*, quæ ſemper culpabilis eſt, noſtri ſermonis præſens objectum. Irâ per zelum, irâ juſtâ & piâ ſemper in ſuos liberos ardere debent parentes, caſtigando in illis, quidquid diſcolum eſt. Hâc ira qui carent, hoc ipſo tanquam peccaminoſi graviter â Deo puniuntur, ut patet in Heli. Quidquid ſcelerum ſuis in filiis parentes nimiùm molles diſſimulant, unà cum ſuppliciis ipſos in parentes redundat. Competit adeò hæc ira omnibus conjugatis, qui ſuo è thoro prolem éducant. Competit hæc ira pædagogis & magiſtris, vi cujus improbos in virga etiam ferrea corripere jubentur & caſtigare, niſi velint per indulgentiam ſuâmè noxiam ſe omnium illorum reos conſtituere, quæ per hiſpidos diſcipulos patrantur. Competit hæc ira omnibus præpoſitis ſeu ſacris ſeu profanis. Proſcindi debent ſcandala, puniri debent ſuis à magiſtratibus flagitia publica, id ni faciant præpoſiti majores, principes, prætores, conſules ac Reip. primores, ipſi ſanè metuere debent iram omnipotentis. Facere jubent mala, qui non puniunt mala. Qui tolerant adulteria, ultrò per conniventiam adulterii crimen participant. Talis ira parentum in filios, magiſtrorum in diſcipulos, Summatum in ſubditos non pugnat contra charitatem, ſed eam potius promovet, & ſuſtentat. Odit ſuos, qui ſuos nec corrigit nec punit. Quod de filiis Script. (5) dixit, id de omnibus aliis ſubditis intelligi debet: *qui parcit virgæ, odit filium ſuum &c. Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Competit hæc ira ædium patronis, œconomis, ut eam in tempore ſciant ſuos in domeſticos effundere, ſi ſcandalum dare notentur.

(4) Pſ. 4. B.

Ira duplex, ira per zelum & per vitium. Illa ſemper laudabilis, hæc ſemper culpabilis eſt.

(5) Prov. 13.

Competit hæc ira ipsis etiam Concionatoribus, quoties è pulpito declamant. Væ præconibus illis, qui suis tantùm occinunt placentia! qui suorum tantùm aures fricare satagunt, de moribus corrigendis parùm soliciti; qui suos AA. semper laudant, nunquam verò emendant; quos hòc ipsò Spiritus Sanctus (6) *canes mutos* vocat, *non valentes latrare*; hi sicut graviter peccant molli culcitra peccatores fovendo, ita justâ Numinis irâ in seipsos provocabunt, nisi justam hanc iram comprehendant, quâ impuros exagitent, quâ superbos debellent, quâ lurcones & bibones excaudicent, quâ œstrò invidiæ vel inveterati rancoris percitos perpetim flagellent. Competit hæc ira ipsis utplurimùm Confessariis & conscientiæ arbitris, ut ne tot scelerum reis palpum obtrudant, metuentes, ne hunc vel hanc adipalem personam, cui aures dare solent confitenti, à se & à tribunali suo abalienent, plùs propriæ commoditati, plùs muneribus & bellariis, quàm animarum bono consulentes. Quid lucri ex tali palpo aut conniventia seu mititate Confessarii reportent, infrà fusiùs ex instituto dicetur, cùm Dom. 3. post Pent. expediemus. De hac inquam laude digna & summè necessaria non loquor hodie, alibi rectius hanc molam versaturus. Thema meum ira est vitiosa, peccaminosa, summè noxia & culpabilis ira. Ut sic ira hæc aliud non est, quàm *vindictæ appetitus* in eum exardescens, à quo se quis læsum autumat; hæc hæc ira verè stygia est, quia deorsum trahit; eámque vult totis viribus proscindi (7) Paulus: *Omnis indignatio & ira tollatur à vobis.* Cur? plures rationes exhibet Script. & SS. PP. Ex Jobi (8) sententia, hæc *ira stultum occidit*, ut fusè probabimus in Echon. Tub. Dom. 4. post Pasch. Ex Siracidis oraculo (9) *ira & furor utraque execrabilia sunt.* Christus ipse his iratis (10) gehennam intentat. Vis uno è fasciculo fructus iræ hujus pendulos spectare? Chrys. homilias evolve, (11) ubi S. P. hæc declamat: *iracundo homine nihil insuavius, nihil gravius, nihil infestius, nihil turpius; feræ potiùs quàm iracundo homini cohabitaveris.* Suasit olim sapientissimus Plato omnibus iratis, ut se in speculo probè contemplarentur, sic iram omnem ocius sopiendam persuasus, si oculis tam informe monstrum spectârint; unde Germanos inter vulgare illud proverbiũ profluxit: ecce hô staret irati hominis facies, omnes rustici con-

(6) Isa. 56.

C.
Impatientiæ ac iræ fructus funesti.

(7) Ephes. 4.
(8) Job. 5.
(9) Eccli. 27.
(10) Matth. 7.
(11) S. Chrys. hom. 29. ad pop. Ant.

concurrerent, ut æris pulsu horridam tempestatem maturè propulsarent. Ipse iterum Plato si commotior fuit, dicere solitus est ad suos; nisi iratus essem, probè te depectierem; innuere voluit, nullum prudens consilium ab ira dictari. Hæc causa fuit, cur Augustus Cæsar nihil unquam iratus decerneret, nisi antè græci alphabeti literas linguâ percurrisset. Novit apprimè Cæsar, sic ab Athenodoro edoctus nihil moderabile iram suasisse, sed omnia potius suique déque rotâsse bestiæ instar insanis motibus furentis, quò eam cœca passio deturbat. Hæc statui tragico quodam exemplô firmare, quia multos dari video, qui nudis vocibus modicam velint fidem deferre. Patebit indè quàm invisus hospes rancor sit, nisi eidem è vestigio portæ omnes obserentur, & quàm nihil penitus tentari debeat, *dum mens irarum violento fluctuat æstu.* A rure factum peto, quia ruri factum, & hodie ruralis Seminator etiam in Evangelio à primâ Veritate producitur. Agit de hoc ruricola Phil. Doultr. (12) cujus voces repræsento. Refert hic virum agricolonum, postquam *sole sub ardenti flaventia messuit arva*, & etiam colligandis manipulis occuparetur, filium ad propria remisisse, ut plura secum vincula foràs deproperaret. Abiit illicò filius, sed cùm in via vel cum æqualibus luderet, vel fugitans laboris moras necteret longiores, pater exspectatione sua tardius filio remeante, numerare primùm tempus, mox impatientes ferre moras, varias secum morandi causas expendere, & insanis tandem modis excandescere cepit. Cùm ergò ira pessima non caleret, sed æstuaret, ex reducis filii tarditate, propè in amentiam datus, sanguinem suum in filio barbara crudelitate excepit. Suffecissent ad puerum castigandum verba solitò acriora; alapæ tres testudineum gradum satabundè castigâssent; at furor prædominans omne consilium protrivit; glebam primitus, inde ligna, lapides & clavos, ac quidquid obvium furor porrexit, vi maxima in puerum conjecit. Non est telum manibus dilapsum, in nostra potestate, unde nec eò volat, quò destinatur. Plùs nocuit filio parens, quàm vellet nocere; illi enim, cui vitam dedit, tot jaculis petito vitam rapuit. Vix filium truculentus parens enecuit, mox damnavit, quod fecit; desiit furere viso funere, sed ocius eum occisi filii tantus dolor, tanta pœnitudo oppressit, ut ad extrema se consilia de-

(12) Phil. Doultr. pæd. Christ. c. 7. §. 7. D. Exemplô tragicô dicta firmantur. Hist.

trudi pateretur, ſibique jam ipſi flagrantiſſimè infenſus deſperatiſſima cogitaret. Cadavere obviis manipulis tumultuariè tecto properè domum cucurrit; domi nec uxore nec filio infante ſalutato horreum ingreſſus, arreptô laqueô, ex alta ſe trabe ſuſpendit. Hem alterum funus, quod præceps & efrænis ira maturavit. Sedebat tunc à recenti partu in balneo uxor, infantulo ad ubera hærente; hæc cùm excitatum foris tumultum percepiſſet, anxia è balneo proſiluit, & in horreum excurrit; in tantis autem curis ſuæ prolis oblita infantem neglexit, qui interim balnei undis ſuffocatus tertium funus fecit. Sic utrinque ſe horrida ſcena mulieri aperuit: in horreo maritum ſuum ex alto pendulum funus, ad balneum reverſa etiam infantem reperit aquis extinctum. Deſæviiſſe credi poterat atrox ira jam triplici fatô ſtipata; at necdum finis: mulier tot malis icta, poſt horridos ejulatus pariter in deſperationem acta, ad horreum revertit, clausóque oſtiô eâdem ex trabe juxta pendulum & adhuc calentem maritum ſe ſuſpendit. Sic uno die quatuor funeribus ira ſtygia mundum inceſtavit. Ait quidem de conjugatis Paulus (13) *erunt duo in carne una*, hîc autem rectiùs dicas: *erunt duo in trabe una.* Has ſtrages edidit crudelis ira, plures editura, ſi plures fuiſſent ex familia Mopſi ſuperſtites. Moras ſi culpabiles puer texuit, an ideô ob tam levem noxam tam enormiter iraſci debuit parens, ut eum ferrô è curru raptô peteret & mactaret? at quid non immanis furor deſignat! nullum eſt conſilium, quod irâ excoquit. Nihil moderabile ſuadet ira, in clades & in ſtrages, in cædes & in luctuoſiſſimos caſus projecta; ergò nihil unquam ſtatuatur, dum bilis fervet. Hanc legem Ambroſius fixit Theodoſio irâ nimis exotica in Theſſalonicenſes accenſo, ut ſi qui poſthac etiam ob maleficium Cæſaris eſſent edictô necandi, id tamen edictum primum poſt trigeſimum diem effectui daretur. Sic ira interim deferveſcet, & à noſtris cervicibus grandis malorum ilias repelletur, certò nos oppreſſura, ſic cœcutientis iræ impetum ſequamur. Execramur omnes jure ſuo hunc Ripaldum, & trunclentum Amyntam, ſed unà in nos quoque dicam revolvimus, qui ſæpè frivolis & inanibus gerris turbamur, ut projecta ratione noſtra, quâ ſolâ à brutis diſtinguimur, jam bubalos, jam indicos gallos æmule-

(13) Eph. 5.

æmulemur, qui visâ tantùm purpurâ mox ridiculis irarum æstibus efferveſcunt. Ad tricas & contumelias, ad rixas & injurias, ad pugnos & pugiones, ad ſudes & cultros, ad plagas & vulnera, ad neces & venena per iram venitur, è vultu, è verbo, ex nuda ſuſpicione ac re omnium leviſſima repentè ſuſcitatam. Vix pedem modicum domeſticus verna exerravit, jam ſacra ſacris miſcemus. Vix ſale nimio juſculum condivit Berta, ocius in patinas & in ollas animadvertimus. Vix penna cunctatur obſequium, vix ſepia penetrat papyrum, mox atram bilem evomimus, & in tauri felle toti natamus.

Hos inter crudiones nemo tutus ac ſuæ ſalutis ſecurus annum extrahat. *Ira damna & effectus arbitrari ſi lubet*, verba ſunt doctiſſimi (14) Senecæ, *nulla unquam peſtis humano generi pluris ſtetit.* Totus cit. l. Seneca legatur & expendatur: quot verba fundit & voces, tot ab ore ac calamo ſuo oracula mittit. *Hic cades videbis ac venena, ſordes mutuas & urbium clades, gentium exitia, regionum excidia, ipſorumque principum ſub civili haſta venalia capita, ſubjectas tectis faces, nec intra mœnia coërcitos ignes, ſed ingentia provinciarum ſpatia hoſtilibus flammis coruſca. Hem nobiliſſimarum civitatum fundamina vix notabilia! hæc ira dejecit. En ſolitudines per multa millia, ſine habitatione deſertas, has ira exhauſit. Hem tot memoriæ proditos duces, peſſimi fati exempla, alium ira ſuo in cubiculo confodit; alium inter menſales lautitias ira percuſſit; alium inter leges ac fori ſpectaculum ira lancinavit; alium filii, alium ſervi præceps ira interemit. at quid ſingulos enarro, in quos viritim ira exarſit? en cæſas gladiò conciones, & plebem immiſſo milite contrucidatam, atque in perniciem promiſcuam totos populos capitis damna paſſos.* Sic ævò Senecæ in ethnicos ira deſæviit, ſic noſtrò in Chriſtianos, in ipſos fidei domeſticos exarſit. Scimus, quam tragœdiam unius Theodoſii Imp. lamentabilis ira paulò ante citata, luſerit Theſſalonicæ. Rem diximus, frivolam illius cauſam huc transtulimus. Occiſus eſt repentè in populari tumultu aulicus quidam vulpanſer Principi dilectiſſimum caput, quia ſe apprimè genio ejus atque indoli tunc necdum correctæ novit accommodare. Cùm necis hujus author inveſtigari non

(14) Sen. l. 1. de ira c. 2.

E. Compendium malorum ex ira profluentium.

F. Ira nihil moderabile ſuadet.

ri non posset, suis à susurronibus eò inductus est, ut crederet à civibus patratam esse cædem. Et cur non ab æmulis aulæ proceribus? suspicio fuit, quam rectius in palatinos æstrô invidiæ percitos reflexisset, quàm in cives; rancor tamen inde conceptus tantæ fuit immanitatis, ut septem civium millia, spectaculi exhibendi specie unum in locum collecta, inaudita crudelitate flamma & ferrô perimeret; hinc pœnitenti legem sanxit Ambrosius jam actu memoratam, prout fusè perhibent Nicephorus, Sigonius & Baronius &c. Possem iræ hujus seu rectiùs furiæ instar grassantis invidiæ recentia producere vivorum exempla, sed cùm omnium oculis & auribus objaceant, aliis hanc barbariem nullô ævô auditam, ferrô pariter ac flammis proscindendam transmitto. Faxint boni cœlites, ut hæc tot hominum, tot populorum depopulatrix bestia suis cum assèclis ultra promontorium malæ spei profligetur, aut potiùs toto terrarum orbe propulsetur, rectiùs ad orci fores suo cum triformi cerbero in umbris, quàm hoc sub SOLE nostro plùs ultrà in terris latratura. Tunc pax. Quanquam quid opus est recentibus exemplis hanc bestialem iram proscindere? nunquid ea ubivis pænè locorum prostant? ô quàm lætales iræ ipsos sæpè inter fratres & arctissima consuetudine junctos contubernales exsurgunt? quoties bella horrida & cruenta hæc pestis excitat lusores inter & gulones? quoties una vox jocoseria totam fraternitatem poculis haustam, poculis mutuò in faciem devolutis extinguit? multos digitô circumagas, quocunq; placuerit, quamdiu frugali victu contenti sobriè, justè in Domino vivunt solitarii, at popinis illati, at sociis siphonibus juncti vinô aut lupulô incalescant, ocius tricari & rixari, jurgari & convitiari, grassari & digladiari occipiunt. Hanc iram qui prævident, totis viribus iræ fugiant sementem, vitent occasiones noxias, socios flagriones, & mille probrorum seminaria popinas; obeant hi turbulenti simul & temulenti homines, duplici ex capite in orcum defluant, quia temulentiâ sepulti, & rancoris æstu succensi supremum claudunt diem. Talis lurco rectà hinc in barathrum detrusus, erat miles ille, qui aliquot abhinc annis, vigente adhuc pace Cæsarem inter & Turcam, in Austria exauctoratus multo tempore rancorem circumtulit, suum

G. Iræ fatalis levidenses causæ.

H. Ira militaris.

ſuum in Ducem illicò exonerandum, modò ipſi obvius occurreret. Audiit fortè Ducem hunc Viennam deſcendiſſe, mox ergò & miles iſte Viennam excurrit, ut vindictâ toties exoptatâ ſe probè exſatiaret; cùm verò apprimè nôſſet, quantùm dexterâ ſua Dux valeret, ut animoſior redderetur, largiori ſe poculo inebriavit, antequam in arenam deſcenderet, plus furori ſuo quàm arti confiſus. Sic vino merſus gradu titubante Ducis ædes petiit, ſtrictoque gladiô ad duellum Ducem olim ſuum excivit. Proſpexit è feneſtra tribunus, & cùm ebrium lurconem in plateis tumultuari videret, minis eum ſtatuit repellere. At miles efferatior factus, contumelias contumeliis, blaſphemias blaſphemiis adauxit. Non potuit ergò ultrà per amicos clauſis foribus à periculoſo congreſſu avocari. Rupto aggere deſcendit Dux, ſed antequam ſua in gulonem arma ſtringeret, ultimùm adhuc fidenter monuit temulentum, ſibi parceret, ac ſobrius craſtinâ rediret. His inſuper habitis ruit ebrius, modis omnibus ſanguinem ſitiens alienum; quô viſô, Dux ictibus fortiter eluſis, rectà tandem in pectus militis ferrum direxit, ac hominem beſtiam letali plaga ſaucium, humique porrectum orco transmiſit. En iracundiæ ſtoliditatem! bibunt, ut bilem accendant, accenſa bile in necem ruunt & in orcum. Quid agit jam uterque tartarô concluſus miles iſte, & ruſticus ille tot funerum author impius execrandus? Execrantur ambo in flammis hodiè immanem iram ſuam, & præcipitatos rancores, at nimis ſerò. Multò antè obviari debebat graſſanti iræ. Ira fervente nihil tentare debebat mopſus, ira ſpumante nulla contra Ducem ſuum arma corripere debebat miles, multò minus iram potuit vinô ad ebrietatem hauſtô inflammare.

*Subtrahe ligna foco, ſi vis extinguere flammam.*

Novit indolem peſſimam miles, quâ vinô madidus etiam invalidas exſurgeret iras; ſed vel ideò parciùs erat vivendum, ne ſub cinere gliſcens focus iræ tot ſtramentis auctus in enorme incendium erumperet, nullô ævô ſopiendum. Edormita eſſet crapula; fors alia conſilia captâſſet. Prout jam memini, bulliente ira nihil loquendum, nihil tentandum, agendum nihil,

hil, donec animus nonnihil ab efræni paſſione liber ſingulos ſciat colores diſcriminare. Sic David fecit (15) de ſeipſo palàm profeſſus: *turbatus ſum, & non ſum locutus.* Sic idem arctè viſi ſunt obſervare ipſi etiam Ethnici ac gentiles Philoſophi, Plato maximè atque Socrates: hic filio ſuo graviter delinquenti graviter iratus, ſtrenuè impetum naturæ cohibuit dixitque: *cæderem te, niſi modò iratus eſſem*; dicere voluit, id quod differtur, non aufertur, at nunc nil adhuc tentandum, ne propera feſtinatio ad vindictam, cœcos pariat catulos, ut commune habet proverbium. Plato gravem iram contra ſervum ſuum concepit; huic obvio pariter dixit: ô quàm te modò loris atque bubalis excarnificarem, niſi iratus eſſem. Grande probrum filius ejus patrabat, grandi caſtigatione dignſſimum; ne tamen iræ locum daret ampliorem, filium ad Xenocratem ludimagiſtrum Plato dimiſit, hoc cum imperio: tu filium cæde, tu filium flagella, dum virgas largus cruor imbuat; ego enim iratus ſum, & ineptus, ut ſceleris patrati vindices pœnas à filio reſumam. Ab Ethnicis ſaltem Chriſtiani diſcant, iram compeſcere, niſi velint fructus iræ peſtiferos atque undique funeſtos participare. Iræ gliſcenti mox forte lupatum injiciatur; retrò cogitetur, quæ cauſa ſit furoris, modica nempe & ſæpè pravis tantùm ſuſpicionibus infecta. Quidquid etiam cauſæ fuerit, diſcant ſinguli fortiter à ſe repellere. Sunt liberi, aut infantes, qui rancorem excitant? ætati aliquid donetur infirmæ, ignaræ, ita tamen, ut in his ſcelera moderatè puniantur, ſedatâ irâ ut jam monuimus; tua ſimul probra in mentem revoca, quibus multò ſæpius iram inflâſti. Sunt parentes, qui æſtus iræ adaugeant? caveatur ſedulò, ne quartum Decalogi præceptum propriam in perniciem violetur. Omnis honor, omnis cultus parentibus debetur, utut illi nos premere videantur. Femina bilem movet? operæ pretium non eſt, nugis & gerris femininis patulas aures exhibere. Apud prudentes fidem non reperiunt temerè aſſerta. Volant revolant harum ſpicula, ſed neminem feriunt. Ita earum fert indoles & in garrulitatem pronior natura: *quando conveniunt Ludmilla, Camilla, Suilla, ſermonem faciunt & ab hoc & ab hac & ab illa.* Prætor eſt, judex aut Magiſtratus eſt, qui iram ex-

(15) Pſ. 4.

I. Irato nec loquendum aliquid, nec agendum.

K. Doctrina ab Ethnicis data Chriſtianis

L. Iræ incentiva varia extinguuntur.

exacuit! id Psaltis Regii effatum (16) servetur: *tange montes, & fumigabunt*, seu quod idem fuerit, nolite montes tangere, ne fumigent, & perdant præfervidos attrectatores. Quod verti non potest, feratur patienter. Vindicabit olim Deus iniquitatem, & coronabit patientiam. Ingrati & hispidi sunt clientes, qui susciteut rancores? mirum nemini videatur, quod tritum est & pænè quotidianum. Mundi stylum necdum didicit, qui & hos nescit bolos digerere. Hæc ævi currentis politia est: modica errata duro marmori, grandia benefacta & palmares gratiæ pulveri inseruntur. Bestia est, quæ iracundiam inflammet? probè iterum caveatur, ne cùm locus iræ datur, homo perperam iratus bestificetur. Morbus est, qui sæpiùs iram provocet? per iram non tolletur morbus, sed augebitur; adhæc prima morborum radix quæri debet. Si à Deo solo morbus profluxit? Deo cedatur & pareatur. Si verò ipse homo per gulam, iram & ebrietatem, per potum & luxuriam sibi ultrò tantum malum accersiit, sibi uni culpam imputet & patienter ferat pœnam peccati. Sapiat unà malô propriô, & ut suis à pedibus podagram profliget, paucis contentus vivat acheloo. Tandem Deus est, qui iracundiam succendat? ah! omnis ira irrita est. Tua voluntas Divinæ, non verò vicissim Divina tuæ illigetur. Sine ipsius voluntate nec passer humi ruit, nec pilus è capite difluit, ut Script. perhibet, quantò minus ergo tam tristis casus, tam gravis morbus accidere potuit sine Divinissima Dei voluntate. Fiat itaque Dei voluntas, eique nostræ omnium conformentur. Tandem illud Siracidis (17) effatum memori animo recolatur: *homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam?* Deus tot sceleribus per nos irritatus, nos tamen æquis hucusque oculis aspexit. Volumus ut maxima nobis contra Divinam Majestatem patrata flagitia clemens Deus remittat, nos pariter minima proximo remittamus; iram omnem & rancorem animô proscribamus, & pariter certi erimus. Deum justam iram in nos fulminandam positurum, scelera nostra funditus aboliturum, & eâdem charitate, quâ nos in terris proximos excipimus, nos in cœlis amplexurum.

Amen.

16) Ps. 143.

17) Eccli. 28.

# CONCIO XIII.

# DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

*Illudetur, Luc. 18.*

## Bacchi festum infestum.

A. Bacchanaliorum situli.

REcurrit hodie iterum grande illud & enorme festum tricorporis bacchi, illud gulæ ac luxuriæ triviale festum, illud bestiale ventris & abdominis festum, festum verè stygium, diabolicum *bacchanalia*. His & aliis pluribus elogiis decorari meretur præsens festum. Lustrentur Patres; patebit, hæc & alia jam pridem hunc in diem fulminata esse. Parcè adhuc loquitur Bernardus (1) *id Deus constituitur, quod præ ceteris colitur.* Cùm autem hoc tempore præ ceteris venter noster colatur, quidni etiam festum dicatur atheum, idololatricum? idem Paulus (2) inquit, non ego: *quorum Deus venter est*, ubi omnes adiposos bacchi fratres velut idololatras configit, quia Deô verô insuper habitô, huic uni ventricoso numini diu noctúque obsequia deferuntur. Huic uni voces resonant cytharæque lyræque: huic uni tot damulæ ac cervi, tot porci & porcelli, tot turdi & ficedulæ tot lepores & gallinæ, hôc triduô sacrificantur. Coram hoc thyrsigero sycophanta & pessimæ sortis Eglone passim humi fundi videas ebrios glutones ut pro Deo vivum dæmonem adorent. Hæc in hoc hominum genere pridem notavit Tertul. (3) hinc voces illæ: *his Deus venter est, pulmo templum, aqualiculus altare, & sacerdos coquus.* Suos gentiles Ægyptios graviter irrisit Juvenalis (4) quòd ceppas rappas, & allia stultissimo ritu, tanquam Deos colerent: *ô sanctas gentes! quibus hæc nascuntur in hortis numina &c.* & quidni nobis idem quotannis gentiles exprobrent & hæretici? quos

(1) S. Bern. in ep. S. Paul. ad Phil.

(2) Phil. 3.

(3) Tert. l. de jejun. c. 16.

(4) Juven. Sat. 15.

quos vident protrita ratione tanquam malè furentes beſtias tranſcurrere, ventri tanquam idolo ſervire, eique victimas pænè quotidianas immolare, donec ipſi ſicut fuſus humi bos, humi ſternamur, totúmque corporis truncú fæculentis ſordibus mergamus. Hæccine ſunt præambula illa, quibus ſacram Quadrageſimalem inediam in honorem ac humile obſequium Dei paſſi auſpicamur? prô dedecus! omnes atheiſtas, omnes idololatras pridem Sacri Imp. Romani finibus Chriſtianitas proſcripſit, jam impunè omnes iterum plateas pererrant, & quod dolendum, illi etiam, quibus ex officio incumberet hæc probra tollere ac profligare, ſubinde popas agunt & ſacrificulos, quorum exemplô utique peſſimô etiam plebs irritata, græcando & ſaltando, procando & luxuriando non dies tantùm, ſed totas etiam noctes exurat. Non ſine myſterio Pompejus olim fanum erexit ventricoſo Baccho, in quo unà Veneris laſcivæ ſtatuam erexit. Totum rei hujus myſterium detexit (5) Tertul. *ſemper enim ſimul incedunt, & ſub eodem tecto commorantur duo hæc damonia conſpirata & conjurata, ebrietas & libido.* Prodigium fuerit Tertuliano (6) unum ab altero ſeparari. Sic iterum loquitur cit. *monſtrum fuerit libido ſine gula, gula ſine libidine.* Hinc palàm quoque faſſus eſt Hieron. (7) ſe de ebrio glutone nihil puri concipere poſſe: *nunquam ego ebrium putabo caſtum,* verba ſunt Stridonenſis. Gulo ſit matrimoniali vinculo conſtrictus? erit adulter. Solutus eſt? fornicator audiet; cùm enim libido carni ſerviat totaliter, hæc etiam ſuis ſemper paſci ardet bellariis. Unde tritum illud: *ſubtrahe ligna foco, ſivis extingere flammam.* Eſculenta remove & poculenta, ſi caſtiùs vivere inardeſcas. Bachum profliga, gulones ſocios devita, feſtum ſtygium bacchanaliorum, gulæ feſtum excaudica, nec oleum flammis affunde, ſed potius fomentum ſubtrahe; ſic tandem procax flamma morietur, & omnis libido vaneſcet. *Sine Cerere & Baccho friget Venus.* Quis ad choreas properat, niſi probè fartus & benè potus? ubi ad menſam ferculis & poculis prægnantem conſident gulones, tandem & pedes titillantur, & totus homo in omnem petulantiam reſolvitur. Farto ventre aſini recalcitrant. Hæc omnia ad oculum clareſcunt in piis Patriarchis Nöe ac Lot. Nunquid hic ſua etiam cum filia

B. Atheiſtæ, idololatræ ſunt guloſi.

C. Bacchus & Venus individui comites.

(5) Tert. l. de jejun.
(6) Idem cont. pſich. c. x.
(7) S. Hier. ep. 83.

peccavit ebrius, quod nunquam somniâsset sobrius ut perhibet (8) Script. ita jam in mundi exordio se Baccho sua Venus sociavit. Bellè hanc in rem Alcuinus (9) animadvertit: *cur nuditas femorum secuta est ebrietatem in Nöe? quia post ebrietatem libido subsequitur, & è gula in lasciviam transitur.* Vultis ad abundantiam ipsum etiam D. P. Ambrosii vivax testimonium audire? ipse (10) loquatur: *conviviis pascitur, deliciis nutritur, vinô accenditur, ebrietate inflammatur libido*; ita quidem ut inde grande incendium exoriatur, quod nulla ætas in tartaro extinguat. Hinc in finem paternè monet singulos D. Paulus (11) *nolite inebriari vinô, in quo est luxuria.* At quid solam luxuriam ebrietati annecto? omnia flagitia, omnia scelerum probra & portenta stabulantur, ubi grassatur ebrietas. Quid est ebrietas? quæstionem enodat Augustinus (12) his verbis: *ebrietas est Mater litium, furoris genetrix, petulantiæ magistra; hanc qui habet, homo non est; hanc qui facit, peccatum non facit, sed ipse totus est peccatum.* Hæc de ebriis siphonibus sentit & scribit Aug. *totus totus est peccatum.* Mirum adeò nemini videatur, hunc adipalem Bacchum suis cum asseclis & famulatrice turba pro dæmone vivo, & diabolis servis proclamatum fuisse ab (13) Ambros. Duplici loco hanc sententiam suam de fæce bacchica Mediolanensis promulgat partim in primâ partim in 57. homil. ad Antiochenos. Ibi hæc intonat: *voluntarius dæmon ebrius est, mortuus animatus, morbus veniam non habens, ruina carens excusatione, commune generis nostri opprobrium.* Hic loci sequentia inculcat: *Ubi ebrietas est, & dæmones agunt choreas.* Hæc Patrum oracula si credimus, nemo sanè mihi vitio dare poterit, dictum esse à me hodie præsens Bacchi festum, *idololatricum ventris festum, festum atheum*, quia utplurimum illi sacrificatur, qui Deus nec est, nec esse potest; *festum diabolicum*, quia soli propè diabolo servitur, quia soli gulæ vacatur. *Festum meretricium*, quia gulam pari passu libido comitatur. Rectè proin hos titulos in hodiernum bacchanaliorum diem conjeci. Sic SS. PP. jubent imperant. At dicite modò quis hoc diabolicum &c. festum instituit? S. Mater Ecclesia id potiùs anathematizavit. Nolim multùm tricari aut moras, ex moris nectere; dicatur

sine

(8) Gen. 19. & 9.

(9) Alcuin. q. 138.

(10) S. Ambr. de pœn. c. 1.

(11) Eph. 5.

(12) S. Aug. Ser. 231. de temp.

(13) S. Jo. Chrys. Hom. 1. & 57. ad pop. Ant.

D. Bacchanalia diabolo authore instituta.

sine fuco sancta Veritas: id diabolus instituit, id dæmon erexit, is ipse scilicet, qui ante 7000. annos nostros proto-parentes Adamum & Evam stimulis suis, illiciis & mendaciis suis eò induxit, ut tam sibi quàm toti posteritati suæ vitam in paradiso abligurirent, quam tamen nobis denuò per quadragintadiale jejunium & acerbissimam mortem suam Clementissimus Deus reparavit. Hoc ex capite voluit Ecclesia, ut in honorem SS. Passionis, Deo suo pro reparata salute se gratos exhibituri, pariter 40. dies jejunia continuarent, una refectione per diem contenti; imò ut Baronius (14) observat, olim nostri majores jam solenne jejunium suum à Dom. Septuag. soliti sunt auspicari, quod ad usque sacerrimum Pascha extendebant. Ah! tunc temporis de Bacchi festo nemo mortalium somniabat. Ut verò pateat, quàm severis olim legibus verna hæc jejunia majores nostri servârint, audiatur denuò Baronius, quæ lex posita fuerit Germanis. Aures arrigite bibones & gulones germani, hem decretum in carnivoros eglones sancitum! sic sonat ex Baron. *olim in Germania decretum fuit, excuti ei, qui à Septuagesima usque ad Pascha non carnibus abstinuisset, neque sanctum luctum anteoccupásset. Quæ lex utinam universaliter locum haberet quoad ipsam Quadragesimam!* hæc Baronius. O tempora! O mores! quàm enormiter à primævo fervore deflexímus Germani! jam ne quidem Quadragesima in cultu est apud multos. Tres priores septimanas Ecclesia ipsa jam penitus abrogavit, ut tantò arctius hanc servarent quadragesimam Christiani. Ita gulosissimus dæmon avitam pietatem subruit, evertit. Prô! simile decretum pro hac quadragesima seu potiùs pro carnivoris glutonibus cuderetur, quot hodie forent, qui singulis dentibus gauderent? mille iterúmque mille nonnisi vacua ora circumferrent vi decreti illius. Ita nempe gula invaluit. Deum immortalem! novi, qui nec feriis sextis nec Sabbathis parcunt per annum, etiam hos dies lixis & frixis carnibus incestando, licet nulla corporis lue laborent, ac subinde ipso è Christi patrimonio vitam extrahant sybariticam non Christianam &c. Scio, nos inter fuisse, qui sacro etiam Parasceves die gulæ ac libidini suæ servirent, in omnem temulentiam effusi, ubi felle potatum esse sciunt Servatorem nostrum,

(14) Baron. ad an. 1063.

E. Fervor jejunandi olim Germanis receptus, & mirabili decretô firmatus.

nostrum, ridentibus urnatiis. Ah quò decretò nostris à majoribus hi crudastri fulminati fuissent! dentium excussio tantæ pravitati non fuisset commensurata. Altius extendi debebat decretum, quo etiam horum barbara gula retunderetur.

F. Gaudium honestum non prohibet Ecclesia, sic ritè jejunia serventur.

Sustulit pridem Septuagesimam Ecclesia, à qua olim cepta sunt jejunia nostra, ad pascha usque continuata, modò præsens 40. jejunium suo in flore, suo in vigore subsisteret. Tolerat Ecclesia etiam *carnevalium*, ut vocatur, seu antecineralia gaudia, quibus carni valedicitur, modò ea sint moderata, modesta & honesta, nec Dei nec proximi læsiva gaudia. Ipsa clamat Ecclesia: *lætamini in Domino, & exultate justi*, sed *in Domino*, *in Domino*, non *dæmone*. Non ideò ebrietati & omnibus petulantiis totum triduum immoletur. Non ideò Deus lædatur, aut fides illius catholica, orthodoxa, in qua una Salus est obtinibilis æterna. Non ideò tota ratio immodicis haustibus tumuletur; non ideò homines in bestias transformentur. *In Domino lætamini*, seu coram Domino lætamini omniscio, vindice pravitatis, ut ne animas nostras orcini alástores prædentur, si spurcitiis suis bacchici gulones immoriantur. Celebrari possunt encænia, sed cum ratione, ut ne bacchus atheistiè colatur. Possunt carnevalia reassumi, ita tamen, ut nullam salutis suæ jacturam animæ post fata patiantur; hæc autem carnevalia illis tantùm indulgentur, qui totam quadragesimam perenni jejunio colunt; carnivoris contrà neque hæc celebrandi ullum jus conceditur. Qui nulla servare cogitat jejunia, is nulla celebret carnevalia; privantur adeò hac licentiâ carnivori Christiani, & vel maximè fidei nostræ aperti hostes quibus *abominatio desolationis* jejunia proclamantur, ac semper plùs sapere dicitur caro die veneris absùmpta, quàm festo paschatis ritè in cibum composita quasi verò pro illis nec passus nec mortuus esset Servator, ut opus illis haud sit, Deo passo per quadragesimale jejunium debitas grates rependere. Sed quid exteros moramur? fidei nostræ domesticis calamos exsero & linguam. His his hodie tritum illud occento: *quidquid agas, prudenter agas & respice finem.* In folio stultescunt, qui avidè delicias sectantur momentaneas, quarum finis nunquam finiendus æternantibus ærumnis obruatur. Hos stolones binis

in

in locis Sapientia depinxit ſuprema: (15) primò in proverbiis: *lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis*, ut cùm alios humi fundunt bibendo, aut angelicam puritatem ſtygiis auſibus expugnant, aut grandibus impoſturis, fraudibus & fucis obvios implanant, ex obliquo ampliant mammonam, aut ultrice vindicta odium ſatiant decumanum. Secundò in Sap. (16) libellò, ubi brutas delicias ultrò reprobi decantant: *ubique relinquamus ſigna lætitiæ: nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra: vinò pretioſo nos impleamus &c.* vel prout crudè craſsè apud Iſaiam (17) baubantur: *comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Hem palmarem ſtultitiam! quid magis abſonum aut rationi inimicum fingatur? ſi reſciant, ſibi craſtinâ moriendum, ſobrii potiùs, non vinô madidi fatum excipiant, & hodie propter cras ſuas rationes componant, in pane & in aqua jejunent; ac totis viribus pœnitentiam capeſſant &c. ita ſe ritu Chriſtiano ad piam ac ter fauſtam mortem diſponerent; at prævalet paſſim bacchicus alaſtor, qui perpetim urget improvidos, ut more atheiſtis recepto nec Deum revereantur, nec tetram mortem reformident, quæ tamen nulli hominum generi plures inſidias ſtruit quàm ebrioſis; hinc Petrus (18) ſimul & Paulus (19) omnium auribus intonant: *vigilate, ſobrii eſtote, ne fortè graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, & ſuperveniat in vos repentina dies illa, qua veniet ut fur &c.* Accidat enim, ut vos ſubita mors in crapula, in laſcivia, in odio & vindicta comprehendat, de vita æterna actum eſſet in æternum & ultra. Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. Oſtendit Deus multoties, quàm miſero fine bacchanales deliciæ coronentur; ſed horremus veteres tragœdias, & noſtris utimur annis. Vidit ſimiles tragœdias ſæpiùs Gallia, lapſo ſeculô horridam quoque Germania ſuſpexit; eâ nunc animos ſimul & aures bacchantium lurconum obiter perſtringere mens eſt.

(15) Prov. 2.

(16) Sap. 2.

(17) Iſa. 22.

(18) 1. Pet. 4.

(19) 1. Theſſal. 5.

G. Belluina bacchantium pravitas acerimè à Deo proſcinditur.

Tangit hæc tragœdia non imæ conditionis plebejos homines, in mille probra ſaturnalibus hiſce feriis effuſos, ſed avita nobilitate conſpicuos Proceres, quorum pravitas tantò gravior eſſe creditur, quanto cum plurium damno vitia eorum in vulgus jactantur. Annus agebatur milleſimus quingenteſimus ſeptua-

septuagesimus, quô tres magno sanguine prognatos Comites sua in bacchandi vesania Themis corripuit Divina; hi sicut omnem lapidem movebant, ut novis insaniendi formis ac figuris bacchi festa excolerent, ita novis pariter ritibus pœnas dabant exoticæ pravitatis. Bacchi encæniis per triduum celebrandis arx decreta erat Waldenberga, Eberhardo Hochenlöensi Comiti, Hospitum consanguineo habitata; hic frænos omnes libertati resolvere fixum erat circumfusæ nobilitati. Itum est in omnes delicias, risus, & jocos pro ratione temporis mimicos personatos, quos tamen vix modicè libatos luctus excepit & fatale lamentum. Epulis & poculis strenuè certatum est in seram noctem. Solutâ mensâ præter celebres choreas lusum est aleis & fritillis. Nemo jacturæ impatiens, de damno caniculæ querebatur, quoties alea fortunæ damis visa est patrocinari. In lucro potius jactura ponebatur, quam Bertrum in gratiam liberè passi sunt bacchici gancones. Primi omnium talos ac tesseras movebant mimi numerô terni, proximo sanguine Eberhardo juncti Comites, fœdo habitu personati. Vestis, quâ erant amicti, linea erat, villis ac setis horrida, pice simul ac resina undique illita: color tetros æthiopes, larva stygios lemures, frons binis cornibus armata, ac pedum ungulæ capripedes faunos referebant: dextra manus flammea face instructa, læva trinódi clava firmata, comæ per humeros sparsæ non risum spectantibus movebant, sed horrorem. Nempe! non satis est bacchicis gulonibus vitâ & moribus belluas repræsentare, nisi etiam veste atque habitu turpes bestias imitentur. Ita scenæ omnes choreis ac tripudiis, lusibus & jocis totam per arcem & arcis aulam apertæ, ad alternos plausus & promiscuos saltus ludicros hospites provocabant; ubi reliquis omnibus palmam præripere visi sunt Satyri numerô terni. At vix horulæ unius abiit momentum, proterviæ vindex Deus palàm ostendit, quàm citò comœdiæ nostræ in fatales tragœdias degenerent. Medios inter lusus & fescenninos applausus, accidit fortè, Deo Judice approperanti fato præludente, ut tessera longius projecta, è mensa laberetur, quam cùm verna pariter personatus ardente tæda inter madentis mensæ fulcra requireret, funalis incautè versati flamma vernam ociùs ac perillustrem faunum comprehendit,

dit, inde alios atque alios serpens focus involvit, tanta celeritate ac impetu, ut tres satyros & villosos eorum vernas antè letho daret vorax flamma, quàm flammæ furentis rabies compesceretur. Pro tam enormis incendii causa passim quidem historiographi cum Beierlinc (20) tesseram humi fusam allégant, quàm cùm accensa face personatus verna incautiùs vestigaret modica favilla vestem picatam irruisse fertur, quæ alterum atque alterum succendit, & horrida morte tot mimos absumpsit; at verò aliam longè tam enormis incendii causam promit (21) Biderman, quam probè velim ab omnibus bacchicolis apprehendi. Cùm capripedes fauni primi omnium choreas agere cepissent, eásque aliquamdiu contiauâssent, ex improviso quartus faunum pariter mentitus mimus chorum dicitur auxisse; ignari primùm, quis nova sub larva delitesceret, ignotum hospitem mirari ac suspicere, inde ferali quodam horrore percelli; pergebant tamen inceptis audacter protrito metu, orbem saltatorium egregiè versantes, quos ad omnem motum ignoti nominis faunus rara visus est agilitate æmulari; utut tamen tripudians circum excurreret, placere tamen nulli potuit, quem nemo agnovit. Erant qui omnosum saltatorem totis viribus exploratum irent, & seriò detractam vellent larvam; sed præoccupavit sociorum studia & omnem curiositatis pastum properanter elusit invisus hospes. Simius iste faunus se modò medium choreis ingessit, modò tanquam præsultor novum duxit chorum, modò cursim in orbem lustravit singulos, in omnem ansam intentus, quâ opportunè tragœdiam ordiretur; hunc in finem repentè flammam, quam uberem sinu gestabat, sinu extractâ, proximo fauno aspersit, totúmque sulphurea peste involvit, & mox, re quasi optimè peracta, se omnium oculis subduxit; inde natum incendium, quod ternos Comites suis cum famulis confecit, extinxit. Nemo quærat, quis iste fuerit circulator, à Deo missus, veluti lictor ad pœnam raperet belluinam pravitatem. Nullum locum tanta promptitudine dæmon involat, quàm ubi videt, saltibus & salibus, choreis & lusibus vacari fescenninis. Juxta SS. Patres, *chorea circulus est, cujus centrum est diabolus, & circumferentia Angeli ejus.* S.P. Chrys. (22) Sacro è pulpito suo clarè detonat & distinctè: *ubi saltus lascivus est, ibi diabolus est.*

(20) Beril. in theat. t. 4. p. 2. lit. I.

(21) Biderman. l. 3. acroam. ult.

H. Saltus diabolicus

(22) S. Chrys. hom 40. in Matth.

Mirum proin nemini videatur, choro saltantium se dæmonem ingessisse. Cui in ardentibus votis orcus est, choris indulgeat & choreis. Hic ultrò se turbæ miscuit saltanti, ut palàm Styx ostenderet, se duce ac magistro omnes choreas expediri, eas maximè, quas hôc triduô bacchus dictat & luxurians Venus. Cùm in circuitu impii ambularent & lusum luderent solennem, in tot spectatorum oculis tres illustrissimi Comites suis cùm vernis, ejaculatis ab avernali Salio flammis, antequam subveniri posset; facti sunt per ludum vivicomburia, lentis ignibus tosti assatique. Nihil quidem studii, nihil officii prætermissum est, ut flammarum grassantium rabies compesceretur: tentârunt omnes omnia, sed incassum; ita Deus bacchantium ritu offensus disposuit, ut auxilium unde unde petitum vanescceret, vi ac effectu suo destitutum. Omnis opem properantium contentio ex certo Numinis Supremi consilio elusa & dissipata est. Fons tot annis inundans repentè exaruit, quod nemo potuit reboanti fortunæ sed ultori Deo adscribere; erant qui grandes cados lymphâ obvio è fonte opplerent, sed festinandi studio ipsô in limine prolapsi urnam diffringerent, & totum fontem dilapidarent; erant alii qui neque cellæ vinariæ doliis parcerent, ut ipsô etiam vinô potens auxilium maturarent, sed face subitò extincta tenebras palparent, & antè mimos flamma consumeret, quàm suis cum urnis comparerent; erant alii quibus urna lignea undis plena medio in cursu derepentè fatiscceret, & hac illac humor antè diffluueret, quàm metam attingerent; erat tandem qui cum majori amphora provolaret, ratus se undam properare, sed pro aqua oleum flammis affunderet, unde novis viribus letale incendium augeretur. Interim vitæ fumantis reliquias grassabundus ignis expugnavit, & funus fecit male personatam ternionem. Sic justus ex alto Deus disposuit, ut per orci flagrionem bestiales deliciæ dissiparentur. Ex spectaculo tam tragico ita reliquis omnibus Bacchi festivitas desipuit, ut posthac omnibus voluptiis diem dicerent, & annua Bacchi encænia constanter ejurarent, versante identidem ob oculos præsente tragœdia, quâ Deo placuit sine ullo hominum respectu mimica Bacchi festa exterminare.

Possem plures hujus generis tragœdias adducere, sed una

una hæc tantisper sufficiat, ut nullis unquam minis fidem habeant, aut locum indulgeant Christiani, sed omnem petulantiam à se ac suis hôc ævô proscribant. Notum est, quid in Edam urbe Hollandica ante centum circiter annos acciderit, ubi lapsus è cœlo ignis totam Bacchi festivitatem unàcum ædibus & templis funditus extinxit. Bellè hanc tragœdiam Pelecius (23) depinxit, quem nolim deflorare. Turris illius Babylonica omnium oculis objacet præsentem in horam. *Discite justitiam moniti & non temnere Divos!* in Domino cum Paulo gaudete, ut tamen vestra omnium modestia omnibus nota fiat & manifesta juxta Pauli (24) monitum. Gaudium vestrum sit purum, nullis peccati aut scandali fæcibus contaminatum, procul acto bestiali gaudiô, porcinô gaudiô, hircinô & orcinô gaudiô. Gaudium potius sit humanum, sit sobrium, quô gaudium illud æternum nullatenus evertatur. *Quidquid agas, prudentes agas, & respice finem.* Choræbô stultior est, qui cum reprobis (25) vociferatur: *comedamus & bibamus; cras enim moriemur.* Hodie potius propter cras suspicite, *ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate, ac superveniat in vos* (25) *repentina dies illa*, quæ in gravi flagitio deprehensos sistat æternitati, sed ignitæ, stygiæ, execrandæ, quam omnium à cervicibus ter clemens Deus avertat! Amen.

(23) Joan. Pelec. in tur. bab. c. 16.
(24) Phil. 4.
(25) Luc. 21. & 1. Thessal. 5.

# CONCIO XIV.

# DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

*Vade Sathana. Matth. 4.*

## Acherontica libido.

HEm impudentem, hem inſolentem diabolum! cogitat hodie ipſum Deum ſupplantare triſurciſer; hunc tertia etiam vice aggreditur, & quaſi de prima certus jam ante triumphum ſibi ultrò victoriam occentat, at belli aleâ penitus eversâ, nil inde quàm multiplex probrum & duplicata retulit tormenta. Ah! quàm horridis aſſultibus nos irruet, qui nequidem Deo pepercit. Quærunt hodie interpretes Script. quo ritu, quâ formâ ternas tentationes dæmon expediverit? enucleat hanc quæſtionem unus Salmeron, (1) dæmonem ſemper aliam & aliam formam aſſumſiſſe perſuaſus, ut rudibus inſidiis Chriſtum caperet; prima forma fuiſſe dicitur ſenecionis eremicolæ, quâ exploratum venit, an ipſe veri nominis Meſſias eſſet, vel tantùm Propheta? hunc in finem voces dirigit ambidextras: *ſi filius Dei es, fac ut lapides iſti panes fiant*, quaſi diceret nequam: de te audio prodigioſa: dedit tibi teſtimonium Joannes, vox etiam cœlò lapſa dicitur proclamans Meſſiam; ajunt etiam capiti tuo cœlicam hæſiſſe columbam, ante ac poſt nativitatem tuam prodigioſa ſigna in cœlis viſa in terris, unde plerique colligunt, te notæ vulgaris prophetam non eſſe, ſed fortè Dei Filium, Meſſiam Deum; Deus verò ſi fueris, omnem utique inediam proſcribes; utere Divinâ poteſtate tua, & ſaxa hæc in panes transforma. Id tuam ſi potentiam tranſcendat, falſum de te teſtimonium dixerit Joannes, & vox deſuper lapſa fictitia fuerat & fucatâ. Graviter nos diabolus tentat, ſi nobis exprobrat,

(1) Salm. t. 4. p. 1. tr. 12.

A. Forma exterior tentatoris hodierni excutitur. Prima fuit Eremicolæ.

probrat, nos à nobismetipsis enormiter defeciſſe; ſi vires noſtras ſugillat; ſi noſtram ſcientiam diſlat. Hæ tentationes etiam piis & ad perfectionem vitæ tendentibus viris periculoſæ ſunt. Centies hic ſuperbia proſultat, & vires crepat jactantia; quid? hanc cauſam ignorem? hæc negotia non expediam, qui olim hæc & hæc? neſciam huic malo cuneum objicere? neſciam hanc controverſiam ſopire? Deus autem, quis eſſet, nec verbulò prodidit (2) *charitas non irritatur*, dæmoni reſponſum dedit in omnes partes verſatile: *non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit ab ore Dei.* Dæmon cibos urget corporeos, DEUS reponit myſticos. Dæmon corpus paſtum vult, antequam anima paſcatur, DEUS verò ex ordine procedit, *quæri vult antè Regnum DEI* (3) tum adjici reſidua. His actis *angeli acceſſerunt & miniſtrabant ei.* Sic prima dæmonis arietatio in Chriſtum tentata caſſa fuit & irrita, at necdum heſperiis phœbus caput abdidit undis; iterum aleam tentavit ſtygifax, & Angeli formam indutus ad pinnam usque Jeroſolimitani templi Chriſtum detulit dixitque: *ſi filius DEI es, mitte te deorſum; ſcriptum eſt enim: angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis ſuis, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Quæſo, cur ſe viâ tam prolixâ per orcinum alaſtorem portari paſſus eſt Servator? numerat Cornelius ab Eremo Jeroſolimas usque quatuor milliaria germanica majora ſeu octo horas. Tulit hunc avernalem veredarium, ut ei conſilia turbaret; ſic tacitè ſecum dæmon arguit: DEI filius ſi fuerit homo iſte, me utique dignoſcet, novit me? ſe à me tangi non patietur, multò minus portari, mihi potius audax & temerarium facinus approbrabit, quàm Dei filium attrectare præſumam. Sed tacuit ad ſingula Servator, ſeque à Jericho ad unus Jeroſolimitanum templum deferri permiſit; hîc novas inſidias Deo tetendit: noluiſti ſaxa in panes transformare, jam ſaltem te hinc demitte, ut ſanctimoniam & virtutem tuam manibus palpet præſens populus, ſi Angelos videat Majeſtati tuæ ſervire, manus ſuas pedibus tuis ſubſternere, ne ad lapidem pedes offendas. Utitur hic loci nebulo Scripturæ teſtimoniô, more vel hanc in horam hæreticis recepto. Quidquid inde parvæ ſervit intentioni,

(2) 1. Cor. 13.

(3) Matt. 6.

B. Altera erat Angeli.

tioni, pompaticè allegatur; quod autem evidenter pravitatem retundit, ſilentio involvitur, audiatur hanc in rem (4) Bernardus: *Angelis ſuis Deus mandavit de te; ſed quid mandavit? attendite & videte, quoniam ſubticuit malignus & fraudulentus impoſtor, quod malignitatis ſuæ commenta diſſolveret. Quid ergò mandavit? ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Sed nunquid in præcipitiis? qualis hæc via, te pinnaculo templi mittere ſe deorſum? Hæc non eſt via, ſed ruina, & ſi via tua eſt, non tamen illius eſt via,* Hæc Bern. Idem in hoc Script. loco notavit (5) Hier. *tacuit nequam, quod ſcivit eſſe contra ſe; poſuit, quod novit pugnare pro ſe. Dic nequam etiam illud, quod ſequitur: ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* His nempe ſe premi novit ſtygius veterator. Porrò dæmon per hanc ſuam transportationem minimè ſtuduit Chriſti gloriam & famam ejus augmentare, ſed eam potius in populo mutilare, imò evertere, ac diſſipare; viſus enim fuiſſet per aëra ferri, ocius Chriſtum veluti magnum proclamâſſent Hebræi; ſic totus prædicandi fructus vanuiſſet, at non eſt prudentia, non eſt providentia, nec conſilium contra Deum; has omnes ſeu machinas ſeu fallaces inſidias DEUS pariter S. Script. effatis ita diſjecit, ut tamen ſtygius alaſtor inde nihil certi concludere poſſet. Ferri ſe paſſus eſt ab orco per aëra, ita tamen, ut nemo mortalium id oculis ſuis penetraret. Deſcenſum è pinnaculo paucis voculis enervat: ſcriptum eſt, *non tentabis Dominum Deum tuum.* Sic alteram tulit repulſam impudens acheron.

(4) S. Bern. ſer. 14. in Pſ. 90.

(5) S. Hier. in pſ. 90.

C.

Tertia Regis.

Tertium arietem terreum Regem indutus in Chriſtum detonuit; ut ſic enim Chriſtum denuò ultra duo milliaria ſecum tulit in præaltum montem, qui vel hodie, adrichomio teſte, *mons* dicitur *diabolicus.* Ex hoc montis faſtigio oſtendit ei regna mundi velut alter mundi hujus Monarcha, ſpondet, jurat, hæc omnia ſe daturum, ſi humi fuſus ipſi tanquam filio Dei cultum eſſet latriæ delaturus. Deum bonum! quid rudem diabolum ad tam enormem inſolentiam abſtraxit? cogitabat ſecum impius nebulo, ſi filius Dei fuerit, excandeſcet ocius ac juſta in me bile accenſus dicet: quid jam denuò in me malediĉte ſpiritus? iterum thronum tuum perfide ſupra nubes collocas,

cas, & major esse gestis Deò tuô ? te Satanam Dei filius adoret? apage phlegeton! tu potius Deum cole Dominum ac Conditorem tuum &c. hæc & his similia prensabat dæmon ; sed naso suspensus adunco hac etiam vice repulsam tulit, jam satiò per Christum profligatus. Justam utique iram in Satanam Deus concepit, at ira hæc neque verbulum protensit, ex quo dæmon modicam Divinitatis notam argueret. Propulsato Alastori cœlestes aligeri succedebant, Deo suo prompta obsequia delaturi.

D. Cur non etiam fœminæ formam assumpsit?

Has inter numerô ternas tentationes multa essent, quæ sanè splendidum ac perutile objectum agerent prolixi sermonis ; sed nihil horum attingere mens est. Miror ego hic loci dæmonem has tantùm formas repræsentâsse, eremicolæ, Angeli & terreni Monarchæ. Cur non aliam induit? hæ tres formæ viros referunt. Cur non se totum una saltem vice in feminam transfiguravit? pellexit Christum ad gulam, ad superbiam & jactantiam, ad avaritiam & ad turpem idololatriam; at cur eum non pariter ad libidinem, ad luxuriam provocavit, quod nunquam citiùs assequi potuisset, quàm si formosissimè veneris formam ac speciem assumpsisset. Nihil tritius est diabolo, quàm viros per feminas prosternere, feminas per viros seducere. Chrys. teste (6) *nulla machina ad arietandum hominem potentior est quàm femina.* Ambrosio Authore (7) *usitatus ad decipiendum sexus est sexus femininus.* Oleaster (8) nequidem aliquâ vitæ sanctimoniâ conspicuis mulieribus vult universariam fidem deferri : *licet sanctissima sit* (verba sunt Oleastri) *de dolis tamen, de fuco & de artificio loci mendaciorum semper est suspecta femina.* Cur ergò Satan hic loci nullius fœminæ speciem arripuit, cùm ea tam potens hactenus fuerit, ut etiam sapientissimos Salomones infatuaret. Opt. Aud. dæmon ipse in mora non erat, quò minus promptus etiam hodie furatos fœminæ vultus referret. At noluit Deus in conspectum venire formam muliebrem. Nullum scelus tantô prosequitur odiô Deus quàm carneam libidinem & fœculentam superbiam; fornicationem ne quidem nominari voluit juxta (9) Paulum. Ausus adeò non fuit pessimus lavernio, Christum Dominum ad obscœnam libidinem extimulare, quam odiô pro-

(6) S. Jo. Chrys. in Job.

(7) S. Ambros. Ser. 40.

(8) Oleast. in Gen.

(9) Eph. 5.

proſcinderet vatinianô; ad hæc vidit nebulo, irritam fore hîc loci omnem hanc tentationem, ubi tam immanibus jejuniis totum corpus emaciatur, nec mucido pane fami pellendæ indulto; omnis enim libido mox ſolum vertit, ut primùm ſeriò caro noſtra debellatur, & pedem figit ſolas inter lautitias, quibus carni & vel maximè ventri ſervitur. *Sine cerere & bacchо friget venus*, ut primùm ante octiduum fuſius probatum.

E. Forma muliebri homines cœcos multoties decipit.

Hîc autem Opt. AA. ſe omnes mundicolæ probè obſervent, ne in caſſes incidant diabolicos. Coram Deo hanc mulieris formam mentiri non potuit diabolus, hanc autem centies imò millies nobis mentitur. Deus etiam juſtis ex cauſis permittit, ut viri per formam femininam, feminæ per maſculam centiès deſtruantur & perdantur. Si nullum aliud argumentum ſuppeteret, ut totis viribus omnis libido ejuraretur, hoc unum, meô quidem judicio, abundè ſufficiat ad nuntium carnalibus illiciis ex animo transmittendum, quòd ſciatur, dæmonem toties bellæ veneris perſonam coram viris libidinoſis, imò etiam pluribus aliis, & viciſſim viri petulantis, aut luxurioſi adoleſcentis formam coram femellis aſſumpſiſſe. Poſſent plurima hujus transformationis ſeu aſſumptionis exempla produci; ſed quis una hora, uno die ſingula illorum expediat? ex pluribus unum extraho plus aliis notabile, quod tres hodie magni nominis Scriptores ſuis viſi ſunt calami explanare. Primus horum eſt Franciſcus (10) Roſſet Gallus. Alter eſt Benignus Kibler (11) primi candoris germanus. Tertius nobilis Belga eſt Henricus Englgrav (12) decantatiſſimus Eccleſiaſtes. Primi duo quod factum eſt, accidiſſe perhibent Lugduni (Lion) in Gallia mercatorum memorabili emporio, unde cum Pilato bipedum nequiſſimo, ut nuperrimè diximus, tot ad oculum fucatæ merces hactenus prodierunt. Tertius pro Lugduno ipſos ponit Pariſios, cui urbi ſequens factum adſcribit. Quidquid ſit de nomine, nos rem expendimus. Nominum immutatio non poteſt tragœdiam reddere ſuſpectam, quia in omnibus aliis bellè omnia conſpirant. Adhæc potuit fortè quod bini tribuunt Lugduno, etiam Pariſiis accidere; novi enim nihil eſt toties quoties à Deo permittitur, in obvium cadaver dæmonem irrepere, illud fucis & pigmentis, veſtibus & comis ita

(10) Roſſet. Theat. exempl. 1. (11) Kibl. p. 1. f. 1253. (12) Engl. gr. p. 1. f. 170.

F. Tragicum illi9 exemplum adducitur.

Hiſt.

ita liberaliter exornare, ut damam referat aulicam orcinus satelles. Rosset signatè inquit, hæc negaturo, negandum priùs diem clarescere sub meridiem, *cùm facit exiguas jam Sol altissimus umbras.* Ibi ergò, ut ajunt, fuit quidam martialis Subpræfectus (vulgò Leutenant) *Lajaquire* dictus, à luxuriante petulantia toti pœnè urbi notissimus. Rarò suo nomine proprio salutatus est ab incolis, utplurimum, setiger hircus, hircinus porcus, & urbis efrenis taurus audiebat. Huic omnium pravitatum patenti diversorio munus commissum est, totam urbem cum suis intempesta nocte lustrandi, ne quid mali incolis somnô mersis, urbem corriperet. *O bellum custodem ovium ut ajunt lupum!* non poterat deterior ad hanc spartham noctu tuendam assumi. Errabat utique per omnes plateas cum asseclis suis in omnem pariter vafritiem projectis, lustrabat ædium angulos & fornices, ita tamen, ut hunc veri nominis prædonem eminus fugerent, quibus in pretio erat angelis cognata integritas. Querebantur passim infimi & medioxumi; ac justissima crisi summa urbis capita proscindebant, quod tantis flagitiis cooperto lurconi nocte tota urbem atque urbis plateas committerent. Tam luridis hominibus pessimè officium traditur, unde tot alii vitâ corporis & animæ simul periclitentur. Quidquid hinc mali prognascitur, horum lurconum patronis accessit; tollantur potiùs è medio, vel in ordinem redigantur, exauctorentur, & ad ultimam thulen profligentur, *impietas quorum corde profana premit:* ut ne Deus cogatur cum damno tertii hoc grassatorum procax genus per sathanæ satellites eliminare, prout hic legimus accidisse. Lustrabat fortè more suo post noctis decimam urbis suæ plateas, sinus omnes atque angulos luxuriantibus jocis ac petulantibus facetiis conspurcans, Alia inter oris impudici phlegmata has etiam sordes ridentibus sociis evomuit: se hodie præter morem flammeis ardoribus æstuare, nescire quid stomacho sit ingestum, unde tanti æstus totum hominem corriperent, sopienda esse hæc incendia quocunque tandem modô: occurrat etiam ipsa hodie proserpina, vel medusa, hos ungues non evasuram. Vix orcum excivit lurco petulans, viden eminus ex angiportu prodire, vernâ seu rectiùs lucifero grandem tædam præferente, nobilem

damam, cultu luxuque meretricio ſplendidè ornatam. Gaudebat impudens præfectus hâc prædâ eminus visâ, in id unicè intentus, quibus technis hâc properè potiretur. Proſtabat ipso è vultu tranſeuntis damæ impudentiæ hedera fors ſuſpenſa; ſic omnes in partes oculos gyrabat, ore leniter cacchinante fortius identidem facibus venereis procum ſuum perſtringens; placuit hæc dama præfecto, & ita placuit, ut amandatis omnibus, binis tantùm ſociis ſtipatus, ſe totum damæ hujus obſequiis dicaret, eamque domum usque comitaretur. Rogata unde tam ſerò nocte intempeſta, id pro reſponſo dedit, quod focum veneris inteſtinum plùs ultrà inflammavit: fui, inquiebat illa in vicinis ædibus, ad cœnam meis ab amicis invitata cum conjuge meo, qui cùm vinò ſepultus pedem locò dimovere non poſſit hodie, ſola cogor lares reviſere, ne omni dominiò vacua ſtet domus noſtra, aliorum furacitati objecta. Bella reſponſio, quâ veluti magnete in ſui ſequelam fœtentem hircum attraxit. Actum eſt de pudicitia, ubi procax mulier viri ſui abſentiam proclamat. Caneam ac luſtra olet ſcortum, quod intempeſta nocte ſolitudinem allegat. Honeſta uxor viri ſui præſentiam & mariti vigilantiam potiùs prætendit, utut ſæpè mendaciò aſſertum firmetur, ut tantò certius fidem ſervet comparti ſuæ integram, inconcuſſam. Nôſſent milites, quid ſub hoc fucato, & ceruſsâ picto vultu lateret, multòantè in horridam ſolitudinem migrâſſent, quàm huic damæ loquerentur. *Fide ſed cui fidas vide; frons, oculi, vultus perſæpè mentiuntur.* Bella facies, Diogenes dixit, cùm in foro proſtantes heroas cerneret, at cerebrò carent. Speciosa frons eſt, ſed in fronte multoties frontem exquiras. Credebant improbi, ſe cum formoſiſſima Galliæ dama familiariter colloqui. Amphibologica vox *dama* eſt: ut pueri ſciunt abecedarii, *cum dama lynxq, penuq, &c.* etiam ſylveſtrem capram denotat citerioris Africæ procacem inquilinam; talis capra hæc ipſa erat dama, cujus ſi pedes imos vagi nebulones luſtrâſſent, ipſis è veſtigiis capram deprehendiſſent non Africæ pecus, ſed Plutoniæ. Sequebatur eam velut alteram Græciæ Helenam procax ternio, donec fictile palatium à lucifero verna recluderetur. Domum admiſſi ad ſupremam ædium aulam penetrabant, amicè

cè à dama eſculentis & poculentis excepti. Hic ut paucis omnia comprehendam, noctis & nocturnæ ſolitudinis beneficiò abuſi, in omnem procaciam, libidinem & luxuriam effuſi, pravis amoribus cœco impetu abſtracti litabant dum clarum manè feneſtras irrueret. Exhauſtis turpibus cupediis, unà omnes, more his lurconibus recepto, divinam damæ hujus formam extollere, prædicare: hic explicatam frontem, & ante frontem pendulos curaque eventilatos crinium annulos celebrare: Alter bina oculorum lumina, veluti duo ſidera cœli, & dignos Paphiâ digitos & eburnea colla, linguæ orisque decus & niveo miſtum candore ruborem, cœlo laudibus æquare, tertius os humerosque Deæ ſimilem, pulcherrimarum pulcherrimam vociferari, in qua omnes gratiæ & charites reſiderent, ut formoſior nec fingi poſſet, nec ullis artibus effigiari. Riſit ad hæc formæ cantica præſens dama, & totius oris gratiam has ocius in voces reſolvit: nimis largi & liberales meam in formam extitiſtis Domini mei: omne quod eſt nimium, vertitur in vitium. Illa ego non ſum, quam tot honorum titulis condecoraſtis. Forma, quam vidiſtis, informis eſt, & à vero enormiter diſtincta. Vultis veram mei ſpeciem intueri, huc oculos & nares advertite. His dictis vanuit illicò tota damæ pulcherrimæ forma, & in vicem tetricum putridumque cadaver ſucceſſit, ex quo grandes flammæ promicabant, ut ſcirent Proſerpinam fuiſſe aut Meduram, cui tota eſſet nocte litatum. Mox etiam tota ædium aula cum ſpectro ſimul & palatio diſparuit, ita quidem, ut nihil præter diruti ædificii vetuſtiſſima rudera remanerent, cui ponè adſita erat immanis cloaca, ſordium omnium graveolens receptaculum. Hâc ſentinâ merſus erat ternio, quaſi fulmine tactus ab alto, horrore ac mephiti propemodùm enectus. Unus illorum metu ac terrore perculſus mox obriguit: paulò pòſt etiam præfectus animam exſpuit porcinam. Tertius tantùm, ut Englgrav memorat, orto Sole per vicinos ſemivivus è cloaca protractus, illam à Deo gratiam accepit, ut corpus ſimul & animam purgaret, Sacrisque omnibus ritè præmunitus vitam fato concluderet pœnitente. Quarto pòſt die hic

etiam funus fuit, ſed, ut ſperare licet, in gratia per pœnitentiam reparata extinctus.

Hæc ſanè fabula non eſt, ſed veri nominis hiſtoria. Ut Roſſet meminit, adhuc ante 60. annos vitam mortalem ſpirabant in Gallia, qui tunc à præfecto dimiſſi erant, ut ejus loco plateas luſtrarent, teſtes oculati tranſeuntis damæ & formæ illius procaces arbitri, palàm faſſi, hac in dama formas omnium formoſiſſimas confluxiſſe.

Hem proci & amaſii, quàm lubrica fides dæmoni deferatur & efrontibus ſemellis. Centies cereis & tenellis prolibus cùm retrò Abeunt, occini audias: quid occipis mallygia? antrorſum viam cape, retrorſum eundo rectà dæmonis ſinum involabis. Hæc pariter dicta ſunto omnibus noctuis & veſpertilionibus ſociis, qui noctu animas innocentes prædatum excurrunt, ac ſeram in noctem laſcivæ veneri famulantur. Dæmonis rancor, quò in nos exæſtuat, idem eſt hodie qui olim. Si DEUS permittat, hôc ævô centies formam induit femininam, ut laſcivientes viros ſupplantet. Nolite huic Aſmodæo fidere juvenes virgines, pueri ac puellæ, viri feminæ. Petro teſte (13) *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Latrat, ſibilat, rugit, grunit, adulatur & tumultuatur, ut animam mergat abyſsô, odiô ſemper implacabili omnes in homines accenſus. Legantur Delrio. (14) Roſſet (15) & (16) Stengelius, ad oculum patebit, quoties orcus viri formam ut feminas deciperet, feminæ formam ut viros everteret, induerit; utplurimùm autem hâc formâ in umbris utitur concubia nocte, quando in tenebris proci conveniunt & procillæ; ita in tenebris nec à cornibus ſuis, nec ab hircinis pedibus, aut unguibus dignoſci poteſt; ut enim hi Authores memorant, dæmon hominem vivum repræſentare non poteſt, quin ſecum ferat ſignum aliquod orcinum v. g. cornua, nares ſimias, oculos rutilantes, pedes caprinos, ungues prædatorios, caudam & alia. Cùm autem amor maximè venereus totaliter cœcus ſit, facilè poterit ab orco etiam ſub meridiem circumveneri, prout his noctu accidit. ô tragicam! ô funeſtam mortem! quantis hodie diris noctem

(13) 1. Pet. 5.

(14) Delr. disq. mag. f. 176.

(15) Roſſet l. c. f. 9.

(16) Steng. t. 2. c. 43.

ctem execrabuntur, quâ carni simul & dæmoni se sciunt mancipatos! ejurabunt se mutuò crepantes inter flammas socii in cloaca extincti; at serò nimium. Prius sanctiùs lustrari debebant plateæ. Multò antè claudi oculos oportuit, quàm mors per 5. sensuum fenestras in animam penetraret. Carni fucatæ non debebat ulla fides haberi. Quid si hac sub forma orcus delitesceret! quid si dæmon ipse lupam mentiretur? Credebant se nobile palatium ingressos, & rudera erant; credebant se in aula deliciari, & ecce fimus, sterquilinium, palus mephitica, cloaca! ita nempe suos ludit Satan & libido. Novi virum, fortassis adhuc spiritum trahit vitalem, qui sera nocte domum redux & nescio quo duce à via regia in umbris abstractus subitò in palatium venit, ubi ad mensam opiparè instructam & multis hospitum capitibus coronatam largè cibatus, potatusque tandem lecto commissus est mollissimo, sybaritico. Orto sole ultrò expergefactus vidit se supra transversam patibuli trabem jacere, juxta pendentibus binis, recèns in furcam actis furibus. Licet se probè fartum crederet cubitum concessisse, manè tamen fame ac inedia, siti plùs quàm tantalea urgebatur. Sic suos lactat diabolus. Aula ejus fimus est, lectica ejus patibulum est, turdi ejus ac ficedulæ sunt noctuæ ac vespertiliones, caro ejus fæculentum cadaver est, jusculum ejus pus & cloaca est, bellaria ejus fungi sunt, fuci sunt, & equini ficus, malvasia ejus turpe lotium est, aut sanguis innocentium puerorum. His hanc in horam magi & sagæ saginantur, prout ipsi fassi sunt, nuntio dæmoni remisso.

G. Dæmon suis pro molli lecto patibulum parat.

H. Mensa sybaritica quam suis dæmon adornat.

*I nunc atque animam stygio committe tyranno!*

Ite nunc & diabolo fidite, qui vernis suis mercedis loco nil præter æternum *væ* rependit; subinde ne tantum quidem improbæ voluptatis indulget atque his tribus militibus indulsit, sed vix modicum libatam perimit & trucidat.

(17) Delr. disp. l. 3. q. 3. p. 1. ſ. 2.

Ait Delrio (17) adoleſcentem in Miniâ Anno 1260. ſuis ut amoibus potiretur, à mago in ſtabulum usque deductum; ubi cùm ſpectrum, puellæ illius, quam amabat, imagine per maleficii incantationes ſe obtuliſſet, perditus amator ei manum porrigens à dæmone parieti alliſus & miſerabilem in modum necatus eſt; cadaver autem tanto impetu in magum eſt projectum, ut ſemianimis longo tempore jaceret. Adeò ipſum etiam orcum piget ſubinde feminæ formam diu repræſentare.

Ad finem propero. *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.* Felix, qui exemplò Chriſti iterum iterumque ſtrenuè diabolum debellat, eique omnem aditum in cordis noſtri penetralia occludit, imò hunc & aſſeclas ejus rotundè profligat *vade Satana* cum pravis cogitatibus tuis, & laſcivis ſeu iconum, ſeu feminarum aſpectibus, conſortiis & familiaritatibus, menſis & hilariis, *intueri non decet, quod non licet concupiſci* Greg. (18) teſte. *Vade Satana* cum turpibus phantaſiis, ſocietatibus pravis, gula & ebrietate, quæ aſmodæum in perniciem hominum provocant & inflammant, unde animæ mortem irruant mori neſciam, ſtygiam execrandam, quam O. T. O. M. clementiſſimè omnium à cervicibus avertat! Amen.

[o]

CON-

# CONCIO XV.
# DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

*Transfiguratus est ante eos. Matth. 17.*

## Orci obsequia.

RECtè *Dei simiam* dæmonem vocat (1) Vega. Quidquid à Deo factum videt, æmulari satagit. Egit pridem simiam (2) cùm illas voces jactaret, *ero similis altissimo*, at vidit se graviter delusum, votis unà & cœlô excidisse, avernô mersum cum tota phalange. Hinc currentem in horam prosultat, *ac Dei simiam* mentitur. Habet Deus suos Prophetas, & hos sibi dæmon vendicat. Habet Deus Apostolos & Martyres suos, & his dæmon gaudere videtur. Habet Deus tot vernas ac famulos suos in cœnobiis toto orbe dispersis, & his mendax orcus gloriatur. Miracula Deus operatur, hæc imitari satagit simius acheron. Hodie coram suis transfiguratus est Servator, hanc ergò transfigurationem etiam dæmon repræsentat. Quomodo? quando? mox dicetur.

(1) Vega in Judæc. 9.
(2) Isa. 14.

A. Dæmon Dei Simia est.

Habet hic suos quoque Prophetas, famæ ac nominis alieni rosores, seu stygios detractores, qui alterius virtutem nigris carbonibus conspurcant, de rebus alienis modò tantùm divinatoriò disputantes, ac mille mendacia de vicino tanquam primæ veritatis oracula spargentes, ut odium exsaturetur, ut fide sua & authoritate destituatur &c.

B. Habet suos Prophetas.

Habet suos quoque Apostolos, mordacissimos calumniatores, vitæ ac famæ truculentos prædones, pietatis ac mutuæ charitatis hostes, falsis criminationibus innocentiam contaminantes, flagitia ipsis propria in optimi Metelli humeros detorquerentes; huc loci spectant impii adulatores, animô duplices palpones, homines bilingues, susurrones, ore aureo præsentem celebrantes, absentem stygia dicacitate proscindentes; de quibus pridem Deus

C. Habet suos Apostolos.

(3) Prov. 8.
(4) Hug. in Evang.

Deus, (3) *os bilingue deteſtor*; in quæ verba hunc in ſenſum (4) Hugo gloſſatur: *deteſtatur os bilingue tanquam monſtroſum os; quid enim monſtroſius, quàm habere duo ora & duas linguas? tales ſunt animô duplices & loquaces, qui modò detrahunt, modò adulantur, mel ſimul & venenum una ſub lingua gerentes, unde hi propriè ſunt Apoſtoli diaboli, & poteſt dici de ipſis: loquebantur variis linguis pſ. do-Apoſtoli magnalia Dei.*

D. Habet ſuos MM.

Diabolici Martyres ſunt, avari eucliones, impudentes proci & procæ, ſuperbi thraſones, ebrii & guloſi glutones, tabacarii fratres & hypocritæ, ira & rancore perciti verberones. Avarus nunquam ad ſatietatem cibatur, niſi quando ad vicini menſam invitatur, ubi gratis datum eſt pellem morticinam farcire; diu noctúque curis angitur, quibus artibus & technis peculium liberis augeatur, qui fortè pro anima ejus nec unam rolarii decadem evolvent, ut taceam anniverſarios. Horum angores bellè deſcripſit (5) Baſilius: *canis latrat? furem adeſſe putat euclio. Mus ſtrepit? avari cor ſalit. Grandes filios ut inſidiatores aſpicit.* Novit talem diaboli Martyrem, tenaciſſimum euclionem Joannes Tollenarius Jeſuita, prout ipſe (6) memorat. Erat nobilis Belga Tollenarius patriâ Brugenſis, qui ſe maximè binis ex capitibus ante alios omnes commendabilem reddidit. Primum Caput fuit, quòd poſt adminiſtratum Belgicæ Provincialatum, ſe ultrò ad tradendam publicè doctrinam Chriſtianam accingeret, & hanc ſpartham pluribus annis ferventiſſimè tueretur, rarô admodum inter ſui ſimiles exemplô. Alterum fuit, quod ægri paulo antè Sacrô Epulô refecti recentem vomitum imperterritus hauriret: hic tantæ virtutis Vir ſuo in Eccleſiaſte Alexandro VII. Summo Pontif. tranſcripto, palàm fatetur, fuiſſe ſuô ævô ſibi probè compertum Senem in Belgio, qui jam octogenariô major, capite toto candidus, & vultu rubicundus, uno mucidi panis & caſei obſoleti fruſtillô armatus viginti milliaria germanica pedes excurreret; divertit hic ſenecio fortè in rurali popina, ubi panis & caſei bolos protraxit, & ut opiparè viveret, mediam cereviſiæ menſuaram exhauſit. His pedes ad expediendum iter animabat; ut enim ſe modica carne aut juſculo reficeret, burſæ inedia non indulſit; cùm tamen, ut hoſpes ipſe Patri retulit tranſeunti, primùm ante octiduum etiam

(5) S. Baſil. hom. 21.
(6) Jo. Tollen. in Eccle. c. 3. ſ. 6.

etiam ſenis filius cum curribus & equis hic loci diverterit, & unò prandio ultra 30. florenos dilapidârit. Habuit ſenex iſte hanc unam prolem, filium prodigum, cui ex immani, quam paſſus eſt, inedia, & ſui perpetua emaciatione in parata moneta centum millia aureorum reliquit. Opt. AA. quis hunc ſtolidiſſimum ſenem non dicat diaboli martyrem, qui ut lucrum augeret, ita vires ſuas detrivit pedes, & mucido pane inediam fugavit. Utinam hic ſolus ſenecio immanium ſtultorum ſyllabo, aut martyrum diabolicorum catalogo nomen proprium inſereret; at vereor, ne plures ſui ſimiles reperiat germanos, palmæ hujus infames candidatos.

Quantis quæſo ſumptibus & expenſis pluribus aliis carnea ſtat voluptas! hem! quanto frigore conſtricti plateas noctu pererrant hircini flagriones, ut damas ſuas ſuavi muſica contumulent! quot horis ille ad feneſtram ſcorti ſui graſſante bruma rigeſcit! hem ut ille ſtolprio tecto capite, demiſſo vultu Bertam ſuam per primas ducit plateas tumultuante Cauro! Deo Euchariſtico, aut Dei vicario Sacerdoti tantos jubeatur honores deferre, movebit acheronta. Prô! quæ non pericula ſubeunt in lupæ gratiam turpes proci! juvenis Leander nocte intempeſta per maris undas ad cyprios ignes natando properat, ut ſuos amores inſequatur; cúmque undæ multæ non poſſint extinguere flammas, fluctibus propè ac ventis obruendus identidem exclamat: *parcite dum propero, mergite dum redeo.* Galeatius Mantuanus Papiæ ad imperium lupæ, equo incitatô, ſe ex ponte in præterlabentem fluvium præcipitat. Alius crura ſibi denuò frangi permittit, ut claudicatio tollatur, quæ cauſa fuit, cur nuptias cum claudo contrahendas Berta rejiceret. Alius amaſiæ pectori hærentem acum deglutiit, alius pota meretricis ſanitate totum vitrum in gratiam lupæ dentibus comminuit & abſumit. Hos nunquid martyres dixeris diabolicos?

Ah! quid non ſuperbientes graculi & graculæ patiuntur? quàm enormiter latera & pedes coarctantur, ut graciles appareant domicellæ! quanto frigore per hiemem pedum plantæ ac genua excarnificantur, dum tandem hos thraſones incurabilis podagra corripiat? quot calamiſtris caput extollitur!

quot ligulis in altum criſta ſublimatur! quantis impenſis crines tornantur, aut pulvere piperantur futiles capilli, ut adhuc à matre rubenter pulli, amúſi & artium rudes aſelli, aliquam à canitie authoritatem emendicent, dum tandem & hi ſcabiem contrahant liquata pice curandam. Quanto gelu feminæ affliguntur, quæ in publicum digreſſæ collum & præcordia impia nuditate pervertunt; hæ omnes veri nominis martyres nuncupantur ſed diaboli martyres, cui ſcandaloſiſſimè plures animas tranſcribunt. De gulonibus quid dicam? plures utique vitris quàm mari hauriuntur, at num ideò martyres ſalutentur? omninò; ſunt martyres ſed diabolici; quidquid enim mortis aut doloris, hydrópis aut podagræ corpus infeſtat, ex gula & ebrietate promanat. Huc pariter ſpectant omnes hypocritæ, vani nominis aucupes, hoc ipſo digni, quos ſuo inſeratmartyrologio dæmon.

(7) Pſ. 71. E. Miracula.

Miracula patrare ſolius Dei eſt, teſte (7) Pſalmiſta: *qui facit mirabilia magna ſolus.* Æmulatur quidem ſuis pro viribus hæc quoque chariſmata procax ſathan; at mera ſenſuum noſtrorum ludificatio eſt, quâ cæcos mortales ſupplantat. Bernardo Authore (8) *transfigurat ſe quidem malignus iſte ſpiritus in Angelum lucis, ut virtutis ſimulationem plus noceat; ſed & tunc quoque ſi diligenter animadvertimus, nunquam niſi amaritudinis & diſcordiæ ſemina ſpargit.* Finis ergò omnium harum transformationum, quas dæmon captat, unicus eſt, fallere mentiri, fucis & fraudibus animas prædari. Utut ergò ſe nobis exhibeat obſequioſum, & familiarem, ultimũ ejus ut ſic ſemper eſt pernicies noſtra, & ruina ſempiterna. Fides ac fiducia communi ex diverbio, equum diſſipat, rectius dixero, animam in orcum præcipitat, ſi minima fides ac fiducia orco & orcinis obſequiis deferatur. Utut ſe pium ſimulet; utut opera urgeat charitatis; utut ſummi Dei gloriam promoveat &c. ſemper verum erit dicere: *latet anguis in herba*; ſemper trito illo verſu circumſcribitur: *hic niger eſt, hunc tu Romane caveto;* ne tu pariter nigerrimis ab ipſo carbonibus infectus, labem contrahas nullô ævô expungendam, prout multi damnô ſuô experti ſunt ſempiternô. Illi pio & tenerrimæ conſcientiæ Viro, magni nominis aſcetæ Valenti ſæpius tanquam

(8) S. Bern. Ser. de util. verb. Dom. F. Transfigurat ſe malignus in lucis Angelum tenebrio.

quam lucis Angelus se spectandum præbuit, eúmque in suis pietatis ac pœnitentiæ operibus perpetim roboravit; sed cur? ut tandem animô suô spiritum superbiæ valens reciperet, toties à cœlestibus geniis in solitudine sua visitatus. Hoc ut assequeretur, etiam ipsius Christi multis Angelis circumdati formam induit dixitque: placuit fides ac pietas tua etiam mihi; te proin coràm visere statui & benedicere; prodi ac Deum tuum adora &c. sic dæmoni utroque genu lunato tantâ superbiâ intumuit, ut palàm diceret, se nullius ope, nullius solatio indigere; hodie enim se ipsum Christum oculis spectâsse. Inde sua mente ita motus & emotus est, ut Palladio teste (9) tanquam vesaniâ laborans etiam ferreis compedibus constringeretur. S. Wolfgango sociam operam contulit in extruendo sacello, quod meis hisce multoties spectatum adhuc hodie prostat; distat Salisburgô novem horis, eóque bis per annum nostra ex Parochia urbica supplicatio ducitur. At cur hic loci murarium egit Wolfgango? nullam ille operam homini collocat, nisi duplicatum inde fœnus orco excrescat; pactus est Satan, ut Wolfgangus primum ei peregrinum transcriberet. Condixit Sanctus, at precibus suis Sanctus Eremicola, qualis tunc erat Wolfgangus, evicit & obtinuit, ut erectô sacellô proxima è silva lupus peregrinum mentitus approperaret; quô viso mox Sanctus ad Satanam: hem prædam tuam! cape quod tuum est, & vade. Hac mercede confusus Satan lupô in frusta discerptô, abiit excessit. Nulli labori dæmon parcit, ubi unica anima in lucro reponitur. Væ adeò illis omnibus, qui Satanæ operâ utuntur, nisi vitæ sanctimoniâ cum Wolfgango sciat technas ejus annullare. Necdum annorum abiit Centuria, Monachii in Superiori Boica civis erat simplex ac rectus, cui tamen multoties noctu velut Angelus lucis teterrimus Satan apparuit, qui eum constanter animavit, ut singulis noctibus antequam se lecto committeret, nudis ac flexis genibus, & brachiis expansis integrum rosarii psalterium evolveret; id pietatis Deo summoperè probari ac integerrimæ matri ejus. Optimus civis evidenter persuasus Angelum hunc cœlô lapsum esse, totis viribus se noctu in preces dedit, paulatim tamen ita vires suas enervavit, ut nec officinam suam

(9) Pallad. in Laus. c. 31.

G. Dæmonis obsequia semper sint suspecta.

H. Civis à pio dæmone Monachii deceptus.

obire, nec feſtis diebus ullam poſſet eccleſiam frequentare; ne verò orcinam fraudem deprehenderet, aut ex laboris defectu puſillanimis redderetur, juſſit fucatus iſte Angelus, ut die Sabbathi à gallina recèns excluſum ovum aræ imponeret, & altera die reſumeret ovum. Fecit imperata, & ecce ovum recepit aureum, quo decuplo plus refundi vidit, quàm ipſe manuali operâ lucrari potuiſſet. Sic ſua in pietate roboratus, perrexit pſalterium evolvere, donec re ad prudentem Confeſſarium delatâ, ipſe hic conſcientiæ arbiter viribus fractum domi viſeret, & orci fraudem ſubodoratus coram ipſo aureum ovum malleò diffringeret, & palàm monſtraret, nil præter horridas ſordes & execrandam mephitim ſub fucata auri forma delituiſſe, ut ann. perhibent (10) Monacenſes Societatis. Hæc ſibi quoque dicta probè notent illæ precatrices feminæ, quarum tota perfectio juxta ipſarum prava judicia in precibus continuò deblaterandis conſiſtit, interim ora & linguæ jam hunc jam illum & illam liberè proſcindunt. O quantùm etiam has inter oratrices Bertas decepta eſt Virgo illa Gandenſis, de qua Delrio refert (11) ſequentia: hæc miſella diu orationi vocabat, & ſacra frequentabat; ſed vel non ſatis exercitatum nacta eſt Confeſſarium, vel ſi nacta eſt prudentem, ei ſecreta ſua ſpiritualia non omnia patefecit, aut benè monenti obſecundare noluit, (quorum poſtremum pluribus Bertis ſolenne, quæ ſibi plus ſapere videntur, quàm omnes Theologi) quidquid horum fuerit, eam paulatim variis revelationibus etiam ſuperbiæ ſpiritu inflavit dæmon; tandem, quod caput eſt, perſuaſit eam meritis ipſi quoque Deiparæ Virgini parem eſſe, unam fœcunditatem illibatæ virginitati junctam deeſſe; ſi tamen in ceptis ſtrenuè perrexerit, id quoque conſecuturam. O vaferrimum commentum & ingenio muliebri ſplendidè accommodatum! tanta cùm eſſet, jam per annos aliquot ſe nullius confeſſionis indigam reputabat, neque tamen à ſacra ſynaxi abſtinebat. Quid multis? ſemel cùm in templo ſola verſaretur, ſolito ardentius illud virginitatis maternitatis ſociandæ beneficium poſtulabat, & mox hæc ab alto audiebat: bono ſis animo dilecta, exorâſſe te ſcias Deum almipotentem; conceſſa tibi eſt unà cum caſtimonia fœcun-

(10) Ann. Soc. Colleg. Monac. an. 1588.

(11) Delr. diſq. Mag. l. 4. c. 1. q. 3. ſ. 5.

Precatrix Berta horribiliter per diabolum everſa.

fœcunditatis prærogativa, quam petiisti: de cœlo te gravidatam confide: commiscuit enim hæc inter oracula se cum vivo dæmone lucis Angelum mentito. Domum reversa sensit uterum intumescere, expleto partus maturandi tempore, pium quemdam & prudentem civem adiit prægnans, rogans enixè ut intra domum ejus sibi parere liceat, arcanum fore stipulata: Civis nec credulus dictis de revelatione, neque tamen virginem domo excludere sustinuit, veritus, ne plebi novam criminandi materiam præberet, suscepit eam, adhibita obstetrice fida, quæ partum exspectaret. Torquebatur hic loci horridis doloribus pænè quotidie, tandem pro humana prole, magnam fœdissimorum vermium copiam uterò effudit, quorum tam dirus erat aspectus, ut omnes exhorrescerent, tam teter & graveolens odor, ut tanto fœtore prope propius exanimarentur. His actis se tandem pessimè à Satana delusam esse intellexit misella, unà manibus palpans superbiæ fructum, quem à superborum principe Satana retulisset. Posse dæmonem semine humano aliunde transumpto & suis in caloribus retento in corpore pariter assumpto feminis comisceri, certum est ex Delr. Beierlinc, Scherer, & aliis pluribus. Sic ergò hujus Berthæ imprægnatio diabolica disputari haud potest. Nemo itaque huic nebuloni fidem habeat, licet nescio quæ spondeat, & ad opera quævis piissima obvios extimulet. Semper ille lucrum quærit animæ nostræ, quamcunque ille gratiam deferat.

Dæmon Eleemosynâ abutitur ad perdendas animas.

Quis credat mali aliquid sub S. Eleemosyna delitescere, ut eâ posset Satanas abuti in perniciem plurium animarum. Nihil tam sanctum est, quod non suo fœtenti rostro irruat & conspurcet. Prout Didacus (12) Navarrus memorat, & ex eo atque aliis fide sua dignissimis AA. recenset Bonciarius (13) stabat in Alvernis Italiæ PP. Franciscanorum cœnobium ubi in summa orationis ac jejuniorum perenni studio diu noctúque Deo ardentissimè servitum. id cum orcus ultrà ferre non posset, more suo servi formam induit dæmon, mentitur se Senis oriundum, & arcis Regulo, cui in votis erat fidus verna, sua commodè obsequia defert. Utuntur ipsi AA. hoc terminô *Reguli*. Quid rei ferat propriè, haud scio. Nec Reges nec Regulos jam à multo tempore in Italia substitisse,

(12) Did. Navar. l. 10

(13) Bonc. in Lib. Hist.

certum eſt ex hiſtoriis, ubi hoc nomen pridem evanuit. Quid vox illa *regulus* in Scriptura deſignet, novi quidem, an autem hic loci idem denotet, auſim affirmare. S. Irenæus per vocem *regulus* Joan. 4. *Centurionem* vult intelligi; Cornelius contrà in Joan. *Nobilem* ſumi vult, alii *Herodianum prætorem*. Salmeron (14) meminit olim *Reguli* nomine decoratos eſſe, quosvis vel urbium vel oppidorum præfectos & rectores, prout in Italia ferè quivis Urbis Parochus dici ſolet Epiſcopus. Quidquid ſit, nolim de vocibus multùm tricari. Satius in titulorum exceſſu hoc ſuperbiente ſeculo erraverim, quàm in defectu. Hunc ergò *Regulum* poſthac *Comitem* dicam *Italum*. Didacus ſervi nomen allégat, at reguli hujus nomen ſilentio involvit. Orcinus nequam *ſe Vulpium* dixit. Conveniunt rebus nomina ſæpè ſuis. Vel ex nomine colligi poterat indoles vulpanſerina; Hunc ad negotia domi forisque expedienda ſuis domeſticis Comes accenſet; Vulpius totô annô fidem atque operam ſuam ita Comiti probat, ut vel manibus palparet, ſolum hunc plùs aliis tribus elaborare. Nihil hic Vulpiô in omne negotium promptius, nihil illô expeditius. Faſſus eſt Comes, ſe huic ſimilem nunquam habuiſſe, nec inventurum, totum ſi orbem excutiat. Tot arduis etiam curis ritè probatum, tandem Vulpium in cubicularium ſuum reformat, inde ſuæ arcis etiam œconomum conſtituit: Verbô Vulpius iſte Comitis animam ita lucratus eſt, ut crederet Regulus, ſe ſine Vulpio nec iter adornare, nec pedem poſſe ſuis ædibus exporrigere; quin ipſa etiam arcana uni Vulpio detegebantur. Hæc erat belliſſima occaſio, quâ orcus clauſtralem diſciplinam everteret. Erat multò antè in Patres rigidior Comes, & illis nihil unquam eleemoſynæ transmiſerat, cùm verò iterum iterumque oculis ex vicinia hi Patres objacerent, extulit ſæpiùs coram Regulo Vulpius Patrum horum caſtimoniam, pietatem, patientiam, zelum, ea emphaſi, ut tandem ex hoſte intimus fieret amicus. Sic factum, ut ex arce frequentes eleemoſynæ ac liberales bellariorum ſuppetiæ in cœnobium transmitterentur, carnes, piſces, legumina, panis candicans & ſuavè mordicans ſalernum. Inde fratres non modò affluenter ſed & lautè ac molliter vivere ceperunt. Alias inter cauſas cur Sodoma olim periret, ut Ezechiel (15) memorat, etiam fuit hæc affluen-

(14) Salm. tam. 6. de mir. tr. 9.

(15) Ezech. 16.

affluentia: sic loquitur Script. *hæc fuit iniquitas Sodomæ, saturitas panis & abundantia.* Ex gula nata est lascivia, quam Deus igne cælitus lapso extinxit. Hinc Israeiitis olim hoc salutare monitum Deus inculcavit: *attende*(16) *ne comedens & bibens & saturatus, obliviscaris Domini Dei tui.* At scimus fideliter monitos Deo suo recalcitrâsse. Sic iterum (17) Script. *manducavit & bibit & saturatus est & impinguatus & recalcitravit dilectus meus.* Huc huc pariter Vulpius respexit, cùm liberalem eleemosynam pro cœnobio urgeret. Sic disciplinam pessúmdare, sic chorum evertere, sic jejunia tollere, sic preces turbare intendit; & fortè votorum suorum metam attigisset, nisi mature providus superior his malis obviâsset. Erat vir iste apprimè religiosus, zelosus, legum studiosissimus sectator semper sobrius ac Divinis mersus, hostis irreligiosæ compotationis; vidit adeò quantocius hac effusa liberalitate licentiæ semper damnosa fores reserari, vitæ spiritum luxari, cultum laxari cœnobiticæ disciplinæ, turbari chorum. His maturè resecandis, ipse statuit Comitē adire, eúmque sua in arce coràm salutare. Admissus agit primitus liberales gratias pro fusa charitate toti hactenus cœnobio impensa, at rogat simul, eâ imposterum abstinere, ac nihil ultra mittere dignetur, donec ipsi essent eleemosinam rogaturi: lautitiam & copiam non esse illorum, qui omnibus seculi deliciis spontè renunciârint, monasticæ disciplinæ & omnium virtutum principalem custodem esse *parsimoniam.* Subdit tandem, se cum suis vehementer mirari, unde tam profusa liberalitas profluxisset. Faciam, inquit Comes, quod vultis patres mei. Nihil ultra per meos mittam, donec petatur. Ceterùm me vobis ita benevolum reddidit œconomus meus, negotiorú omniū strenuus curator, pius, sedulus & optimè toti cœnobio affectus; hic vestram familiam deprædicat constanter, aitq; illas eleemosynas Deo esse gratissimas, quæ huc transferrentur. At ego, ait Guardianus, hunc ipsum libens viderem, acturus eidem pro tot beneficiis meritas grates. Vocatur jussu Reguli Vulpius, qui tamen mox tergiversari, alia ex aliis fingere negotia, quæ deserere haud posset, alio tempore auditurum, quid monachi imperarent. At moras increpante regulo & illius præsentiam urgente, comparuit tandē, in puncto à pio Cœnobiarcha agnitus, mox coram Regulo adjuratus est, ut palàm fateretur, quo

(16) Deut. 8.
(17) Deut. 32.

L. Per gulæ bellaria totum monasterium subruere cogitat orcus.

quo aſtu, quo conſilio ſuum ſit Comitem hortatus ad monachos omni benevolentiæ ſtudiô fovendos. Verum dicere coactus mendaciorum pater, mea inquit malignitas invidiæ ſtimulis ſuccenſa mihi perſuaſit, ſi caſtitatem & conſtantiam veſtram expugnare vellem & funditus evertere pietatem, non alias ut machinas admoverem, quàm largiorem in cibo & in potu luxuriem. Id mihi bellè ſucceſſiſſet, niſi tu aſtum meum deprehendiſſes. Hæc inter ſuſcitato enormi ſtrepitu in auras abiit ſtygius veterator. En ut ipſe orcus ipſa Eleemoſynâ turpiter abutitur ad animas etiam in clauſtris perdendas.

Opt. AA. audio nonnullos muſſare, capita video collidi. Id me tanget. Cur? dicent nonnulli, ubi tragicum hodie factum, ſingulis dominicis promiſſum. Eſto de orco actum ſit hactenus & dolis ejus, nil tamen adhuc tragici auditum. Sto promiſſis, & ut hæc etiam vota expleam ad amuſſim, tragicâ hiſtoriâ hodiernum ſermonem concludo, prout eam Delrio allégat (18) & Raynaudus: (19) Spadoci oppido Brandeburgico miles quidam per Marchiam iter faciens cum morbô impeditus detineretur, decumbere in loco coactus, crumenam ſuam militaribus prædis refertam hoſpitæ tradit aſſervandam. Poſt aliquot dies ſibi redditus ſaccum repetit. Mulier avaritiæ ſpiritu obſeſſa, tantam cum pecuniâ reddere nollet, cum viro ſuo ſtatuit depoſitû negare conſtanter, & ejurare, ſe nihil unquam accepiſſe. Repetit adeò quod ſuum eſt perpetim miles, hoſpita ſuo cum marito identidem negant pernegant, ſe quidquam pecuniarum vidiſſe vel manibus attrectâſſe, inſuper mirati militis efrontē impudentiam, qui auſit petere, quod nunquam depoſuiſſet. Miles rei indignitate commotus utrique perfidiam objicit; extruditur inde miles ædibus, quo ſcelere plùs ultrà miles irritatus, ante fores gladium ſtringit, & velut impetum facturus in virum, januam ferit. Hoſpes vicinorum fidem inclamat, queritur ædem oppugnari, de vi & impoſtura militem in curia accuſat. Accurrunt ſine mora lictores, & militem, quòd vim feciſſet publicam, in carcerem abſtrahunt. Poſt aliquot dies oppidi Senatus aliô mittit facti totius narrationem, & ſententiam exſpectat. Conſtabat ædes publicas oppugnatas eſſe, illatam vim, hoſpitem vix fatum evaſiſſe; vibratur itaque ſententia, quâ morti miles adjudicatur. Nullus erat, qui pro miſero milite cauſam ſuſcipe-

(18) Delr. diſus mag. l. 3. p. 1. q. 7. ſ. 2.

(19) Rayn. t. 13. de pileo. ſect. 10.

M. Dæmon agit advocatum, ut animam perjuri cauponis lucretur.

ret,

ret, offert se proin ipse dæmon captivo, eique palàm ostendit, quâ sententiâ jam actu esset per alios fulminatus, & quâ crastina esset ab urbis Primoribus feriendus, spondet unà se hoc eum periculo certò exemturum, si modò se velit diabolo transcribere. Horruit ad hanc vocem miles, potius se moriturum professus, quàm ut se orco committeret. Cùm videret actum agi dæmon, iterum iterumque ei certam spondet liberationem, sine ulla conditione, id tantùm cum milite paciscitur: si veneris, inquit, in judicium, dic te imperitum esse forensium causarum & patronô egere, ibi & ego eminus stabo pileô tectus cœruleô. Pete ergò, ut me jubeant pro te causàm dicere. Acceptat miles pactum sine ullo, ut credebat, lucro in dæmonem devolvendo. Altero die in judicium miles educitur, adest etiam pileô tectus cœruleo dæmon. Petit actor ob vim publicam, capitali supplicio multari militem, miles contra petit publicè, ut sibi forensium negotiorum imperito militi liceat pro se advocatum eligere, qui militis nomine causàm dicat publicè. Datur licentia, mox ergò advocatus ille pileô cœruleô tectus in medium provocatur; hic ita peritè, ita fortiter militem defendit, probatque ab hospite per vim ædibus extrusum militem fuisse & antè spoliatum, locum monstrat, ubi domi pecunia vi ablata delitescerat; id cùm hospes acerrimè negaret, se quoque diris omnibus palàm devoveret, his tandem imprecationibus toti controversiæ finem imponit: *rapiat me vivum diabolus, si fallam.* Vix diras evomuit, hospitem irruit advocatus, teterrimum dæmonem repræsentans, & cauponem abreptum cum fragore abstrahit, nullis uspiam reliquiis infelicissimæ orci victimæ relictis, nisi vestibus nonnullis ex aëre in forum dejectis. Sic innocens miles non tantùm libertatem cum vita, sed bursam quoque cum pecunia recepit. Hem! quis jam fidem habeat diabolo? ardebat hic duas simul animas mactare, militis & cauponis; illa cùm stygios ungues eluderet, hanc saltem retinere contendit. Videant hîc irati, quàm periculosas voces evomant, in orcum provocant. Exuant potius hanc tetram consuetudinem, & se Deo, Reip. & Angelis commendent, à quibus singulis d ebus novum robur hauriant, quò totam stygem felicissimè triumphent. Amen.

# CONCIO XVI.

# DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

*Et hoc erat mutum. Luc.* 11.

## Prava Confeſſio.

(1) Hom. Il. 1.

PRiſcos inter Poëtas Homerum (1) & alios nihil tritius eſt AA. quàm *orci galea.* Ut nebulonum omnium Coryphæum nebulonem ſuis ritè coloribus depingerent, dicere ſolebant: *hem ſodes iſte orci galeam induit*, quaſi dicerent: *hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.* Rectè orci dicitur galea, quia hâc utplurimùm orcus utitur; hâc veluti peplô totum caput circumdat; hâc cornua-ſua occultat, ut tam properè agnoſci ampliùs non poſſit, galeâ tectus dæmon. Hanc galeam pridem verbis illis detexit (2) Jobus: *protegunt umbræ umbram ejus.* Transformat ſe quidem in Angelum lucis, ut dictum eſt lapſâ Dominicâ, interim ſuô etiam modô lucem odit, & tenebras oberrat, tegit pro viribus pravitatem, & galeam capiti ſuo inducit millies, ut ne opera ejus patefiant. Quod tamen omnium deterrimum eſt, non tantùm ipſe caput ſuum galeâ velat, ſed totis etiam viribus ſatagit, ut nos pariter idem capitis velamen captemus. Vultum & oculos noſtros obvolvere intendit, ut nec divini luminis flammula imas pectoris fibras irruat. Hunc tenebricoſum dæmonem ritè ut perſtringam, utor exorciſmô, prout à Dultrem. (3) deſcribitur. Adjurabat fortè ſacris Eccleſiæ carminibus optimæ vitæ Sacerdos energumenum, ut nomen ſuum ac ſociorum dæmon proderet inquilinus; dedit reſponſum orcus, ſed quod nemo exſpectabat: mihi, inquit ille nomen eſt, *claudens os*, alteri *claudens cor*, & tertio tandem *claudens burſam.* At ubi quartus, *claudens aures?* Hic ultrò, quid

A. Orci galea quid?

(2) Job. 40.

(3) Dultr. in Am. incr. l. 4. c. 4.

quid sit *orci galea*, orcus explicuit: premit totum caput flagrio, os, aures, præcordia, burlam. *Bursam* quidem *obstipat*, ut nunquam amplius suum ad dominum iniquitatis mammona revertat, sine quo tamen actum est de salute, juxta illud Aug. (4) *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Sublata restitutione, nullus ultrà meritis locus datur; gratis preces & eleemosynæ funduntur; gratis corpus jejuniis emaciatur; gratis Romam usque & Jerosolymas peregrinatum excurritur, si mammona interim tenacibus bursis concludatur. *Corda comprimit*, ut ne animô migret ira & invidia, rancor & inimicitia cum perenni damno irrati; quamdiu enim mentem occupant hæ stygiæ passiones, preces pariter & jejunia tua, temperantiam & charitatem flacci fecerim. Libro viventium erasum est nomen, donec animus fuerit his fæcibus purgatus. *Aures oppilat*, ne per neglectum aut contemtum concionum aut saluberrimorum hortaminum, se suis è pravitatibus in altum sustollat morituriens animus. *Os stringit*, ut inflatus thraso ex superbia, tumidas effusus in iras ex abdito rancore, alios ultrà nec salute, nec alloquiô dignetur; ut æstrô invidiæ percitus vicini laudem contumulet, vel obumbret; ut acediæ spiritu infessus nec fervidas preces, nec Deo amplius debitas grates refundat; ut pusillanimis hominum palpo ex impio respectu veritatem retundat, ubi tamen justitia exigit & charitas, ut tota sine peplo in lucem eruatur; ut tandem luxuriosus carnis procus in S. tribunalibus suas promere spurcitias erubescat, cùm tamen sit necessitate medii indispensabiliter ad æviternam salutem necessaria vocalis omnium confessio, siquidem viribus humanis valeat expediri; sin minus? invicem illius contritio succedit. Opt. AA. hâc unâ galeâ repressæ confessionis, tot meô judiciô animas orco lucratur galeatus dæmon, ut reliquos omnes numerô singulorum in unum collectô, solus superet ac triumphet. Novit apprimè dæmon, quantum boni pendeat ab integra orci reseratione; quantum pariter lucri orco accrescat ex valida oris oppilatione; hinc totis in id viribus collaborat, ut erubescant dicere, quod non erubuerunt patrare. Oraculum Divinum est: (5) *qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit,*

(4) S. Aug. ep. 54. ad Maced.

B. Tres maximè dæmones mundum infestant.

C. Princeps illorum est galeâ instructus dæmon, ut flagitia reprimat in confessione.

(5) Prov. 28.

*rit, miſericordiam conſequetur.* Prô! quot millia in orco ardent, ardebuntque ſine fine ſine termino, quòd ab hoc galeato tenebrione ſe quoque decipi, ſe *orci galeâ* concludi paterentur. An placet rei hujus recens paradigma intueri? oculos in Americam transmittamus & aures, viſuri unà & audituri horribilem tragœdiam, quam *orci galea* luſit cum Catharina. Facti veritatem nemo in dubium trahat; nimis multi & magni ſunt, qui ſuis idem calamis deſcripſerunt Franc. (6) Bentius. Antonius (7) Dauroultius, Martinus (8) Delrio Jacobus (9) Lobetius. Leopoldus (10) Mancinus. Joannes (11) Biſſelius, & plures alii. In Regno Peruviano Americo urbs eſt, cui nomen Itata. In edito urbis hujus caſtello matrona quædam habitabat, oppidi illius, ut apparet, præfecta, ſic à Viro Conjuge nuncupata, qui ſicut vitæ ſocietatem, ſic pariter officii & appellationis ſuæ communionem uxori contulit. Hujus in obſequiis virgo erat decem circiter & ſex annis nata, cui nomen Catharina. Profecit hic loci ætate ac viribus corporeis, ſed unà etiam licentiâ crevit vivendi. Vidit hera mores diſſolutos ſua in pediſequa, eamque crebris hortatibus ad conſtans virtutis ſtudium exacuit, at cùm ventis & ſomnis omnia traderet monita, eò tandem ſordidarum conſuetudinum demerſa eſt, unde pedes ſuos ægerrimè retraheret; verbô amare cepit & amari, prodiga ſui laſcivam conſuetudinem cum procacioribus juvenibus contraxit, quorum in arce illa, tot inter famulos ſcribas & pediſequos vernas, copia deeſſe non potuit. Hos inter mutuos amores adhuc pia & pura virgo ſalutari voluit Catharina; ita nempe vel hôc ævô nulla amplius efrænis lupa dici vult aut infame proſtibulum; horum vicem honeſtiori nomenclatura nunc *damæ* obeunt & *domicellæ.* Niſi ad cunas venter properet, omnes eſſe geſtiunt virgines; itaque ſcelus hoc increbuit, ut, modò tectum ſit, caſtimonia prædicetur, & omnis illa jam ſatis ſit pudica, modò tantùm clanculò ſit impudica, harum numerum ſplendidè auxit hæc lupambula, quæ licet perditis quibusdam impiè conſueſceret, & hac de re iteratam criſin ab hera referret, non deſtitit tamen heræ ſuæ prævio exemplô ſacras Confeſſiones iterare, mira ſemper arte turpitudinis flagitium occultans, ſive ut ſacros Conſcientiæ judices

(6) Bent. in An.
(7) Daurult. flor. c. 5.
(8) Delr. disq. l. 2. q. 26. Sect. 2.
(9) Lobet. Dom. præt.
(10) Manc. in paſſ. l. 8. Diſſert. 3.
(11) Biſſel. de peſt. peccat. fruct. Ex. 6. n. 12.

D. Probatur exemplô tragico. Hiſt.

u dices fictitia probitate splendidiùs falleret, sive ut impuniùs peccaret. Accidit hoc in articulo Catharinæ, quod illis solet contingere, qui fervidius jusculum, aut calentem bolum per imprudentiam ori suo properanter ingerunt; hi postquam diu multumque cum eo intra os & guttur luctati sunt, verecundiâ, tandem cibi præcalidi ore iterum evomendi & strophiô excipiendi, in transversum acti, totum potius utut viscera exurentem bolum deglutiunt, quàm se palàm confundi patiantur. Sic & hæc pedisequa bolos graviores turpitudinum suarum semper resorpsit, minutiores labeculas confessa, ne tam perditis moribus infecta pro turpi meretricula & efronte scorto haberetur. Tetigit tandem hanc sacrilegam puellam vindex DEI manus, eique letalem morbum immisit, futurum opportunum monitorem, si modò eum acceptâsset. Adfuit ægrotanti vir morum ac vitæ integerrimus Jacobus Samaniegus Soc. JESU Sacerdos, eamque officii sui strenuè admonuit, ut confessione sacra maculas animi elueret. Paruit ad speciem ægrota, novies circiter hoc in morbo Patri confessa, nunquam tamen ut debuit, sed ut semper hactenus consuevit, fallaciter & mutilatè; levioris notæ peccatilla numerosè detexit, noxas graviores & propudiosas turpitudines suas pudore victa altô semper silentiô pressit. Dicent hic nonnulli rudes maximè & imperiti, qui nonnisi arctè à Confessario interrogati noxas suas enarrant: cur Pater puellam hanc non probè examinavit? feciſſet harum turpitudinum aliquam mentionem, fortassis abjecto pudore totam fuisset pravitatem confessa. Audio hebetes momos & mordaces aristarchos, rudes tamen atque hebetes dico, quia sic dici merentur; quis enim vitio vertat Confessario, si talem judicet pœnitentem, qualem invenit. Judicium est sed sacrum, non profanum & seculare, ubi suis sæpè tormentis & ponderosis quæstionibus à reo exprimunt veritatem. Hæc tortura Sacris tribunalibus nec competit nec congruit. Actus conscientiæ libertatis actus sunt, ergô liberè producantur; hos qui reprimit, sibi uni culpam imputet & ignaviam, eos si videat post fata subjici torturæ. Non tenetur Sacerdos ullum cum reo suo examen instituere circa occulta candidè revelanda. Quod si præstat ex charitate, laudari potest, id verò

ſi prætermittat, vituperari non poteſt. Hoc in judicio ſua ſinguli ſua ſponte fateantur, & ultrò expromant, quæ hoc in genere conſcientiam gravant. Moriatur quis ſuis in peccatis ex homologeſi non expunctis, & coram Judice ſupremo cauſam ſuppreſſi ſceleris in defectum examinis conjiciat, actum aget, peribit, & damnabitur, Confeſſariò ſalvò integrò, manus ſuas in ſanguine damnati lavante, tanquàm omnis culpæ immuni. Et verò ſi etiam hic loci animos confitentes arctius explorâſſet Samaniegus, credibile eſt, eam etiam ritè ac ſeriò inquiſitam, hæc probra impudenter negaturam fuiſſe. Patet id ex grandi deſpectu, quò non tantùm pœnitentiæ Sacramentum, ed ipſum etiam piiſſimum Sacerdotem eluſit. Vix abiit Pater excepta Confeſſione, abeuntem nasò ſuſpendit aduncò ægra, tum ad conſervas ſuas converſa: ſiccine furtivos amores meos huic ſeniculo allinam! quid ad illum hæ voluptates? tam ſimplex tam bœota non ſum, ut huic uni mea commercia credam. Alios ſibi quærat naturâ ſuâ molliores puellas, mihi non imponet. Secretum meum mihi. Addidit his etiam alia verè propudioſa, & occultarum libidinum procaciſſima ventilabra. Hæc judicia temeraria non ſunt, licet occultas pravitates attingant; ubi enim ita contemtim de Sacramento, & Sacramenti miniſtro ſacerdote nulla mente mota ægra loquitur, & non tantùm ſacris profana, ſed etiam impudica & ſupremè ſcandaloſa miſcere auditur, ſine ſcrupulo his è præmiſſis hæc concluſio formabitur: hæc vel venefica eſt, ac ceteros omnes ſuis ſermocinationum philtris evertere contendit, ſic à Satana peſſimè inſtigata, vel ſaltem impudens meretrix, aut inſignis eſt adultera, aut hæc omnia ſimul eſt, unde cum ejus animæ ſtatu peſſimè agatur. Sic argui vult ipſe Chriſtus (12) *ex abundantia cordis os loquitur, & bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona, & malus ſimiliter mala.* Deferebantur blasphemæ ac impiæ voces ægrotæ ocius ad arcis præfectam, quæ jure his probris commota, rejectis omnibus aliis negotiis, ad lectum contendit verbis acribus primò linguæ intemperantiam caſtigans, inde vultu iterum placato rogans, obſecrans, ut ſe totis animis ad generalem exhomologeſin pararet, hortata identidem, quanti hæc integra confeſſio hoc in articulo

12) Matth. 12.

ſit

sit faciendа ; nihil in ea reticendum, acerbissimis orcio pœnis silentium dici; occipit tandem remotis omnibus arbitris vultu ac voce ad omnem familiaritatem composita eam amicè explorare , dic Catharina , & quæ sunt illa occulta piacula , quæ confiteri renuis ? an ita gravia sunt , ut de venia pro illis obtinenda sit conclamatum? errat gravissimè , qui hæc animô volutat , mihi crede , nullum scelus fingi potest tam atrox, barbarum, enorme ac numerosum, quod pura & candida confessione non possit totaliter aboleri, nequidem, si cum ipso dæmone ictum esset fœdus, & anima cum corpore proprio sanguine orco fuisset transcripta; dic ergò quæ sunt illa, unde tantum confitendi horrorem concipias. Movit hæc suavior agendi ratio Catharinam, ut sine ulla tergiversatione ac reluctantia occultas quasvis scelerum sordes suæ arcis Dominæ recenseret, quæ tamen his à laqueis non poterat expedire Catharinam, Quid stultius ? quid ineptius? femina feminæ prodit occulta sine pudore, unde nulla potest absolutio hauriri, præsenti Numinis Vicario Sacerdoti, qui solus habet potestatem solvendi, secreta pandere stygius pudor prohibet Hujus farinæ stultos & stultas adhuc hodie reperias, quæ palàm coram vicinis sua propudia enarrant; alii coram sociis suis in popina suas evomunt pravitates sine ulla difficultate; alii etiam fraudes & furta jactant publicè, quibus hæc vitiata, ille vel ille lucrô suô spoliatq est &c. at cur non pari numero & candore hæc etiam in Sacro Tribunali promuntur? monuit idipsum providè ac prudenter ægrotantê servam arcis præfecta: mihi modò candidè detexisti, quæ animum premerent, sed jam ea tuo etiam confessario, mox redituro singillatim enarra, qui tibi validam omnium absolutionem impertiat, quid ad hæc ægrota? vellem equidem, si modò possem. Et qui te ab hac sincera exhomologesi impediat? probè notentur, quæ sequuntur; patebit inde, quis tot sacrilegarum confessionum Author sit & primarius incentor. Is, inquit ægra, totis viribus impedit, qui ad sinistram stat æthiops, identidem dehortans, ne scelus illud pudendum aperiam, eo quod levissimum sit, & nullius momenti peccatillum ; id tamen pater si resciscat, me apud illum dissolutioris vitæ labem contracturam. Hem technas & dolos, hem orci galeam, quâ reprimi, quâ velari & tàceri vult gravia flagitia dæmon, ut oprimat incautos sui-

ſuique improvidos poſt mortem impiam æternâ mergat abyſsô. Hæc licet æthiops occineret, addidit tamen à dextris præſentem Magdalenam omnium pœnitentium patronam ſedulò contrarium ſuaſiſſe, in lucem candidè proferret, & Confeſſario panderet, quidquid ſceleris in animo lateret, aliter ſanari non poſſe, niſi latens vulnus detegeret. Adfuit hæc inter Confeſſarius, de his omnibus probè prius per arcis Dominam inſtructus; is conclave, ingreſſus ſedulò muneri ſuo invigilans, ægram per quidquid ſacrum eſt, orat, obſecrat, liberè coràm explicet, quidquid vel animum gravare, ac Deo Judici graviter poſſit diſplicere. Innuit & jam terminis minimè obſcuris tergori hærens fatum nuntiat, paulò pòſt hoc ex cubiculo in domum æternitatis, è lecto ad ſolium Judicis eundum; Niſi tot monitis locum dederit, jactam eſſe aleam ſalutis. At ſurdo fabulam canere, viſus eſt Pater; quò ardentius iſte ad pœnitentiam extimulabat ægram, eò in horas obſtinatior reddebatur ægra; ita enormiter orci galea totam Catharinam obſedit, ut ad delictorum confeſſionem elinguis ipſum denique ſaluberrimum JESU Nomen enuntiare renueret, Jeſum ſe nec ſcire quid rei eſſet, palàm impiè profeſſa. Cùm eidem imago ac ſpecies Crucifixi exhiberetur, ut pariter in hunc oculos ſuos rejiceret, atque animô revolveret Cruci affixum Numen, oculos ad ſiniſtram detorſit, quam æthiops occupabat, de moleſtia ægræ illata multùm expoſtulans. Vix parum à lecto arcis Domina ſeu præſens Pater pedem dimovit, mox illa ſuos amores, ſuas turpitudines in lectulo decantare. Duravit hæc veſania ſat multos dies; donec tandē nocte quadam has in voces erumperet gemebunda: heu quantùm torqueor, quantùm animô angor ob Confeſſionem toties temeratam. Vix hæc ore vomuit, mox ultra medium noctis toto corpore obriguit, ut jam penitus mortua eſſe crederetur; ſed quæ ſumma fuit Miſericordia DEI, poſt aliquot horas tota vox revertit, à Deo cum viribus novis reparata, ut ſeipſam, ſi vellet, per ſeriam confeſſionem ſurſum libraret, ac cœlis animam inſereret. Ultimum erat inſtans, quod pœnitentiæ obtulit ter clemens Deus, at flecti ferrea, non tantùm pia omnium hortamina rejecit, ſed etiam irriſit, peſſimo omine horribilis fati mox ſecuturi. Jam labi ſpiritus videbatur, cum iterum iterumque monitis urgetur incaſſum; verſo enim mox ſuo & à Chriſti è cruce penduli effigie averſo vultu,

vultu, tandem animam ejecit peccatis ac spurcitiis suis immortua, & in æternum damnata, prout mox audiemus. Nox erat adulta, cùm Catharina extingueretur, & ecce mox tota arx tam fœtido ac putri odore perfusa est, ut necessarium esset loco patenti & aperto cadaver exponere, mox etiam tota domus orcinis umbris infestari visa, ut altera conserva eodem in cubiculo decumbens, arcis Dominam impensè rogaret, ut in aliud distinctum conclave transferretur, quòd, ut ajebat, circumcursantes & volitantes magno numerô larvas videret, quibus enormiter terrebatur. At operæ pretium fuerit, fusiùs ordine suo recensere, quibus modis hæc domus, extinctâ Catharinâ, per horridos lemures fuerit infestata.

E. Signa Spiritûs tumultuantis.

1. Conserva quædam nocte illa in ascensu scalæ secundum humeros grandem plagam tanquam calcis aut ungulæ à tergo percutientis excepit, ut humi rueret, nemine uspiam diræ percussionis hujus conspecto authore, manseruntque læsionis hujus signa in dies etiam sequentes satmultos.

2. Dominæ frater ipsa nocte, quâ obiit Catharina, injecto in se brachio quodam invisibili, invitus licet & reluctans, thalamô suô extractus est.

3. Eodem tempore mansuetus alioquin equus ac placidus, sic furere cepit, ut calcibus in murum arietaret, vincula omnia disrumperet, & hac illàc toto in stabulo percursaret.

4. Auditi quoque sunt eadem nocte horridi canum latratus & inquieti discursus, qui totâ pœnè viciniâ somnos turbabant.

5. Obruit totam arcem ita horrisonus turbo, ut immanes inter fragores tectô suô tegulæ solutæ, & per aërem dispersæ, ad duo passuum millia projicerentur.

6. Infelici cadavere terris abdito, cum quædam ancillarum, sordes pavimenti ex genibus purgatura, cubiculum introisset, in quo suis peccatis immortua erat Catharina, per invisibilem manum pede protracta est ex cubili, spectantibus id claro diequam plurimis, eâ tamen, quæ ancillam traheret, nullibi conspectâ.

7. Alia locum illum negotiorum causâ properè ingressa, sensit in se vas nocturnum, seu scaphium, magno ac valido impulsu projectari, unde clarè colligas, cubiculum illud vel penitus destrui velle, vel firmiter occludi.

8. Septimo die octobris, ſeu pridie feſti B. V. M. de Victoria heræ pediſequa non execrandæ memoriæ cubiculum illud, ſed veſtiariam ingreſſa, ut veſtes inde aſportaret, quibus altero die feſto indueretur; videt in medio ſtantem Catharinam defunctam nigris veſtibus amictam, quæ mox pedū ſuorum articulis innixa, ſe in altum erigeret, & vaſi æreo ex loco altiore arripiendo manum extenderet; arripuit etiam actu vas illud, arreptumque in conſervam ſuam projecit; at cùm hæc famula celeri fuga jactum præverteret, vas in parietem ſaxeum tanto impetu impactum eſt, ut in millenas partes diffringeretur. Hactenus certò ac evidenter reſciri non potuit, an ſpiritus Catharinæ, an alii lemures ita diu noctuque tumultuarentur? nunc verò ſe ipſam præbuit ſpectandam, ut oſtenderet à ſe tantos per arcem tumultus excitatos, & icones Sacras tot locis affixas in fruſta diſtractas eſſe. Ceterùm non ſemper nocturnæ aut diurnæ tumultuationes conjici debent in recèns ibi defunctos, ut nonnulli rudes autumant; hic quidem rectè fuit in recens extinctam devoluta; ex uno tamen actū non debet argumentum trahi ad omnes alios; neque enim licet ex particulari univerſalem inducere, ut norunt logicelli. Delrio alia inter (13) ſuo in aureo diſquiſitionum apparatu duodecim rationes allegat, cur ſubinde arces atque ædes à ſpiritibus infeſtentur. Obiter ſingulas recenſebo, ut omnes reſciant, quibus modis in ædes noſtras inviſi hoſpites iſti acciri ſoleant.

(13) Delr. l. 3 dis. quis. q. 7. ſ. 2.

F. Cauſæ 12. cur in ædibus toties tumultuoſi ſpiritus graſſentur, ex Delrio.

Prima eſt *contumax ſuperbia*, quâ ſæpè leges ſacræ & piiſſima conſilia perperàm ridentur. Huc trahe impiam ſobolem, quæ cùm ſæpè parentes ſuos contumaciâ & inobedientia ſuâ graviter affligat & exacerbet, accidit porrò ut parentes quidquid in buccam venit, irati evomant, mala omnia etiam ſubinde tetros dæmonas liberis ſuis imprecentur, & hoc ipſo à prævocato dæmone atrociter mulctentur. Currit, volat noſtram in perniciem vocatus dæmon, id Deus ſi permittat.

2 la eſt *odium, invidia, ſimultas & inimicitiæ.* Ubi canino ritu vivitur aſſiduos inter latratus, obliquos inter aſpectus & vindictæ deſideria, totus pœnè orcus præſtò eſt, ut fatuos ignes ſuccendat, donec in homicidium erumpant.

3tia eſt *carnalis libido, & conjungatorum intemperantia*, ob quam licuit olim aſmodeo ſeptem Saræ ſponſos interimere, quòd

quod Saram adirent tanquam equus & mulus, quibus non est intellectus ut Tob. (14) loquitur libellus. Ubi ergò fores nocturnæ omnibus petulantiis patescunt; ubi etiam thori aliàs legitimi turpis grassatur abusus, nemo miretur, has pariter umbras grassari. (14) Tob. 6.

4ta est *justorum piorumque hominum afflictio, persecutio vel crudelis cædes & proscriptio.* Hinc toties arces & castella, curiæ ac domus judiciariæ per orcinos lemures enormiter infestantur, quia his in locis sæpè justitiâ pedibus protritâ, innocentia mulctatur, vitium & pravitas absolvitur, atque adeò judicia euduntur diabolica.

5ta est, *agnitæ veritatis impugnatio, aut defectio à fide.* Nemo dicat hæreticorum ædes his umbrarum larvis immunes. Contrarium experientia docet.

6ta est temporibus nostris proh dolor! frequentissimũ malum, *blasphemia*, quâ 7. Salutis fontes, Sacramenta tam enormiter conspurcantur.

7ma est non minus frequens *execratio* seu *mala imprecatio*, quâ sæpè absolutè, sæpè conditionatè se quis orco addicit.

8va est *fœnus impium & usura* maximè in rebus sacris. Huc avaritia spectat per fas & nefas in plutum effusa.

9na est *duritia & immisericordia in pauperes* ac misellos, opis alienæ indigos Codros, quô vitiô utplurimùm avari sordescunt.

10ma est *irrisio Sacrorum mysteriorum fidei nostræ, abusus, contemptus cæremoniarum & sacrorum Ecclesiæ Catholicæ.* Hujus evidens exemplum nuper exhibuit Dom. Quinquag.

11ma est *Templorum & sacrarũ rerum direptio, expilatio, mutilatio, dilapidatio.* Caveant hic locorũ præfecti hospitalium, leprodochiorum sodalitatum (nam & hæc sacrorum nomine concluduntur) ne per comessationes sacrilegas suam in perniciem orcum provocent, ut gulam corripiat ex gazophylacio Christi opiparè instructam, quod furtum est sacrilegum. Huc spectant bona iniquè parta & sepulta, ubi plerumque cerberi vigilant trifauces.

12ma est *desperatio*, quâ quis Deo ac saluti diffidat, seque ipsum duplicata morte perimat violenter. Has 12. causis horribilibus exemplis confirmat Delrio, alibi referendis, cum

hodie expediri reſtet Catharina. Unum tamen has inter duodecim cauſas vehementer admiror, cur nempe Delrio non his etiam laſcivas venerum icones annumerârit; ſcimus enim, ut infra fuſius dicetur Dom. 22. poſt pent. dæmones magnô numerô illis in ædibus confluere, ubi venereô penicillô piétæ proſtant imagines. Nunc ergò ad Catharinam redeo, viſurus porrò, quid actum, poſtquam reſcitum eſt, ſpiritum Catharinæ totam per arcem horribiliter graſſari.

9nò itaque varias Chriſti Crucifixi imagines malo pellendo foribus affixit præfecta, quas tamen mox in partes diſtractas oculis paſſim objacere conſpexit.

10. Hæc omnia Dominam movebant, ut in hortum migrare ſtatueret, dolium noctu cum Diogene habitatura, donec ara expiaretur; at neque hîc quies fuit. Cœnantibus ſub dio, medius later in lancem projectus totam cœnam evertit.

11. Inſuper quinquennis filiolus eodem in horto clamáre cepit & vociferari: juva mater ah juva! Catharina præſtò eſt & me ſuffocat. Cur innocentulum umbra corripuit? poſuit nempe & à collo removit agnum Dei innocens puellus, hinc illæ lacrimæ & ſpiritus damnati poteſtas. Hem quô locô eſſe nobis debeat ſacra hæc & orco impenetrabilis lorica. Vix agnum induit, umbra evanuit. Ineptè quidam luridi parentes culpam faſcinatæ prolis ſuæ in Baptiſmi miniſtros non ſine gravi probro in Clerum detorto, conjiciunt; ſibi potius ac ſuæ pravitati malum liberis creatum adſcribant, qui nec ſacra curant ipſi, nec ſacris liberos inſtruunt, ſed illis perpetim tot diabolos, tot morbos ac mortes imprecantur. Aliud foret, ſi ſcires evidenter hanc prolem eſſe ab Hollando bapticatam, ubi ſcimus pro aqua vinum adhiberi, & in materia peccari: hic ſuaſerim rebaptizationem conditionatam, ac ceremoniarum ſuppletionem in ſilentio ſine publico ſtrepitu expediri, ut jam habet communis.

12. Reſtat tandem ultimus præſentis tragœdiæ actus, nunc paucis producendus. Cùm tot malis monita arcis Domina toti arci nuntium cum ſuis remittere, ac in alias ædes migrare ſtatuiſſet, tres animoſiores ancillas in arce reliquit cum binis fortio-

fortioribus famulis, ipsa cum reliquis alio movit. Decimus erat Octobris, quô omnis tumultus visus est sopiri, ibat dicto die una ex ancillis circa vesperam sola in penuariam cellam; vix fores aperuit, proprio nomine tertiùm citatur, voce ut credebat ab ore proflua Catharinæ, quam tamen non viderat. Territa suas ad conservas recurrit, easque secum socias sacro lumine instructas in penum reducit, auditura, num forsan adhuc juvari possit Catharina. Intrant singulæ suis cum ardentibus lychnis, at mox iterum vox audita: non sic, non sic, tu sola huc pedes exporrige sine lampade, reliquæ abscedant; nihil est quòd timeas; nunc dicam, quid actum sit cum Catharina. His dictis ad latus stabat Angelus, qui ancillam firmabat, ut intrepida vocem exciperet. Paruit ancilla & ecce mox horridam speciem flammis undique vestitam umbra exhibet aitque: hem adsum tandem Catharina conserva tua æternùm damnata, quia leviores culpas confessa, graviores impudicitias suppressi, invita quidem hæc tibi enuntio, cogor tamen hæc profari à Judice supremo, ut meô malô vos sapiatis, quos adhuc aura mortalis retinet. His dictis umbra simul & Angelus disparuit, qui tamen antè præcepit, ut animos expiaret & S. Synaxin cum suis accederet, atque hic visa hic audita ubique propalaret, sexui maximè feminino, quem noxius pudor toties infestat & in orcum præcipitat. Sic tota arx pristinæ quieti reddita omnes saluberrimo horrore complevit, utinam & nostros omnium animos percellat. Amen.

[o]

# CONCIO XVII.

# DOMINICA IV. QUADRAGESIMÆ.

*Facite homines diſcumbere. Joan. 6.*

## Rabidus Euclio.

A. Gentiles & hæretici pauperibus eleemoſynam ſubtrahunt

(1) Plaut. in Trinummo.

LIcet charitas & miſericordia in miſellos pauperes, ſua ex natura ſit ſplendida Virtus AA. quâ etiam hodie Servator quinquies mille famelicos prodigiosè cibavit, fuerunt tamen impii hæreſiarchæ, & ante illos cœci gentiles, qui hanc diviniſſimam virtutem eliminarent, & totis viribus impedirent, ne pauperes eleemoſynâ juvarentur. Ante alios omnes omnium pauperum diras imprecationes ſuum in caput excivit ſordidus ille latinitatis tortor Plautus (1) barbaram illam & crudiſſimam ſententiam palàm tueri auditus: *de mendico malè meretur, qui ei dat, quod edat, aut quod bibat.* Cur? audiatur ſtolida ratio. *Nam & illud, quod dat, perdit, & alteri vitam producit ad miſeriam.* Hanc Culinarii Sophiſtæ ſententiam Lactantius (2) palàm nuncupat *deteſtandam ſententiam.* Juxta nonnullos etiam Divinus Plato, & celeberrimus ille legislator Lycurgus prohibuiſſe dicuntur, ne ulla pauperibus eleemoſyna præberetur; ſed uterque horum purus eſt à labe & à toxico Plauti. Hac ſua inhibitione tantùm urgebant è medio tollere robuſtos pauperes, qui ad evitandos labores ſe otio mendicandi totos immolant, ſalvâ ſemper & integrâ charitate veris pauperibus exhibendâ. Hæc inhibitio jure optimo omnibus ſacra ſit & ſolennis, ut ne ulla uſpiam rima pateſcat, quâ humanos in animos turpe otium, diaboli pulvinar, ac ſcelerum omnium peſtilens origo graſſetur. Prout S. P. Athanaſius (3) memorat, idem cum Plauto ſenſerunt Manichæi, à quibus etiam homicidio par ſcelus charitas per eleemoſynam pauperi exhibita proclama-

(2) Lact. l. 6. Inſtit. c. 11.

(3) S. Athan. ep. ad ſol. vit. agend.

clamabatur. Si hæretici isti nulla alia hæresi sorduissent, dignos se hoc uno ex capite fecissent, quos canes etiam cerberei toto ex orbe profligarent. Juxta S.P.Damasc. (4) & Messaliani hæretici prohibuerunt, ne pravis & peccaminosis pauperibus eleemosyna daretur; in eos autem graviter invectus est Aug. (5) his verbis: *impia vox est, dandam esse servis Dei eleemosynam, mendicis verò negandam.* Sed quid ad nos cœci gentiles, hircorum sator Plautus & alii? quid hæreticos moramur? aliter longè sentiunt & loquuntur de misericordia in pauperes Catholici, fidei nostræ domestici, fratres germani: omnibus pauperculis ex naturæ legibus & officio charitatis Christianæ suppetias ferre tenemur, hoc ipso quod homines sint. Si ut homines ratione præditi coli volumus, alter alteri succurrere debemus, eúmque mortis è faucibus rapere cogimur, dictante naturâ, & lege illius omnium mentibus altè impressa. Deus ita prudenter divisit singula, inquit Lact. (6) feris animantibus rationem ac rationis usum subtraxit, eas tamen naturali armorum apparatu contra omnes hostium incursus ad tuendam vitâ copiosè instruxit; hominem autem fecit debilem & infirmum, ut ne quidem seipsum possit à cunis lapsum erigere, ut nempe alii ex naturæ instinctu tantæ imbecillitati junctis viribus succurrerent, & ab ea quævis vitæ fata proscriberent: *Deus qui ceteris animantibus sapientiam non dedit, naturalibus eas munimentis ab incursu & periculo tutiores generavit; hominem verò quia nudum & fragilem formavit, dedit ei præter cetera hunc pietatis affectum, ut homo hominem defenderet, diligeret, & foveret, eique contra omnia pericula præsens auxilium præstaret.* Pergit porrò Lactantius misericordiam in pauperes his verbis extollere: *summum ergò inter homines vinculum est humanitas, quod qui ruperit, nefarius homo & parricida censendus est.* Ergò juxta Lactantium enormius flagitium non datur, quàm si homo hominem oderit, aut hominem etiam pravum suo in articulo necessaria ope homo destituat. Verba ejus iteratò sunt hæc: *maximum scelus est hominem odisse etiam nocentem.* Exigit proin ipsa ratio & antiquissima lex naturæ, ut unus alteri succurrat. Hæc qui negligit aut contemnit, non meretur hominibus accenseri, quia plùs bestiam

(4) S. Jo. Damasc. l. de hæres.

(5) S. Aug. ser. 11. in Ps. 103.

B. Longè aliter de eleemosyna loquantur SS. PP.

(6) Lact. l. 6. instit. c. 10.

beſtiam vivendo quàm hominem repræſentat, imo etiam multis gradibus ſe probat deteriorem eſſe informi bellua. Sic de hoc crudiſſimo hominum genere loquitur S. P. Aſterius (7) *is, quem alterius inopia nullâ tangit commiſeratione, rationis expers fera eſt, perperàm humanâ formâ indutus, imò feris ipſis immanior.* Aſſerti hujus ratio mox ſubnectitur: *ſues jugulatæ ſuæ ſenſu quodam doloris afficiuntur, & circa recens ſuſum ſanguinem triſte murmur murmurant: tauri cædem circumſtant boves, & miſerabili mugitu dolorem deſignant: gruum gregem cùm una fortè gregalium in caſſes incidit, captam circumvolitant, & lamentabili clangore aërem complent, comitem ſuam & gregalem conquirentes.* Cur non idem ratione præditi homines præſtent? omnes utique ex unius ſpeciei limo à Deo compoſiti ſumus, animâ ex nihilo creatâ? omnes utique pari ſanguinis divini lytrô redempti ſumus? omnes ad cœlum deſtinati ſumus? *pari conditione* verba ſunt S. P. Aug. (8) *hunc mundum intravimus, pari exitu hinc migrabimus: & ſi benè egimus, ad unam Beatitudinem pariter perveniemus.* Audiatur ulterius, quale concluſum his è præmiſſis eruat Auguſt. *cur ergò pauper tecum non capiat cibum, qui tecum accipiet regnum? cur pauper non accipiat veterem tunicam, qui tecum accipiet immortalitatis ſtolam? cur pauper non meratur panem tuum, qui tecum meruit accipere idem baptiſmi Sacramentum? cur indignus eſt accipere reliquias ciborum, qui tecum ad convivium invitatus eſt Angelorum?* Sic SS. PP. ad virtutem miſericordiæ extimulant omnes ac ſingulos, tanquam homines per legem naturæ, tanquam Dei electos per lumen gloriæ, omnibus illis præparatæ, qui Deum in pauperes miſericordem ardenter fatagunt æmulari. Quò ſe liberaliorem homo in vicinum hominem exhibuerit, tanto conformior Deo ſuo erit, qui ſolem ſuum quotidiè oriri facit ſuper bonos & malos, & ſine reſpectu donis cœleſtibus, opulentos unà & pauperculos, juſtos & injuſtos ex alto perpluit. Quò crudior erga pauperes vicinos fuerit homo, eò etiam remotior erit à Deo ſuo; imò timendum fuerit, ne talis euclio penitus à Deo repulſus, æterna fame plectatur, qui alios ex avariſſima tenacitate, cum inedia perenni paſſus eſt conflictari; ut enim idem

(7) S. Aſterius hom. de Deo & Laz.

(8) S. Aug. ſer. 2. de temp.

C. Benè moriuntur Eleemoſynarii, malè avari.

idem S. P. memorat (9) *non potest malè mori, qui libenter opera pietatis exercuit;* cùm autem contrariorum eadem sit disciplina ex philosopho sequitur inde vicissim, rarò pia & bona morte moriturum, qui erga pauperes crudus & crassus, barbarus fuerit & inhumanus. An hoc ipsum tragicô quôdam exemplô suffulciam? vota expleo, & illud ipsum capesso, quod ante octiduum in evolutione historiæ de Catharina Peruana in eodem Delrio (10) reperi. In Suevia, inquit ille, fuit an. 1560. quidam Nobilis oppidò dives & opulentus, vulgari nomine *Rickberger* dictus, cujus annui reditus supra triginta nummûm aureorum millia extendebantur. Prô quanta opum affluentia singulis annis collecta? nunquid tanta pecuniarum mole satiari poterat & debebat? nihil minùs. *Avaritia* teste Aug. (11) *inexplebilis est, & nunquam dicit satis est*; sed instar hydropici, qui inextinguibili siti ardescit, nunquam pro futuro haustu eam lenire contendit. *Quò plùs sunt potæ, plùs sitiuntur aquæ. Omnis avarus* Greg. teste (12) *ex potu sitim suam multiplicat; cùm enim, quæ appetit, assecutus fuerit, ad alia appetenda, amplius & ampliùs anhelat.* Plato avarum hominem cribro comparat undique perforato, quod hàc illàc perfluit, & se nunquam patitur expleri. S. Aug. (13) pecunioſum & avarum euclionem ipsi etiam inferno æquiparat: *avarus inferno similis est, imò animatus est infernus: infernus quò plus devorat, eò plus desiderat; non aliter avarus; expleri non potest, satiari non potest.* Secum itaque in viris ardentem orci rogum circumferunt avari; & ipsius averni pœnas in terris exantlant, duplicatis post mortem fulminandi. Horum numerum splendidè adauxit Nobilis iste Suevus, qui licet ingens auri & argenti pondus possideret, plus tamen possidere perdius ac pernox exarsit. Crevit avaritia tam enormiter in horas & momenta, ut per fas & nefas, ubi modicum aliquod lucrum effulsit, mammonam corraderet, & omnia ad se rapere studeret. Alia inter opes accumulandi media etiam eminus annonæ caritatem prospexit, quæ à continuis pluviis, annô proximô totam per Sueviam invaluit; sua proin horrea tritico & frugibus opplevit, ac plus ultra vilissimô pretio coemit, ut pretio quadruplùm auctô ea sequenti anno distraheret. Neque eum sua ratiocinatio

(10) Delrio disqu. mag. l. 3. q. 7. Sect. 2. p. 9. Hist.

(11) S. Aug. Ser. 25. de verb. Dom.

(12) S. Greg. l. 14. Mor. c. 6.

(13) S. Aug. l. de Sal. docum. c. 30. & Ser. 62. ad frat. in erem.

D. Probatur alterum assertum tragicô exemplô Suevi Nobilis.

fefellit. Alterô annô ita pretium excrevit annonæ, ut multi ob inediam fame conſumerentur. Plebei horrea ſua modico temporis ſpatio exhauſerant, quia potiorem frumenti partem leviſſimô pretiô ſibi nobilis hic euclio vendicabat, frugibus ergò jam pænè toto in diſtrictu illo abſumptis, catervatim ad arcem fame pulſi confluebant at niſi triplò majus pretium frugibus affunderet, nec granô frui datum eſt ex horreis largo ubique frumento repletis. Alios inter innumeros, qui Nobilis hujus ſanguiſugæ aureos fores pulſabant, erat etiam ſenecio pluribus liberis onuſtus; & jam diu cum fame ac inedia luctatus; hic ſex philippeos pro uno vel altero frumenti modio euclioni obtulit, rogans eum enixè, pecuniam acciperet, & aliquid tritici ſibi ac liberis ſuis miniſtraret, reſiduam pecuniæ partem brevi optima fide ſe Nobili perſoluturum, vel, ſi placet, ei fundum, quem poſſideret, tranſcripturum, unde ſuo tempore plus eſſet lucri facturus, quàm debitum exigat.

Quid ad hæc nobilis truncus? petrâ durior nequam, ſenem primitus ſuperbo vultu & irâ flagrantibus oculis intuitus, inde protinus ſua ex arce faceſſere juſſit, hac cum cruditiſſima appendice, frumentum ſi vellet, etiam reſiduam ſecum pecuniam referret, ſine qua nulli aditus in horreum pateret. Ita miſer ac mœſtus ſenex cum ſuis propemodum fame jam enectis liberis, abiit & receſſit, in vicem tantæ cruditatis eidem diras omnes, & beſtias horreis imprecatus. Magnam vim ac virtutem movendi preces pauperum ſortiuntur. Ut Sirach (14 meminit: *deprecatio pauperis usque ad nubes propinquabit, ſed & deprecationem læſi pauperis Deus exaudiet.* Senſus eſt juxta Cornel. in l. c. exaudiri à Deo pias preces, quas pro eleemoſynariis liberaliter coram Deo pauperes effundant, exaudiri unà etiam pravas pauperum preces, ſeu imprecationes ac diras, quas ex ira & impatientia avaris euclionibus multoties imprecantur, quia pauperum tutor, ſi ab opulentis premantur, & divitum ultor Deus eſt, ſi pauperculos deſpiciant, vel quod gravius, etiam opprimere videantur. Hæc cauſa eſt, cur Henricus III. Caſtellæ Rex palàm dixit, ſe diras & execrationes pauperum plus formidare quàm hoſtium arma. Has diras etiam hic loci tàm à Sene quàm aliis magnô numerô famelicis in Nobilem

(14 Eccli. 35. E. Vis imprecationum quas pauperes fundunt.

bilem rejectas, videtur ocius pronis auribus in cœlo Deus hausisse; mox enim avaritiæ suæ pœnas dedit horridas ac sceleri tanto ritè commensuratas, quas pridem coronatus vates in Prov. (15) præsignavit verbis illis: *qui abscondit frumenta, à populis maledicetur.* Quem locum sic legi vult Chrys. (16) *qui frumenti auget pretium, populo execrandus est.* Chaldæus Paraphrastes nostro themati convenientius hunc in sensum memoratam Prophetiam transportat: *qui prohibet frumentum in necessitate, id hostibus suis relinquet.* Utut sumatur hæc prophetia, nobili nostro quadrabit, qui omnium pauperum execrationes & imprecationes suum in caput provocavit: aliqui illorum feras & bestias frumenti voratrias imprecabantur, alii barbara crudelitate succensi etiam vivos dæmones in annonam pauperibus subtractam accersebant. Utrumque damnô suô expertus est Nobilis iste sanguisuga, paulò post acerrimis hostibus suis in pabulum relinquere coactus fruges, quas pauperculis nonnisi pretiô in horas auctô distraxit. Paucis post diebus misit sordidus iste Nobilis famulum suum in horreum, ut ex more illud inspiceret, & ubi opus, suis à fæcibus frumentum purgaret; hic tamen buxô pallidior mox iterum ad herum revertit, dixitque, tres grandes ac nigerrimo colore tinctos boves horreum irrupisse, qui totum frumentum diductis rictibus devorarent; inde rectà lectulô suô totis artubus tremiscens se composuit, & tertio die fatis concessit. Sic paulatim laneo pede ultio divina insequi cepit avarum, prius in famulis multatum, quàm ipse tot funerum reus plecteretur. Non habuit fidem timidiori famulo, licet metus in horreo conceptus, letali etiam morbo famulum afflixisset. Alterum proin flecti ac terreri ferreum vernam in horreum transmisit, ut rei portentosæ veritatem exploraret; sed & hic alter mox retrò pedem reflexit, & testis oculatus coràm asseruit, frumentum non à bobus tantùm, sed à ventricosis etiam equis depasci. In hujus rei signum etiam iste pavidos tremores corporis exhibuit, quibus passim gelidus per ossa sudor expressus. Prostravit hunc quoque fatalis timor, & post paucos dies funus fecit alterum. Caligabant bini oculi nobilis avari ad tantam lucem, quam duo testes affatim ministrabant. Ut ergò hac de re certior redderetur, ipse statuit horreum visere, & coràm voratrices

(15) Prov. 11.

(16) S. Chrys. hom 39. in ep. 1. ad Cor.

F. Ira Dei in avaros & servos illorum.

belluas arbitrari; jam ad horreum pervenerat, ecce ſubito metu ſe perſtringi ſenſit Nobilis; non auſus januam reſerare, quæ rectà duceret in horreum, per rimas antè introſpexit, & non tantùm boves & equos frugibus abſumendis inerrantes vidit, ſed totum jam horreum variis belluis refertum, canibus & porcis, lupis & urſis, & aliis pluribus quaſi innumeris belluis, quæ fruges omnes abſumerent, contererent, conſpurcarent, & quaquaverſum impetuoſis calcibus diſiparent. Hem hoſtes, quibus juxta Salomonem relinquere cogebatur frumentum, in neceſſitate pauperi denegatum. Hem duplicis generis hoſtes, belluinos ſcilicet & orcinos; utrosque enim preſſi & rejecti pauperes huic tyranno imprecabantur: ut horrea tua feræ irruant! ut totum frumentum tuum belluæ depopulentur! ut mille dæmones horreum vastent tuum & frumentum! Sic à Deo flagellari decuit *annonæ flagellatorem* impium execrandum. Vocat Cornel. & hoc titulo decorat omnes illos (17) qui annonæ caritatem augent, ampliant, ut plus lucri ex auctiori pretio corradant. At quanti ſtetit exploratio hæc euclioni? hôc ſpectaculô ita territus eſt *annonæ flagellator*, ut mox in furias actus, dentibus infrendens, & ore cruento ſpumas eructans lymphatæ inſtar mænadis, vel potius inſtar rabidi canis totam arcem ſuam excurreret, donec tandem validè comprehenſus, & ferreis catenis probè conſtrictus animam evomeret, plus in equos & canes ſaginandos, quàm in paſcendos pauperes effuſam. Hæc cùm Delrio enarraret, coronidis loco hæc verba ſubnectit: *hic horribilis caſus magnam admirationem peperit tum in Suevia, tum præcipuè in Cæſaris aula, quæ illum antea velut prudentiſſimum Virum coluit, & ſuſpexit.*

(17) Cornel. in prov.

(18) Pſ. 118

Hæc qui audit, jure cum Pſalte Regio (18) exclamet: *juſtus es Domine, & rectum eſt judicium tuum!* Hic ſodes per retentionem annonæ peſſimis artibus corroſæ, per flagellationem annonæ ac pretii horariam ampliationem, gradibus innumeris caritatem auxit & famem, quæ communi ex proverbio rabidos reddere homines dicitur; æquum ergò fuit, ut rabida morte in pœnam ſceleris extingueretur; quam omnes illi juſto à vindice Deo exſpectent, qui pari crudelitate ſuis à foribus pau-

pauperes propulsant. Opt. AA. necdum anni fluxerunt viginti, dicitur senio jam gravis & avita nobilitate conspicuus heros totam pænè Germaniam peragrâsse, cui tectum undique fuit caput, eo quòd totum hominis in caput abierit caninum, prolixis capillis & in humeros usque defluis crinibus fictitiis coopertum ac probè velatum, ne omnium oculis pateret. Has caninas fauces in pœnam & vindictam justo â Deo ad certum tempus retinuit, quia plus curæ ac sumptuum in canes venaticos & catellos, quàm in miselos pauperes expendit, quos nonnisi canum titulô excepit; ut adeò de hoc quoque dici posset, quod de pediculario Herode vulgavit fama: hic melius foret canem esse aut porcum, quàm hominem divina ratione instructum, quia plus affectus, plus charitatis in has bestias devolvitur quàm in pauperculos & stipem ostiatim colligentes mendicos. Paucis abhinc annis ipsô festô inventæ S. Crucis pluribus aliis crucigeris comitatus Landspergâ urbe Boica in Campum usque Lycium ad Deiparam miraculis claram pius quidam studiosus descendit, sed togâ pœnitentiariâ ex horridioribus setis conflatâ amictus, & grandi capillitio equinis è pilis contexto totum circa caput velatus. Cùm autem grandis fama etiam campum Lycium pervolâsset, Nobilem canino capite tectum Germaniam oberrare, illicò in vulgus rumor sparsus increbuit, adesse tandem in campo Lycio caninum nobilem, Virgini prodigiosæ supplicem, ut formam recipiat humanam; mox ergò rustici ac rusticellæ ex adjacentibus Sueviæ pagis innumerô numerô accurrere, ut caput caninum propriis oculis excipiant. Nisi maturè populi confluentis tumultui etiam ope Religiosa adjutus, pius hic pœnitens subtractus esset, totum credo capillitium dilacerâssent, ut latentes canis vultus explorarent. Is ipse, cui hæc acciderunt, mihi apprimè notus, nunc sedulus animarum Curio adhuc vivus & vegetus, mihimetipsi totum hunc ruris assultum recensuit, adjecitque diem inventæ S. Cruci sacram memoriâ ipsius nunquam dilabi posse, dum spiritus has bibit auras.

G. Nobilis alius cum capite canino.

Hem AA. Deus nec se nec suos pauperes ludi patitur & propulsari. Is pridem dixit (19) *quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* His exhibitam charitatem

(19) Matth. 25.

H. S. Ludov. Regis Galliæ amor in pauperes.

mihi factam reputabo; his injurias irrogatas mihi pariter adſcribam, vindicaturus eas in tempore. Hæc ipſa ratio fuit, cur olim piiſſimæ memoriæ Rex Galliæ S. Ludovicus ſingulis pro feſtis per annum propria manu ſua, non ſuorum, qui ſæpè clepunt & mutilant eleemoſynas, ducentis pauperibus largam ſtipem porrigeret, & inſuper ſingulis ſabbathinis pedes ſordidos tot pauperculis lavaret. Non placuit hæc regis abjectio nonnullis aulæ pauperibus, qui maluiſſent totum æs pauperibus porrectum ſuam in burſam transvehere. Notavit criſin impiam Ludovicus, eamque novâ confixit, *ego*, inquiens, *in pauperibus Chriſtum veneror, qui dixit, quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Quaſi diceret Rex aureus: oculi mei multò latius multò profundius penetrant objecta quàm veſtri: in quovis mendico ego Chriſtum Deum ac Dominum meum ſuſpicio, qui de ſe ultrò dici (20) voluit: *ego autem mendicus ſum & pauper.* Quidquid ergò boni fecero mendicis, Deus per centuplum refundet: quidquid mali fecero mendicis, Deus trahet ad pœnam, & ad celerem vindictam. En tanto apud Deum in pretio ſunt pauperes. Vindicta binis in Nobilibus ob oculos jacet evidenter, ſatis utique tam triplici funere illo, quàm canino capite toti orbi demonſtrata, & intentata. Primus Nobilis, ut hiſtoria refert, obiit impœnitens, & cum divite ac damnato epulone Evangelico jam focis paſcitur avaro accenſis, qui nullos ex frumento paſci voluit mendicos. Alter Nobilis canino capite mulctatus, dicitur ad cor rediiſſe, ac Deo per pœnitentiam reconciliatus vultum priſtinum hominis reſumpſiſſe, totus in alium hominem mutatus, qui intimo & ardentiſſimo amore pauperes foveret.

(20) Pſ. 39.

Nos unà omnes hodiè Chriſti JESU exempla ſectamur, qui 5000. famelicos liberali pabulo refocillavit, ut nos pariter omni charitate in ſpem vitæ melioris miſellos pauperes erigamus, ſpe certa confiſi, omnem charitatem his impenſam, nobis à Deo triplicato cum fœnore hic & ibi refundendam. Nos unà oculos in rabidum Nobilem illum conjicimus, ne pari pœna paris culpæ rei plectamur. Nos ſtygiæ avaritiæ totum pectus occludimus, cùm ad oculum pateſcat, quales tragœdias ludat avaritia, cum perenni jactura ſalutis æviternæ, quod dam-

damnum omnium sanè acerbissimum, omnium à cervicibus clementissimè amoliatur JESUS Christus Dominus noster, qui vivit ac regnat in secula seculorum. Amen.

# CONCIO XVIII.

# DOMINICA V. QUADRAGESIMÆ, SEU DOMINICA PASSIONIS.

*Qui ex Deo est, verba Dei audit. Joan. 8.*

## Concionum fuga.

REctè S. Pater Hilarius (1) Sacrum Scripturæ Codicem Roseto comparavit Opt. AA. ubi candidas & rubentes virtutum rosas in copia decerpas. His rotis incubant laboriosissimæ apes, atque inde conficiendo melli optimum succum exsugunt; sed & rosis hisce turpes Araneæ insidiantur, ut succum inde protractum, in exitiale toxicum transmutent. Hac similitudine tangit Sanctus Pater hæreticos, qui araneæ instar ex S. Script. merum pus & horridos errores educunt. Nulla hæresis datur sub sole, quæ non sectam suam velit per S. Script. Oracula perperàm intellecta mordicus defensam. Hìc Digitô DEI exaratô Scripturæ Librô & septem sigillis clausô, tanquam suæ pravitatis palliô, miserrimè abutuntur. Nihil tam ineptum, tam sordidum, tam impium est & execrandum, cujus non testem sententiam ex Script. proferunt. Sic Spiritum Sanctum centies nasô suspendunt aduncô, pro sua libidine verba ejus & Oracula quaquaversum rotando, & tornando. Ah! quàm immani laniena quinas voces illas, *hoc est enim Corpus meum* excarnificârunt! Anno 1577. grandis liber in lucem prodiit, *qui ducentas* sibi mutuò adversas vocum harum interpretatio-

(1) S. Hilar. in Psal. 134.

A. Catholici ex Script. ut apes bonæ sugunt optimos liquores, hæretici ut araneæ, venena.

pretationes allegat, quas omnes ſcriptis ſuis (2) inſeruit Bellarminus, prò! quanta vafritie Spiritum Sanctum & Scripturam ejus ſtygius Mahomet excepit! cùm Chriſtus (3) diceret: *cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me &c.* juxta hujus lurconis vatidicos ructus hic loci Chriſtus ſub voce *Paraclitus*, Mahometum intellexit. O blaſphemam hæreticæ pravitatis veſaniam! Eutyches hæreſiarcha ipſa ex Scriptura defendit, Chriſtum verum hominem non eſſe. Sic, inquit ille, Paulus (4) interminis de Chriſto: *in ſimilitudinem hominum factus;* ergò tantùm homo fuit ſimilitudinarius, ergò Caro ejus tantùm fuit phantaſtica Caro; ergò Mater ejus tantùm fuit umbratilis & purè nominalis Mater. Has & plures alias his ſimiles blasphemias eructant, ſi à genuino Scripturæ ſenſu, ab ipſa S. Matris Eccleſiæ & SS. Patrum ſententia, temerario auſo deflectant, ſuæ unius multoties corruptæ phantaſiæ ſequaces atque æmuli capitones. Hinc omnes omninò hæreſes ſua primordia traxerunt Auguſtino (5) teſte: *non aliunde natæ ſunt hæreſes, quàm dum Scripturæ bonæ non benè intelliguntur, & quod in illis non benè intelligitur, temerè tamen & audacter aſſeritur.* At quid Scripturæ depravationem hæreticis receptam, remotioribus è locis accerſimus? nunquid currentis Dominicæ Evangelium roſas nobis in copia miniſtrat, ex quibus tamen more ſua nonniſi toxicum exſugunt. Pro exemplo obviam inde ſententiam capimus, & in ea ſeſſitantes araneas cribramus. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit,* inquit hodie Servator; ideò vos, ô Judæi, ex Deo non eſtis, quia Verbum Dei vel negligitis, vel contemtui habetis; has voces quô ſenſu ſumi volunt antiquiores hæretici? ſenſu heteroclito, præpoſtero, cancrino. Venenum extrahunt, unde apes eccleſiaſticæ mel hauriunt vitale. Manichæi adeò craſsè memoratas voces explanant, ut ipſi Chriſto teterrimum dæmonem æquiparare nullatenus reformident. Patet inde, (ſic lurcones iſti criminantur) patet inde, nos homines duas naturas circumferre, vel bonam, vel malam: ſi bonam habeamus, ex Deo ſumus & à Deo; ſi verò malam habeamus, ex dæmone ſumus & à dæmone, malitiæ omnis authore; ſicut omnis boni Author

(1) Bellarm. controv. de Euch. c. 8.
(3) Jo. 15.
(4) Phil. 2.
(5) S. Aug. tr. 18. in Joan.

B. Manichæi in hod. Evang. blasphem.

Author Deus est. En horribilem calumniam, quâ ipse Deus per Manichæos proscinditur. Sensit quidem olim cum Manichæis hisce Augustinus, at Monicæ lacrimis emollitus, Pauli lectione commotus, S. Ambrosii spiritu & doctrinâ redanimatus, atque ad veram fidem nostram conversus, alia longè de hodierno Evangelio (6) & cum eo Greg. (7) Magnus dixit, scriptitque, *qui ex Deo est, verba Dei audit*, seu quod idē fuerit, qui promptè & avidè Sacras audit Conciones, palàm ostendit, *se Signum Prædestinationis* animô fovere; hic spe plenus vivit, & solatiô, se aliquando ex hac misera lacrimarum valle sursum ad æternæ Beatitudinis gloriam emersurum; qui autem eas vel negligit, vel contemnit, habet pariter, quod timeat, ne fato infelici extinctus, deorsum fluat ad pœnam, nullô unquam ævô sopiendam. Hoc vero ac genuino sensu memoratas Christi voces sumunt allegati Patres Augustinus & Gregorius Magnus, quibus utique plus fidei debetur, quàm mendaciloquis Verbi Divini verberonibus Manichæis. Apud Joannem (8) eodem ferè ritu Christus perorâsse videtur; *oves meæ vocem meam audiunt*, seu, quod idem est, qui meo ex ovili est, is se à me regi ac duci patitur, rediturus pariter ad ovile meum, ad Deum & ad gloriam, si modò vocem veri pastoris audierit, eique obedierit; sit verò, qui hanc vocem respuat, rideat, contemnat &c. is unà timeat, ne ab orcino lupo devoretur. Clarius hæc omnia Christus ipse per Divum Lucam (9) detonuit: *Beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* Hæc cùm more suo attentiùs rimaretur mellifluus Pater (10) Bernardus è cœlo hâc unâ gratiâ perplui desiderabat, ut ipse ac reliqui omnes domestici fratres hôc sanctissimô Prædestinationis signô dotarentur, prompti ad colloquia sacra, & in his avidè percipiendis assidui. Verba Sancti Patris hæc sunt: *magna mihi consolatio est, fratres mei, in illo Domini Verbo: qui ex Deo est, verba Dei audit: inter ea, quæ fiduciam præstant, & spei materiam, unum illud maximum est, qui ex DEO est, verba Dei audit.* Animat inde fratres suos, ut pergant summo in pretio ac cultu habere Verbum Dei, tanquam Signum secuturæ Beatitatis. Novit hoc Ipsum apprimè Vates Regius; hinc voces illæ: *inclinate* (11) *aurem vestram in verba oris mei*, quia scilicet inde Salus pendet æviterna, si verba salutis pronis auribus hauriantur,

(6) S. Aug. tr. 42. in Joan.
(7) S. Greg. hom. 18.
(8) Joan. 8.
9) Luc. 10.
10) S. Bern. serm. 1. in Septuag.

C. Auditio Verbi Divini est Signum Prædestinationis.

11 Ps. 77

& contrà mortis non morituræ pœna, si flocci fiant aut spernantur. Teste Greg. Magno (12) *nullum adeò certum perditionis signum est, quàm non libenter audire Verbum Dei.* An præsens assertum etiam exemplo firmari petitis? non recuso. Serviet hunc in finem, quod suis pridem sermonibus commisit (13) purpuratus Ecclesiæ Pater Jacobus Vitriacensis, inde suo etiam anno de cultu Crucifixi (14) Joannes Nadasi inseruit.

(12) S. Greg. hom. 21. in Evang.

(13) Jac. de Vitriac. ser. 190.

(14) Joan. Nadas. An. Crucif. hebd. 15. §. 2.

Erat Mopsus verè ruralis, quem nemo poterat inducere, ut Festis & Dominicis præter Sacrum etiam Concionem audiret. Quo loco apud Deum hoc uno ex capite fuerit rusticellus, mox patebit. Ratio à concione abstractiva non memoratur. Quæcunque illa fuerit, certè sufficiens haud fuit, quæ rusticum coram Deo ab omni noxa absolveret. Magna & prævalida sit ratio, quæ perennem Sacræ Concionis neglectum à pœna eximat. Homines facili negotio hic loci supplantantur, at quis Deum cordium rimatorem circumveniat? si Ecclesiasticus Præco huic mopso nimis fuit modicus ac tenuis, hoc ipso graviter erravit, quòd à rastro amusus undique trampus suum artibus ac scientiis excultum Curionem cribraret, contemneret, & aspernaretur. Nunquid apertè Veritas edixit Divina (15) *qui vos spernit me spernit.* Apud Summates, urbium Primores, Curiarum præsides ac præfectos sæpè etiam fervidi Concionatores hirquis oculis excipiuntur, tunc maximè, cùm etiam his sine hominum respectu Sanctam prædicant Veritatem; Quas verò suæ hirceitatis pœnas DEO Judici sint daturi, damnò suò cum præsente rustico experientur, at serò nimis. Utut vilis & contemptibilis appareat Concionator, cultu tamen suo dignus est, quia Verbum Dei prædicat. Scimus Deum jam in Vet. test. (16) per asinos prophetâsse, per asini mandibulas hostes cecidisse, & fontes irriguos excitâsse. Eadè potentia hodie adhuc in Deo viget floretque. Stulta mundi eligit, ut confundat sapientes, infirma mundi assumit, ut fortia mundi subruat, evertat. Nulla concio tam levis, tam trivialis est, ajebat Laynez Secundus Soc. Generalis, ex qua non etiam proficere possit omni scientiarum genere instructus Doctor. Si verò ruralis Curio, cujus parochianus erat mopsus, aliter dixit, & aliter vixit, non ideò se debuit concionibus subtrahere; hanc enim excusationem pridem ipse Christus propriis pedibus (17) conculcavit

D. Probatur exemplo rurali.

(15) Luc. 10.

Hist.

(16) Jud. 15.

(17) Matt. 23.

supra

*supra cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: quodcunq; dixerint vobis, facite, secundum opera verò illorum nolite facere.* Stant utique multoties super cathedram Scribæ ac Pharisæi hypocritæ, qui multa dicunt & pauca probant; qui inani garrulitate auram feriunt; qui una manu per streperam & vacuam vocem suos AA. attrahunt, alterâ operum dexterâ, repellunt, quia vocem propriô exemplô destitutam intendunt; id tamen, quod hi prædicant, subditi in opus deducere satagant, licet in præcone solam vocem audiant, & nullum opus videant. Hæc, inquies, facilè dicuntur, sed rarò expediuntur, quia omnes illi ægerrimè audiuntur, ubi voces ab operibus disjunguntur; at neque hæc coram Deo vera & valida purgatio est neglectæ concionis. Nimis est frivola, utut fuerit ardua. An fortè curis illis mopsus urgebatur, quæ hodie multos Sacris à Concionibus avertunt, ne digitô Dei præcordia tot scelerum rea tangerentur; ne acerba crisi mammona iniquitatis, pertinax inimicitia, gula & ebrietas, luxus & luxuries, aut fucata pietas proscinderentur; hoc ipso adire debebat concionem, prout æger medicum, læsus chirurgum, infirmus quærit pharmacopæum, verbô, quidquid fuerit causæ, nec induci potuit nec persuaderi, ut aures patulas vel una vice impenderet Curioni Verbum Dei ex alto proclamanti. Quid verò Deus ad hunc immanem neglectum tot annis continuatum? tandem gravis morbus Mopsum irruit, & aliàs flecti ferreum in lectum prosternit; cùm autem more pluribus recepto, lucem etiam fortem ac validam contemneret, persuasus post aliquot soles integram ac sereniſſimam salutem reversuram, nocte intempesta repentè fatô premitur & opprimiter sine Sacris extinctus. Hæc omnia non poterant eum cœlô excludere, utut grandibus fuisset flagitiis coopertus, modò ultimo in articulo veri nominis contritionem elicuisset. Scimus, quid Deus per Ezech. (18) toti terrarum orbi promiserit: *quocunque die conversus fuerit impius ab impietate sua, vita vivet,* At nihil ille de contritionis actu somniaverit, Deo ita permittente, ut sine pœnitentia obiret, qui Verbum Domini in vivis vilipendit, ut mox dicetur. Mopsus subitò extinctus magna hominum comitante caterva in Ecclesiam defertur, ut ei antè, quàm terris corpus committeretur, justa

18) Ezech. 33.

ſunebria perſolverentur. Viget hæc conſuetudo pluribus adhuc locis, ut præſente cadavere Sacrum celebretur ac ſæpè funebris concio habeatur, tum primum in tumulum funus mittatur. Quamdiu ob oculos jacet funus, certum eſt, longè ferventius orari, quàm ſi antè tumulo ſit funus illatum. Multoties hic tritam illam parœmiam cani audias: ex oculis ex animo. Opt. AA. Quàm varios ſermocinationum ſenſus in funeris hujus deductione dederint, qui funus ſunt comitati. Orandum quidem eſſet pro defuncto in funebri comitatu, ſed quàm raræ ſunt preces hodie, quibus anima luſtrico igne circumſepta refocilletur! ſæpiùs certè nec una oratio Dominica pura, integra in defuncti ſolatium effunditur, ut rectius dicatur funeris heterodoxi, quod paſſim ex immodica garrulitate dignoſcitur, quàm Catholici deductio. Id pridem nobis qui Catholici ſumus, exprobravit Auguſtinus (19) *cùm efferuntur mortui*, inquit ille, *mors cogitatur, & dicitur: væ miſero! talis fuit; heri ambulabat, vel ante ſeptem dies illum vidi: illud atq; illud mecum locutus eſt: nihil eſt homo: murmurant iſta &c.* at ubi oratio, qua ex charitate ſubvenire jubemur defunctis fors purgatorio carcere concluſis? hic verò inter varios de funere diſcurſus audias: *væ miſero!* quàm ſubita morte extinctus eſt! neſciebam ægrotare, jam funus fuit. Ah quorſum migraverit! ajunt eum ſine Sacris obiiſſe, quid ſi à Paſchate nunquam animos purgâſſet. *Væ miſero! talis fuit*, vitæ certè optimæ notæ non fuit; ſi mors vitæ reſpondit, timeo ſequiora. Ah quot movit vicinis ſuis controverſias? ſi in rancore diem clauſit ſupremum, ſolem ultrà non videbit, *heri ambulabat*, vidi eum meis hiſce extra ædes ſedentem, & cum cane luſitantem, & ecce jam funus eſt! O quàm parùm ſcimus, quæ hora ſit ultima, *ante ſeptem dies illum vidi, illud & illud mecum locutus*, hærent memoriæ verba, quæ ille his primùm diebus ad me, quis credidiſſet, eum tam firma valetudine inſtructum, jam fato proximare. *Nihil eſt homo.* Nemo in craſtinum vitæ fidat humanæ.

19) S. Aug. ſer. 112. de div.

Vita

*Vita quid est hominis ? folium , flos , fabula , fœnum ,*
*Pulvis , arundo , cinis , nix , pila , bulla , nihil.*

Qui stat videat ne cadat. Lateri nostro mors hæret proxima, cùm eam multis milliarium millibus distare credimus ; hinc nihil boni procrastinandum. *Murmurant ista &c.* sic etiam hic loci ultro citroque vita funeris fuerit exenterata. Dixerit nonnemo : relevet illum Deus , si etiam relevari possit ! idem alius mussaverit : mihi quidem nil unquam mali exhibuit, in aliis tamen satis erat exoticus, quid quælo phantasiæ habuerit, ut nunquam conciones adiret ! quis ei tantum verbi Divini tædium peperit? noli quærere, tertius exceperit, id dæmon fecit; nollem cum ipso migrare &c. hæc & alia in hac funeris deductione mussitaverint vicini , quàm verè , quàm solidè, mox clarescet. Cadavere in templum illato, dum pro anima ejus Ecclesiasticæ preces ( quas funebres vigilias nuncupamus) recitarentur, & ad illas voces ventum esset *fiant aures tuæ intendentes &c.* ecce Christi in crucem fusixi lignea icon, utraque manu à cruce revulsa, utramque aurem obturat , preces pro hoc rustico se audire nolle , gestu illo contestata. Stupet populus ad spectaculum inauditum. Loci Curio Sacerdos Deo afflatus suggestum conscendit & totum hoc spectaculum funebri conciuncula explanat. Thema erat ex Luca (20) petitum : *qui vos audit me audit ; qui vos spernit me spernit ; qui autem me spernit , spernit eum , qui misit me.* Nostis abundè Opt. AA. hominem hunc , cujus præsto est cadaver, supinæ fuisse in audiendo Dei Verbo negligentiæ; ideò anima ejus à Justo Judice Deo, tradita est diabolo & sociis ejus æternis ignibus crucianda, fusæ pro illo preces à Deo nullatenus exaudiuntur, qui enim ures suas loquenti Deo toties occlusit, jam suas quoque Deus obturat. Sapite malô ejus & Verbum Divinum sanctius colite , spe pleni , sic preces pro vobis aliquando fundendas cœlos penetraturas, ut vestrum ex

E. Qui Conciones non audit, nec à Deo auditur.

(20) Luc. 10.

F. Funebris Concio.

purgatorio ad gloriam transitum maturent &c. Sic ergò elevatus, & sine precibus ullis asini sepulturâ sepultus est, sacri glebâ indignus, quem Spiritu DEI accensus Curio palàm dixit damnatum.

Hem AA. quàm verus sit vocum harum *qui ex Deo est, verba Dei audit*, sensus binis ex Patribus Aug. & Greg. adductus, & per actum prædestinationis illustratus. Signum certè non facilè datur, unde certius colligas tetram mortem obiisse vicinum, quam si dicatur osor fuisse Verbi Divini. Non do ultrà coronidem præsenti sermoni, quia eam Curio jam imposuit brevem, succinctam, validam tamen & efficacem. Id unum ergò iteratò per me inculcatum ad propria referant AA. ac seriò perpendant, quàm proficuum sit saluti nostræ prompte, avidè, reverenter & obsequenter Verbum Dei in Sacris audire excipere, quàm contrà damnosum simul & summè noxium sit saluti nostræ idem Dei Verbum negligere: id paucis Psaltes Regius (21) detexit: *misit verbum suum & sanavit eos & eripuit eos de interitionibus eorum*: hoc abundè Vega (22) describit: *desperata illius salus est, qui Verbo Dei aures suas obturat.* Cur? quia & DEUS cunctis precibus vel ab ipso fusis vel per alios fundendis suas occludit, quod à nobis clemens DEUS avertat.

Amen.

(21) Psal. 106.
(22) Vega in 3. Jud. §. 93. n. 850.

[o]

CON-

# CONCIO XIX.

## DOMINICA VI. QUADRAGESIMÆ, SEU, DOMINICA PALMARUM.

*Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. 21.*

## Procrastinatio Pœnitentiæ.

LIcet omnia Dei attributa, perfectiones ac virtutes immensi & infiniti vigoris sint, æqualiter magna Opt. AA. ex omnibus tamen specialiter elucescit mititas Dei & clementia, quâ nullum nisi ultrò nolentem, à gratia & à gloria excludit. Ita David pridem (1) cecinit: *misericordia ejus super omnia opera ejus.* Sensus est, tantam esse hanc misericordiam, ut nec cœlum, nec terra, nec totus hic spectabilis orbis & illius creaturæ eam comprehendere possint. Quocunque aspicias sursum, aut deorsum, ubique oculos incurret Bonitas Dei: *universæ viæ Domini misericordia* (2) *& veritas.* Vix sui è nihilo productus erat orbis, ocius proto-parens noster mansuetudinem ejus expertus est Adamus; hic, ut patet, grande peccatum peccavit contra Deum ac Dominum nostrum, dignus proin erat, qui absque mora gravissimè plecteretur; at noluit Deus ab alto mittere fulmen; post vesperam primùm visus est in paradiso perambulans illum; *sic ad puniendum peccatum tardius veniebat, quia Deo proprium est, misereri semper & parcere,* prout meminit (3) Tostatus. Ita scilicet ægerrimè inductus est, ut Adamum Deus puniret, pœnâ in vesperam usque protractâ. Hanc mansuetudinem ante alias urbes palàm omnibus testatam reddunt Sodoma & Gomorrha. (4) Scelera urbium istarum ad cœlos clamabant, Deumque provocabant ad celerem vindictam, quam tamen antè non sumpsit, quàm deorsum è cœlo defluëret, ut Script. meminit, coràm visurus, an tot & tantis clamo-

(1) Ps. 144. A. Inter attributa DEI primas tenet misericordia.

(2) Ps. 24.

B. Probatur ex Script.

(3) Tostat. in Genes.

(4) Gen. 18

clamoribus flagitia reſponderent. Deum immortalem! ut quid opus deſcenſu? nunquid oculis Divinis clarè ac diſtinctè objacent univerſa? nunquid futura omnia ſicut præſentia Deus intuetur? nunquid Deus eſt omniſcius, cui nihil tectum, nihil abditum eſt aut obſcurum? cur ergò exploratum deſcendere ſtatuit? Nos qui puri homines ſumus, millies vulgi famâ decipimur; obviis hominum rumoribus nulla poteſt haberi fides, quia multoties cum veris ſplendida mendacia promulgant; tenemur adeò primam famæ radicem ſedulò inquirere, num fidem mereatur & quantam? Deo verò nullus rumor, nulla vulgi fama imponere poteſt; ut quid ergò viſitatum deſcendat; an clamori acta conſonent? Salvianus hunc nodum ſolvet:

(5) Salv. l. 1. de provid. (5) *oſtendit, quàm invitus puniat peccatores dicens: miſericordia mea mihi quidem ſuadet. ut parcam, ſed tamen peccatorum clamor cogit me, ut puniam.* His ſeu clamoribus ſeu rumoribus non ocius locum dedit Deus, ut urbes impias igne proſcinderet, ſed priùs ipſe deſcendit, atque unà ſuos è cœlo angelos dimiſit, ut urbis utriusque miſerum ſtatum ritè inquirerent. Bellè in rem exclamat (6) Chrys. *quid tam humano, tam miti Deo par cogitari poteſt?* quaſi diceret: ſic Deus agit cum tericolis, non quòd ei opus ſit tanta circumſpectione, ſed ut nobis efficax exemplum præbeat, qui ſæpè ad mendaciſſimos rumores innocentiam traducimus & mulctamus. Idem Deus in diluvio toti orbi ſpectandum dedit & palpandum; quàm ægrè in peccaminoſum hunc mundum aquarum eluvione animadvertit! Centum annos extruendæ arcæ impendit Nöe, unà identidem pœnitentiam intonans & inculcans. Arcâ ſuam ad coronidem perductâ, variæ ſpeciei bruta in arcam agebat Nöe, ex quo utique argui poterat, mundi hujus interitum propediem ſecuturum. Omnibus jam expeditis, cùm nihil ad excidium orbis reſtaret, quàm ut Deus cœli ſolveret cataractas, adhuc tamen moras nectit ſeptiduò, ut

(6) S. Chryſ. hom. 4. de provid.

(7) S. Ambr. l. de Nöe & Arca c. 23. probè notat (7) Mediolanenſis, *exſpectavit ſeptimo die, quò ab operatione requievit, ut, ſi venia peteretur, & correctio ſequeretur, etiam ab indignatione requieſceret.* At omnis exſpectatio erat irrita. Utut arcam ſuam ædificaret Nöe, edebant ac bibebant, diu noctúque epulis ac poculis, luſibus

&

& choreis immersi; quidquid de certo urbium excidio præsagiebat Noe, cribratis auribus hauriebant; aliqui pium senem tanquam mente motum sannis traduxerant, & sonantibus cachinnis, alii in omnem libidinem ac proterviam soluti obvias voluptates prensabant, donec aquis crescentibus, ædes & tecta, turres & arcium fastigia diluviô corriperentur, illis unicè octonis mortalibus exceptis, quos undis innatans arca sinu suo concluſit. Rectè proin dixit hodie facer Evangelista, cùm pompam describeret Jerosolimitanam, *ecce Rex tuus venit tibi mansuetus*, non terribilis, sed amicus & familiaris, pius ac misericors, pronus etiam pro singulis mori morte barbara, probrosa & truculenta, ac mortis illatores iterum in gratiam recipere, eósque gloriâ prosequi sempiternâ. Hanc benignitatem non tantùm Judæis obtulit & exhibuit Deus, sed eam hanc in horam omnium reorum auribus intendit, clamando identidem & illud (8) Ezech. recantando: *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, vitâ vivet & non morietur.* Morte dignum æterna, Deus vitâ donabit nunquam ampliùs moriturâ. Hæc si vera sunt, AA. *Nemo de Dei pietate diffidat*, magnus inquit (9) Aug. *quia major est ejus miseratio, quàm nostra miseria: quisquis ad Deum ex toto corde clamaverit, exaudiet illum, quia misericors est.* Nemo dicat, serò nimis præcordia pulsari, cùm etiam labris ipsis anima innatat; hæc quamdiu suo est corpori sociata, tamdiu omnibus ac singulis patescit Regia summa Dei. *Nulla pœnitentia sera est*, Cypriano authore (10) *si modò vera est.*

C. Hodie omnibus hanc misericordiam Deus offert.

(8) Ezech. 16.

(9) S. Aug. l. de ver. & fals. pœnit.

D. Nulli adeò desperandum.

(10) S. Cypr. ad Demetrian.

At hic loci nemo seipsum supplantet; nemo hac summa Dei benegnitate ad peccandum abutatur; nemo hac Divinâ misericordiâ lactatus, tunc statuat serò quibuscunque deliciis valedicere, cùm ultima linea rerum moris instat. Nemo secum hos rudes formet cogitatus, infinitè bonum esse Deum, optimũ hospitem, qui alteri sciat plures symbolas donare; nemo dicat quod (11) Siracides dixit: *Miseratio Domini magna est. dissimulat peccata hominum*, neque tantùm septies, sed septuagies septies peccantibus ignoscit ter clemens Deus. Flexilis est, placabilis est; quacunque hora pectus suum percusserit & animô contritus accesserit aras peccator, gratiam

(11) Eccli. 3.

recipiet millies perditam; detur itaque præſens tempus carni ac deliciis; ut mors lecti ſpondam pulſaverit, æternitati animus componetur, ut ſalus firmetur æterna. Tunc pœnitentia ſeriò prenſabitur; tunc quidquid pravitatis animum premit, uno confeſſionis, uno contritionis actu delebitur & funditus extinguetur.

F. Nulli pariter de hac miſericordia temerè præſumendum.

At hic Opt. AA. enormis error eſt, qui jam innumeros graviſſimè decepit, & omni ſpe vitæ ſanioris deſtituit. Depinxit hunc errorem vivis coloribus Bleſenſis (12) in epiſtola Raynaldo transmiſſa, ubi veſanos mundicolos corvina voce falcinatos loquentes introducit Petrus, ut alterum ſuis pravitatibus circumactum, artificialibus orci technis concludant: *propitius, inquiunt, ſis tibi Domine, juvenis es: jejunia capiti ſuo ſunt importuna: nimia carnis afflictio morbos parit; ſic debes chordam tendere, ne rumpatur. Hæc omnia in annos maturitatis differri oportet. Non ſumus meliores quàm Patres noſtri, qui nigerrimos vitæ dies ultimo in articulo dealbarunt. Ad ſolatium viri creata eſt femina, viro ſimul ac femina dictum eſt, creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Cur ergò in feminas omnis amor aboleatur? *nec virtus tua virtus eſt lapidis, nec caro tua ænea eſt; delicta juventutis tua & ignorantias tuas Deus non attendit*, modò in ſenio te totum Deo conſecres & reſarcias malè acta. *Somnus & ludus & ſolicitudinum depoſitio amiciſſima ſunt naturæ: bonum conſervat caſtrum, qui ſervat cum diligentia corpus ſuum: temerarium eſt, ſe citra neceſſitatem affligere: Religio in juvenibus rarò commendabiles exitus ſortitur. Ætas provectior ſatis redimet lubricum juventutis. Satis tempeſtiva eſt pœnitentia, quæ diem mortis anticipat: latro in cruce pœnitet: nemo ſerò pœnituit, quem mors invenit pœnitentem.* Hactenus ſuas in Sacra blaſphemias evomuit peſſimus orbis; at quid ad tot & tantas malignitates Bleſenſis? *Hæc & his ſimilia*, inquit Petrus

(12) Pet. Bleſ. ep. 15.

F. Procraſtinatorum impia phantaſmata.

Petrus, *infernales occinunt Sirenæ, ut à portu salutis in voraginem vitiorum descendas, & miseriarum penetres abyssum, nunquam inde in lucem emersurus.* Hic tandem tristis casus ac horribile præcipitium omnes illos excipiet, qui divinissima benignitate suam in perniciem tam miserè, tam scandalosè abutuntur.

Est utique Deus infinitè pius, mitis, bonus & misericors, sed unà infinite justus est, ut hactenus multoties auditum. *Dulcis & rectus Dominus*, exclamat (13) David, in quæ verba sic more suo (14) Aug. *ama, quòd dulcis est, time, quòd rectus est.* In quem finem etiam Paulus (15) intonat: *nolite errare, Deus non irridetur.* Qui peccat liberè in misericordiam, unà provocat Dei summi justitiam. *Ama, quòd dulcis est, time, quòd rectus est.* Time justitiam, antequam pecces; ut verò peccâsti, misericordiam ejus apprehende, ita tamen, ut procul exulet omnis temeritas. Scimus, quid commune ferat diverbium: optimi natatores aquis suffocantur, dexterrimi scansores fallente vestigio humi ruunt, & nunquam ultrà resurgunt, generosissimi digladiatores letali plaga feriuntur & occidunt in arena, omnes pereunt arti aut dexteritati suæ plùs æquò confisi. Christo Jerosolimas hodie subintranti unis vocibus plebs applaudit hebræa: *benedictus qui venit in nomine Domini*, benedictus, qui nomen Domini devotè enuntiat; at simul contrarium probè capiatur, quod nobis seriò inculcat Bernardus, (16) *maledictus, qui peccat in spe*, secumque cogitat adhuc sufficiens tempus pœnitendi suppetere, cùm tempus omne jam propè abiit & difluxit. Placet hujusmodi maledictum peccatorem eminus intueri, unà hodiè in Italiam transmeamus; hic utraque manu palpabitur, quàm clemens & misericors Deus sit, & quàm simul justus sit, illos omnes acerrimè persequendo, qui se à misericordia Dei non maturè duci ac regi patiuntur.

(13) Psal. 24.
(14) S. Aug. in Ps.
(15) Gal. 6.
(16) S. Bern. in Cant.
G. Maledictus qui misericordiâ Dei abutitur.

Prout Bagatta (17) refert, Julius Patricius Romanus tam insanis amoribus in Hortensiam meretricem Romæ in patria sua exarsit, ut ab ea nullis posset artibus, nullis minis aut monitis avelli. Stanislaus nobilis Polonus eodem sub tecto cum Julio Romæ habitabat, frequentibus machinis eum aggressus, ut in-

(17) Bagat p. 2 admir. f. 242.
H. Probatur exemplò.

ut infame conſortium devitaret; ſed occalluit ad monita, obſurduit ad pia hortamina, & in carneis voluptatibus pænè obbrutuit.

*Naturam expellas furcâ, tamen usque redibit.*

Ubi peſima conſuetudo alteram induit naturam, ibi propè actum eſt & conclamatum de ſalute. Agnovit hoc ipſum gentilis Seneca, hinc nimis quàm verum profluxit (18) effatum illud: *deſinit eſſe remedio locus, ubi, quæ fuerant vitia, mori fiunt.* In nullo ſcelere toties effati hujus veritas eluceſcit, quàm in effræni luxuria. Citiùs æthiopem laveris; citius mortuum ad vitam reduxeris, quàm carneus lurco purgetur, ut vitam vivat candidam, puram ac luis integram. Neque tamen ſuis à monitis unquam deſtitit Stanislaus: inſtat, urget, orat, obſecrat & precatur monitor pænè aſſiduus, ut lupinis fœditatibus ſeriò nuntium remittat; preces precibus accumulat; rationes rationibus addenſat, ut focos cyprios penitus extinguat; at ſurdo fabulam. Votis ac precibus, rationibus validis & argumentis impias aures occluſit Julius, imò ut omnem criſin procul à ſe dimoveret, & frena omnia libidini ſolverentur, ſtatuit non ædibus tantùm, ſed toti urbi nuntium remittere, mutare ſolum, & aliò libertatis aucupandæ gratiâ migrare; eum in finem ſua cum pellice toti Romæ protervos calces illidens fugam capeſſit, & integrò ſeptenniô cum ſtygia appendice ſua per Italiam vagatur; ſic paucis annis opes ſecum ſumtas inſtar filii cujusdam prodigi diſtraxit, ut vivendo luxuriosè ad incitas redactus ſtipem cogeretur oſtiatim emendicare. Tot malis fractus ad ædes patrios revertit laceris centoribus obſitus, fame ac inedia exhauſtus, lupam tamen ſuam etiam hoc in miſerrimo ſtatu ſecum duxit, Stanislaum olim contubernalem ſuum priſtinam charitatem reduci ſocio exhibiturum perſuaſus. Neque eum ſua vel ſpes vel fiducia fefellit. Lætus reditu prodigi lenonis ſua ei obſequia pronus offert; credidit enim malô ſuo ſapere doctum conſilia cepiſſe ſaniora ſimul & ſanctiora; ſuis eum veſtibus exornat, ac menſæ admovet, omni alia ope deſtitutum juvat, excitat, certus, amores cyprios pridem animô ejus profligatos evanuiſſe; ſed alia longè mox

(18) Sen. ep. 28. Hiſt.

gè mox sequens dies detexit, ubi palàm vidit, Julii pectus adhuc lupæ manibus rotari, & in omnem proterviam circumagi. Resumpsit adeò Stanislaus crises suas, acerbis in eum minis invectus, nisi turpe commercium seriò evitaret. Promisit quidem aureos montes, ipsô tamen factô ostendit æthiopem lavari. Jam statuit Stanislaus discolum ac flecti ferreum homuncionem mensâ suâ & consortiô proscribere, hem Deus Stanislai vota prævertit, & gravi morbo Julium obruit. Lecto per morbum à Deo vindice transmissum affixus Julius, debebat utique seriò ad Deum reverti, purgare animos, ut sita etiam lue corpus levaretur. Accedebant continui hortatus, ut resipisceret, & candida confessione multiplex scelus ejuraret, quos diu noctuque ægro suo Stanislaus occinuit. Augebatur in horas morbus; periculum in dies crescebat, neque tamen induci poterat æger, ut ad sinceram confessionem se accingeret; cogitabat nempe, dissoluta tempestate, solem brevi reversurum, ut ægrum irradiet, roboret & confortet: tempus adhuc dari prolixum satis invisam confessionem expediendi; ut periculum creverit, sed seriò saluti suæ & sacris invigilaturum. Sic in dies, in horas protracta pœnitentia est, donec tandem ipse Deus tam irrita exspectatione succensus, eum valida manu prehenderet. Vidit Stanislaus & doluit suas seu minas seu hortationes constanter explodi; solus ergò ante Crucifixum se humi prostravit, orans, obsecrans Deum in Crucem actum, ut obturatum Julii pectus misericorditer inflecteret & emolliret. Audiit pias preces Servator, & ecce uberem gratiam, quam pronus offert mentibus obturatis. Mittitur à Deo ipso precans Stanislaus ad Julium, ut huic gratiam Dei ac misericordiam nuntiaret, si modò veri nominis pœnitentiam apprehendat. Quid poterat ultrà facere vineæ huic, & non fecit clemens Deus! his non contentus hoc in mandatis dedit Stanislao, ut si ad tot & tantas misericordiæ Divinæ charites, sua in pertinacia Julius duraret, eum suo (Dei sc.) nomine primò, secundò ac tertiò moneret, mox ad se rediret. Obit munus à Deo impositum splendidè Stanislaus, sed fructu iterum irrito. Quidquid ei fidus monitor occineret, suum illud tritum ac triviale Julius reposuit, necdum tempus esse, se suæ salutis curam jam

I. Amor Dei gravissimè offensi in peccatorem.

K. Gratia à Deo oblata peſſimè repellitur.

ſeriò acturum, ſi morbus invaluerit &c. Tribus diſtinctis vicibus divino ex imperio monitus fuit æger, at ventis omnia commiſit Julius. Querebatur ſingulis vicibus ægri contumaciam Deo ſuo Polonus; cùm autem tertia vice eandem næniam occineret, Chriſtus ipſe ligneo ex latere ſanguinem manu ſua eduxit, dixitque: hic cruor in judicio extremo Julium accuſabit, qui gratiam meam tàm piè oblatam etiam tertia vice pertinaciter rejecit, ac mortis præſagia eluſit; ſentiat ergò juſtum judicem, qui noluit colere clementem Deum; ita dies dicta eſt Julio moriturienti. Redux à Crucifixo Stanislaus, ut ægrum novis rationibus extimularet, jam funus reperit, & totam ejus faciem largo cruore conſperſam. Cruor nempe fuit, quem Chriſtus ſuo ex ſacerrimo latere viſus eſt expromere; hunc, ſententiâ in moribundum fulminatâ, in vultum jacentis projeciſſe creditur Servator. Hoc enormi tranſitu vitam ſuam concluſit leno.

Ex hoc apparet primò, quàm tragica ſibi fata concilient tetræ libidinis avidi ſectatores. Nullum certè flagitium ex omnibus ita piceum eſt quàm libido. Qui à juventute his ſordibus aſſuevit, habet ſanè, quod velis remiſque perdius ac pernox laboret, ut ſe denuò his fecibus extricet. Huc opus eſt Dexterâ Dei motrice & cooperatrice. Horrida eſt ſententia, quam in omnes luxuriæ ſatellites detonuit. (19) Algerus: *ita libido illaqueat, ut vel difficilem vel nullam omninò pœnitentiam admittat, & niſi valida manu miſericordiæ Divinæ ſubventum fuerit, miſerabili fine ſuos amatores fine fine perdat.* Id quod abundè patet in Julio recenti cruore aſperſo. Guericus Abbas rectè animadvertit hoc vitium ordinariè tanta cum pertinacia etiam ægro inhæreſcere, ut eum usque in tumulum frequentiſſimè comitetur. Verba citati recitemus: *in pluribus ſemimortuis videre eſt adhuc viventem mundi concupiſcentiam; frigeſcunt membra, & adhuc fervet avaritia, imò & luxuria.* Altiùs intonat (20) Anaſtaſius: *ego certè vidi viros centum propè annos, imbecilles, & toto corpore trementes, qui tamen non potuerunt abſtinere à peccato corporali propter diuturnam conſuetudinem.* Tantum valet prava conſuetudo per repetitos actus contracta, & quaſi alteri naturæ inſerta, unde

(19) Algerus l. 2. de Sacram. c. 22.

L. Piceum ſcelus eſt luxuria

(20) S. Anaſt. Sin. q. 8.

vix

vix unquam amplius pellatur, nisi Deus quasi suam omnipotentem dexteram pellendo & eradicando huic malo admoveat. D. Paulus talis hominis seriam conversionem pridem inter miracula visus est collocare. (21) Audiamus ipsum Gentium Doctorem: *fide*, inquit, *Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace: & quid adhuc dicam?* vult dicere S. Paulus: cùm Jerichuntina urbs tubis clangentibus destrueretur, solo æquata, miraculum fuerit, hanc lupam Rahab non pariter consumptam esse; at majus fuerit prodigium, hanc meretricem ab infidelitate ad Judaismum conversam esse. *Et quid adhuc dicam*, ait Paulus; hic enim jam maximum omnipotentiæ Divinæ prodigium adduxi, Rahab scilicet ad fidem persuasam, ad usque finem vitæ castè vixisse, obscœnis libidinum sordibus ab adolescentia sua immersam. Hæc si vera sunt, quis porrò miretur, etiam Julium tot fœcibus assuetum carneis pravitatibus etiam immortuum esse, gratiâ divina tam largiter è cœlis oblatâ procaciter elusâ. Summum potius miraculum fuisset, si Julius suo è scelerum cœno se in altum librâsset, & pœnitentiam egisset. Hæc miracula nemo præsumat, quia sunt de rarò contingentibus.

M. Reputatur pro miraculo libidinosi conversio.

(21) Heb. 11.

Apparet inde secundò, quid spei, quid solatii omnes illi sibimetipsis pro articulo ultimo promittere possint, qui misericordiâ Divinâ, procrastinando pœnitentiam, tantoperè abutuntur; provocant hi tandem Justitiam Dei, scelerum ultricem Némesin, quæ surdos hosce ac flectiferreos peccatores subitò corripiat, correptos irrevocabili sententiâ fulminet, fulminatos in æviternam omnium pœnarum ac tormentorum horribilem abyssum præcipitet; id quod à nostris omnium cervicibus clementissimum Numen avertat!

Amen.

N. Qui spernit misericordiam, irritat justitiam & labitur in gehennam.

# CONCIO XX.

# DOMINICA I. POST PASCHA.

*Ostendit eis manus & latus. Joan. 20.*

## Cruor Willisovianus.

A.

Cur Deus in glorioso Corpore suo 5. Vulnera retinuit?

(1) S. Cyrill. Alex. in Joan. Ratio Prima Cyrilli.

(2) Zach. 13.

(3) Bed. in Cap. 6. Luc.

(4) S. Ambros. in c. ult. S. Luc. Ratio Secunda Bedæ & Ambrosii.

5) S. Bern. tr. de pass. c. 3. Ratio 3tia Bernardi.

QUærunt hodie SS. PP. cur à mortuis redivivus Servator in glorioso Corpore suo quinque SS. Vulnerum stigmata retineret? varii varias promunt rationes Opt. AA. S. Cyrillus Alex. Episcopus (1) ait, eum ad vitam regressum SS. manuum pedumque plagas exhibuisse, & vivos etiam cœlo intulisse, ut non tantum mundicolæ scirent sed etiam Angeli in cœlis intelligerent, eum verè ut hominem, natum, passum, crucifixum ac mortuum esse. Hinc in ascensu eas in voces admirabundi cœlites proruperunt (2) teste Zacharia: *quid sunt plagæ istæ in manibus tuis, & quare rubrum est vestimentum tuum?* verba Cyrilli hæc sunt: *passiones notas retinuit Christus, ut Resurrectionis mysterium rectè intelligeretur.*

S. (3) Beda & S. (4) Ambros. unà sentiunt, Christum viva in corpore Vulnera numerô quina servâsse, *ad perpetuam rei memoriam*, relatæ scilicet victoriæ de morte, de dæmone, de toto averno, de peccato, & procace mundo; hos enim hostes per roseas hasce Plagas vicit Christus & triumphavit.

S. Bern. (5) plagas post mortem S. Charitati adscribit, quâ nos etiam post mortem suam Christus amplectitur. Charitas DEUM cœlô detraxit. Charitas Deum in crucem egit. Charitas Deum vitâ exuit mortali, quam homo vixit. Charitas has plagas nunquam patitur aboleri, ut sciat totus orbis, quanti salus hominum Deo Homini steterit. Ne ultrà fenestram

ſtram in cor humanum reſerari petat Momus, viſurus, quid intus Amor operetur: *per vulnus viſibile* verba ſunt mellei Doct. *quaſi per feneſtram inviſibile Amoris vulnus videtur.* Unde ſinguli ad mutuos amores & patientiam Deo paſſo exhibendam perpetim animentur, ut verè dici poſſit tritum illud (6) Bonav. *ſine vulnere nec volo nec poſſum vivere, cùm aſpicio Deum meum vulneratum.*

(6) in vit. Ratio 4ta Haymonis.

Haymo Halberſtadenſis Ep. (7) retenta vult ſacra hæc ſtigmata eum maximè in finem, ut horum aſpectu totus hominum cœtus excitaretur ad debitas laudes & gratias pro infinito Paſſionis beneficio refundendas. *Signa vulnerum noluit obliterare, ut eidem indeſinentes gratias agerent electi.* Sic Haymo.

(7) Haym. in Luc.

S. Aug. (8) credit ea pro extremo Judicio in valle Joſaphat expediendo retenta eſſe, ut horum intuitu efficaciter poſſit peccatoribus exprobrari; quid & quantum pro illis paſſus ſit Servator, ſine fructu, ſine emolumento; dicet adeò ad reprobos, *ecce hominem quem crucifixiſtis! ecce Deum & hominem, in quem credere noluiſtis! videte vulnera, quæ inflixiſtis! agnoſcite latus, quod pupugiſtis! per vos & propter vos apertum eſt, & tamen intrare noluiſtis! ite ergò maledicti in ignem æternum.*

(8) S. Aug. l. 2. de Symb. ad ad catech. c. 8. Ratio 5ta Auguſtini.

Hæ omnes rationes inclytæ ſunt & utiliter excogitatæ. Poſſet è ſingulis cum fructu certa & efficax concio elaborari; ſed mitto hodie ſingulas, & illam unam apprehendo, quam ante omnes SS. Patres ſuis Hebræis Paulus (9) propoſuit, ut ne hæc poſt obitam mortem impiè renovarentur. Legatur epiſtola ſexta Hebræis inſcripta, & fatendum erit, multis quidem & gravibus pœnarum tormentis Chriſtum olim à perfidis Judæis excarnificatum fuiſſe, hominum tamen malitiam hôc ævo ita creviſſe, ut una morte per Hebræos Chriſto illata neutiquam contenti peſſimè notæ Chriſtiani vitæ Divinæ hanc inhoram inſidias ſtruant, eumque utut glorioſum plagis novis ſauciare, & barbaris auſis iterum iterumque in crucem agere ac interimere totis viribus collaborent. Tales ait Paulus ipſi eſtis Hebræi, *crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes*, quia idem poſt Paſcha tentatis, quod per hebdoma-

B. Ratio ultima omnium veriſſima S. Pauli, Greg. Thomæ, Vincent.

(9) Heb. 6.

dem Passionis visi sunt olim tentare majores vestri, DEI ac Domini sui carnifice truculenti. Id quod hic loci Hebræis Paulus exprobrat, exprobrari potest omnibus ac singulis gravi peccatô infectis Christianis. Quid ergò miramur, si Deus gloriosissimo in Corpore suo adhuc recenti sanguine madida vulnerum stigmata exhibeat. Non patiantur has plagas & plagarum cicatrices obduci pessimi nominis Christiani, in hoc omnibus Judæis deteriores, quia hi una tantùm vice Christum dilacerabant, hi verò toties lethali vulnere glorioſum Corpus trucidant, quoties graviter peccant. Est hoc ipsum, quod currentem in horam per Psal. (10) Deus malè saucius conqueritur: *circumdedit me lanceis suis, concidit me vulnere super vulnus.* Ah quid maliferi peccantibus Christianis, qui & esse & nuncupari volunt Catholici, ut tanta tirannide meos iterum artus dilanient? nunquid satis pro illis passus sum? ut quid ergò vulnera vulneribus accumulant? ut quid plagas plagis addensant? *vulnere super vulnus conciditur*, Magnus inquit Greg.(11) *cùm peccatum peccato adjicitur, ut culpa gravius exaggeretur.* Idem ante 400. annos deplorare visus est (12) Angelicus Doctor his verbis: *peccator quantùm in se est, dat occasionem, ut iterum Christus crucifigatur.* Si quando nostros fortè oculos Judæi verpæ incurrunt, ocius illas execramur & anathematizamus, nec malè: vi Deo illata, eum columnæ adstrictum multis mille ictibus dilacerârunt, eum sannis & opprobriis oppletum, tanquam omnium latronum caput è vita exturbârunt. At cur non pares diras in nos ipsos vibramus, qui longè crudius Christum excipimus, quàm olim exceptus sit per Judæos. Una ut dixi vice Christum, quem nesciebant Deum simul ac hominem esse, illi in crucem egerant, nos eum toties è furca suspendimus, quoties gravi peccato animum contaminamus. Audiantur, quæ ante aliquot annorum centurias palàm in Italia Sanctus ille Veritatis Præco Vincentius (13) prædicavit: *in hoc fortè minùs reprehensibiles sunt Judæi, quàm novi crucifixores, qui manibus & verbis mortem illi accersunt, qui immortalem mortificant, & incrucifigibilem crucifigunt.* Luunt Judæi suam barbariem hanc in diem; ut enim probati Authores affirmant, Judæorum puelli adhuc hodie nascuntur manu cruenta capiti suo im-

(10) Ps. 63.

11) S. Greg. l. 13. mor. c. 6.

(11) S. Thom. in Ep. ad Heb.

(13) S. Vinc. serm. in Parasc.

C. Pravi Christiani malitia supe-

impoſita, ut qui olim clamabant (14) *ſanguis ejus ſuper nos & ſuper filios*, adulti verò Judæi dicuntur ſingulis annis in paraſceve ſanguinis fluxum pati ut Salmeron (15) teſtatur. Ad hæc nullum mihi Judæum oſtendes, qui vultum referat vivi ac vegeti coloris; facies illorum luridæ ſunt, pallidæ, & quaſi ſanguine ſuo exhauſtæ, quia per illos cruor effuſus eſt divinus; hac de cauſa paſſim ab omnibus rejecti, omnium laribus excluſi, totum per orbem omnium ſervi errant vagabundi, quia DEUM ac Dominum ſuum tot plagis confectum etiam vitâ ſpoliârunt. Valentia ſcribit de illis (16) nullum Judæum ritè cœlos intueri poſſe, niſi fiat Chriſtianus; addit aliquos ex Judæis ne quidem poſſe ſputa ſua ejicere, aut ſi ejiciant, in vultus judaicos ſperma revolvi occulta vi. Nemo inter fabulas collocet præſens aſſertum; id ſacerdotali fide ſua firmavit inclytus Sacerdos ex Armuzia, cui nomen Damianus Callata. Armuziæ novi orbis famoſiſſima urbe ante 40. circiter annos prædives erat Judæus, qui cùm alterius Judæi filiam ducere vellet, & hunc in finem vicinum verpam ſuis in ædibus ſalutâſſet, ut filiam nuptui traderet, filiæ parens rotundè preces pro filia rejecit & negativam dedit proco. Delata eſt cauſa ad Catholicum Prætorem loci præſidem ac præfectum; huic aureos montes verpa promiſit, ſi filiam votis adſcriberet. Citatus filiæ parens ſeriò requiſitus cur nuptias everteret, palàm repoſuit, hunc ipſum filiæ procum ex ea eſſe tribu, qui olim ſputa ſua in Chriſti faciem eructabant, quæ in pœnam adhuc hodie ipſorum in vultus reſultent. Stupuit ad hæc prodigia prætor, & ut rei hujus evidentiam teſtis caperet oculatus, accivit quantocius procum, & tamdiu ſecum detinuit, donec ſaliva moveretur & phlegma in angulum excuteret, quod tamen illicò in ejus vultum reſiluit, ut gemma ex genis penderet. Ita vel hodie luunt ſputa, quibus CHRISTI diviniſſimos vultus conſpurcabant. Nullam ex Judæis feminis ſine ſanguine Chriſtiano ſolvi poſſe partu ſuo, certum eſt; hinc conſultum non eſt, ſi liberè plateas urbes & oppida peragrent Judæi, quia hos inter lureones ſummo in periculo infantes & parvuli verſantur, quos ubi poſſunt, ſecum abripiunt, eosque diris modis excarnificant, ut ſanguinem obtineant

rant Judæos.

(14) Matt. 27.

(15) Salm. de paſſ. tom. 10.

D.

Judæorum pœnæ.

16) Valent. in Pſ. 108.

E.

Malè tolerantur Judæi inf. ntibus ac puellis iaſeſti.

Christianum. At quomodo partus suos inter turcas & gentiles hi verpæ promovent, ubi nulli dantur Christiani? Raderus in (17) Bav. Sancta, Eckhius Ingolstadianus Doct. (18) & Profess. atque ante utrumque (19) Cantiprat. testantur, sanguinem coagulatum assumi & in pulveres contusum, has ad oras transferri, auxilio futurum in partu feminis hebræis. Caspar. Sanchez (20) ait omnes Judæos ex speciali quodam fœtore ipsis proprio dignosci, qui se nullo patiatur balsamo aboleri; unde passim eos dici audias *fœtentes verpas*; fœtorem autem illum illô ipsô momentô evanescere, quô Sacris Baptismi fontibus abluuntur ad fidem nostram conversi, fecit rei hujus etiam suis in metris dilucidam (21) mentionem Fortunatus: *abluitur judæus odor baptismate divo.* Sic etiamnum hôc ævô à justo Judice Deo eruditas illa castigatur, qui olim DEUM Hominem tot plagis concisum trucidârunt. Illos adeò tangunt voces illæ vatis (22) Regii & Psalmistæ: *percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit eis.* Juxta Sacrum Jus & civile apud nos Judæi non possunt honesto cuidam officio publico admoveri, ad benè turcæ ac gentiles, ergò censentur esse deterioris notæ, quàm memorati ethnici & pagani. Non potest ullus Judæorum vel advocati vel procuratoris aut tutoris munus adire, nec potest validum juramentum contra Christianos deponere. Rationem dat Farinac. (23) *quia nullô modô illis credendum est, sed omnia eos mentiri præsumendum est*; quod tamen nonnullis in locis hodie penitus videtur eviguisse. Juxta juris communis leges & sancita non possunt coram judicio contra nos testem agere, ut idem Farinac. bellè observat. Nullus Judæorum potest Christianorum corpora mendicari, nec ullum Christianum mancipatu obstringere, etsi bona emeret, quibus hoc onus annexum foret. Nullus Judæorum potest Christiani alicujus hereditatem adire; si verò Judæorum liberi ultrò velint Sacris imbui nostris, tota, quæ illos tangit, hereditatis portio cedere debet Christianis. Omnes Judæi certo genere vestitûs à Christianis determinando uti debent, ut ab omnibus non Judæis facili possint negotio distingui. Romæ ac Venetiis adhuc viget lex ista, aliis pluribus in locis vestitum hunc grandibus

(17) Rad. 3. vol. Bav. S. de 6. pueris Ratisbon.
(18) Jo. Eckius l. cont. Jud.
19) Thom. Cantipr. l. 2. apum. c. 28. n. 17.
(20) Casp. Sanch. in 2. Reg. 19. n. 13.
(21) Fortunat. l. 5. Carm.
(22) Ps. 77.
(23) Farinac. q. 56. n. 205.

bus pecuniis redimi patiuntur frigidi Christiani. Venetiis in pectore gestant circulum rotundum & vestium fimbrias flavi coloris. Hanc vestium distinctionem probè omnes alii observent, ut ne Christianis mixti suam liberè perfidiam in Christianos exonerent. Nullus Judæorum jure sacri Asyli gaudere potest, quia incapax est privilegii hujus Christiani. His pœnis passim illa barbaries proscinditur, quâ in probrosissimam mortem Deum ac Dominum nostrum abripuerunt. Sic unà nostram ad fidem eminus solicitantur, si quidem ab his omnibus probris vivere gestiant immunes.

Vidimus hucusque pœnas castigandis Judæis à justo Numine decretas; cùm autem pravi Christiani ut paulò antè meminimus, longè deterioris sint conditionis ac malitiæ quàm maledicti verpæ, patet undique, quanta pœnarum ilias his judaizantibus Christianis à DEO sit determinata. Cùm porrò quodvis grande peccatum juxta S. Pauli doctrinam, DEUM iteratò crucifigat, id utique seriò evitari ratio jubet & natura. Abierunt propè duò secula cum dimidio, Justum Numen palàm in Helvetia ostendit, quæ pœna novitios Dei crucifixores olim sit exceptura. Totum obiter recensebo, unà quidquid hucusque dictum est suffulciam, totumque sermonem nostrum concludam.

F. Judaicam pravitatem in Christiani. Deus castigat.

Tragicum exemplum ab Helvetia petitum.

Hist.

Willisovv est pervetusta Helvetiæ Catholicæ Civitas, ut videre est in Helvetia Sancta ante aliquot secula, quàm Austriaca Nobilitas ob efrænem & insolentiæ plenam dominandi libidinem funditus extirparetur, regebatur urbs ista per Comites Willisovianos, nunc verò ob familiæ illius occasum totum illud Willisoviense Dicasterium jure emptionis sibi vendicat Canto Lucernensis, qui singulis trienniis ex more suum illuc præfectum destinat hanc in lucem. Extra hanc à cruento sanguine famosissimam Catholicæ fidei civitatem ante annos 400. magna erat area, hunc in finem purgata, ut singulis festis ac Dominicis post Sacra in templis expedita hic loci robusta juventus confluëret, & se mutuis bellorum exercitiis ad omnem belli aleam ritè accingeret

G. Lusus grandibus malis obseptus.

& præpararet. Area itaque illa non lusibus publicis & impudentibus lucris, sed bono publico aperta est, ut his ab exercitiis ad hostem procul à patria pellendum agiles ac prompti juvenes redderentur. Lusibus publicis lucri causa susceptis in furta & rapinas flexillis ætas præcipitatur, unde nullibi hodie tolerantur, ubi ad urnam sedent, plus bono publico & morum honestati, quàm proprio lucro intenti. Cessit tamen more passim recepto hîc etiam locus in grandem abusum, ut passim non tantùm martiis luctatoribus sed perfidis & pecuniosis lusoribus pateret. Agebatur annus millesimus centesimus nonagesimus secundus post CHRISTUM natum, hem post vesperas 7mo Junii hunc in locum condixerant tres horridi lusores, non ut corpus luctando & digladiando exercerent, sed ut aleis ac fritillis grande lucrum captarent; eum in finem subtilia grandem sibi mensam undique rotundam erexerant, ad quam seram in noctem stygius hic ternio lusum luserat solennem. Alii omnes jam locô cesserant occiduo Sole, ecce hi novis æstibus succensi ardentibus faculis aleæ currentis oculos illustrabant. Unus eorum nomine suo nuncupatus *Udalricus Schrötter*, ceteros tacet Author Helvetus. Erat Udalricus is ipse, qui omnem pecuniam ludendo dilapidabat; hinc more his lurconibus recepto diras omnes in DEUM evomere & enormibus blasphemiis cœlos irritare. Opt. AA. hoc uno ex capite omnis lusus lucro additus proscribatur, quia plerumque DEUS gravissimè a blasphemis lusoribus violatur. Restabat huic nebuloni tantum pecuniolæ, ut unum adhuc aleæ jactum sustineret; posuit itaque Symbolam suam, at unà has in Deum blasphemias eructabat: ultimus esto jactus, quem si etiam mihi Deus subtraxerit, probè ocius gratiam ad alterum transmissam vindicabo: hunc ego pugionem sursum in latus ejus projiciam, si me hôc etiam lucrô destituerit. En quousque lusorum pravitas excurrat! ludit Udalricus & iteratò lusum perdit; totus itaque in furias actus DEUM horridis calumniis & sacrilegis scommatis insectatus, quidquid ira suggessit, evomuit; quidquid furor dictavit, ore stygio ejecit. Ah quàm pius & misericors DEUS est! Cur non ocius orcinum Alastorem orcô rapuit,

rapuit, qui efrænem linguam in ſumma extraheret. His non contentus lurco, etiam pugionem ſurſum quanta vi potuit, manu evibravit, CHRISTI latus iteratò ſi poſſet, perforaturus. Ita cor DEO tetigit, ut plùs ultrà tandem ad pravitatem non poſſet connivere, mittit DEUS illicò binos dæmones tanquam Juſtitiæ miniſtros, qui blaſphemum luſorem cum corpore ſimul & cum anima in orcum raperent. Adérant ſpectaculo huic teſtes oculati duo tenebriones, qui mox totis artubus tremiſcere & vindicem DEI manum ſolicitis curis exſpectare; cùm autem tantas in DEUM blaſphemias non eructárint, mitius nonnihil cum hic agere viſa eſt Nemeſis Divina, ut mox dicetur. Interim pugio nubes tranſcendit nunquam ultrà viſus; ut autem reſcires, lateri Sacro impactum eſſe pugionem, mox ab ictu in menſam defluxerant quinque gemmæ, uterque luſor prodigio attonitus ſtudebant quidem totis viribus roſeum cruorem ſupprimere & abolere. Raptabatur ad præterfluentes undas *Wigger* dictas menſa, ubi alter aquis voluit guttas ablui, altero præ ſacerrimo horrore nullam ex guttis attrectante; utut autem extinguere laboraret guttas alter luſor, nihil uſpiam profecit; quò arctius menſam perfricuit eò ſplendidius quintuplex gutta rutilavit; ſic menſa iterum ſub tiliam devolutâ, ibidem inversâ & ramentis tectâ fugam meditari uterque. Antequam verò pedem locô moverent, luſorum more primùm verbis digladiari, alter alteri dicam impingere, & luſus ſacrilegi culpam imputare, vi ucius certò ad pœnam raperentur, tandem etiam manus manibus conſerere, pugionibus mutuis dimicare, ubi mox ille, qui Sacras Menſæ guttas extinctum ibat, à Juſtitia Divina correptus, letali plagâ ſaucius humi corruit ſunus. Quorſum in ira & rancore migraverit, pronum eſt conjicere. Reſtabat adeò tertius, quem ad ſupplicium traheret Divina Themis; hic quaſi alter Cain occiſo Abele fratre ſuo, quà licuit, fugam arripuit, ſe tam divinæ quàm civili vindictæ ſubtracturus. At laneo pede Vindex DEUS fugientem inſecutus, eum mox altero die prehendit. Totum corpus ejus pure intumuit tubere ac pituita; adhæc etiam phtiriaſis ſeu morbus pedicularis, morbus Herodianus ita nebulonem corripuit.

ripuit, ut præ immani fœtore nullibi tectum aut mapale reperiret, ubi tutò noctu caput suum reclinaret, omnium ædibus tanquam impium peripsema excluſus. Sic domum redire compulſus, extra urbis patriæ portam ſub dio abjectus, omni hominum ope & auxiliò juſto ex rancore deſtitutus, fame ac inedia, morbo ac fœtore confectus, eo quo Herodes olim ritu crepuit & contabuit tertius luſor. Noluit ad furcam rapere præſentem Juſtitia ſecularis, ne Divinæ actu ſcelus vindicanti præjudicaret. Dicitur tamen agnito errore, & luſu palàm ejurato pœnitentiam egiſſe, morbum & inediam tanquam ſceleris patrati vindices æquo & patienti animo & ultimum usque ſpiritum ſuſtinuiſſe; unde conjici poſſit, eum à Deo non penitus reprobatum, ſed pœnitentium ſyllabo inſertum, gratiâ & gloriâ donatum eſſe ſempiternâ. Suſtulit Sacras quinque guttas mensâ exciſas ducto ex urbe ſupplicabundo agmine Vener. Clerus, & eas auro ac gemmis ornatas publico cultui expoſuit, extructa etiam in loco, ubi luſum eſt, nobili Eccleſia tribus aris inſignita, ubi tamen hodie una tantùm gutta venerationi proſtat, quia reliquæ, pio quodam furto in Alſatiam & in Boicam translatæ fuiſſe perhibentur.

H. Improbi luſores judizant.

Ex his abundè patet AA. quis hodie CHRISTO cœlis illato adhuc plagas imò tetram mortem intentet. Id ante alios præſtant, qui jurant & blaſphemant, improbi & pecuniosi, perditi & maledicti luſores. O utinam tempus eſſet hoc lurconum genus pro meritis cribrandi! quot oculis ſtant aleæ, tot flagitia luſum ſtipant. Diſcipulus nobilis præco ſed antiquarius 24 numerat, quæ ſuo loco, ſuo tempore ordine diſcutiam. Utinam hic omnes urbium ac locorum præfecti tantis ardoribus luſorium agmen extirparent, quantis olim S. Comes Elzearius id ſuos inter extinxit. Qui ſub hoc capite vel chartam miſcuit, vel aleam rotavit, jam pœnam tulit quadruplicatam. Sic Narbone omnis luſus eviguit. S. Cyprianus. S. Baſilius. S. Ephrem. ſolidos tractatus contra hos ſtygios luſores exarârunt, eum in finem, ut hoc ſcelus exſcinderent. Quàm acriter luſus iſte ſit Eccleſiaſticis inter-

I. Luſus maximè Sacros dedecet & Ecclesiaſticos; quid in hos Concilia.

interdictus, patet ex 6. Synodo generali, ubi canon 42. us tantùm improbos & scandalosos lusores attingit. S. Concili Trid. sic odit lusores hosce, ut hanc etiam legem sanciret (24) si quo casu ad Parochiam aut beneficium aliquod ab aleatore quis præsentaretur, hoc uno ex capite talis præsentatio cassetur & irritetur. Voluit nempe malis omnibus Sacra & provida Synodus obviare, quæ ex tali præsentatione & familiaritate cum lusoribus contracta essent suo tempore prognascitura, si à præsentatore similem ludendi spiritum præsentatus hauriret, quod certò futurum sibi Sacra Synodus persuasit. Muftis apud Turcas omnem lusum etiam cum gran-Veziris prohibet Alcoranus. Quid ad hæc Clerus noster? Caveamus proinde AA. ne impiam Christianorum verparum classem, qui Deum iteratò sauciant & trucidant, reprobi lusores ampliemus. Eum in finem omnem iniquitatem & injustitiam, omnem avaritiam, odium & iram, omnem libidinem & intemperantiam, & vel maximè omnem lusum seriò evitemus, ne per nos graviter Deus saucietur, suumque iteratò super nos cruorem effundat, qui tamen nobis non ad salutem fluat, sed ad exitium, quod à singulis D. T. O. M. avertat.

Amen.

(24) Conc. Trid. sess. 22. c. 1. de reform.

[o]

# CONCIO XXI.

# DOMINICA II. POST PASCHA.

*Lupus rapit, & dispergit oves. Joan. 10.*

## Lupa femina.

A. Romulum ac Remum à lupa enutritos esse fabula est, ad Urbis Romanæ famam & gloriam per orbem tuendam conficta.

OMinosum simul & prodigiosum est AA. quod de primis Romæ fundatoribus memorant historiographi. Erant illi Romulus & Remus, Gemelli ex Ilia nati, per Amulium æstrô invidiæ percitum homuncionem rapti, jamjam Tiberi mergendi, quos pastor Faustulus exitio subtractos, Laurentiæ uxori suæ lactandos dedit & clanculò educandos. Sic Laurentia nutrix facta est horum fratrum Romuli ac Remi. At quæ fuit Laurentia? hæc sicut à pluribus adulteriis & immanibus libidinum spurcitiis *insatiabilis lupa* passim nuncupata est, ita cum lacte suos pariter mores & amores cypriosRomulo ac Remo instillavit. Adultiores facti, erubuit uterque, quòd à Laurentia insaturabili lupa & bubulcorum pellice nutriti ac educati esse dicerentur. Ad tumulandos rumores hosce, præsens fabula ficta est, Romulum & Remum lupino lacte à silvestri lupa pastos, in tantos heroas adolevisse, ut famosissimæ Urbi Romæ primum lapidem ponerent. Sic infamiæ, quæ ipsis per Laurentiam nutricem accrevisset, non tantùm ambo fratres subtracti sunt Romulus & Remus, sed ipsa etiam Urbium Regina Roma. Hæc prima & potissima fabulæ hujus ratio fuit. Aliam præter hanc dat (1) Aug. aitque, olim apud Ethnicos prohibitum fuisse, ut nulla meretricum effigies in Deorum fanis palàm erigeretur; cùm autem in recèns à fundamentis extructa Urbe Romana Romulum & Remum tanquam Urbis fundatoces publicis honoribus prosequi vellent Romani, utrumque lupæ supposuerunt, quosi lupino lacte saginatos; fuitque hæc imago ita ubique recepta, ut eadem annullos & urbis

(1) S. Aug. l. 6. de Civ. c. 7.

urbis etiam insignia condecorarent, revera tamen lupa hæc erat Laurentia pellex adultera. Ab hac omnes hodie meretrices & infamia scorta *lupæ* dicuntur; unde apud latinos etiam hæc duo turpia & obscæna vocabula profluxêre *lupor*, *lupari & lupanar*, illud luxuriæ aucupium, hoc domum meretricibus habitatam designat. Idem *lupæ* vocabulum omnibus prostibulis tribuunt historiographi tam sacri quàm profani & Oratores: S. Cæsarius Arelat. (2) Ep. S. Thom. (3) Cantiprat. Theoph. (4) Raynaudus & alii sine numero. Ante Christum natum hoc titulô jam notavit effrontes mulierculas ipse Cicero, cùm Milonem suum (5) contra Clodium defenderet, de quo publicô è rostro hæc dixit: *semper secum lupas ducebat Clodius.* Causa vocis hujus à lupabus ad obscænas pellices translatæ, duplex est proprietas, quâ maximè *lupæ* notantur. Primò *lupam* urget continua fames, quæ in femella longè semper ardentior est quàm in lupo masculo. *Insaturabilibus præda relicta lupis* canit (6) Ovidius. Quod tripus lupis sufficit, vix unam exsaturat lupam. Sic iterum Ovidius (7) *ad multas lupa tendit oves.* Lupus unâ oviculâ famem explet, lupa verò alteram & alteram rapit & prædatur. Secundò nulla lupa lupo suo fidem servat integram; in venerem præceps suo pro lubitu & effero impetu frangit fidem ac promiscuè lupis miscetur. Binis hisce qualitatibus quævis pellex dotata est, cur ergò non pariter *lupæ* titulô insigniatur? Pellicum desideria insaturabilia sunt; pellicum intemperantia & avaritia carent fundô. Magnus est amor cyprius, quô in feminas viri exardescunt, at longè majori æstu in viros flagrant femellæ. Id pridem in sexu feminino agnovit (8) S. P. Basilius & post ipsum S. P. (9) Chrys. Sic etiam hac de re sentit ac loquitur Alb. (10) Mag. & (11) Tiraquellus. Ratio hujus exundantis æstûs in feminis est cerebri feminini debilitas, mollis earum & fragilis natura, major ab intus flamma foràs ebulliens & fluxus ut ajunt menstruus; hinc etiam citius præ masculis nupturiunt, & promptiùs frigentem brumam forinsecus à corpore ob intrinsecos calores profligant quàm viri, cujus evidens argumentum præbet levior vestitus etiam hyeme feminis receptus, illis maximè, quæ projecto pudore ad enorme scandalum Veneris domicellæ colla sua denudant, utut niveus

B.
Feminæ meretriciæ rectè dicuntur lupæ duplici ex causa, fame scil. ac libidine.
2) S. Cæsar. l. 10. c. 34.
(3) S. Thom. Cantipr. l. 2. c. 40. n. 45.
(4) Rayn. t. 9. in Mar. Ægypt.
(5) Cic. pro Mil.
(6) Ovid.
(7) Idem 3. de arte.
(8) S. Basil. l. 1. de ver. Virg. c. 5.
9) S. Chrys. l. de Virg.
(10) S. Alb. M. l. de arcan.
(11) Tiraq. l. 12. de anim. c. 3.

aquilo grassetur. Addit Plut. (12) ævô suô cadavera non sepulta, sed ardentibus focis combusta esse, ad quomodo? duos intra viros semper medium tenebat femellæ corpus & cadaver, ut vel sic à caloribus etiam femininis citius corpora virorum consumerentur. Idem sentiunt Guil. (13) Paris. & ante ipsum (14) Climacus. Tempus si suppeteret, possent hæc quoque sacris è Scripturis elucidari, sed operæ pretium non est, ut inter immodicos feminarum calores plùs ultrà subsistamus. Has *lupas* porrò nec opibus nec pecuniis, nec donis nec lucris saturari, experientia probat quotidiana. Nunquam citiùs ad incitas devolventur prædivites Crœsi, quàm si cum lupis hisce spuria commercia tractent. Videas hîc modico tempore grandes etiam thesauros ad fundum exhauriri. Julius Firmicus (15) nobilis haruspex pridem advertit, quoties sidus Mercurii, & Veneris sidus una in domo (sic Mathematici loquuntur) vel uno in loco consistunt, & radiis suis rectà defluis natum infantem collustrant, toties nihil boni ominis nato portendi. Cur? ratio audiatur tota: *hæc enim si uno in loco fuerint inventa, totum illius, qui natus fuerit, patrimonium dissipabitur.* Qui sub Mercurio nascuntur, creduntur divites futuri, at si Venus Mercurio societur, & opulentum irruat libido, etiam regales gazæ phtisin patientur, & tandem stupentibus procis vanescent. Extat hujus rei clarum paradigma in Script. (16) nunquid prodigus ille *substantiam suam dissipavit vivendo luxuriosè?* ita quidem ut aliis vitæ mediis destitutus cogeretur subulcũ agere, & cũ porcis quisquilias manducare. Non sine causa *foveæ* comparat meretricem sapiens (17) *fovea profunda meretrix est* seu insatiabilis cloaca: quidquid n eam projeceris, inexplebili fundo hauritur Poëta teste:

*Diminuit famam, factis melioribus obstat,*
*Exiguo magnas tempore perdit opes.*

Loquatur ante alios omnes famosissimus Herodes, quid lucri ex hoc feminarum commercio reportârit. Habuit secùm duas pellices seu *lupas* Herodes, Herodiadem & Salomen. Plus vitæ huic latroni Deus indulsisset, ad incitas redactus esset. Nihil ei pro his *lupis* suffecerat, nulla contributio, nulla pecuniaria mulcta, nulli reditus, nulli census poterant in-

gluviem

(12) Plut. in sympos.

(13) Guil. Paris. de Matrim.

(14) Clim. gr. 15.

(15) Jul. Firm. l. 2. Mathes.

(16) Luc. 15.

(17) Prov. 23.

gluviem satiare lupinam. Nicephorus (18) vocat hæc prostibula *Regni charybdes.* Sic vel hodie auri argentique talenta dilapidantur, ubi cypriis amoribus indulgetur. O quoties hactenus dici potuit: *hem lupa carpit oves! hem lupa mactat oves!* an hujus lupinæ rapacitatis vivax petitis exemplum? en horridæ voracitatis lupam exhibet in Franconia Herbipolis, ubi ovinæ simplicitatis adolescentulum amica pellex ita evertit, ut anima & corpus ejus cum enormi totius familiæ probro periret. Descripsit totum actum Stengel. (19) cujus libros de judiciis verè aurô cedróque dignos dixeris, ita hæc judicia ferventer & utiliter bella latinitate nobilis Author proposuit. Miror, nullum hactenus fuisse, qui tam utiles libros bono publico etiam popularium è Latio in Germaniam transporter. Tanto labori fructus responderet centesimus. Ait Stengelius hanc tragœdiam ipsi an. Christi 1633. ab illo relatam esse, qui à prologo usque ad epilogum totam spectabat, & spectaculi hujus pars magna fuit. Kiblerus in germanicum idioma totum factum transposuit, idque primo tomo speculi sui inseruit, aliam tamen brevem & succinctam coronidem à Stengeliana diversam huic facto imposuit. Crediderim nimis fuisse prolixam, ut sub finē tragœdiam mutilaret. Accingo me operi, tristem & acerbam historiam seriò auspicaturus.

(18) Niceph l. 1. hist. c. 9.

(19) Steng. t. 4. c. 61.

C.

Lupam horribilem exhibuit olim Herbipolis. Hist.

Herbipolis urbs est decantatissima & Episcopalis Sedes in Franconia. Anno seculi hujus 30mo ad clavum sedebat Joannes Adolphus ab Ehrenberg, Franconiæ Dux & Episcopus; hic alios inter aulæ suæ ephæbos etiam fovit Ernestum sanguine nobilem & familiæ suæ postremum germen. Commendabat eum ætas flecti cerea, morum suavitas, ardens pietas, præstans ingenium, amor & studium scientiarum, & eximius in literis profectus; his sicut alios omnes multis post se passibus reliquit, ita pariter in se unum omnium oculos omnium affectus attraxit. Familia ejus ex industria tacetur, ut ne toti corpori ex unius membri deformitate grande probrum accrescat. Nihil in hoc virturis ac scientiis præclaro adolescente desideres, quàm constantiam in benè ceptis, in artium ac virtutum studio perennitatem. Quid juvat optimè cepisse, nisi etiam finis suo principio respondeat? Judas bellum fecit exordium, ut jam alibi dictum est, at quàm turpis, quàm execrabilis fuit epilogus jeus?

latro contra in crucem actus, pessimæ notæ auspicium habuit, & finis erat pretiosus: *hodie mecum eris* (20) *in paradiso*. Hinc pro vitæ nostræ ultimo fine tantis curis angitur Ecclesia mater, ut hunc articulum etiam publicis vellet lytaniis insertum: *ut in tuo sancto servitio nos corfortare & conservare digneris. Te rogamus audi nos.* Unus ergò finis huic ephæbo defuit. In templis & in Gymnasiis omnis eruditionis ac virtutis prototypon erat ac vivax idea. At quis utriusque studium ita subitò extinxit? id nec pravi socii, nec procaces puellæ, nec ipsi spiritus orcini consequi poterant. Quis ergò in bono confirmatum adolescentem evertit? commune proverbium est, quò dæmoni non datum est grassari, eò suum quasi fecialem mittit rugis inaratam & deformem vetulam. Habuit quidem Ernestus iste Herbipolitanus non emarcidam anum, sed annis & avita nobilitate conspicuam cognatam, proximo sanguine amicam viduam, quæ amicitiæ gratiâ suum cognatum sæpius ad adipalem mensam domi extructam invitabat. Placuit viduæ sermo placidus, mores affabrè politi feminæ placuerunt; placuit vultus ad omnem gratiam compositus amicæ. Notavit hæc orcus, & mox ambos inter flammam sufflavit, quam nullus ultrà dies extingueret.

(20) Luc. 23.

O quàm cautè etiam cum amicis, cum sanguine junctis agendum est, ne inde lues contrahatur immedicabilis. Vere de his dixit (21) Michæas: *inimici hominis domestici ejus.* Sicut ex optimo vino acerrimum prognascitur acetum, sic ex primæ notæ amicis sæpè fatales inimici procreantur. His mensis, his amicæ bellariis tandem fascinatus adolescens, suo à primævo virtutum ac pietatis, industriæ ac literaturæ studio multùm remisit, ut planè omnes digitò signarent tot jam gradibus à se ipso distinctum Ernestum. Ex hoc frequenti commercio didicit primùm vitra sanitatis & salutis pocula libare cum propriæ salutis enormi detrimento; inde vino fortius assuescere & incalescere cepit, paulò post etiam sermocinationes de bella puella pronis auribus haurire, jocos salaces & oris basia recipere visus, quid multis? formâ captus ipsius amicæ in cognatum suum tam beneficæ amare cepit & amari, carnis & asmodæi turpe mancipium factus. Palliabat quidem sic à vidua edoctus

(21) Mich. 7.

ctus lascivientem malitiam suam aliquousque; at cùm nihil fictum esse possit diuturnum, brevi tempore fumô prodidit, quæ intus flamma gliscceret, in enorme incendium eruptu a. Studuit, preces fudit, & mores præsetulit sat honestos, nemo tamen fuit, qui non diceret à seipso magnis passibus ephæbum abiisse: quidquid egit, coactus, compulsus egit, ad oculum servire doctus, remotis arbitris libros respuere, vel nonnisi cyprios in manus sumere, labores rejicere, preces mutilare aut repudiare, tandem largius lu lere, cum damulis & rosellis liberius jocari, ac ea posito rubore palàm agere notatus, quæ leges passim vindici vulcano transmittunt. Sic factum, ut, qui primas tulit in stois, jam pænè ultimæ arcadum fæci miscretur. Ab ævo auditum non est, unà litteris, unà carnalibus deliciis ex equo vacari.

*Non benè conveniunt, nec in una sede morantur*
*Et Venus & Pallas &c.*
*Nec cubat in molli veneranda scientia lecto.*

S. Chrysostomo (22) teste, *spiritus luxuriæ magno impetu animos irruens flammam rationis extinguit, & protinus latronis instar in tenebris omnia diripit spoliatque, quæ intus sunt recondita.* Sic latrocinans Venus omnem pietatem & industriam, virtutum ac scientiarum ardens studium profligat, & harum in vicem otium & lusum, sales cyprios & choreas, gulam subrogat & efrontem licentiam, in obvia quævis flagitia gyaris & carcere digna resolutam. Currebat Ernestus ad hanc cognatam suam, quoties licuit, cum ea comessari, ludere, græcari, ac sæpius etiam pernoctare solitus. Hujus amicæ consortiô eò tandem pravitatis præceps abiit cognatus, ut, qui paulò antè doctus, modestus, temperans, & quasi terrestris Angelus colebatur, jam Veneris & diaboli mancipium, veneficus, homicida, & plurium aliorum seductor audiret. Quæ ergò fuit cognata, cum qua tam arctam imò tàm stygiam familiaritatem contraxit? Saga fuit & terribilis trivenefica, hæc nobilis vidua, quæ jam pluribus annis orco mancipata, suo loco sæpè dæmonem Ernesto substituit, eumque ad magorum choreas iteratis vicibus deduxit, ac pari scelerum commercio cognatum impli-

(22) S. Chrys. hom. 11. in 1. ad Cor.

implicuit. Ex hoc stygio consortio in tam horridum fluxit labyrinthum, ut inde nunquam ultrà emergeret. Satagebat tunc temporis Princeps Adolphus totis viribus, ut hoc infandum & periculi plenum magiæ scelus funditus ex Franconia proscriberetur. Exurebat grandibus rogis magiam, & nullo hominum respectu reos ad pœnam sagis decretam trahi volebat zelosissimus Princeps; ita factum, ut magnô numerô ardentes inter pyras lamiæ stygi devotæ cremarentur. Has inter Justitiæ oblatas stryges, tandem etiam de commercio cum styge contracto accusati sunt hi duo cognatus & vidua. Horrebant Judices ad horum nomina urnæ delata, & utrumque seorsim honestiore conclavi abdebant, donec evidens certitudo exploraretur. Non opus erat operosa indagine; mox enim certis & minimè dubiis iisque pluribus indiciis deprehenderunt, utrumque dæmoni arctè mancipatum esse, choreis veneficorum multoties interfuisse, homicidia plura perpetrâsse, plures utriusque sexus pueros & puellas inexecrabile consortium traxisse, ut paribus flagitiis implicati teterrimæ stygi horridam servitutem jurarent. Princeps ut audiit, in tantam scelerum colluviem etiam præcipitem actum esse Ernestum, ephæbum suum sibi præ aliis omnibus dilectum, sublatis in cœlum oculis altùm ingemuit, & quod olim Cæsar 24. plagis in Rom. Curia confectus dixit, cùm inter latrones Brutum filium spectâsset, suspirans Princeps repetiit: *Et tu Brute fili mi* numerum auges latronum! & tu Erneste fili mi ex illis es, quos tantis sceleribus contaminatos flagrans rogus exurat? & tu fili mi Erneste, stygi devota dicaris victima? quem de virtute tantoperè dilexi? quem de ingenio, de industria tantoperè suspexi? inclytæ familiæ tuæ laudes & præconia tam tetro fine terminentur! non potuit hæc inter lacrimas reprimere pius Princeps, dolore ac commiseratione tactus, tam præclaram indolem prædam orco cessisse. Cepit inde mox seriò de potentibus remediis consultare, quibus à styge ad cœlos revocaretur Ernestus. Factu optimum credebatur, si juvenis suo in conclavi paternè rogatus ultrò totam, quâ implicitus erat, pravitatem fateretur, torturæ instrumentis tantùm eminus ostensis, si contumax flagitia negaret, inde Religiosis curandus daretur & emendandus.

Placuit

Placuit omnibus efficax remedium: adibant deputati conclave illius, ac præsenti coram signabant, spargi de ipso indicia sat luculenta, adesse testes oppidò graves, argumenta suppetere satis certa, eum stygiæ societati dato nomine orco fidem jurâsse, hæc & hæc scelerâ perpetrâsse, Principem verò suam ipsi clementiam his non obstantibus offerre, si modò singula exactè fateri, & seriam vitæ suæ emendationem spondere velit. Juvenis conscientiæ stimulis actus erubuit ocius, & mox ultrò, quidquid sceleris commisisset, candidè detexit, unà signatè aperuit, quibus modis à cognata sua seductus esset; sibi unum id in votis esse, ut tam dira orci servitute potentibus mediis eximeretur. Sic ergò Patrum Societatis curæ commissus, sacris amuletis probè contra stygem munitus, & assiduè rebus divinis exercitus est, lateri ejus semper uno Patre diu noctuque hærente. Visus est curam omnem pronò animô recipere, ac se totum ad vitæ emendationem componere ephœbus. Dixi non ita pridem, quàm difficile curatu sit luxuriæ scelus, ubi fornicationis consuetudo est contracta; accedat fornicationi magia? propè tota salus dicitur conclamata; & est sanè à libidine proximus in magiam descensus, nullumque hominem deprendes pacto implicitum diabolico, qui non simul etiam lasciviam sectetur; ita sibi mutuò innexa & innodata sunt hæc duo scelera, luxuria & magia. Vigilat utrique totus orcus, ne orcinis è cassibus præda dilabatur, ut ad oculum patet in Ernesto. Quidquid boni animô concepit interdiu, noctu omnibus somnô sepultis iterum præsens Alastor evertit; hic quoties cubiculum subiit, primum omnium, quod Ernesto persuaderet, fuit, ut sacrà è collo pendula tantisper seponeret; quô factô eum è lecto sustulit, & ad veneficorum choreas abduxit; manè ante quartam eodem in lecto reposuit abductum; hæc tamen nec ita cautè nec ita tacitè bajulus Alastor expedire potuit, ut nocturnos vel vigiles falleret vel visitatores, qui ex incondito strepitu & vacuo lecto resumptam cum orco familiaritatem facilè arguebant. Rogatus manè ubi lapsa nocte fuisset? candidè semper non sine lacrimis acta recensuit, & semper unà promisit meliora; at *promissis dives quilibet esse potest.* Verba dabat mellea, factum vix unquam exhibuit. Invitatus à stygecessit

cessit toties, ut conclamata propè tota emendatio haberetur. Tentabant pariter aleam suam cum Ernesto Patres Franciscani, num fortè ipsi possent mobile pectus firmare, ut toti orco serium & constantem nuntium remitteret; at cùm & hi Patres actum agerent & frustrà sudarent, relatum tandem fuit optimo Principi, in Ernesto ad frugem revocando oleum & operam perdi; consultissimum adeò futurum, si quocunque modo è medio tollatur, ne per eum plures in exitium præcipitentur. Horruit Princeps & miseram ephæbi sortem gemens & lacrimans indoluit; ne tamen per hunc obstinatum sycophantam plures alii seducerentur, eum unà Judicibus juxta justitiæ leges mulctandum transscripsit. Sic altera mox die judiciali ab urna sententia prodiit, quâ omnium mitissimè gladii beneficio plecteretur. Ratam habuit sententiam Princeps, & ut omnia ritè fierent, iterum Patribus Societatis jam damnatum commisit, ut mox altero manè circa 7mam reum educerent, & ad fatalem ictum pararent: satius esse, ut citò moriatur, quàm ut toties recidat, & tandem orco cadat victima; quod si vel factè pœniteat, vel ne quidem pœnitentiæ ullius signum exhibeat, iterum satius fore, ut unus pereat, quàm ut plures alios superstes evertat. Vix dies illuxit, Patres circa 7mam conclave ingressi bonum atque omni ex parte beatum diem adhuc plumis detento juveni precabantur; rogatus porrò qui viveret, benè reposuit vivo hodie, at cur præter morem tam manè ad me? nunquid aliud vultis? cui ocius tragica voce Pater, nil aliud mi Erneste, nisi ut meliùs vivas. Vitam quam hactenus vixisti, misera est vita & propè nulla. Ad meliorem ut animos erigas, precor, imprecor; hæc terrea serius aut citiùs deseri debet, illa contrà est æterna & inamissibilis æternùm. Ejura ergò vitam hactenus exactam, & ad illam te totis viribus compara, ad quam fortè brevi migrandum &c. invitatus inde ut cum illis arcem peteret, vestes raptim induit, & intrepidus arcem repetiit. Erat in arce recens conclave, in quo theatrum erat, nigro undique pannò velatum. Hoc pegma ut vidit, cui unà severi assederant Radamanthi, repentè consternatus toto cepit corpore concuti, tremere, sudare; cùm proximo in angulo ferrum cerneret à carnifice nudari, omnino fuge-

fugere & miserum in morem clamare cepit & discursare, iterum iterumque clementiam rogare, & certam morum correctionem spondere. Movit hæc mutatio Judices, ut ipsi Principem pro rei vita implorarent. Sic ad pristinum conclave reductus omnes gaudiò replevit, persuasos, jam eum alios mores certò repræsentaturum. Post aliquot dies virum gravem ac prudentem è suis misit Princeps, qui ephebo constantiam in bono persuaderet, sic eum antiquo apud Principem loco futurum; interim tamen & orcus suas strenuè partes obiit, ut variis claneulò illecebris irretitus orco juratam fidem probaret; hinc factum, ut Principis Legatum inter alia his formalibus excideret: mi domine, non credit, quàm deliciosè nostris in conventiculis vivatur; vidisset dominus, quæ ego vidi, idem fieret qui ego sum, & ego talis, si non essem, hodie talis fierem. En genium luxuriosæ magiæ flecti ferreum, adamantinum. Sic suos falsis bellariis ad mortem usque orcus dementat, quibus jam certam immunitatem promittit, jam cœlum ostendit phantasticum, jam mortem omnis cruciatûs expertem condicit. His fidenter relatis, Princeps jure iratus spe omni abjecta, ocius reduci jussit ad ferale pegma contumacem, ubi frustrà seriam ad pœnitentiam animatus inter efferos clamores & discursationes, tandem ictum accepit letalem, sine ullo doloris signo, sine ullo pietatis argumento humi lapsum funus, viduâ mortis causâ multò antè justis ignibus expiatâ.

Hæc tragica est historia à me obiter & perpaucis recensita; si enim singula jubeor enucleare, dies non sufficiat. Hinc patet primò quid in oviculas possit efrænis *lupa*. Hinc iterum clarescit, quàm periculosa sit pueris familiaritas etiam cum probis feminis contracta. Nemo dicat sororias esse oratrices, quas domi visitas; hæc lupa omnem pietatem foris exhibuit, neque ocius prima vice cognatum suum ad improbum scelus pellexit; novit illa tempori servire, loqui etiam sacra cum sacrarum amante cognato, donec sensim sine sensu spiritus ille carneus illaberetur, qui omne bonum imis è præcordiis proscriberet; frequentabat hæc lupa sacras ædes, quò ipso etiam ab orco sagæ instigantur, ut tantò minùs de pravo commercio fiant suspectæ, quantò fusiùs sacros intra parietes precibus va-

cant. Pietas hæc larvata etiam per dæmones hac in vidua urgebatur, eum tamen in finem, ut per sacrilegam synaxin sæpiùs orco cederet præda, Venerabilis Hostia; huc omnes illi dæmones collimant, quos passim hodie *pios dæmunculos* nuncupant, qui maximè feminas docent pharisaicam pietatem, ne videantur esse, quæ sunt. De hac vidua, veri nominis *lupa*, quæ Ernestum seduxit, nemo mortalium Herbipoli simile flagitium somniabat, interim fagas inter chorum duxit, lemurum & lamiarum coryphæa, per quam non unus tantùm Ernestus, sed plures aliæ innocuæ oves raptæ sunt & deperditæ. Nemo dicat, tantùm esse cognatam, amicam, consanguineam tuam, cum qua liberius conversaris, & hinc nascitur sæpè scintilla, quæ incendium pariat nullo mari extinguendum. Ah si familiaritas cum cognatis contracta suô non caret periculô, quàm periculosa erit illa, quæ contrahitur cum aliena? quid multis? periculosæ plenum aleæ opus est, utut fumas, si pueri puellis nimis reddantur familiares, aut nimis frequenter etiam adultis serviant amici. Procul ab igne removeatur stramen aridum. Scimus ipsos etiam liberos à propriis parentibus seductos esse, ut proximis paulò pòst Dominicis audiemus; cur ergò aliis sine discrimine cœca fides deferatur? Tandem hinc apparet, quàm gradatim ab uno scelere in aliud & aliud flagitium ruatur, ab esu & potu ad lusum, ad choreas, à levibus jocis ad sales fescenninos, ab impudicis sermocinationibus ad nefastum opus, à luxuria in magiam, ab his tandem in probrorum ac scelerum omnium interminabilem abyssum, in focum nullo ævô extinguibilem, in æviternam damnationem &c.

à qua nos D. T. O. M. clementissimè præ-
servet! Amen.

CONC.

# CONCIO XXII.

# DOMINICA III. POST PASCHA.

*Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Joan. 16.*

## Gaudium tragicum.

QUoties ſcenicum Drama palàm in theatro exhibetur AA. illud ſemper vel *comœdia* erit vel *tragœdia*. Si principium fuerit ludicrum ac joviale, finis verò luridus ac ſubtriſtis, dicetur *tragœdia*; ſi autem verſò temone initium fuerit luctuoſum, finis autem riſibus & jocis inundet, *comœdia* nuncupabitur. Eſt adeò hæc inter grande diſcrimen, quod vel ipſum hodie Evangelicum agnovit & detexit. Mundus, ait prima Veritas, meras ludit tragœdias; hic audias identidem illud Sardanapali per actores peſſimos recantari: *ede bibe lude, poſt mortem nulla voluptas.* At finem illorum malorum ilias coronat; riſus in fletum, plauſus in leſſum, muſica in næniam, tota ſcena vertitur in gehennam. Quantum multò antè gaudium fuit, tantus inde luctus naſcitur, gemitus & lamentum. Deus autem ſuis cum famulis ſub dio meras *comœdias* repræſentat. Quamdiu vitam vivunt, dies extrahunt nubilos, tetricos, tempeſtuoſos, quos tamen gloria excipit immortalis, inevertibilis; tunc omnes lacrimæ in lucidiſſimos uniones & margaritas, omnis amaritudo in diviniſſimum nectar & ambroſiam migrabunt. Non cogito hodie terreſtres delicias cœleſtibus opponere, vel has illis comparare; neque peto delicias illas, quas ſibi perperàm fingunt & malè ſomniant mundicolæ, fuſiùs hic loci deſcribere, quæ utplurimùm bellè inchoantur, ſed peſſimè finiuntur, juxta illud Jobi (1) vaticinium: *tenent tympanum*

A. Deus cum ſuis ludit comœdias, mundus cum ſuis meras tragœdias exhibet.

(1) Job. 21.

*num & cytharam, & gaudent ad sonitum organi; ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et toti millenis atque iterum millenis mundi gaudiis unum duntaxat exenterare constitui, ita tamen, ut illius periculosi dramatis veram nauseam & horrorem concipiant Spectatores. Quod illud gaudium est? id nempe, quod utplurimùm probris & rumnis, terrea & æterna morte concluditur. Rich. de S. Vict. (2) comparat carnale gaudium, cœcam & pruriginosam libidinem dulcibus aquis, quæ tandem in amarum mare, imò in mortuum pelagus exundant. *Omnia flumina intrant in mare* ait (3) Ecclesiastes; quid hoc sibi vult? quærit idem Rich. & respondet: *omnis aqua dulcis in amaram vertitur, quia omnis delectatio carnalis in amaritudine terminatur.* Alibi clarius (4) loquitur, dulces scilicet carnis voluptuosæ undæ tandem etiam mari mortuo commiscerì: *hæ aquæ*, verba sunt Richardi, *tandem in mare mortuum defluunt.* At cur tantis æstibus aquæ dulces miscerì gestiunt mari mortuo? quia nempe nunquam citiùs, nunquam celeriùs mors apprehenditur, quàm ubi tam avidè carnales deliciæ prensantur. Vita nostra unicô pendet filô, quô resectô vel disruptô, anima primo quantocius momentô vel sursùm migrat vel deorsùm, ad colos, vel ad inferos, ubi vel ad tempus purgetur, vel æternantibus focis exuratur; si tamen huic se filio adhuc carnea Veneris moles appendat, hoc ipso sæpè imò plerumque repentino ex assultu actum est de filio, antequam de cæsura quidquam somnietur. Ah! quot hactenus in medio luxuriantium obscœnitatum, à justitia Divinâ correpti, à morte repentina oppressi, rectà in mare mortuum, in flammantem abyssum defluxerunt, ubi vel in hanc horam cremantur! Ah! quot turpis Asmodæus sub larva feminina, prout etiam Ernesto accidit, cui viduæ formam sæpè flyx repræsentavit, suos in cassès attraxit, & nunquam ultra in libertatem filiorum Dei dimisit? Possunt quidem omnes ac singuli peccatores, quandocunque volunt, ad Deum reverti, possunt Deo suo reconciliari, possunt seriò toti orco nuntium remittere, & veri nominis pœnitentiam amplecti, at hoc carneum libidinis scelus aliquam sibi propriam vendicat qualitatem, quâ passim alia esse videmus destituta.

(2) Rich. Vict. tr. 1. de stat. int. hom. c. 10.
(3) Eccl. 1. B.
Nullum vitium tot tragœdias ludit quàm libido.
(4) Rich. ed extern. mal. c. 18.

ſtituta. Alia omnia flagitia longè citius, longè faciliùs expugnantur & conculcantur quàm libido; hæc ſola ita limoſa, ita picea eſt, ut huic limo illapſus, hac pice contactus ſe poſſit ægerrimè his fæcibus, & ſpurcitiis extricare. Vidi benè multos toto capite caneſcentes centenarios ſenes, ait, (5) Anaſt. Sinaita, qui præ ſenio manibus pedibusque tremuli, ſe tamen hoc ſtygio carnalium voluptatum illicio non poterant expedire. Utplurimùm his fæcibus immoriuntur, & ardentis gehennæ barathrò merguntur. Hoc punctum dixeris principale, quod memori mente revolvant luxuriantes proci, lupambuli & lupambulæ, amaſii & amaſiæ, adulteri & adulteræ, lenones & merctrices. *Momentaneum, quod delectat*, æternum eſt, quod cruciat. Non fuit quidem Sacris Chriſtianis imbutus Seneca, multa tamen à S. Paulo per literas ultro citroque datas acceptasque perdidicit, alia inter totis in id viribus incubuit, ut Lucilium ſuum ab omni libidine ſeriò abſtraheret, ea maximè de cauſa, quòd luxuriæ tam graves pœnas dare videantur luxuriosi. Multis ſtetit vitâ temporariâ, multis etiam æternâ, *dimitte has voluptates turbidas* (6) *magnò luendas*, in Ep. 39. fortius loquitur: *Serviunt voluptatibus, non fruuntur, & mala ſua, quod malorum ultimum eſt, ultrò amant, involant.* Hæc, ut video, non creduntur, niſi ea tragico quodam facto ſuffulicam. Prava deſideria & carnalia peccata aliqui velut *modicum* reputant, de quo nullus prætor judicet, dicuntque peccatilla, quorum rei & temporali & vitâ privantur ſempiterna, ſi illis inexpiati in duplicatam mortem ſua lumina claudant.

(5) S. Anaſt. Sin. q. 8.

(6) Sen. ep. 27. ad Lucil. & 39.

Erat Antonius Ballinghem doctiſſimus Belga & Soc. Jeſu lectiſſimus Presbyter. Scripſit libros ultra quadragenos, qui omnes ſpiritum ſpirant quaſi exoticum, omnibus tamen proficuum & oppidò familiarem. Hos inter, licet omnes cedrum mereantur & aurum, terni tamen exquiſitis laudibus celebrantur, ſc. *Zoopædia*, ubi omnes ac ſingulos ratione præditos homines, per irrationalium brutorum exempla ad omnem virtutis & honeſtatis cultum exſtimulat. Alter eſt *ſolatium afflictorum*, ubi prodigioſis patientiæ prototypis omnes ægros & quibuscunque ſeu curis ſeu ærumnis graviter afflictos in ſpem erigit

C. Probatur horribili exemplo & adulterantium pœnâ.

erigit & fortem patiendi conſtantiam. Tertius eſt ac dicitur *Triumphus Caſtitatis*, duos in tomos diſtinctus, ubi Angelicam puritatem ſummis laudibus prædicat, ipſam verò omnium rerum prodigam luxuriem anathematizat. In hoc pretioſo carnem triumphantium libro (7) memoratus Autor perhibet, quàm miſero fine Pedemontii in Subaudia concluſa ſit adulterans libido. Ibidem à Viro ſummate ſpe omnium citiùs domum regreſſo ſua in arce uxor adultera in flagranti deprehenſa eſt; quod tantis irarum focis herum accendit, ut ſuis ocius ſervis præciperet, adultero retrorſum manus ligarent, eiſque pedes arctè conſtringerent, inde heri ex imperio ſupra januæ, quà itum eſt in contaminatum conclave, ſupremum limen, tres grandes clavos ligno immiſerant, admota ſcalæ gradibus, ut tantò commodiùs aſcenderetur. His expeditis, adulteram Dominus ad usque januam illam raptis capillis attraxit, eamque intentata morte coëgit, ut ex clavis ligno ſuperius inſertis ſuum amaſium propria manu ſuſpenderet & ſuffocaret. Nil poterant lacrimæ, nil valuêre preces. Latam ſententiam exſequi debuit adultera, cùm autem ſola tantis viribus non polleret, in laboris ſocietatem pediſequam ejus, ſeu rectius veneris internuntiam accivit, quæ ſicut omnem operam contulit, ut hero abſente pravos amores ſectaretur, ita jam quoque dominæ ſuæ in ſuffocando proco auxiliatricem manum præberet; ſic ambæ, domina & ancilla, adultera & internuntia vicem carnificis obibant, & collo funè injecto longam literam procum faciebant. En bellum & præclarum finem, quem vitæ ſuæ leno lupambulus impoſuit. Tantum moræ datum non eſt amaſio, ut ſe ritè ad mortem componeret. Sicut vixit, ita morixit, (prout triviales ſcholæ loquuntur) in ira & rancore, in blasphemiis & carnalibus ſpurcitiis. Sic anima ejus tot pravitatibus infecta ex nativo corpore fatò pulſa eſt violentò, eò junctis utriusque viribus deturbata, ubi duros inter ejulatus & aſſiduos dentium ſtridores ſuæ carnalis petulantiæ pœnas orco ſolvit ſine fine ſine termino. Hem! quàm miſeram & execrabilem tragœdiam cum ſuis ludit procax caro, perfida venus, & fœculenti corporis teterrima voluptas. His tamen ira heri nec placari potuit, nec mitigari. O quàm

(7) Ant. Ballinghem. in Triumph. Caſt. Hiſt.

verè

verè dixit (8) Sapiens: *qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam*, prout hic factum cernimus; *turpitudinem & ignominiam congregabit sibi, & opprobrium illius non delebitur*. Dicti hujus rationem mox innuit Script. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ*. Apud Judæos olim viro non licuit uxorem in adulterio deprehensam occidere; accusari primùm debuit, inde si rea fuit, ad imbrem saxeum damnata fuit. Per Imperium Romano-Germanicum vi Juris Cæsariani maritus adulterum vel adulteram in flagranti deprehensos impunè necat; id justo illius dolori connivetur & indulgetur; nec talis cædes à judicibus mundanis ullâ pœnâ ullo carcere proscinditur aut castigatur; non tamen hoc ipso talis homicida etiam coram Judice Divino sua in conscientia liber est & ab omni culpa exemptus; aliud est forum profanum, aliud Sacrum & Ecclesiasticum, in foro profano verum est, quod vir uxorem in adulterio deprehensam unà cum adultero impunè perimat & interficiat, *leg. marito ff. ad legem Juliam de adulteriis. & leg. Gracchus C. eodem.* Hoc in profano foro pater similiter filiam suam sua sub potestate collocatam & domi suæ patris, inquam, adulterio vacantem etiam impunè unà cum mœcho trucidat. *l. nec in ea, & l. quod ait lex ff. ad legem Juliam de adulter.* quibus legibus respectu mariti nihil vult (9) derogatum Jus Bavaricum. Sunt porrò non pauci Juristæ, ut legere est apud Sanchez, (10) qui credunt, per recitatas leges fieri potestatem marito & patri necandi uxorem & filiam, ita quidem, ut illis sint publica authoritate constituti carnifices uxoris & filiæ; huic tamen laxissimo ac pernicios issimo sensui omnes Theologorum Scholæ reclamant post S. (11) Thomam. Ratio hujus evidens est, quia nec bono prodest communi, & contrà æternæ saluti adulterantium enormiter obest, si hæc positiva potestas læsis partibus adstruatur. Dissimulant, non verò ullis modis talem necem leges approbant citatæ; hinc qui hujus dissimulationis beneficiô utitur seu rectiùs abutitur, mortaliter peccat, quia formale homicidium committit. Si quis tamen pertinaciter potestatem illam urgeret tot jure consultis receptam, nôsse debet, jus civile hic loci jam actu correctum esse per Sacras Ecclesiæ leges. Inter

(8) Prov. 6.

D. Peccaminosum est ac veri nomin is homicidium, cùm adultera in flagranti deprehensa occiditur, etsi in foro externo reus non plectatur.

(9) Jus Boicum l. 5. p. 6. t. 9. a. 9.

(10) Sanchez. l. 10. de matrim. disp. 8. n. 37.

(11) S. Thom. in 4. diss. 34. q. 3. a. 1.

sententias per Alexandrum VII. Summum Pontificem his annis prohibitas etiam hæc est: *non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Monet, hæc, ne quis existimet licere, quod summo in gradu peccaminosum est. Peccavit adeò mortaliter maritus iste imperando & cogendo, ut per complices adulter suffocaretur; hoc tamen præter alia justo illius dolori datum est, ut ideò à politico magistratu non plecteretur. Hic loci graviter ardens & foràs ebulliens, ex flagitio conceptus rancor, non una cæde se passus est reprimi aut mitigari. Hactenus audita unam tantùm constituunt scenam ex ultimo præsentis tragœdiæ actu; huic similes scenæ plures aliæ sequentur. Suspensò per mulieres adulterò, præcepit adhuc irâ spumans herus, ut totum lectum & circumfusæ vestes, quocunque modo per adulterium infectæ crepantibus flammis exurerentur; quidquid supellectilis & domestici apparatus in illo conclavi, ubi peccatum est, prostabat, alium in locum transferri jussit, ut nihil intra cubiculum illud ultrà ex imperio heri residuum esset, præter modicum stramen, cui canis domesticus incubaret. Inde omnes conclavis illius fenestras, ac tandem illam quoque januam, relicto tamen pendulo anathemate, firmis undique lapidibus cœmentò illitis obstrui jussit, ut ne quidem modica scintilla in cubiculum penetraret; hoc undique obserato carcere concluſit uxorem suam & uxoris adulteræ famulatricem internuntiam ac literarum cypriarum bajulam (vulgò Kuplerin) ancillam, ut inter perennes umbras & horridos fœtores coram amasio suo ex trabe pendulo reliquos vitæ dies miserimè absumerent; unum exile ac modicum foramen operculo clausum restabat, quod toties reductum erat & apertum, quoties alternis diebus aqua & mucido pane pascerentur. Quamdiu hoc in carcere durârint vivæ martyres, non meminit Author! id certum, utramque hic loci eurìs & umbris, fame ac inedia, fœtoribus & ærumnis exhaustam contabuisse. Si hanc horribilem pœnam ut sceleris commissi vindictam justo à Judice Deo decretam pœnitentes exantlârunt, totis ex præcordiis contritæ, dubium non est, quin suam in ævum salutem firmârint; at neque de hac pœnitentia ullam facit mentionem Author, contentus ostendisse, per stygiam libidinem

bidinem hic iterum fatô miserrimô ac probrosissimô è vivis sublata esse tria capita, adulterum fune suffocatum, feminas adulterii reas longô martyriô in tenebris confectas.

Dil. AA. si adhuc hodie adulterium tam enormibus suppliciis plecteretur, ô quàm piè, quàm pacificè, quàm fideliter & candidè uxoribus suis mariti, viris suis uxores conviverent! in veteri testamento quodvis sanè adulterium vitâ stetit, sed quam rapuit vis ac potestas publica judicaria, non privata, de qua paulò antè. Sic lex sonat (12) in Deut. *si dormierit vir cum alterius uxore, uterque morietur, adulter & adultera.* At cur ab omni pœna immunes sint veneris nuntiæ (Kuplerin) aut literarum tabellarii, fornicum caupones & directores aut directrices? non essent hi orcini vernæ, dæmonum veredarii, acherontici mediatores & mediatrices, à quibus sæpè pro pelliceo tegmine, pro toga, calceis, & pectorali &c. nobile conjugium dissipatur, & lucri gratiâ evertitur, multorum conjugum mutua fides, amor, & sinceritas in tumulum usque durarent. Has pellices, hos sacri connubii turbatores aut turbatrices viros aut feminas junctis viribus omnes Judices ac præfecti, ômnes Curiæ ac politici Magistratus, è medio tollant, excaudicent, eradicent. Hoc hominum genus strictè si cribretur & examinetur, frequenter patebit, ut præ ceteris Delrio in Disq. suis observat, tales hominum fœces arctis pacti vinculis orco esse obstrictas, à quo identidem animantur, ut totis viribus extinguant connubiales tædas, & omnium animis vagam venerem obtrudant.

(12) Deut. 22.

E. Feminæ aut viri veneris internuntii (Kupler und Kuplerin) ubique eliminentur.

Ut verò patescat, quantum scelus sit adulterium, evolvant hac lue infecti, quantis ubique pœnis ac tormentis hoc scelus sit mulctatum. Apud Ægyptios (13) adulteri virgis à Justitiæ publicæ ministris ad mille plagas cædebantur, feminis verò adulteris nares sunt mutilatæ teste Diodoro. Apud Tenedios, Erasmo (14) Autore, serrâ dissecabantur adulteri, tormentô prorsus horridô & inaudito; tam invisum his gentibus adulterii nomen erat, ut illud morte omnium diriissima proscinderent. Antiqui Saxones olim laqueô aut suspendio adulterium plectebant. Cùm Angli olim fidem orthodoxam mordicus tuerentur, etiam hanc legem, ut Sylvius (15) perhibet,

F. Pœnæ in adulteros decretæ, sunt variæ.

(13) Diod. l. 1. c. 6.

14) Erasm. in Adag.

(15) Æn. Syl. l. 1. de

 Alphons.

in adulteros sanxerunt, ut festis solibus extra Ecclesias starent ardentem cereum manu gestantes. Reduces gladiô cædebantur. Licet ipse Mahomet monstrum esset libidinis, hoc tamen flagitium pœnâ mortis prosequi visus est, sibi uni mitis & parcus, aliis omnibus prædominans tyrannus. Jura publica excutiantur? etiam hîc reperias, capite plecti adulteros, text. *l. quamvis 2. C. ad legem Juliam de adult.* ubi signatè hæc habentur: *sacrilegos nuptiarum puniri gladiô oportet*, seu qui alteram ducunt vivente prima. Mitiùs nonnihil cum hoc hominum genere videtur agere Jus Boicum *l. 5. p. 6. tit. 9.* ubi pro prima vice carcer menstruus determinatur, mulcta pecuniaria, aut statio ad Ecclesiæ portam; pro altera vice privatio insignium decernitur, exauctoratio, & in exilium amandatio seu patriæ proscriptio, pro tertia tandem vice mortis supplicium præscribitur. Optimæ leges, sed locum monstra, ubi ad amussim serventur, aurô videas numerosam pravitatem hoc seculô verè plumbeô redimi & exsolvi. Auri dira fames mortalia pectora cogit ad perennem conniventiam. Zelum potiùs omnes Justitiæ Præsides concipiant, qualem hodie dominus iste corripuit, sed malè sed peccaminosè. Talis Zelus solis Magistratibus competit, qui ad urnam sedent judiciariam, hi ex officio tenentur hoc scelus extirpare, id si negligant, in seipsos culpam & pœnam derivant; privatis tamen maritis ex privata potestate nihil horum licitum est aut concessum; approbari adeò non potest, quod herus fecit noster; etsi à Brachio seculari punitus non sit, coram Deo tamen triplex dicitur homicidium perpetrâsse! de quo agi debuit pœnitentia, nisi salutis suæ jacturam pati vellet æternam; permisit nihilominus hîc & alibi justus DEUS, ut viri suas in adulteras irâ exardescerent cruentâ, quæ nonnisi cædibus ac homicidiis sopiretur. Ex hoc ipso apparet, quantum coram Deo sit flagitium, si vel conjugalis status, vel solutus aut viduus his libidinum fœcibus contaminentur. Rectè Lucilium suum ab his spurcitiis dehortatus est Seneca hoc ex capite (16) *quia voluptates corporis more latronum ægyptiacorum eos confodiunt & strangulant, quos suaviari videntur.* Vatem hîc egit Seneca; ea enim pridem hic loci præsagiit, quæ actu videmus Pedemontii in Sabaudia

G. Carnea voluptas rectè dicitur. (16) Sen. ep. 5. ad Lucil.

nunc

nunc ad oculum expleta. Possem carneæ voluptatis tragœdias pluribus aliis exemplis firmare; at hæc sibi vendicant anni sequentes.

Interim sententiam nimis quàm veram Veteris Cassiodori, (17) qui annô quingentesimô post Christum natum in Italia vixit, omnibus occino & inculco: *quàm fallax sit periculosa voluptas illa, quam in carne nonnulli perperàm constituunt, in experientiæ libro legitur incessanter, dum ex impudicitiæ opere nihil remanet, nisi fœda & fœtida recordatio peccati in tormentum animæ & in exspectationem gehennæ.* Hæc si vera sunt, ut sanè sunt verissima, has lubricas voluptates seriò ejuremus, ludere si volumus, ne tragœdias ludamus, ubi perennes deliciæ tristissimo exitu clauduntur; ludamus potiùs comœdias, ubi omnis tristitia lætitiam anticipet, quam omnibus illis pleno copiæ cornu affundere promisit clemens Deus, qui in vivis patientiæ ac pœnitentiæ assueti, nullas appetunt delicias in terris, aut si quas voluptates sectentur, illis tantùm afficiuntur, quæ spinis mixtæ sint & paliuris, quæ nullo sint flagitiô infectæ, quæ divinæ illius voluptatis non sint eversivæ, quam Deus repromisit diligentibus se juxta illud Psaltis Regii (18) oraculum: *torrente voluptatis potabis eos Domine*, non in terris, sed in cœlis, ubi gaudium perenne nemo tollet à nobis in æternum. Amen.

(17) Cassiod. l. de amicit.

(18) Ps. 35.

# CONCIO XXIII.

# DOMINICA IV. POST PASCHA.

*Arguet mundum de peccato, & de Juſtitia, Joan. 16.*

## Perjurii pœna.

MIrabilem hodie ſententiam ore promit Joannes Opt. AA. *Arguet mundum de juſtitia Deus.* Quid hoc rei? argui de peccato mundum ritè ac legitimè, nemo eſt qui miretur; contrarium potiùs ſummam pareret admirationem, ſi nullum juſtus Deus ſuo de peccato argueret. Non eſſet Deus niſi ſcelera redargueret & puniret, unde ſaniora diſcant percuſſi juxta illud:

*Oderunt peccare boni virtutis amore,*
*Oderunt peccare mali formidine pœnæ.*

A. De qua Juſtitia mundus arguitur?

At cur Deus mundum arguat *de juſtitia?* an iniquum fuerit, & pœnâ ultrice dignum, ſi Juſtitiæ virtus fortiter propugnetur? nunquid palmaris virtus eſt Juſtitia, quæ pari paſſu ambulat cum pietate, cum religione & timore Dei? unde pænè omnes Principes hodie tritum illud lemma tuentur: *pietate ac juſtitia*, quaſi dicerent, his binis velut herculeis columnis innixam ſtare totius regni ac provinciæ felicitatem, his dirutis, ſubrui pariter bonum publicum & privatum. Antequam Clodoveus Rex Galliæ à S. Remigio ſacris Baptiſmi fontibus oblueretur, hanc Pontifici quæſtionem propoſuit enodandam Rex: *Dic, quamdiu ſtabit Gallorum Monarchia?* audiatur modò œdipus mitratus: *quamdiu ſtabunt pietas & juſtitia?* Væ igitur toti regno, ubi juſtitiâ in exilium actâ, contra pacis fœdera, bellô injuſtiſſimô provinciæ petuntur & exſcinduntur. Timeo, ne oraculi

culi præsentis veritas tandem prodeat in apricum. Sed ad rem. Cur Deus mundum de justitia regnorum basi ac fundamento arguere præsumit? nunquid candidè inquit Bles. (1) *acceptior est apud Deum justitia quàm prabenda?* quis autem ignorat, quantis gratiis, quantis à Deo privilegiis sit dotata sacra Eleemosyna, quam hic sub voce *præbenda* intelligit Blesensis, prò quanta merces unico aquæ potui pauperibus ministrato cœlitus decreta est! nunquid uni ex minimis exhibita beneficia, tanquam sibi facta Deus reputat? & jam mundum de justitia redarguat, si ea fortiter in terris defendatur? id verè dixerim paradoxum, & Divina Majestate indignum. Dil. AA. nos nimiùm debiles sumus & infirmi, ut hunc gordium extricemus. Inquiratur, quid de hoc dubio sentiat Scriptura, & SS. Patres Scripturæ interpretes. Hi totam quæstionem ad oculum expedient.

(1) Pet. Bles. ep. 95.

B.

Peccatur contra justitiam per excessum & per defectum.

Binis modis hæc sententia explicatur, primò juxta mentem Scripturæ, & secundò juxta sensum S. P. Bernardi. Est commune diverbium: omne nimium vertitur in vitium. Nimis parum & nimis multum, utrumque vitiosum: illud defectu peccat, hoc excessu. Aliqui sanctam justitiam nimis parvi pendunt, alii eam nimis extollunt. Parvi faciunt justitiam, qui eam, prout Christum Dominum & Magistrum suum perditus Judas, bolô vendunt pecuniariô, seque stygiis illini patiuntur unguentis, ut jura pro lubitu inflectant, licet sæpiùs talis decisio Divinis, legibus & conscientiæ propriæ stentorea voce reclamet; hic colligi videas studiosissimè abstrusos textus & sententias ambidextras, easque in favorem causæ pessimæ audias explanari, ut fuco quocunque justitia decoloretur, ubi potiùs rejectâ larvâ, stibiô ac cerussâ, summa iniquitas & injustitia grassatur. Hic nulla causa tam nulla est, nulla lis tam perdita est, nulla controversia usque adeò conclamata est, quæ non textu aliquo heteroclito pessimè assumpto, tanquam nequitiæ latentis palliô vestiatur, ut illi totaliter adjudicetur, qui potiùs furcam meretur. Hi justitiam habent locô nimis lurido & modicô, quia velut alteri Judæ germani fratres cuivis licitatori sacram Justitiæ virtutem lucri gratiâ venum-exponunt. Id

Defectus.

quod

quod pridem queri auditus est candidus Poëta, aurô justitiam proscindi; lucrô fas omne abrumpi:

*Aurô pulsa fides, aurô venalia jura;*
*Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.*

Hinc nulla æquitas in tribunalibus; nulla veritas in pœnis, nulla fides in testibus, nulla ratio in judiciis, nulla gravitas in consessibus, nulla maturatio in decidendis causis.

(2) Prov. 7. Excessus.

S. Scriptura paulò aliter loqui videtur: (2) *noli esse justus multùm*, ubi alii legunt, *noli esse nimiùm justus*, quasi verò excessivè possit contra justitiam peccari. Peccatur utique per excessum in virtutem justitiam; sicut hactenus monstravimus per defectum peccari, ut si unguentis vendatur, tum in scelerum expiatione, tum in officiorum ac munerum dispensatione, ita jam probabimus, etiam per excessum justitiam conspurcari; quidni Deus de justitia redarguat peccantem mundum? Nimis multùm justitiam extollunt, qui se ipsos cum Pharisæo Evangelico nimis justos esse reputant, alios tanquam injustos despicatui habendo. Nimis arctè Justitiam premunt, qui ad urnam sedent Jurium Præsides, omnes colliculos solo æquatos volunt, omnes peccati nævos extinctum eunt, omnes festucas alienis oculis extrahere satagunt, cùm ipsi sæpè hac illac rimosi perpluant, & horridas trabes propriis circumferant. Verbô, qui nihil penitius connivere sciunt, & infirmis nolunt condolere, sed quidquid sceleris deprehendunt, ocius acerrimis etiam pœnis proscindunt, sibi molles, aliis omnibus austeri, sibi lenes, aliis asperi ac hirsuti. Talis ille fuit sacros intra parietes ferox Radamanthus, cui vicissim nigros dentes dicax frater sequentibus rythmis infixit:

I.

*Plectis in me parvas labes,*
*Et non vides tuas trabes*
*Inter ocularia.*

II.

*O Ripaldum! ô portentum!*
*Dignum Caput diris centum?*
*Sit tibi stranguria. &c.*

S. Bernardus (3) dedit olim Eugenio Summo Pontifici & supremo Animarum Rectori præclarum hoc consilium: *Rector omnia videat, multa dissimulet, & pauca castiget.* Sequentibus lineis actu nuncupat, quos velit ad pœnam trahi, eos scilicet, qui sua in pravitate aliquam contumaciam ostentant, & in malo callum ardent obducere; hos ante alios omnes puniat, premat, torqueat, affligat, ut suppliciorum metu à vitiis abstracti colla Deo submittant & Virtuti. In his tamen pœnis etiam medium Eugenio comendat, ut ne quidem in contumaces & refractarios nimis præcipitanter ac velociter, nimis durè, nimis acriter animadvertat. *Noli esse nimiùm justus.* Ubi conniventibus oculis palmare flagitium dissimulatur, Sancta Justitia pedibus conculcatur; ubi modicus etiam excessus, & leviuscula exerratio mox sudibus præustis discutitur, iterum Justitia gravissimè violatur. *Mensuram serva, modus est in re optimus omni*, canit Hesiodus. Hîc certa methodus teneatur ac mensura, ne ex justitia iniquitas excrescat. Etiam ut justi coli volunt judices illi, qui sæpè in plebeis gravi pecuniarum mole scelus vindicant, quod in aljis grandioribus nequidem suggillant, cujus praxis hodie passim increbuit, juxta illud Poëtæ:

(3) S. Bern. ad Eug.

*Absolvit corvos, vexat censura columbas,*
*Irretit muscas, dimittit aranea vespas.*

Hic mundi nostri cursus est; hæc pseudo-politica ratio statûs est hôc ævô ubique locorum. Cur ergò Deus tam impiam justitiam, quam verius dixeris palmarem injustitiam, non palàm redarguat, plectat & castiget! porrò nimiùm justi esse volunt, qui sibi persuadent, salva esse omnia, si preces precibus accumulentur, si templa frequententur, si Sacra perpetim obeantur. Sicut in Scripturis *justus* homo aliquoties sumitur pro *pio*, ita pariter ibidem vox *justitia* pro *impia pietate*, prout eam S. Hier. (4) nuncupat, sumi solet. Errant hîc gravissimè omnes, ut loquimur, precatorii fratres & oratoriæ soroces, quæ horas potiores precibus fundendis immolant, interim curâ domesticorum protritâ liberos suos plateis inerrare patiuntur, nihil domi ordinant aut laborant.

(4) S. Hier. ep. 38. ad Heliod.

Hoc homuncionum genus bellè depexuit Oleaster (5) his verbis: *surrexit nunc novum feminarum genus nolentium laborare, volentium tota die Ecclesias circuire, hinc inde discurrere, nec liberos, nec rem domesticam curantium &c.* hæ feminæ graviter se atque alios decipiunt; cùm enim has Deus ideo fecerit ædium præfectas, ut rebus præsint domesticis profintque, & nihil sua ex incuria perire patiantur, ipsæ autem nullam curam secularibus negotiis impendant, non potest sanè tam inepta pietate placari. Satius foret, si succincta & fervida pietate contentæ plùs ædibus ac liberis suis invigilarent. Sic sentit & loquitur Oleaster. Erat olim urbis ac provinciæ adjacentis præfectus Cintius; hic debebat cuivis jus suum dicere, evolvere causas, contraversias planare, judicia judicare justa integra & suam ad urnam sedere, ut officium Judicis & præfecti ad amussim expleret; is autem horum in vicem obire templa, manè Sacris assistere, à prandio sacras ædes revisere, preces & precum officia conduplicare, & justitiam alteri misereè obeundam committere, ut tantò largiùs posset precando insistere. Sic causæ in menses protractæ, sic partes controversiæ vel rarò vel nonnisi properanter auditæ, nequid invisæ pietati subtraheretur. Notavit hæc S. Pet. Damiani Cintio coævus, vidit unà quàm damnosa esset subditis ejus hæc importuna & indiscreta pietas; ad eum itaque prolixam epistolam (6) transmisit, ex qua unum vel alterum fragmentum evolvimus: *cave*, inquit ille, *ne propter peculiaris orationis studia, innumerabilis populi disciplinam, qui tibi commissus est, negligas, & ob proprium commodum, communem plebis salutem, quæ à te justitiam præstolatur, omittas*, quasi diceret S. Pater, Deo nullatenus probari orationem illam, ex qua tantum boni publici damnum prognascitur & jactura. Pergit Pater: *Scriptum est, qui conservat legem, multiplicat orationem, & sacrificium est salutare attendere mandatis.* Petit autem mandatum Divinum à quovis Judice, ut suo ritè officiò fungatur, & cuicunque seu parvo seu magno, seu civi seu nobili, seu pauperi seu diviti quocunque tempore justitiam administret, & nulli patiatur injuriam irrogari, nulli quæ sua sunt auferri sustineat aut mutilari.

(5) Oleast. in c. 16. Deut.

C. Notæ in precatrices Bertas & earum rudes patronos.

(6) S. Pet. Dam. ep. ad Cint.

Eundem

Eundem in sensum loquitur Ludolphus Saxo Carthusianus, & hæc probè notent omnes seculares & precabundæ mulieres, sæpè suis animarum Curionibus nimis importunæ & contumaces Bertæ: *quidquid justus facit,* (7) *& dicit secundum Deum, ad orationem est reputandum; nam semper orat, qui semper benè laborat; nec desinit orare, nisi cùm desinit justus esse; orat enim non solùm lingua, sed & cor, cogitatio, desiderium, sensus, manus, oculi, & omnis operatio bona.* Hem! non tantùm linguâ oratur, sed *corde* meditando sub ipsis laboribus cœlestia & divina; sed *desideriô;* & Deus tam clemens est, ut orandi desiderium pro ipso actu orationis recipiat; sed *manu,* quâ opera etiam manualia ritè prehenduntur & elaborantur, sed *oculis* simul & *manibus,* jam nendo, jam fila ducendo, jam vestes resarciendo, jam domum purgando, jam omnem sordidiem à liberis removendo &c. sed *omni bona operatione* oratur juxta pientissimum Ludolphum. Patet ex dictis facilè, quo sensu sumi debeat S. Paulus, cùm frequentari orationem præcipit: *sine intermissione orate. Oportet nos semper orare &c.* eo nempe, quem modò dedit Ludolphus: *semper orat, qui semper benè laborat.* Adduxi hæc fusiùs, ut scirent hinc Bertas suas sacro in foro sacri Judices promptius ac velocius expedire, ne per horum conniventiam bonis inhiando, plus boni perdatur id, quod cani accidit æsopico carnis umbram avidè sectanti, & bolum pinguem amittenti. Hæc seriò suis si inculcarent, non tot & tanti sacrorum abusus prodirent. In benè ordinatis Religionibus non tolerantur Bertarum oratricum fautores exotici, sed exauctorantur, & in ordinem rediguntur, donec corrigantur; pariunt enim toti cœtui enormes tricas, & plus boni negligunt uni aut alteri Camillæ serviendo, seque ipsos sæpè in grande periculum conjiciunt, ne sacra hæc & nimia cum altero sexu confabulatio, in carnalem amicitiam degeneret, & quod spiritu ceptum est, carne consummetur, ut plura hujusmodi exempla prostant. Leges Societatis tales generis feminini fautores à cathedris & à tribunalibus sacris jubent removeri; similia & alii statuunt, quibus omne commercium cum hoc sexu amputatur; sed utinam speculativas leges sua quoque pari passu practica actuatio sequeretur, non esset,

(7) Ludolph. Sax. p. 2. Vit. Chr. c. 42.

quod vel in hos vel in illos suam exponerent cacochymiam oculatiores Argi. Hæc dum scribo, agi audio festum duplex Translationis S. Claræ prodigiosæ Virginis; commodùm inde calamo præsenti occurrit, quod huic Virgini accidisse perhibet vita Seraphici Patriarchæ Francisci. Ardebat, fieri si posset, quotidie Sacerdotum more S. Synaxin adire hæc S. Virgo. Probavit desiderium S. P. Franciscus, at sæpiùs per annum integrum sanctæ Virgini actualem sacerrimæ synaxeos usum non indulsit, quàm sexies. Deum bonum! quid ad hæc oratricum Bertarum insolentes patroni? qui suis subinde sororibus mundanis tertio quovis die SS. Synaxia indulgent, quod privilegium nec fratres habent conversi? an hi Bertas suas pluris æstiment, quàm prodigiosam Virginem Claram? an plus secularibus concedatur, quàm concedi soleat monasticis? an plùs omnes sapiant quàm humilis Franciscus? Superi saniora! mitto fœminas, & ad historiam propero, quam singulis Dominicis promisi hôc annô. Ad eam nos manuducet melleus Pater Bernardus (8) una cum sua nobili explanatione sententiæ hujus: *arguet mundum de peccato, & de justitia.* Quæ est illa culpabilis justitia hoc locô, quam Deus digitô signat? sic loquitur: *Spiritus Sanctus arguet mundum de justitia, quam non ordinat, dum eam sibi dat, non Deo & proximo.* Hic Rhodus, hic saltus. Ex hoc uno capite millies peccatur. Jura sua exactissimè urgent mundani; at quis Deo, quis proximo sua ex integro tuetur? quis jura propriè Divina fortibus ausis propugnat, unde sui census ac reditus annui Ecclesiis, Sacris Anniversariis & Xenodochiis enucleatè colligantur? quam avidus & avarus Judex, prætor, officialis ac Templorum Curator lucra sua, Deo interim & pauperi Ecclesiæ vel sua derogat vel enervat. Cur non pari sedulitate ac industria Sacra inquiruntur Ecclesiastica & Divina? Curam omnium primam sibi vendicat jus proprium, omnium ultimam jus alienum, jus Divinum. Dicitur tamen justitia sed spuria, sed heteroclita Bernardo, *quam non ordinat, dum sibi, non Deo dat*; & hanc proprietariam justitiam Deus arguet & acerrimè proscindet. Hic spartham suam probè observent omnes illi, quorum curæ ac vigilantiæ bona commissa sunt Ecclesiastica, bona

(8) S. Bern. Ser. 21. de parv.

D. Justitia malè ordinata, summa injustitia est.

bona hoſpitalium, leprodochiorum ſodalitatum, decimæ ac divites eleemoſinæ. Cenſus proprios totis viribus lapsô annô corradunt: nec malè; id enim juſtitia exigit; ſi autem ſuos cenſus templis & pauperibus, Deo ac defunctis dilapidari patiantur, pœnam ab illis hujus inordinatæ juſtitiæ graviſſimam ſumet ultor Deus, qui ſicut primas ubique meretur, ita pariter piæ illius cauſæ ac jura omnibus aliis præferantur. Pœnas adhuc graviores hic & ibi Deo dabunt, qui jura Deo debita vel pauperculis impudenter abnegant, & quod perperam negant, falſô etiam juramentô confirmant, ut ne ipſi appareant injuſti. Scio hujusmodi juramentis in rurali Curia depoſitis & cauſæ impiæ palàm tuendæ iteratis, mutas campanas ultrò reclamâſſe, ut ſcirent omnes verba perjuriô plena. Hanc execrabilem juſtitiam perjuriô larvatam, inuſitato pœnarum genere Juſtum Numen redarguet, cujus vivax exemplum producit Valerianus (9) ordine Capuccinus. Narro totum, ſed compendiosè, in gratiam avidiſſimorum euclionum, qui lucri gratiâ etiam falſiſſimum jusjurandum vilipendunt. Erat paucis abhinc annis in Corſica pauper vidua tenui quadrâ unà cum filia domi victitans. Miſeratus filiæ jam adultæ cognatus, ante obitum præclaram ei dotem 300. philippeos dono dedit, ut honeſto connubio jungeretur. Poſt mortem mariti curis grandibus mater urgebatur, ubi locorum tutò poſſint 300. philippei deponi; ſtatuit tandem pio ut credebat ac juſto Civi, cui Mutio nomen, Corſicæ totam ſummam committere, certa tutiorem locum nullibi proſtare quàm in ædibus mutianis, ubi etiam tutò animam cum vita deponeret. Alios nempe ſuo pede metiebatur optima mulier, in quo tamen ſe vidit enormiter deceptam, alique iterum novo ex lucro prodigiosè refocillatam. *Auri ſacra fames quid non mortalia cogis pectora!* Chriſtum Judas vendidit triginta argenteis, nunc credo aliqui etiam ſex crucigeris Chriſtum diſtraherent. Pecunias inter nullus fidei, nullus amicitiæ, nullus viciniæ locus conceditur. Auri fulgor etiam piiſſimos excœcat. Huic viduæ longè conſultius fuiſſet, ſi ipſa ſummæ depoſitæ tutricem egiſſet. Accepit Mutius pecunias & aureos montes viduæ repromiſit, ſed ſine ullis teſtibus, ſine ulla ſyngrapha,

E.

Perjurium non juſtificat ſed damnat. probatur.

(9) Valerian. Venet Capuc. p. t. prat. Hiſt.

quia certò sibi persuasit, antè susque deque rotantum orbem quàm fidem suam tam pius ac probus civis infringeret. Fraus tamen fuit præter omnem spem & exspectationem. *Fide, sed cui fidas, vide.* Decepit infida fides etiam hanc viduam & filiam ejus; cùm post aliquot annos marito filia traderetur, promisit vidua viro connubii candidato 300. philippeos in parata moneta apud Mutium depositos. Sponsus ultrò Mutium petit, depositum recepturus. Accessit unà Mutium vidua quot suum erat repetitura. Prô! quis spumantem & fulminantem Mutium ritè hic loci depingat? negat pernegat, se ab ea nummum accepisse; minas minis addensat, nisi ocius improbos pedes ædibus efferrent. Acrius in utrumque Mutii proserpina detonuit, licet actu præsens fuerit, cùm hæc summa deponeretur. Poterant utique vir ac femina viduæ jura pessumdare, nullis testibus suffulta, ne tamen quæstibus suis & lacrimis cœlos pulsarent, prohibere non poterant. Premi non opprimi suos patitur Deus; pronus etiam pauperum voces exaudit, quibus è cœlo justitiam efflagitant. Deus animos viduæ injicit, ut etiam sine testibus Mutium in curia solenni ritu accuset. Sequitur instinctum vidua, causam movet Mutio, & coram Senatu omnes circumstantias crediti depositi candidè profert, ea fide, ea sinceritate, ut nullus actrici viduæ fidem derogaret, licet nullis posset testibus assertum firmare. Vocatur Mutius & uxor ejus, repetit vidua accusationis puncta, quæ tamen ocius forti cachinno exsufflant, nescire se an vel unis vicibus ædes suas subintrâssent; cùm variis argumentis premerentur, palàm tonant, fulminant, & anathematizant se nec nummum vidisse. Curiæ nil boni visa est mens præsagire, ut ne tamen judicia properaret cœca, statuit juramentô totam rei seriem expedire; rogatur adeò Mutius, quos liberos domi suæ numeraret? tres ocius reponit Mutius; filius adultior arcto carcere conclusus, & ut ajunt jam capite damnatus est, proximè in furcam agendus. Alter quintum ætatis annum transcendit, 3us duos menses emensus est. Inde magistratus hæc ad Mutium: age itaque, si innocens es, Deo jura per salutem horum trium liberorum te 300. philippeos nec vidisse nec accepisse. Promptus imperia exsequitur Mutius, tollit digitos

digitos cum uxore, & ambo jurant perfidè se nil vidisse, nil accepisse. Sic coram judicio seculari totâ causâ cecidit vidua, etiam infamiæ notata, quòd civem honestum de tanto scelere appellâsset; Mutius contrà sua cum Xantippe gloriosus, ac triumphabundus domum revertit, quos tamen mox pede pressit sequens Nemesis, arguens primò binos liberos, per quorum salutem pejerabant, quàm ipsos ad vindictam raperet parentes. Ut propriis ædibus successerunt, Mutius rectà in hortum contendit, uxor verò liberos lustratura subit hypocaustum & mox primo videt obtutu infantis cunas omninò versas & extinctum infantem, quinquenni puerulo sub fornacem compunctim sessitante & totis artubus tremiscente; inde cœca mater certò sibi persuasit, à puero trementè tanquam sceleris reo eversas esse cunas, & in cunis confectum esse infantem; mox ergò furere in puerum correpta, rapit cultrum & jugulum secat puello; interim pueri clamore accitus Mutius ex horto irruit & in flagranti uxorem deprehendit; mox itaque Mutius pari furore succensus gladio percutit uxorem suam & perimit, tantos inter clamores, ut mox cædium rumor totam urbem excurreret. Ad Curiam & carcerem retractus Mutius, non cædem tantùm fassus est, sed ipsum etiam perjurium lucri gratiâ in Curia commissum. Jacuit hucusque dura sub incude grandium malorum & injuriarum vidua, at at nunc prodigiosa Dei manu in amicam lucem protracta emersit & revixit. Magistratus visâ evidenti Numinis irati vindictâ, ei sublatis Mutii hæredibus, ex instinctu verè Divino in efferum parricidam & perjurum euclionem mirabile judicium tulit: damnatus est miti ex sententia ad furcam Mutius alta è trabe suspendendus tot funerum reus. At quis munus obeat truculenti carnificis? nullus erat tota in vicinia, qui ad invisos labores opem atque operam conferret. Disponente Deo, sors tandem supra filium cecidit adultum adhuc tetro carcere conclusum, ut si vellet libertatem capessere, proprio patri suo gulam laqueô frangeret. Ah quid & quantum mali exhauritur, ut vitam in lucro reponas. *Omnia si perdas, vitam servare memento.* Vitæ bono, vitam quam à patre hausit, patri rapere statuit filius, factus proprii patris carnifex, ut vitam

serva-

servaret in annos. Quis non hîc loci judicia Dei adoret, qui sic omnia in pœnam avaritiæ ac perjurii disposuit. Jugulato patre libertati redditus Mutii filius domum recurrit, ac triplex funus domi reperit infantem versis cunis interemtum, jugulô sectum fratrem, & parentem gladio confossam. Hæc inter memoriæ occurrit manus violenta patri propriæ libertatis captandæ causa palàm injecta, actus inde in desperationem, etiam ipse cultrum rapuit suique factus est carnifex truculentus, qui paulò ante carnifex fuit parentis. Sic ergò larvatæ Mutii justitiæ quinque funeribus litatum est hîc loci. Viduæ contrà non tantùm trecenti philippei adjudicati sunt, sed jussa est totam simul Mutii hæreditatem adire &c. En quid fides ac fiducia in Deum operetur! en perjurii pravitatem! en vim ac potentiam imprecationum, quam liberi suis à parentibus sortiuntur! En justitiam à Deo administratam, cùm ea per mundanos conteritur! en mammonæ iniquitatis tragicos exitus, & mille pericula fati! *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.* Amen.

CONC.

# CONCIO XXIV.

# DOMINICA V. POST PASCHA.

*Petite & accipietis. Joan. 16.*

## Elusa Peregrinatio.

SAcræ Peregrinationi Catholicis receptæ jus suum competit ab antiquo AA. hoc in Scripturis optimè fundatum jus nobis nec subtrahi patimur nec mutilari. In Veteri Lege Deus ipse (1) populo præcepit Israëlitico, ut ternis vicibus per annum Jerosolymas peregrinationem institueret: *tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit, nec apparebit ante Dominum vacuus.* Samuelis optimi parentes Hélcana & Anna per annum aliquoties in Silo ad colendam fœderis Arcam peregrinatum abierunt, prout in Libris (2) Regum legimus: *& ascendebat vir ille* (sc. Hélcana) *de civitate sua Ramatha statutis diebus, ut adoraret in Silo.* Quid multis? Christus ipse in Nova Lege quotannis solitus est suis cum Parentibus Jerosolymas peregrinari, prout Lucas (3) perhibet, ubi duodennis Legistas & pharisæos grandi barbitiô illustres viros palàm docuit saniora. Porrò nunquid ex Arabia SS. tres Reges ad Christi recèns nati præsepe, tredecim dierum itinere in Bethlehem peregrinati sunt, prout hoc bellè in Concil. Basileensi contra Hussitas Ægidius Charlerius (4) ostendit? Quam ergò peregrinationem tot grandibus exemplis & præceptis illustrat Scriptura, quam ipso à Deo in Veteri, ipso à Christo in Nova Lege legimus practicatam, quam tot SS. Cœlitibus usu continuo receptam esse scimus, eam hodie nec abrogari, nec turbari patiemur Catholici.

(1) Deut. 16.

A. Peregrinationes ex Script. probantur.

(2) 1. Reg. 1.

(3) Luc. 2.

(4) Ægid. Charl. cont. Huss.

Latrent, mordeant, rugiant, gruniant, ut volunt, orthodoxæ fidei mastyges, nos tamen antiquissima obeundæ peregrinationis jura mordicus tuebimur, & hoc ipso tempore volantibus ubique vexillis Deum colemus & Sanctos ejus, hoc ipso Religionis actu pientissima Dei vestigia ac Divorum Cœlitum prævia exempla pro viribus sectaturi.

Nos inter, qui Catholici sumus, omni tempore recepta fuit Peregrinatio. Jerosolymas usque ad Christi Sepulchrum jam ante aliquot secula peregrinatum abiit S. Nicolaus Episcopus Myrensis, item S. Cyriacus Anconitanus Episc. prout S. Hier. (5) refert, & (6) Palladius apud (7) Gretserum, hac de re fusiùs differentem. Quot hominum millia post Pascha quotannis ad S. Sindonem colendam Taurini confluxerint, ipsi Taurinenses peculiari libro describunt. Eò etiam S. Carolus Borromæus Mediolanô pedes progressus est pluviô cœlô.

(5) S. Hier. Epist. 27.
(6) Pallad. c. 113.
(7) Grets. l. 1. de peregr. c. 2.

B. Semper erant in usu.

Quot hanc in horam montem petunt Andecensem in Sup. Bavaria, ut prodigiosas ibidem Hostias Sacerrimo cultu prosequantur, vel pari ex fine Augustam in Suevia? quot in Helvetiam penetrant, ut Wilisovii prodigiosum sanguinem, de quo nuper egimus, coràm possint intueri? quanto cultu toto ex orbe effluentium peregrinorum in Italia Sacra Domus Lauretana celebratur, in qua *Verbum Caro factum est*, ab Angelis perducenta millia milliarium asportata? nunquid hanc divinissimam Domum ex remotioribus terrarum plagis, Hier. teste (8) S. Paula pientissimè invisit? nunquid hanc ut eminus vidit, S. Galliarum Rex Ludovicus, saccum indutus cilicinum, residuum iter pedes confecit Serraglio (9) teste? Turselino (10) autore nullus fere Catholicorum Principum reperiatur, qui non aliquod notabile Mariani Amoris Symbolum Lauretum transmitteret. De aliis quid dicam numerô pænè innumeris? SS. Marius & Martha Nobiles Persæ ex Persia usque ad SS. Limina Romam sunt profecti, ubi etiam sub Claudio Imp. Martyrii palmâ condecorati sunt, ut Romanum canit (11) Martyrol. Illuc abiit peregrinus tertia vice S. Landelinus ex Picardia. Juxta Malmesburiensem (12) olim Angli etiamnum Catholici facto agmine agmi-

(8) S. Hier. in epit. Paul.
(9) Sylv. Serrag. in vit.
(10) Turscl. in hist. Lauret.
(11) Rom. Martyrol. 19. Jun.
(12) Guil. Malmesb. l. 2. hist. Angl. c. 4.

agmine in Indias usque ad tumulum S. Thomæ peregrinati sunt prævio exemplô Regis sui Gofredo redanimati, prout etiam Baronius (13) scribit. Quot alii iter prolixum ad tumulum S. Joannis Ephesum adornârunt? Numera peregrinos, si potes, qui omnibus ex oris Compostellam in Hispaniam ad S. Jacobi sepulchrum itinerantur. Bellonius (14) grande volumen contexuit, ut peregrinationem ad mortem Sinai susceptam, ubi depositum est Corpus S. Cath. V. & M. per Angelicas manus, ritè describeret. Quantis impensis olim ex Polonia Boleslaus Pol. Rex transiit in Galliam, ut se gratum sisteret S. Ægidio, cujus ope ac Patrocinio Regem enixi sunt steriles parentes? paucis comitatus totam viam emensus est pedes, omnes pauperculos larga stipe manu propria muneratus, quotquot obvios habuit, ut Herbutus (15) memorat. Prout Pet. scribit Dam. (16) & cum eo S. Paulinus (17) recenset, pænè omnibus è terris Christiani, imò etiam Ethnici gentiles ad S. Nicolaum Myram, ad S. Martinum Turonem magnô se numerô contulerunt. Augustino (18) teste ad S. Mart. Cypriani tumulum ultra mare Carthaginem navigârunt pænè innumeri. De peregrinationibus Seleuciam susceptis ad prodigiosum S. Theclæ V. & M. sepulchrum grandem librum elaboravit S. Basil. (19) ex quo annô proximô Deo dante teribili exemplô festum expediam S. M. & Ap. Bartholomæi. S. Hieronymus ipse S. Hilarionem ab uno loco ad alterum duxit & reduxit, ubi olim S. Antonius Magnus preces suas in vivis effudit, ubi operam exercuit manualem & somnum modicum captavit noctu. Memorabile est ac mirabile, quod suis homiliis inseruit (20) aureus Orator, suo tempore, etiam multos in Arabiam usque vastum iter corripuisse, ut fimetum spectarent, in quo olim tanta passus est Jobus. Ostendit etiam multoties grandibus miraculis DEUS, quàm gratum ipsi obsequium peregrinando deferretur; collectis à (21) Moscho, Pet. (22) Dam. & aliis. His tamen non obstantibus adhuc pertinaciter nostràs peregrinationes fundatas in Script. & tot exemplis firmatas cavillari pergunt hæretici nostri, verè spurii fratres, quia à majorum scitis

(13) Baron. ad An. 883.

14) Bellon. l. 2. observ.

(15) Jo. Herbutus l. 4. Chron. Pol. c. 10.

(16) S. Pet. Dam. Ser. 59. de SS.

(17) S. Paulin. ep. 13.

(18) S. Aug. Ser. 113. de div.

(19) S. Basil. l. de S. Thecl.

(20) S. Jo. Chrys. hom. 1. ad pop.

21) Mosch. in prat. c. 180.

(22) S. Pet. Dam. l. 7. ep. 17.

C. Contra peregrinationes SS. Patres ab hæreticis falsissimè allegantur.

DEI ac Divorum exemplis per immanem apostasiam ita perfidè deflectunt. Unde autem sua potissimum cavillandi argumenta expromunt? Ex Script. nihil possunt contra nos adducere, quia nimis palpabiliter sacras peregrinationes tuetur; ergò SS. PP. per vim attractos, pessimè per ipsos, eò modò quo Judæi aurum circumcidunt, mutilatos, ac mendacissimè citatos, quasi peregrinationum hostes allegant, nullò librò, nullo capite, nulla homilia quoad numerum signatâ; in quo more suo duplex crimen falsi, duplicem impostruram committunt: Primam quidem citando sententias ex PP. manco sense, jam consequentia, jam antecedentia supprimendo, ut peregrinationes evertant. Secundam ex concavo lunæ sententias producendo, sine folio, sine capite, in genere Patres allegando v. g. sic loquitur Aug. hæc habet Hier. sic Greg. scripsit, sic Beda tenuit, sic censuit Bonav. Sic docuit Angelicus Doct. Thomas fictis hisce testimoniis suam pertinaciam apud rudes & amusos homunciones propugnant, doctis verò stomachum movent mendacissima citatione, quam hoc ipso mendacii redarguas, quod nec caput nec folium, ubi hæc dicantur, ausint commemorare, ne se in flagranti deprehendantur mendaciloqui blaterones. Nunquam somniârunt SS. PP. Sacras peregrinationes reprobare; quidquid ergò vitii sunt in illis suggillare, merus erat abusus, salvo semper usu, salvâ semper substantiâ. Abusus varios etiam nos rejicimus hic & alibi, nil enim ita sanctum, ita sacrum est, ubi non irrepserint abusus aliqui, hos tolli volunt PP. & nihil aliud. Ut verò rudes videant & amusi, quot & quantis mendaciorum probris suorum Auditorum ora repleant & aures quinti Evangelii Acatholici Verberones, aliquot exemplis nunc obiter ostendo, quo sensu in SS. peregrinationes subinde calamum strinxerint & vocem SS. Patres.

Scripserunt utique contra illas benè multi & magni Patres; sed ritè legantur; patebit eos vel certis quibusdam hominibus peregrinandi usum dissvasisse, vel abusum increpâsse. At juxta communem & certam, *abusus non tollit*

*tollit usum* ; aliàs etiam ignem è medio tollas necesse est, quò satyrus ille graviter abusus est, ausus etiam rutilum ignem ore admoto basiare, ubi totam menti sui hirceitatem, seu hircinam appendicem ambussit, ridente Jove & ignis abusum fauno huic exprobrante. Sic ergò etiam PP. contra abusum scripserunt, non contra pium, legitimum ac perantiquum earum usum, quem potius magnis laudibus commendârunt. Audiantur nonnulli PP. ad retundendam mentiendi petulcitatem hæreticam in negotio hæreticis receptam.

D. Abusum increpabant Patres, non pium usum.

S. Antonius & S. Athanasius reprobabant utique Sacras peregrinationes, sed nisi ratio addatur reprobationis, falsi crimen hôc ipsô admittitur. Dicatur ergò cur & qua de causa voluerint recipere peregrinationes hi duo. S. Athanasius in Vit. S. Antonii (23) apertè inquit, *etiam hunc celeberrimum archimandritam peregrinationes Sacras non probâsse.* Hic sistit hæreticus, & absolutè infert, reprobatas esse peregrinationes; at quid sequentia supprimis? perge nebulo, & totum evolve, ut fucus & mentiendi libido patescat. Sic inquit Athan. *non probâsse peregrinationes, indagandæ veritatis causâ susceptas, cùm hæc veritas prostet ubique.* Hem quâ fide Patres citantur? Hæretici ululant S. Ant. absolutè peregrinationes reprobâsse; quod falsissimum est, & nulli unquam somniatum. Curiositatem reprobârunt, non ipsam substantiam. Sic hæretici etiam Romam peregrinantur explorandi causâ Catholicos, ut domum reversi habeant quod rodant, quod calumnientur, si quid scandalosum oculos incurrit, adjecta sæpè grandi probrorum appendice, ut hac rationem fide Catholicam omnibus aliis invisam reddant. Ut fidei veritatem explores, non opus est tot itinera emetiri. Nos Catholici idem docemus in Gallia, in Hispania, in Italia, quod in Japonia, fides nostra ita protea non est, sicut hæretica, quæ nullibi conspirat; unde in unica urbe tot sæpè apud

23) S. Athanas. in vit. S. Ant.

E. S. Anton. reprobat curiositatem.

illos fides reperias sibi mutuo adversas, quot plateas. Hanc ergò curiositatem uterque sanctus ille rejecit, u textum legenti ad oculum patescit. Quæsitum fuisset binis hisce Sanctis, an etiam nollent peregrinationes obiri *pietatis causâ* susceptas? ad ravim usque reclamâssent, & ambo dedissent negativam; ut quid ergò hi Patres contra peregrinationes allegantur?

F. S. Bernardus & S. Benedictus Nonnis & laxis fratribus peregrinationes interdicunt.

S. Bernardus juxta hæreticos etiam parùm respexit dicitur peregrinationes, ut ajunt noluit S. P. ut pedibus corporeis Jerosolymas ad Sepulchrum iretur, sed ut potiùs piis animi desideriis cœlestes Jerosolimæ seriò ac frequenter peterentur, hactenus lectus est Bernardus ritu hæretico, nunc etiam ritu Catholico evolvatur. Nunquid ipse S. Bernardus Jerosolymas profectus est peregrinans, cum aliis pænè innumeris, quos ad hoc Sacrum iter induxit? quomodo ergò reprobare potuit, quod ipse practicavit, & tot aliis persuasit. Quidquid superius dixit Bernardus, propriè Monachis dixit & Nonnis seu Monialibus feminis, u nec omnibus promiscuè, sed illis tantùm, qui spiritu adhuc erant oppidò debiles & infirmi, ut timendum esset, ne libertatis aucupium sortiti deteriores domum redirent. Notum est commune proverbium: piscis extra vivarium, monachus citra claustrum, & mulier extra domum, actum est plerumque de singulis. Huic malo ut obviaret Bernardus, & horum debilium saluti consuleret, suasit eis mysticam peregrinationem ad cœlestes Jerosolymas per repetitas meditationes, donec spiritu proficerent, ut etiam pro votis possint corporeas obire, verba (24) S. Bernardi hæc sunt: *non terrenam sed cœlestem Jerosolymam inquirere Monachorum est non pedibus proficiscendo, sed affectibus &c.* quibus verbis tantùm illos tangit, quos vulgò dicunt *gyrovagos fratres*, noxiæ libertatis venatores. Hoc sensu etiam intelligi debent

(24) S. Bern. ep. 319.
25) S. Birg. Rev. l. 3. c. 33.
(26) S. Isid. Pelus. l. 1. ep. 41.
27) S. Bas. M. c. 8. Const.
(28) Cass. Coll. 18. c. 7.
(29) Pelag. l. 2. de planct.

S. Birg. (25) in Revel. suis. S. Isid. (26) Pelus. S. Basil. (27) Magnus. Joan. (28) Cass. & Alvarus (29) Pelagius.

Hæ

Hæc ipsa fuit causa, cur S. Hier. (30) nollet Paulino licentiam dare Jerosolymas peregrinandi; diffidebat S. Pater Paulini adhuc juvenis virtuti, ne tot inter pericula seduceretur. Fuisset Paulinus tunc temporis solida virtute præditus, votis ejus non se Hieronymus opposuisset. S. P. Benedictus suis etiam per specialem regulam peregrinationes prohibuit, (31) sed causa prohibitionis probè capiatur: *quia non expedit animabus eorum*, voluit dicere S. Patriarcha, tales sæpè pravis moribus imbutos ad propria reverti, tricis & turbis sacras ædes replere, vel etiam toti claustro calces eminus illidere, & cum Noëtico corvo nunquam ultra revertì ad arcam suam. Nullus acrius has peregrinationes cribrat quàm S. Greg. Nyss. (32) hinc identidem ab hæreticis allegatur, sed perpetim mutilatus. S. Pater iste illos claustrales exagitat, qui, cùm arctitudo cœnobitica religiosis desipit, ocius peregrinari gestiunt; hos peregrinari prohibet, cujus mox rationem subdit: *nam periculum est, ne spiritus his discursationibus prodigatur.* Carpit ergò tantummodò *laxos fratres*, ut passim vocantur, laxitatis captandæ studiosos, tollatur hoc periculum, hæc laxitas, non erit porrò invitus, quò minus etiam religiosi suam pietatem possint peregrinando explere.

30) S. Hier. ep. 13.

31) S. Bened. c. 1. Reg.

32) S. Greg. Nyss. ep. ad Eustachiam & Ambrosiam.

S. Anselmus (33) votum dicitur peregrinandi Romam aut Compostellam penitus rejecisse. Sed hæc voti rejectio per hæreticos iterum S. Patri perperàm affingitur. Audiamus ipsum Patrem: *Monacho, qui in sæculo vovit peregrinationem, peregrinandum non est.* Et hoc verissimum est; nam per ingressum in Religionem omnia vota in sæculo facta annullantur, votis tamen in genere, quibus passim etiam peregrinatio vovetur, nil inde detractum voluit Anselmus pessimè iterum citatus. Monachi Benedictini Montis Cassini non ideò S. Adalberto Pragensi Archiep. peregrinationes exprobrabant, quòd essent, ut hæretici criminantur, papistica idololatria, sed quia Adalbertus in Bohemia supremus erat Animarum.

33) S. Anselm. l. 3. ep. 33. G.

S. Anselmus peregrinandi vota ante ingressum Religionis facta tollit, non item aliæ quæcunque.

H. Non omnibus Consultum est, ut obeant peregrinationes. Enumerantur aliqui.

rum Episcopus & Pastor, qui non debuit tanto tempore suis ab oviculis separari. Id omnes alios tangit animarum Curiones & Parochos, ne per illorum absentiam lupo præda cedat ovicula, nisi per optimæ notæ Vicarios tam enormibus malis obvietur & prospiciatur, ut sine cura etiam hi possint pietati suæ velificari. Ita sine cura pedibus iter confecit S. Carolus Borromæus Mediolano Taurinum usque ad S. Sindonem, aliis interim subrogatis, qui gregi ritè invigilarent. Sunt Doctores, qui dicunt invalidum esse votum Episcopi, procul hinc peregrinatum abeundi, hoc ipso quod inde gravis possit jactura toti gregi causari; quod ipsum doctissimus Major (34) ad omnes etiam Parochos, Vicarios & Sacrorum Curiones extendit. Huc etiam spectant seculares officiales, judices, prætores, Consules, Jogodædali & provisores, si ex illorum absentia grande malum bono publico accresceret Justitiæ defectu. Ita nec maritus sine licentia uxoris suæ, nec uxor sine annutu viri sui se longa poterit peregrinationi committere, ut signatè notat (35) Sanchez. Ita, nec parens potest peregrinatum abire, domi interim uxore ac liberis cum fame luctantibus; tenetur potius operâ manuum suarum lucrum facere, quo fames à propria carne ac sanguine proscribatur. Ita nec ille sumptus potest in peregrinationes expendere, qui aliàs grandibus debitis hirtescit. Solvatur priùs debitum, quàm supervacuæ devotioni litetur. Gulæ frænum injiciatur, vestium luxus proscribatur, ut debita expungantur, ea maximè, quæ Sacra sunt & Ecclesias tangunt, unde expediri debeant Divina vel anniversarii pro defunctis.

24) Major. in 4. d. 38. q. 3. d. 1.

(35) Sanchez de Matr. l. 9. d. 3. n. 8.

En AA. quot & quales ex Doctrina PP. & DD. peregrinari vetantur; per hæc tamen ipsa peregrinatio nec tollitur nec mutilatur. Certos tantùm homines tangunt asserta, quibus certis ex causis melius est domi sessitare, quàm foràs evagari peregrinando. Id quod hactenus dictum est, juxta Nyss. l. c. maximè feminas concernit præter illos, quos jam adduximus. In his prolixæ peregrinationes totaliter improbantur, nisi unà iter expediant mariti. Sic nec viro domi solitario, nec uxori foris divaganti consultum est, feminæ ad colum, ad acum dessi-

destinatæ sunt, à natura debiles, centies animâ & corpore periclitantur, si sibi solis relinquantur. Occasio facit fures, & adulteras meretrices, imò etiam viros undique perfidos. Scimus, quanti steterit peregrinatio ad Domum Sanctam Ægyptiacæ Mariæ, licet ibi seriò sit ad DEUM ac Deiparam conversa. Non caret itaque periculo grandi feminina peregrinatio, tollatur hoc periculum, etiam feminis peregrinationes pias indulget Nyssenus. Sic S. Birgitta ex Suecia Compostellam abiit, Romam S. Paula & S. Helena Imperatrix. Sic sola ex instinctu Divino ad Sepulchrum SS. App. Petri & Pauli Romam contendit B. Oringa.

Unum adhuc ex Nysseno Viris inculcetur. Illas peregrinationes pariter S. iste Pater rejecit, quæ gulæ gratiâ talem in locum instituuntur, ubi sciunt mensas instrui sybariticas, cibo ac potu prægnantes; hic enim plùs Baccho servitur quàm Deo & Sanctis ejus. Hîc nihil aliud exspectes quàm scandala, quibus subinde sacræ etiam ædes repleantur. Vomunt ut bibant, edunt, vorant, ut nunquam ultrà esuriant. Quæ & qualis hæc pietas, ubi summa impietas contrahitur, stygia bibacitas, acherontica ebrietas. Patet adeò ex dictis, quàm impiè contra sacras peregrinationes nostras hæretici baubentur; patet quàm fraudulenter Patres in contrarium adducantur. Abusum increpant, non usum. Sic peregrinantes tantùm libertatem aut gulæ bellaria, aut ventris abdomina, carnis quærant oblectamenta; si tantùm libidini, detractioni vel alteri lucro serviatur &c. Patres omnes abusum peregrinationis increpant, his sublatis, manet usus pius peregrinationum omni labe immunis, laude ac præmio dignus, Deo ac Superis acceptus, multis etiam miraculis à Deo protectus, si ritè fuit expeditus, imò etiam grandibus pœnis contemtus ejus à Deo multatus. Vultis pro clausula ultimi asserti hujus vivum testem spectare, Frisingam contendite; en ibi ad aram S. Sigismundi pendet tabula, atque una pes carne adhuc sua vestitus, legite epigraphen & discite sacras peregrinationes ritè venerari, sic sonat: Pes iste ab immemorabili tempore huc prodigiosè per canem portatus est. Cùm antiquo more feria 3.

I. Sacræ peregrinationes non debent explodi aut eludi. Punitur contemptus. Exemplum.

Pentec. ad aram S. Sigismundi huc peregrinationem annuam instituerent Mämingani decem hinc milliaribus distincti, vicinum ruricolam primo mane nonnulli transeuntes in arbore spectabant cerasa legentem. Rogatus an non & ipse crucem Frisingam comitari vellet, sardonicè ridens respondit, nolle se vel pedem Frisingæ in Sup. Boica habere. Dixit, & linguæ peccatum ocius pes luit; nam cum dicto pes alter non secus, atq; si securi amputatus esset, ex arbore cecidit. Neque hoc prodigii miraculum est terminatum. Jacebat rustici jocantis canis sub arbore, qui quasi ex imperio lapsum pedem mordicus apprehendit, & cum eo ante ipsos pagi peregrinos Frisingam usque cucurrit. Subsecuti peregrinantes & canem & pedem ante aram S. Sigismundi repererunt, agnoveruntq;. Nec potest miraculum negari; fidem enim facit alterum miraculum, usque in hanc diem per tot annos continuatum; ne enim ejus memoria aboleretur, caro contra indolem suam incorrupta manet, docetque spectantes, ne Dei Sanctorumque honores, aut antiquos piosque Ecclesiæ mores ac peregrinandi sacerrimos ritus irriserant, neque aliud appensa hæc tabella loquitur quàm *Discant justitiam moniti, & non temnere Divos.* Sicut ergò hæc tabula multos novit ut pluris facerent Sacras peregrinationes, sic pariter nos moveat, ut hoc S. tempore ea, qua par est, devotione peregrinationes obeamus, & nostra in vota Superos flectamus.

Amen.

[o]

CON-

# CONCIO XXV.

# DOMINICA VI. POST PASCHA.

*Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Joan. 16.*

## Scandalum pharisaicum.

VOx *scandalum* in scholis bifariam sumitur AA sensu primo & genuino juxta S. Thomam (1) scandalum propriè loquendo aliud non est, quàm dictum aliquod impium peccaminosum, culpabile opus, quod alteri occasionem præbeat peccandi. *Scandalum est dictum vel factum minùs rectum præbens occasionem ruinæ.* Ita scandalum est pravum exemplum, quod alteri datur verbo aut factô. Ut sic dicitur *scandalum datum.* Hoc scandalum illis maximè vitandum est, qui aliis quocunque modo regendis præsident aut dirigendis. Cur? quia *æternum* illud *væ* importat: *væ mundo à scandalis* (2) seu quod idem, væ omnibus, qui alteri dant scandalum! væ iterum, qui scandalo dato se perverti patiuntur! Horroris plenum est, quod omnibus magistratibus ac præpositis seu sacris seu profanis S. P. Greg. (3) occinuit: *scire debent, qui præsunt, quod digni sunt tot mortibus, quot perditionis exempla suos ad subditos transmittunt, quia pereuntium animarum sanguis eorum ex manibus requiretur.* Notent hæc apprimè ipsi etiam parentes erga liberos suos, quibus præsunt, & erga domesticos. Quod sol & luna sunt & præstant in firmamento, id in cœtu præstent prætores ac præfecti, Consules & Senatores, in singulis ædibus parentes ac ædium patroni. Fac cœli lumina solem ac lunam obnubilari, aut luce sua penitus destitui, solem interdiu,

(1) *S.* Thom. 22. q. 43. a. 1.

A. Duplex scandalum est, *datum* & *acceptum.*

(2) Matth. 18.

(3) S. Greg. in Mor.

B. *Datum* explanatur.

lunam noctu, omnes etiam stellæ lucis defectum patientur, quæ suam inde lucem participant. Sic planè subditos tangit, liberos & domesticos involvit pravitas & miseria, quæ majores, quæ parentes corripuit. Hic sanè miraculum dixeris; si sub pravo Capite, sub impio parente, benè vivant subditi, & in omni virtute liberi adolescant. Ipsa Script. Sacra (4) *miraculum* vocat: *factum est grande miraculum, ut Core pereunte, filii ejus non perirent.* Quid ergò & quantum pœnæ illi parentes sibi ultrò conciliant, qui liberos suos secum in popinas, ad lusorias tabernas, ad lupinas seu meretricias comœdias, quales passim ludunt impunè Angli hodie, ducunt, & seducunt? qui ceream ætatem primis ab annis vino adusto aut execrabili tabaco assuefaciunt, cum corporis & animæ ruina? centies imò millies repeti audias, quod innocens puellus per militem occisus, auribus ejus intonuit ut in spec. exempl. legimus: *nequam tu me occidisti! redde rationem.* Sic pariter hi liberi pravo parentum exemplo in omnem pravitatem adulti occlamabunt: tu latrocinans pater, tu scandalosissima mater nos vitâ privâstis æternâ. Ate parens perdite gulam hausimus & ebrietatem, blasphemiam & perjurium, fornicationem & adulterium, lusum & mendacium &c. Vos inter ô maledicti parentes nihil boni vidimus, nihil boni audivimus; sic vestris exemplis destructi, grandibus in flagitiis adolevimus, & illis tandem sine pœnitentia immortui sumus & cœlô proscripti æternùm. Notentur hæc pariter ipsis ab Ecclesiasticis & Religiosis, ut coram secularibus nihil agant aut loquantur, unde rudis & amusus arbiter gravia peccata possit vilipendere, eáque dicere peccatilla, quæ rectà merguntur avernô. Quærant illi cum fœminis commercia vicibus frequentatis & absentibus maritis? ludant cum illis, bibant cum illis & epulentur? etiam cùm ægros visunt, liberè vitra purgent? mensas sectentur adipales, prensent conventicula, unde nonnisi domum revertant crapulati? ocius ex his pessimum formabit conclusum secularis homo, dæmonem ita nigrum non esse ac pingi soleat per Sacros Evangelii Præcones; orcum ita flammeum non esse, ac nuper sit per Ecclesiasten descriptus; ebrietatem, lusum chartaceum seu femininum, lusum carneum &c. tanti ponderis

(4) Num. 26.

C. Caveant illud præpositi Judices, parentes, Ecclesiastici & Religiosi.

deris peccata non esse, quia hæc etiam liberè per hos & illos committuntur &c. hoc ergò grave scandalum est, quod datur infirmis, quibus omnibus væ intentat justum Numen: *væ homini illi, per quem* (5) *scandalum venit*! væ illi, qui alterum ad fraudem in venditione aut in emptione committendam inducit! væ illi, qui alios ad iram & inolitos rancores extimulat! væ illi, qui in portandis & reportandis literis venereis internuntium agit! hi enim omnes dant grave scandalum, ac se omnium inde prognascentium malorum participes reddunt. Nec sufficit in tribunali sacro dixisse, *dedi alteri scandalum*; addi debet quomodo? verbò an factô? & quot numerô fuerint per datum scandalum probabiliter ad scelus inducti? ut enim suprà ex Greg. meminimus, *tot mortibus quis dignus est, quot perditionis exempla ad alios transmisit.* De hoc ergò hactenus obiter explicato scandalo, quod *datum* nuncupamus, non statui ceptum prosequi sermonem; id jam alibi factum scio.

D. Væ huic scandalo intentatur.

(5) Matth. 18.

Alterum distinctionis membrum aggredior, quod *scandalum acceptum* dicitur. Possunt etiam ex hoc grandia mala prognasci. Utplurimùm à propria malitia, vel à rationis & intellectus humani debilitate excoquitur. Alii aliter hoc scandalum baptizant, & *id scandalum* nuncupant *pharisaicum*, quia hoc scandalum ab ipso Christo, qui nullum unquam scandalum dare potuit, omnium scelerum artifices Pharisæi desumpserunt, ideò dicti muscarum sanguisugæ & elephantorum heluones. Scandalum captabant, quod Apostoli ante mensam manus suas non lavarent; quòd festis diebus ægrotantibus sanitas, moriturientibus vita firmaretur; quòd cum peccatoribus & publicanis Christus prandium sumeret; quòd Magdalenæ peccatrici lavandos ac tergendos pedes porrigeret; quæ omnia potius laude quàm vituperiô digna erant. Ab hoc scandalo omnes ac singulos Siracides (6) dehortatur: *in viam ruinæ ne eas, nec ponas animæ tuæ scandalum.* Job hac ipsa in via (7) brevi pedem luxâsset; jam enim casui proximus exclamabat: *quare impii vivunt? filii eorum exultant lusibus! viscera eorum plena sunt adipe;* pios contra ubique reperias afflictos, miseros. Ita hucusque millies cum Jobo sub barbara

E. Scandalum acceptum seu pharisaicum expenditur.

(6) Eccli. 32.

(7) Job. 12.

F. Est periculosum, quia Deum tangit.

turcarum tyrannide ingemiscentes animæ clamârint: *ah! cur impii vivunt!* ah! quamdiu suos in obvias animas furores exseret, suum in Christianos virus evomet tyrannorum alphaquàm longanimis Deus est, ut tamdiu suam in vineam grassari ferat furibundum pecus! cur toti orbi usque adeò infestum Caput tot annis tolerat & sustentat? cur tot sacras ædes, tot innocentes animas per hunc luciferi germanum dirui & prostitui permittit? hæc apud multos *scandalum* pariunt, quod dicitur *acceptum scandalum*; id tamen constanter repelli debet, ne sedem figat intra nostri penetralia cordis, malum inde prognatum nos tangeret. Hic loci etiam pius David olim (8) Ps. 72. visus est (8) cespitare, provit ipse de se fatetur: *mei pœnè moti sunt pedes, pacem peccatorum videns.* Pius ac spiritu plenus Arnobius hôc scandalô cœlitus accepto & perperàm formatô graviter offensus, pœnè corruit, seipsum tamen à tetro casu (9) Arnob. in Ps. 30. adhuc præservavit, fassus culpam suam publicè (9) *injustè te culpabamus, cùm ligares & secares bonos*, malos contrà omnibus gratiis & fortunis ditares.

Hic autem probè disci debet lectio à supremo cœli terræque magistro nobis dictata: *hæc hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.* Pellent vos suis è scholis & synagogis; patriâ vos totâ proscribent, *& tandem hora veniet, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur se obsequium Deo suo præstare.*

G. Deus suos in terris cruciat & flagellat.

Hic ergò ne providentiæ Divinæ modus præscribatur; ne sinistra de Deo judicia formentur, nec ab illo ullum scandalum hauriatur, ubi semper summo in gradu perfecta Justitia, summa æquitas & mititas dominatur. Id quod Deus statuit per hæc flagella Dei in Germanis castigare, Deo soli compertum est, cui minima patescunt. Ut scelus ritè punitum est, in furnum projicitur, largo cruore inundans flagellum; hoc ultimum ejus lucrum est, quod à nobis ulterius Clemens Deus pientissimè avertat! totus orbis percurratur, patebit, omnes illos, quorum nomina libro vitæ inserta, hoc in mundo paucas horas numerâsse undique serenas, pleraque potiùs nubilas & teterrimo squalore oppletas. Hic nemo fuit immunis, ne quidem ipse Filius Dei, continuas eclypses passus. Quisquis agere vult in terris pium Abelem, unà suum ad latus habebit Cainum,

Cainum, Noë ſuum Chamum, Iſac ſuum Iſmaëlem, Jacob ſuum Eſau, Joſeph ſuos ad omnem vafritiem ac perfidiam projectos fratres. Moyſes mergi debebat in Nilo; at Deus vitam mergenti ſervabat integram. Eliam illa lupina orci furia exciſum ibat Jezabel, at Vir Dei curru igneo ſublatus in altum diras elufit femininas, donec ipſa furoris efferi daret pœnas. Daniel objici debuit famelicis leonibus, qui tamen ipſum ſanctiùs colebant, quàm beſtiales tyranni nominetenus homines. Joannes Baptiſta Sanctæ Veritatis ardentiſſimus præco in prœmium ac prædam ceſſit ſpiculatori. Par fortuna obtigit Apoſtolis & ſucceſſoribus illorum; nunquid enim à S. Petro primi triginta Pontifices omnes martyrii palmâ coronati ſunt? quæ perſecutio ſummos Pontifices corripuit, etiam alios Eccleſiæ Doctores confecit. Sic Arriani mortalium peſſimi lurcones S. Athanaſium ad mortem uſque ſunt perſecuti, S. Gregorium Nazianzenum macedoniani hæretici, S. Patrem Baſilium Magnum Valerius Imperator, S. Joannem Chryſoſtomum Eudoxia Imperatrix, S. Patrem Ambroſium Juſtina, S. Patrem Hieronymum omnes diſſoluti Monachi, laxi fratelli, & diſcoli ſacerdotes, quos identidem ſuæ obligationis, ſui muneris commonefecit omnes ac ſingulos ad piam & ſolitariam, ad puram & modeſtam, ad ſobriam & humillimam vitam hortatus. De aliis Eccleſiæ ſtatibus quid dicam? omnes Deo ſuo addictos ita tractari clemens Deus permiſit, quamdiu hunc per orbem errarent; at ibi tota illicò in bonum verſa eſt alea; ibi tota confuſio in gloriam, tota traductio in uberrimos applauſus, tota ſubſannatio in dulciſſimum Alleluja, tota patientia in auream & in gemmeam, in regiam & in triumphalem coronam verſa eſt, feliciſſima metamorphoſi, quam nulla unquam ætas evertat. Jam canit de illis Pſaltes (10) Regius: *nimis honorificati ſunt amici tui ô Deus!* quàm prodigiosè pauperes tuos è ſtercore ſublevatos in altiſſimum gloriæ apicem ſublimâſti! ut modò in cœlis rutilant & ſuo ſplendore auricomum ſolem triumphant, qui in terris olim noſtris omnium pedibus objacebant omnium peripſema! quàm verò enormes ibi pœnas dant ſine fine, ſine termino pravæ voluptatis ſuæ libidinoſi, avaritiæ ſuæ ac tenacitatis improbi

(10) Pſ. 138.

euclio-

eucliones, carnis suæ procaces & bibaces patroni gulones & epulones, proci & heluones, iniquitatis suæ pecunioſi aucupes, qui tota die meditati sunt inania, quibus modis delicias deliciis augerent, quibus technis omnem animô mœstitiam proscriberent, quibus locis lusibus & poculis, mensis vacarent & choreis, in id unum diu noctúque intenti, ne particula boni diei sine novis voluptatibus transiret, de alea post mortem fortè repentinam vertenda nunquam soliciti, de pœnitentia nullis unquam angoribus compulsi. At quàm citò omnis risus in fletum abiit! quàm grandi pœnarum elencho cœca stetit voluptas! jam ignitis carbonibus insultant, jam lotium bibunt acheronticum & sulphuream picem, qui vinô natabant; jam ignitis harpagonibus dilacerantur, quibus antè omnis pietas abominatio erat desolationis; jam bufonibus deliciantur, qui olim cum Evangelico lurcone epulabantur quotidiè splendidè, nec micam Lazaro indulgentes; jam dipsadum jam draconum morsibus impetuntur & configuntur; qui olim detractorios dentes suos toties in homines labis puros defigebant. Opt. AA. nemo hic loci de Deo perperàm loquatur, aut finistra de Deo judicia formet, quasi pios persequi velit, si illis ne quidem unum innubem ac dotaliter serenum diem indulgeat; quasi lurconibus suam luriditatem, ebriosis suam perennem gulam, & pravis tenebrionibus suam palmarem nequitiam præmiari velit, si plus boni temporanei malis, plus vitæ improbis, plus fortunæ turcis & turcarum germanis, quàm probis ac Deo devotis impertiat. Ita de Deo sentire, *scandalum* esset *acceptum*, seu *scandalum pharisaicum*, quod nobis ultrò sine prævio fundamine contra Deum & Justitiam ejus nostram in perniciem formaremus, scandalum sane dignissimum, quod grandibus pœnis scelerum ultor Deus proscindat.

Hos impios de Deo sensus, quos nonnulli ex assidua pravorum felicitate, & serenis, quos vivunt, diebus, perperàm hauriunt, ut funditus extirpem, statui hodie id ipsum fusiùs proponere, quod S. P. Damascenus (11) libris suis prodigiosa manu exaratis inseruit, ac inde suo etiam grandi tomo de vitis Patrum Rosweidus (12) commisit. Peragrabat fortè totam

(11) S. Jo. Damasc. l. de fide.
(12) Herib. Rosvv. l. 6. Hbell. 1. §. 17.

totam ægyptiacam eremum quam pœnè innumeri sexus utriusque habitabant, & clauſtra omnia & clauſtralium caſas ex officio ſupremus omnium Rector viſitabat. Alia inter prodigia reperit in monialium cœnobio annis gravem ac virtutibus prodigioſis claram Virginem, quæ omnes alias precibus, jejuniis & aſſiduis pœnitentiæ operibus magnis poſt ſe paſſibus reliquit, unde etiam paſſim ab omnibus aliis tanquam, cœlo lapſa & Cœlitum choro digniſſima Virgo colebatur. Hanc cùm ſeorſim ductam Viſitator examinâſſet, unde hoc in clauſtrum veniſſet, & cur tantam vivendi auſteritatem arriperet, humi fuſis oculis, viſa eſt reſponſum ſubterfugere, iterum ſolicitata, tandem hæc in verba linguam ſuam humillima virgo reſolvit: Venerande Pater, nacta ſum parentes, annis pares, vita & moribus oppidò diſſimiles. Parens à natura fractis erat viribus, pluribus morbis obſitus, at pius unà patiens, mitis ac liberalis in obvios pauperes, oſor otii acerrimus, ac duris ſemper laboribus, quamdiu per vires licuit, diſtentus, primo manè ad templum & incruentum miſſæ ſacrificium properabat, inde in agros & hortos colendos digreſſus; ſic totum diem jam precando, jam laborando exhauſit. Cum vicinis nullum illi commercium, nulla familiaritas; rogatus cur honeſtum alloquium temporis fallendi gratia ſubterfugeret, tritum illud repoſuit: *quoties inter homines fui, ſemper minor homine redivi.* Hinc ita parcus erat verborum, ut aliqui crederent, eum omnem linguæ uſum amiſiſſe. A potiori domi hæſit, lecto affixus & morborum plagis coopertus, conſtans patientiæ idea. Hâc indole pater claruit meus, quem tanquam alterum ævi noſtri Jobum ſuſpexi. At quàm pius erat pater, tam improba fuit mater mea. Hanc forma fecit ſpectabilem, ſalus perennis & ad omnem hilaritatem compoſita indoles. Hæc nullô unquam morbô tentabatur, ſole ſemper innubi & candido, cœlô ſemper ſudô ac ſerenô gaviſa. Cùm pater morbo iterato afflictus, rei domeſticæ invigilare non poſſet, lectô diſtentus, mater debebat totam domum moderari; quod quidem ita miſerè præſtitit, ut dives ſalarium haut ultrà ſumptibus privatis ſufficeret. Hæc omnem laborem exoſa, omnem ſolitudinem pertæſa, in omnem luxum,

H. Nemo pravis ſuam in terris felicitatem invideat; his enim verè occinitur: poſt mortem nulla voluptas. Probatur exemplô. Hiſt.

gulam, & proterviam effusa, in omnem noxiam & scandalo plenam familiaritatem propensa, in omnem lusum ac potum proclivis, sæpius ex commercio etiam cum viris in seram noctem extracto domum revertit temulenta, quàm sobria. Quantum mali feminis pariat vini usus & abusus, ex Script. patet, & experientia pænè quotidiana. S. Hier. (13) non credidit castè vivere posse ebrietati deditum heluonem, quantò minùs id de feminis credatur in patinas & culullos effusis. ita paulatim tot pravorum hominum conventiculis, tot mensis & poculis eversa mater pessimam prostibuli notam contraxit, abusa Viri lecto affixi patientiâ. Sic pater vixit multis annis febribus assidius atque aliis pluribus morbis exhaustus; sic mater vixit nullo unquam morbô tentata, nullis unquàm ærumnis pressa, omnibus omnia. Tandem Deo placuit patrem tot malis liberare, eúmque à mortali ad immortalem vitam transferre. Nesciebam tamen tunc temporis, quô locô apud Deum esset patientia ejus; ut enim animam suam exhalavit, mox totus aër turbari, cœlum atris nubibus obduci, tumultuari ex omni plaga furibundi venti, solvi cœlorum catractas, tonare, fulgurare, ac omnia misceri, ut crederent multi, totum cœlum in præsens funus conjurâsse. Durabat hæc horrida tempestas totô triduô & obicem posuit sepulturæ. Quanti rumores interim tota urbe grassarentur, cogitari potest, dici non potest. Dicebatur passim vir fuisse hypocrita Deo ac superis exosus, cui nec terra lectulum indulgeret. Quarto die jam fœtens cadaver grandes inter pluvias adhuc cœlô defluas tumulavimus. Sepulto patre omnes libertatis habenas solvit mater, domi forisque in omnem licentiam projecta. Patebant ædes nostræ antehac fortiter occlusæ omnibus procis, ganeonibus & lurconibus in concubiam noctem. Multis annis hæc vita tenuit, cùm iterum Deo placuit etiam matrem fatô quidem repentinô hinc evocare. Vix obiit, cœlum ante nubilum ac pluvium mox undique serenari, ut crederent benè multi, cœlos ipsos hac morte lætari. Sic tumulo illata est ridente cœlo. Adultior facta, hæc duo funera tantoperè sibi adversa seriò meditari oceepi; una ex parte vita occurrebat, quam pater vixit, ad omnem pietatem

(13) S. Hier. ep. ad Eustoch.

tem & patientiam compoſita, quam tamen mors excepit & tam horrida tempeſtas; alia ex parte ſe vita obtulit materna, nullô morbô, nullis adverſis turbata, quam mors quidem ſubitanea excepit, at cœlo ridente & tanto quaſi funeri applaudente; cepi ergò ſic mecum ratiocinari: pater meus ſemper fuit ſobrius, pius, juſtus, mitis & patiens, ſacris etiam pientiſſimè immortuus; at mox iterum ex obliquo alia irruit cogitatio: & quid juvat eum tanta vitæ auſteritas? quod lucrum ex patientia retulit? cœlum mortuo ne quidem tumulum conceſſit. Si tanto in pretio apud Deum fuit pietas ejus, cur ei honeſtam ſepulturam ſubtraxit? ſi contrà matrem in memoriam revoco, propè animum inceſſit cupido, matris non patris veſtigia ſectandi. Sic animotenus mecum ipſa diſputantem ſomnus obruit, qui omne dubium hæſitanti diſcuſſit. In ſomnis videbatur mihi Angelus aſſiſtere, qui me ſerio vultu rogaret, quid animô volverem? Cùm tacerem pudore confuſa, en ipſe Angelus ſingulos meos cogitatus recenſuit dixitque, ſe huc veniſſe, ut mihi utriusque parentis ſtatum exhiberet; quô viſô, firmum inde concluſum formari poſſe, an patris an matris veſtigia ſint premenda. Sic me manu abduxit in nobile viridarium, velut alterum paradiſum, ubi mox parens obviam occurrit ſplendida facie, & amiciſſimo vultu filiam ſuam ſalutans; rogabam quidem patrem meum ita glorioſum, ut ſecum filiam retineret, at is ridens ad me: filia chariſſima, locus iſte delicioſus tibi necdum competit, ſi tamen mea in vivis veſtigia preſſeris, digna tandem eris, quæ huc tranſporteris. Sic uberes inter lacrimas vale dicto parenti cum Angelo diſceſſi; hic me per ferream portam, unde largus ignis profiluit, ad locum deduxit tenebricoſum, in quo undique vidi nebuloſum ignem graſſari, ſulphure ac pice ſuccenſum; hic tandem collô merſam præter alios millenos etiam matrem conſpexi, cum aliis horridùm ejulantem. Horrida mephitis nares opplebat & matrem ipſam innumeri dæmones, angues, bufones & igniti dracones torquebant. Ex oculis, ex naribus, ex ore & ex auribus horridus ignis promicabat. Juſſit tandem hinc faceſſere dæmones Angelus & unà matri dabat imperium loquendi. Sic orſa mater his me

verbis compellavit ex igneo lacu: hem filia, vitæ meæ horridos fructus! hoc balneum ipsa mihi viva paravi. Luxus & luxuria, gula & perfidia, compotatio & adulteria me in hæc pœnarum ergastula præcipitârunt. O æternitas! quàm longa es, quàm lata es, quàm profunda es! hic ardendum est in æternum, eheu æternitas! maledicta sit gratia, quâ me Deus ad pœnam creavit interminabilem. Nullas ego grates Deo refundo, quòd suum pro me sanguinem fuderit. Sentio inde plùs in momenta carbones succendi. Pereat dies, in qua nata sum! pereat dies, in qua sacris fontibus abluta sum! &c. Non potuit ultrà blasphemas voces Angelus sufferre; ora proin stygia compescuit, ac me domum reduxit, dixitque: jam conclude quem sequaris patrem an matrem; ego autem ocius juravi me in tumulum usque patris pientissimi vestigiis hæsturam. Sic in claustrum admissa, hanc in horam Dei gratiâ pœnitentiam extendi, eam quoque tumulo illatura.

En AA. quàm pravum, quàm falsus sit *scandalum acceptum*, à Deo & illius providentia transumptum. De Deo semper in bonitate loquendum ac sentiendum est, utut nos in vivis excipiat benè an malè, imò nobis potiùs perennis felicitas, quam Deus nobis impertit, suspecta sit, ne fortè hic cœlum nobis largiatur, quos cœlô excludat æternum. Reddant nos potiùs anxios sereni dies quàm nubili turbidi morbis & ærumnis referti; certa enim & infallibilis est sententia toties Augustino (14) parœmiæ locô recepta: *exemptus es à ratione flagellorum, exclusus es à sorte beatorum.* Quam proscriptionem nostris omnium à capitibus clementissimè avertat JESUS Christus Dominus noster, qui cum Patre ac Spiritu S. vivit ac regnat Deus in secula seculorum. Amen.

(14) S. Aug in Ps. 55.

CONC.

# CONCIO XXVI.

## DOMINICA I. POST PENT.

*Date & dabitur. Luc. 6.*

## Orci præda Plutophilus.

HEm ineffabilem Dei misericordiam! Opt. AA. ita misserentis misseretur, ut etiam levidensem gratiam grandibus gratiis remuneretur. Ita danti dat, ut vota dantis non tantùm expleat, sed excedat. Quisquis donariis cumulari exambit, artem hic loci nactus est, quidquid in votis habet, comparandi. *Date*, & *Dabitur*. Sunt hi duo fratres uterini *Date* & *Dabitur*, à se mutuò inseparabiles; hujus unionis evidens testimonium præbet Monasterium illud, quod largis eleemosynis in pauperes erogatis, locuples evasit, iis verò subtractis, ad summam pauperiem defluxit, ut perhibet (1) Cornel. Querebatur hoc ipsum hospiti peregrino sordidus Procurator, sed ab eo veri nominis causam excepit: *Date*, inquiebat ille, & *Dabitur*, duo sunt fratres: vos primum, cui nomen *Date*, vestrò è cœnobio ejecistis; mox ergò ejectum fratrem suum secutus est comes individuus, cui nomen *Dabitur*; vultis ergò, ut iste ad vos revertat, ocius ab exilio primum revocate, & largas, ut priùs, eleemosynas distribuite. His dictis, vanuit ex oculis veridicus hospes, & saniora docuit euclionem. Nempe! à se mutuò pessimè separantur, quos insolubili gordio DEUS conjunxit. Efrons fuerit audacia, quâ binis hisce fratribus deus dicitur; dic enim, quâ fronte à Deo beneficia expetis, qui Deo petenti debita obsequia subducis? Certa promissio est, *Date & Dabitur*; non verba Deus dat rebus vacua, emar-

A. Date Dabitur sunt 2. germani fratres, à se mutuò inseparabiles.

(1) Corn. in Luc. 6.

cida, emedullata, & uno sui sonô grandia, quod passim hodie ex Galliæ meditullio transsumptum, ævi nostri pseudopolitici thrasonibus est receptum. Ita fidelis Deus est, ut nullum unquam decipiat, neque vanâ spe ludat amantem, ita liberalis Deus est, ut danti plus semper, quàm datum sit, rependat, pro hausto aquæ frigidæ amplissimam mercedem, pro modica eleemosynæ præbenda grandes in cœlo thesauros. Non sic benefacta terrarum principes resarciunt. Memorat Aristoteles (2) Dionysium olim Siciliæ tyrannum, regno tandem sui exauctoratum, & pro sceptro virgas vibrare jussum didascalum, cùm adhuc rerum potiretur, suam in Regiam nobilem cytharædum evocâsse, ut cantu suo omnem mœstitiam procul animô profligaret; sanxit cum eo hanc legem, ut quò doctius quò vivaciùs esset fidibus suis collusurus, eò etiam ampliorem esset mercedem relaturus. Usus est ingeniô suô cytharœdus, & omnes nervos intendit, ut quàm bellissimè Regi luderet; prœmiô amplissimô ad omnem artem & industriam extimulatus. Placuit Dionysio docto pollice mota testudo, ita quidem, ut palàm profiteretur, nil suavius unquam regiis auribus illapsum; Spe itaque regalis doni lactatus, altero die Aulam repetiit, promissam mercedem recepturus; at vidit, & spe sua enormiter frustratum; cùm enim regios vultus subintrâsset, his eum vocibus irruit tyrannus: & quæ tu debita, quæ pacta solvi urges? nunquid totum id, quod pollicitus sum, tibi actu persolvi? nunquid tibi par pari retuli, & pro voluptate mœsto affusa, mutuam voluptatem reposui, spem lucri maximam, sinu tuo receptam? i ergò, & quod tuum est, tecum reporta, vel si mavis, curabo, ut viam redeundi monstrent tibi satellites mei &c. Sic vacuis manibus aulâ excessit, cujus hodie vestigia premunt milleni, post exhaustas vires contenti, si viam soli, utut vacui, domum relegant. Nihil horum de DEO nostro somnietur, qui pro eo, quod paupertati datur, centuplum dare repromittit, lucrô ineffabili semper ad dantem resultaturô. Fingunt Poëtæ Pandoram, quam Hesiodus canit, primam mulierem fuisse, à Vulcano jussu Jovis fabricatam, & à singulis Diis peculiaribus donis instructam, Pallade sapientiam conferente, formam Venere, Musicen Apolline

(2) Arist. l. 9. moral.

B, Dei promissa sunt viva efficacia, & vera hominum falsa, emarcida,

C, Aulicum Deo gratias,

line, Mercurio eloquentiam; inde autem dictam esse Pandoram, quasi rerum omnium compendiosissimum donum, seu omni donorum genere cœlitùs instructam. Apage fabulam, quam pridem historiam fecit *Misericordia* in pauperes translata; hoc veri nominis Pandora est, omni donorum genere divinitus aucta, omni gratiarum charismate cœlitus exornata. Quidquid charitum & gratiarum, quidquid donorum ac præmiorum esse potest in ardentibus votis, hæc *Misericordia* ubertim pariet, pauperibus collata. Non veniant in quæstionem terrea, mundana. Quid felicius, quid exoptatius morte bona, morte beata? *date & dabitur*, quid? *mensura bona, conferta, & coagitata & superefluens* (3) mors fortunata. Sic omnes *Misericordiæ* devotos optimè jubet ultimo in articulo suo sperare in Veteri Lege Tobias, & in nova Vates Stridonensis. Ille sic (4) vaticinatur: *eleemosyna à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*: hujus vaticinium sic (5) sonat: *non memini, me legere, malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit; habet enim multos intercessores, & impossibile est, multorum preces non exaudiri.* Nunquam fortiùs homini orcus insidiatur, quàm cùm fracto corpore, totus homo ad mortem usque infirmatur; vis itaque totam stygem à moribundi lectica profligatam? *misericordiam* in pauperes exerce, & ecce canentem ociùs Psalmistam: *Beatus, qui intelligit* (6) *super egenum & pauperem.* Cur? *in die mala liberabit eum Dominus.* Et à quo malorum genere liberabitur? audi porrò: *Dominus conservet eum, & vivificet eum, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.* Innuit hic loci Vates Regius, dæmones procul in exilium agendos, cùm misericordiæ cliens moriturus se præparat æternitati; horum in vicem, pauperum patri potiùs Angeli assistent, qui aliàs perpetim latera stipant hominis misericordiæ additi, proùt fusè Barry (7) probat in pædagogia, ubi alia inter juvenem adducit, cui noctu ad ægrum pauperculum bellaria deferenti, spectabilis Angelus præluxit. Simile quid expertus quoque fuit S. Wandregisilus Comes; cùm enim se humi flecteret, ut propriis manibus stipem pauperculo erogaret, atque unà vestes suas lutô inficeret, adstans Angelus mox vestes infectas pur-

D. Eleemosyna veri nominis Pandora est, omnibus gratiis instruct.

E. Mortem conciliat beatam.

(3) Luc. 6.

(4) Tob. 4.

(5) S. Hier. Ep. ad Nepot.

F. Fugat dæmones.

G. Angelos allicit.

(6) Ps. 40.

(7) Paul. Barry. in Pædag. c. 2.

H. Optimè negotiatur.

purgavit, ut nec umbra maculæ remaneret. Quid multis? omnium locô unus (8) Chrysologus audiatur: *o felicissima negotiatio! pauperi terra datur, & cœlum recipitur: pauperi nummus expenditur, & regnum acquiritur: pauperi panis porrigitur, & paradisus obtinetur.* Formant adeo sibi spem minimè dubiam omnes *Misericordiæ* Clientes, omne bonum et cogitabile omne donum ac donarium in vita & post fata consequendi: nempe, fugam dæmonem, assistentiam Angelorum, mortem felicissimam, vitam post fata beatam, verbô, pro terra cœlum, pro nummo regnum, pro pane paradisum.

8) S. Chrysol. Ser. 8. & 36.

I. E contrario Immisericordia pessimam mortem conciliat, fugat Angelos, allicit dæmones, & orcum lucratur.

At nolim ultrà huic periochæ immorari, quam satis abundè explicuimus, cùm *t. 1. p. 1. Tub. Analog.* hâc ipsâ Dominicâ *Talionem Misericordiæ* describeremus. Erunt fortassis, qui ardentiùs scire gestiant, quid lucri ex immisericordia reportent barbari nobiles, efferi judices, inhumani prætores, ferrei officiales, asperi consules & feroces grammatei &c. Scribæ, advocati, qui non tantùm in pauperes nihil erogant, sed eos etiam premunt & deglubunt, torquent & defraudant, exsugunt & excoriant. Facili responso hæc curiositas abstervitur. Ex Aristotelis sententia, *contrariorum eadem est disciplina*, ergò si lucrum probè cepisti *misericordiæ* proprium, de de pariter *immisericordiæ* lucrum â contrario desumes. Quantum boni ex aurea in pauperes charitate hauriunt Misericordes, tantum mali ex asperrima barbarie sua truculenti carpunt Radamanti: illorum latera stipant Angeli; horum lateri hærent, horum itinera comitantur feroces diaboli, ut mox patebit; illi in Domino moriuntur, hi in dæmone vitam cum sanguine fundunt, illis post fata certus est cœlestis paradisus, hos mors truculenta necatos, corripiet tartarus, *ignis ubi ardebit sine delebilis ævo.* Illorum tumulus erit glorioſus, horum verò sepulchrum erit *phlegeton, stygis ampla vorago.* Da avarum sanguisugam, da pauperum tortorem, dicam pariter euchitem dari, qui in seipso characteres orci circumferat, imò totidem S. P. Aug. (9) *animatum infernum inferno similem vorans, qui eò plus desiderat, quò plus devorat; crescit inde potentia, crescit etiam pœna.* Fuit talis Euclio Evangelicus, durus & asper in miselios pauperes, quibus etiam micas subtraxit, pla-

(9) S. Aug. Ser. 61. ad frat. in erem.

can-

canibus pascendis, quàm saturandis pauperibus addictus. Nemo quærat, cur linguam suam dives ille amburi doleat, eam que gestiat guttula refrigerari, teste iterum Aug. (10) *uritur lingua pauperibus insultans.* Noluit quidquam in pauperes erogare euclio ille? nec afflictionem addere debuit afflictis, in mendicos diris ac trucibus vocum scommatis invectus: *uritur lingua pauperibus insultans*, per quæ peccavit, per hæc torquetur. Audiatur hîc denuò Aug. (11) *Si potes dare, da; si non potes dare, te affabilem præbe. Coronat DEUS intus bonitatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat, non habeo, charitas de sacculo non erogatur.* Vult dicere S. Pater neminem ab eleemosyna danda excusari, nemo dicat, nil habeo, piam da voluntatem, ubi opus deficit; da charitatem, & verbis pacificis dimitte pauperes; & ecce DEUS tam mitis est, ut piam dandi voluntatem, charitatem verbis exhibitam pro opere reputet - juva ut potes verbo & consilio pauperculos, & mitius tracta cum inedia luctantes, & jam dedisti, quod DEUS coronet. Id si euclio fecisset Evangelicus, fortè in orco sepultus non fuisset; at quia potius contrarium exhibuit, & se per ipsos pauperes ditavit, præda cessit tartaro, sepultus in averno. Hoc hoc assertum jam statui cepto hactenus ritu, tragicò quôdam exemplô fulcire, unde omnium aures tinniant, eorum maximè, qui ad urnam sedent judiciariam, ut quod æquum est, cuilibet decernant, interim iniquis sententiis justitiam violant & charitatem, jura statuunt impietati, pauperes mulctis onerant & tributis; qui cùm auri ardeant insatiabili cupiditate, causas procrastinant, lites trahunt, innumeris captiunculis, technis & sycophantiis instructi, dum altera pars improbè exsugatur, altera penitus ad inopiam redigatur; qui ut lucrum augeant, grandibus unguentis obliti jam protocolla evertunt, jam fallaces & mendaces literas subscribunt, jam uni parti assistunt, & clàm cum altera colludunt, jam totum judicialem urnam in proprium commodum convertunt, jam ex musca faciunt elephantum, ut enormem sententiam, verè bruta fulmina prægnantibus bursis præveniant &c. Talis erat, quem tecto nomine terni

K. Probatur ab Evang. Euclione.

10) S. Aug. Ser. 227. de temp.

11) S. Aug. t. 9. tract. de Conservat.

L. Per recentiorem tragœdiam confirmatur. Hist.

(12) S. Pet. Dam. in ep. ad Cint.
(13) Joseph. Balard. l. 5. hist. ex. 3.
(14) Cibl. p. 2. spec. n. 1756.
(15) Cassiod. in Psal. 73.
(16) Philo. lib. in Flaccum.
(17) Barth. l. omnes populi ff. de inst. & jur.
(18) Apulejus. l. 10.
(19) S. Hier. in Sophon.

describunt S. Petrus (12) Damiani purpuratus Ecclesiæ Pater, Josephus (13) Balardinus fide sua dignissimus Author, & post utrumque (14) Ciblerus. Nec nomen additur nec locus nec provinciæ nec annus, ut honori familiæ consulatur. Ultimo loco relatus vocat eum titulo omnibus advocatis commun *Legulejum* seu Legis Doctorem advocatum. Advocatus si fuit, illorum ex numero fuit, quos vivis coloribus depingit (15) Cassiodorus hunc in modum: *hi sunt, qui causas protendunt adhibiti, impediunt pratermissi, fastidiunt admonitti, oblivisuntur locupletati. Hi sunt, qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos, retrahunt transigenter; quos calamo suo innocentiam jugulantes* vocat (16) Philo. *Canes & curiarum voratores* (17) Bartholus, *togatos vultures* (18) Apuleius. *Arabia lupos, prada insatiabiles belluas*, (19) S. P. Hieronymus. Crediderim tamen eum sic dictum, quod ab advocatiæ officio, more huic aevo etiam recepto, promotus sit vel ad Prætoris vel ad archigrammatei, vel ad officialis, aut Notarii publici, ad Præsidis aut Syndici munus; actus enim, quos exercuit, & quibus enormiter ditavit, non puris competunt advocatis, sed judicibus urnariis & magistratibus; tales magistraticos actus paulò antè descripsimus, & erant sequentes: improbis sententiis justiriam violare lucri gratia, jura reprobis statuere, pauperes mulctis onerare, exactiones malè distribuere, protocolla evertere, literas viduitatis lurconi viro expedire vivente Berthæ conjuge &c. Hunc ergò seu advocatum seu rectius Judicem aut prætorem, nunc ritè baptizemus. Nomen *Leguleji* commune nomen est omnibus advocatis aptabile. Si fingere concessum est, dicamus eum posthac *Plutophilum* græco nomine, quod tamen rebus & actis ejus apprimè conveniat. *Philos* græcè *amans* dicitur, *Plutos* græcis duo Numina repræsentat, nempe *Plutonem* Deum averni, & *Plutum* Deum divitiarum, alio nomine etiam *Dis* dictum & *Ditem*. Utrumque hoc idolum *orci* & *auri* ita coluit *Plutophilus* & amavit, ut ex *Plut*opibus pessimè collectis nec nummum restitueret, nec obolum in pauperes erogaret, plùs ultra semper per fas & nefas pe-

culio

culio augendo immersus, & cum *Plutone* orci principe arctam familiaritatem, imò ipsam quoque fraternitatem contraheret, quæ tandem vitâ stetit duplicatâ, mortali simul & immortali, prout mox audiemus. Quot in se diras exciverit euclio ille *Plutophilus*, pronum est conjicere. Dicebant ei anathema magni, minimi, pauperes & opulenti; hos enim bellissimè depilavit, & illos usque ad probrosissimam restim ultimum desperationis actum promovit, ut Mammona crescerent iniquitatis. Sic plures agros & jugera campi corrasit; sic ædes & villas piceis unguibus captavit; sic bona rapuit aliena, ut se ac suos ditaret. Tenuit plures annos tyrannis ista, in tumulum usque duratura, nisi justò Dei judicio morte horridum in morem præoccupatâ cornuto fratri suo *Plutoni plutonia* præda cessisset, à stygio vespillone suis pro meritis in orco sepultus *Plutophilus*. Rarò hi pauperum tyranni & sanguisugæ fato naturali exspirant; utplurimùm mortem obeunt repentinam & violentam, quam tot rusticantium execrationes, tot pauperum imprecationes, tot civium ac viduarum vim & violentiam passorum Thyesteæ preces maturant. Hoc ultimum ut sic lucrum erat, quod ex suis populi gementis fatalibus pressuris & decumanis iniquitatibus *Plutophilus* reportavit pessima morte extinctus sanguisuga, sicut optima mori solent justi eleemosynarii ac pauperum patroni, justitiæ incorruptæ fideles administri. Accidit fortè, ut, cùm equò sublimis suam in villam duabus horis ab urbe distinctam *Plutophilus* contenderet, alius quidam forma exteriori Legulejum repræsentans, eâdem viâ ceptum iter perageret, illud ultra villam *Plutophili* propriè moliturus. Hic licet ignoti esset laris, ostendit tamen suo familiari colloquio, se tanquam forensem rabulam litibus serendis natum, jam pluribus causis linguam exacuisse, & lucra lucris accumulâsse. Lætus itineris sociò joviali & facundò, suam ad mensam foris decretam gratum hospitem propter communia studia peramicè invitat. Renuit hospes, iterum iterumque rogatus annuit tandem repetitis precibus, cum eo iter suum jocos inter & sales prosecutus, quibus tanta mutuò familiaritas contracta est, ut alter alterum etiam fratrem salutaret. Ah quàm præceps in amicitiam ruit Plutophilus? nihil

tam rarum & inventu difficile est, quàm veri nominis amicus. *Millibus ex multis unus vix fidus amicus; hîc albô corvô rarior esse solet.* Nulla via ita hodie trita est, quàm per amici fallere vultum. Et certè ut nullæ sunt occultiores, ita nec nocentiores sunt insidiæ, quàm in officii simulatione delitescant, serpenti frigore rigenti dum se tractari & palpari patitur, sua non desunt venena. Per magnam amicitiam maxima copia fallendi succrescit. Id si ullus unquam suspectus est, suô ante omnes alios exitiô didicit *Plutophilus*. Credebat iste se alterum Pyladen nactum esse, cui se ac sua candidè committeret; at brevi vidit cujus toni esset fraternitas. Joci jocis, sales salibus miscebantur, lepôrum & facetiarum una erat materia mutuis scommatis amplificata, ovium tonsura veri nominis lanionibus leguleis utplurimùm recepta, ac pellis humanæ medicinalis usus contra phtisin, eam maximè, quam inanes bursæ patiuntur, &c. ecce dum has inter argutias & hilares lusus de corio alieno inter suum prosequuntur, tremor subitus præcordia irruit *Plutophili*; obstupuit, gelidusque comas erexerat horror; vox faucibus hæsit; vidit enim subitò ex capite socii equitis cornua prognasci, oculos ignescere, nares in rostrum corvari, digitos in horridas ungues, pedes in bisulcas ferarum ungulas degenerare. Mutat præcordia iteratis crucibus; cùm enim Sacrorum osor esset continuus, sacratos Dei agnos è collo pendulos flocci fecit & contempsit. At frustra Crucem hosti objecit, quem ultrò invitavit, *turpius ejicitur quàm non admittitur hospes*, quem pro fratre suo agnovit, locô pellere non potuit. Fassus est ultrò vir comes, se dæmonem esse, at ne sodalitiô turbaretur, ultrò voluit ceptos sales & jocos resumi, paruit ad oculum *plutophili*. & licet intus totis animis tremisceret, videri tamen noluit pavorem animô concepisse; perrexit adeò telam prosequi de tonsura, de asini umbra, de corio humano, sed invitâ ut ajunt minervâ. Hoc inter ad casam ventum est ruralem, ubi mopsus recalcitranti porco iratus has in eum diras fulminabat: ut te Dii deæq; pervicax porce trisulco fulmine! ut de vivus rapiat diabolus! risit adhæc plutophilus & mox ad socium fratrem conversus hem audis quid Mopsus iste? cape prædam, tua est, tibi cum sacra devota, quid moras nectis? credebat hac ratione se stygio comitatu liberare.

liberandum, si porcum abriperet; at vidit se graviter deceptum; reposuit dæmon blando rictu in amicum reserato: necdum tempus est mi frater; non ex animo hæc fulmina vibrat Mopsus, sed ex pessimè inveterata consuetudine; ideò tantus non est, quia seriò animô mihi hæc præda devota non est, adhæc porcinam non esurio, spero adipaliora, animas hominum esurio, quibus tamen nunquam exsatior. Vade rape, unum cape tuo in capitolio plutophile, debebant hæc scommata mordacitatis plena plutophili præcordia penetrare; sed qui hæc hausit cribrosis auribus, ad imas animi fibras non admisit acerbos sales, & eminus intentatum fulmen. Ventum est ad alias plures sibi contiguas ruricolarum casas, ubi ex prædominante ira in discolam prolem; hæc altum lacrimanti puerulo imprecari audita est lurida mater: ut te stygius auferat Alastor! ut te hinc vivum dæmon abstrahat, nisi velis clamores ac gemitus reprimere! alteris ergò vicibus à plutophilo diabolus solicitatur: hem paulò ante tibi desipuit porcina, nunc tibi anima devovetur, rape quòd tuum est & vade. Risit adhæc stygifax & cramben reposuit antiquam: necdum tempus est. Non ex animo Mater loquitur, voces has præceps ira eructat; & quid prodest infantem rapuisse, cujo animam labis puram mox sibi vendicant Angeli, meliora exspecto. Sic naso suspensus aduncô & hic spe sua excidit plutophilus. Ventum est tandem ad pagum satis populosum, in quo plures erant, qui causâ suâ per Plutophilum dejecti, opibus suis & fortunis, artibus ejus enormiter mutilati, aliqui propè ad incitas sunt per ipsum hunc sanguisugam redacti, fisco per vim addicti, unde suam inanem bursam grandibus bolis tumefecit. Viso itaque hoc sanguisuga omnes ocius concurrere, omnes unis vocibus quævis dira imprecari, en execrabilem atheistam! en pauperum oppressorem? ruricolarum avernalem tyrannum! ut te diabolus ex equo tuo præcipitet! ut te cum anima & corporis trunco in orcum rapiat belzebub! ut te tandem pro meritis tuis in mille frusta tartareus dæmon discerpat! latro, fur, nebulo, carnifex, orci sperma, averni victima, publica pestis, pauperum sanguisuga! horruit ad preces istas & vota plutophilus, rifit tartarus & mox verso ad eum vultu: audis quas pro te preces fundant tributarii tui & vectigales, quos ad ultimam sanguinis guttam exsuxisti, hi ex animo loquuntur, & de totum stygi devovent

M. Vis & Virtus imprecationum.

vovent flagrantibus desideriis: jamjam tempus est frater mi, hunc malitiæ tuæ terminum posuit Altissimus; jam tempus est. Audiit horum diras imprecationes Deus, & te mihi prædam indedit, vade nunc & meus esto hospes in orco. Dixit hæc stupentibus rusticellis phlegeton & mox in teterrimum dæmonem transmutatus equum cum sessore abripuit, coram toto pænè pago hoc ad spectaculum effuso, in aëre spectantibus rusticellis equum & corpus Plutophili in frusta dilaniavit, & animam impio corpore concluſam secum rapuit Acheron. Hæc summa tragœdiæ, quam cum euclione isto plutus lusit & pluto.

Opt. AA. sunt aliqui hôc ævô ita ferrei, ita obturati hominùm Timones, ut, nisi signa viderint & prodigia, quibus surſum arrectæ stent comæ, nec flecti, nec emolliri se patiantur, ut miriis agant cum subditis, cum pauperculis, habent proin hoc in plutophilo, quod suspiciant, quod timeant & revereantur. Nolunt vitam claudere fatô ita tragicô, execrandô? omnem avaritiam, omnem vim ac perfidiam, omnem barbariem ac truculentiam animis proscribant; omnem iniquitatis Mammonam procul à se profligent, & prompta charitate in Domino pauperculos amplectantur. Dent potiùs ex proprio, non ex alieno, & dabitur illis vicissim mors beata, mors fortunata, mors Angelis stipata, mors gratiosa, & post hanc vita mori nescia, vita omni bonorum aggregatione perfecta, omni deliciarum genere instructa, vita perennis & immortalis vita in secula seculorum. Amen.

CON-

# CONCIO XXVII.

# DOMINICA II. POST PENT.

*Uxorem duxi. Luc. 14.*

## Ilias Malorum.

MAjus jugum ac ponderosios crux non datur sub sole AA. quàm jugum connubiale, quod virum inter & fœminam vi vinculi conjugalis intercedit, ab utroque paribus humeris ferendum, donec altera compars tumulum irruat. Hanc thesin partim in Tub. Analog. hist. hodie, partim in Tub. Clem. festo S. Andreæ abundè probavi. Hipponactes Solphista dicere auditus est, conjuges binis tantum diebus serenis ac deliciosis gaudere, primum diem esse nuptialem, quo die omnia deliciis inundant: alterum esse diem funeream, qua vel maritus vel uxor ædibus efertur tumulo inferendum funus; *reliqui dies omnes sunt ærumnis oppleti.* S. Greg. Nyss. (1) Statum conjugalem mari comparat, in quod omnes alæ aquæ, fontes & torrentes refluunt; *ita sanè in conjugio omnium calamitatum nomina reperias.* Hæc ratio fuit, cur olim apud Ethnicos gentiles festo nuptiali undique in ædibus scuta & loricæ muro appenderentur; innuebant hoc ritu, qui conjugio ligari velit, pluribus scutis & loricis armandum esse; unum non sufficere, ut omnes possint ærumnæ conjugio annexæ sustineri. Ita jussit Salomon, ut in lib. Reg. (2) legimus, ducenta scuta totaliter aurea regiis è muris suspendi: *posuit ducenta scuta ex auro purissimo.* His patientiæ scutis tunc vel maximè opus est, si vel virum vel feminam spiritus zelotypiæ corripuit. Majus malum conjugatos infestare non potest, quàm si hæc æmulatio thorum connubialem irrepat, ubi osor unitatis dæmon die noctuque talem suspicionis flammam plùs ultrà incendit

A. Jugum matrimoniale est gravissimum.

(1) S. Aug. Nyss. l. de Virg. c. 13.

B. Est omnium calamitatum sentina.

(2) 3. Reg. 10.

(3) Cant. 4. cendit & insufflat. S. Script. (3) comparat Zelotypiam ipsi orco *dura sicut infernus æmulatio.* Sit connubium vivax potius paradisus, at grassante Zelotypia, in orcum migrat paradisus pessima metamorphosi. Tertul. (4) disertè meminit, omnem patientiam requiri, ut femina virum Zelotypum, vir vero Zelotypam uxorem suam sustineat. Rogatus olim Protagoras Sophista, cur filiam suam hosti suo acerrimo nuptui tradidisset, paucis reposuit, *quia nihil ei dare poteram deterius.* Sic probè ultus sum injuriam mihi ab hoste meo illatam; nihil ei dare poteram deterius, quàm filiam meam. Novi eam intus, ut ajunt, & in cute; procari & lupari, vagari & græcari canis didicit, & nihil unquam se passa est dedoceri; sic hostis meo perpetim erit cum filia mea luctandum, lucrô perniciô. Corripiet eum Zelotypia, & animos rancor irruet, ut centies mori malit, quàm ita feroci belluæ convivere. Absciat nonnemo, quanta malorum ilias ipsum sit in conjugio exceptura, antè citeriorem peteret Ægyptum, quàm se hoc gordiô constringi pateretur. Sciat pariter femina, quotuplex væ sub connubio delitescat, nunquam sanè auream libertatem Crœsi opibus divenderet. Sisto hodie in hac periocha, & ostendo, quantô jugô uterque conjugum prematur, si opera dæmonis alterutrum impetat Zelotypia. Assumo hunc in finem veri nominis tragœdiam, quam quidem Aventinus suus in Hist. Boica fusè describit; at nollem hanc tragœdiam in publicum producere, si solus eam luci dedisset Aventinus. Multa narrat Aventinus sine basi, sine fundo & fundamine; ideò viri hujus testimonium tanti non est. Ita nempe a prudentibus & sagacibus ingeniis, veri studiosis passim expenditur calamus ille, qui alterius in gratiam veritati parcit. Sic fides perditur, atque id ipsum sæpè, quod reipsa verum est, in dubium vocatur, quia hæc dixit ille & ille fucorum propola, auceps gratiarum, sanctæ veritatis politicus vespillo. De historia nemo dubitet. Scripsit eam præter Aventinum Virus (5) Eberspergensis. Hundius (6) in Metrop. Salisb. & omnium celeberrimus Author Raderus (7) in Bav. sua, qui solus expleat omnium authoritatem.

C.

Ilias malorum est Zelotypia. Probatur per Ludovicum Boium Hist.

(4) Tert. l. de Nation. c. 4.

(5) Vit. Eberspergin an. 1255.

(6) Hund. in Metrop. 215.

(7) Rader. in Bav. Sanct. p. 2.

Annô Domini 1266. Ludovicus Severus Bojorum Dux, Comes

Comes Palatinus Rheni in Conjugem accepit Mariam, Landgravii Haſſiæ & Thuringiæ filiam. Erat hæc Virgo non tantùm formâ, ſed moribus etiam ac virtutibus pretioſa. Fuit ſat diu lætum ac felix Matrimonium hoc, plùs ultrà felicitandum, modò domi manere potuiſſet Ludovicus. Rarò ſine damno, ſine infortunio ſuam domi ſolitudinem tuentur conjuges, Viris interim foris graſſantibus. Utrinque rerum diſcrimina mille ſimile connubium infeſtant, ut nuperrimè monui 3. Dom. poſt Paſcha Tubæ hujus. Hoc ex capite præſens etiam conjugium irruit *ilias malorum*. Infeſtabant tunc temporis Rhenum magnô numero truculenti prædones; unde nec tuta erant itinera, nec ulteriùs ruri contra prædatricem hanc luem ſua poterant ruriculæ tueri. Ut ergò prædones illos Rhenô proſcriberent, & in tuto Rhenanos locarent, urbes Rheno adſitæ cum Ludovico Bavaro fœdus ſanciebant, vi cujus totas provinciæ ſuæ vires ad Rhenum deduxit, & in nefaſtos tenebriores ita feliciter armis irruit, ut plerosque vel mactaret vel in fugam profligaret. Rhenanis priſtina tranquillitate reddita & reſtituta pace. Agebat ſextum ac vigeſimum annum ætatis ſuæ Ludovicus, cùm ad Rhenum magnô viarum intervallô à Boica diſtinctus contra prædones ſtygios militaret, Conjuge ſua interim Donowertam collocata. Uſus eſt hâc Conjugum diſtantiâ dæmon, & ſtatuit eos inter enorme incendium ſuſcitare, nonniſi fuſo ſanguine ſopiendum. Exarabat Maria Ludovici abſentis Conjux data opportunitate commoda binas literas, primas Ludovico ſuo, alteras Ructoni Comiti, ex Wittelſpachii ſtirpe prognato ac omnium primo Aulæ Palatino, ſanguine Duci juncto inſcriptas; cùm autem omnium literarum rudis eſſet nuntius ſtudiô literas diſcriminavit, ad Maritum datas rubra cerâ ſignabat, ad Comitem deſtinatos nigra cerâ occludebat. His literis Ruchoni decretis nil præter ſalutem, & iteratas pro acceptis beneficiis grates Maria commiſerat; illi enim poſt Deum in acceptis retulit nobiles Nuptias cum Ludovico Boico celebratas. Non ſine cauſa literæ ad Ruchonem cerâ obſignatæ ſunt nigricante, rubrâ verò ad Ludovicum exaratæ. Poterat hinc omen ac præſagium deſumi grandis tragœdiæ his è literis pro-

D. Scintilla modica grande incendium ſuſcitat.

prognascituræ, & fundendi curoris. Cùm itineris terminum Nuntius attigisset, ordinem litterarum invertit, & literas Ruchoni deputatas obtulit Ludovico, Ludovico inscriptas tradidit Ruchoni. Hem levem scintillam, quæ tamen in enorme incendium erupit. Quot in litteris Ruchoni deputatis sed per errorem nuntii ad Ludovici manum devolutis, erant apices & puncta, tot piceos & stramineos fasces, ac ligna foco ampliando stygius suggessit Alastor. Animus præceps Ludovici & effervescens ætas non poterat primos motus reprimere, quin lectis litteris novos ignes excoqueret. Quid hoc? inquiebat secum, nunquid hæc manus propria Conjugis meæ? nunquid hoc sigillum est Ducissæ? Siccine Ruchoni scribit? me negligit? quid mali à me conjux mea, ut aulæ meæ Palatinum plus diligat quàm meipsum? Hunc animo glisscentem focum ita sedulò dæmon fovit & reaccendit, ut tandem in horribile incendium & luctuosissimam tragœdiam exposceret. Decrevit ocius Ludovicus irâ verè fulmineâ correptus, atrocissima ultione injuriam, ut credebat, thoro regio per Ruchonem illatam vindicare. Primus in quem Ducis furor desæviit, erat nuntius, quem tanquam lenonem & seductorem, licet actu esset innocens, jussit capite truncari Ludovicus. O stygia suspicio! *quia non mortalia cogis pectora?* quas & quantas clades & strages moliris? Non potuit unô fatô, prædominans furor tranquillari; plùs ultra in obvios grassatus, plures etiam ex domesticis fidei corripuit & confecit. Nuntio prorsus innocuo præcipitanter occisô, novis furoribus à tetra styge succensus Princeps, relictis castris, belli ductoribus insalutatis, negotiis publicis procul à se rejectis, equis citatissimis, tribus tantùm stipatus, Donawerdam excurrit, ac præter omnium exspectationem, irâ æstuans & vindictâ arcem irruit. Horrebant omnes ad omnem ferociam præter morem compositos vultus, ignari, unde tantos irarum focos animô concepissет. Hæc inter summa cum exspectatione observant tremuli, quem exitum tam ferox animô ebulliens furor esset sortiturus; currit inter alios obviam Principi suo promptè obsequia sua delaturus arcis præfectus, & ecce vir innocens, vitæ integer scelerisque purus, mox satellitibus tradi-

E.
Iræ præcipitis mala horrida.

traditur coràm mactandus, quasi sua cum conjuge collusisset, ut fracta thori fide spurios amores sectaretur. Tertium funus erat ipsa Conjux, cui cùm paucia impia cum Ruchone commercia exprobrâsset, ferrum pariter in hanc expediri jussit; excusabat se Maria humi fusa Divûm hominúmque fidem implorabat, suam innocentiam testatura, unum id Ducem ac Maritum orabat, ne irâ tam præcipiti in cædem rueret insontis, daret animo spatium, in alterum diem judicium causæ prorogaret; at clausæ erant ambæ aures obstrepente ira; conjuge frustra orante, tota aula frustra deprecante, ocius in mandatis dedit spiculatori, ut adulteræ conjugis caput ferrò percuteret,& caput ejus à cervicibus resecaret. Sic iræ ruit victima iñocens Maria, quã impensissimè semper dilexisse visus est Ludovicus. Erunt, nî fallor, hîc quamplurimi, qui Divinæ providentiæ mirabilem ordinem obstupescant dicantque: cur quæsò justus Deus tot innocentes acerba morte tolli permisit? cur horum innocentiam non detexit? non defendit? Opt. AA. Idem de Martyribus dici potest aut cogitari: cur tot millia pro fide passus est trucidari? ita nempe suos è terris in cœlos justum ac pium Numen sublimat; ita suis post nubila phœbum largitur, post tot acerba vitæ hujus tormenta gloriam & immortalem coronam; sic pariter Mariam tam atroces injurias æquanimiter passam ad cœlos evocavit, ubi hodie alios inter Bavariæ sanctos Cœlites, quibus actu annumeratam Mariam Raderus prædicat, gratiâ & gloriâ triumphat, Boicæ Patrona. Ludovicum contrà tot cædibus crucentum trahere voluit Clemens Deus ad vitam, dignis pœnitentiæ fructibus comparandam, aliis omnibus ad cautelam tot innocuos proscindi passus, ut malò discerent alienò, iram reprimere, & dum intus in animo gliscit furor, nihil aggredi. Jam ergò triplex homicidium, imò quid triplex dico, jam multiplex homicidium patravit Ludovicus; cùm enim nuntium occideret, unà etiam pauperem illius uxorem ac liberos interemit, qui se, nuntiô è vivis exemptô, alere non poterant. Cùm arcis præfectum virum Nobilem ac innocentem mactaret, unà nobilissimam illius Conjugem ac residuam prolem visus est trucidare. Ah nunquid tanto sanguine sedari debuit furor?

F. Cur tot innocentes cædi passus est Deus?

furor? at potiùs oleum credas irarum foco affusum, unde flamma crevit immensùm. Non stetit hæc inter funera furor barbarus & truculentus. Cùm obviam haberet Helicam nobilem gynæcei Virginem, hanc tanquam mutuæ familiaritatis cum Ruchone contractæ conſciam, pugione transverberavit ipſe Princeps; tandem pari funeris caſtrô percitus etiam Aulæ præfectam lectiſſimam & innocentiſſimam matronam exaltatum præcipitem agi juſſit. Solus Rucho cognito errore & Principis iterata cæde monitus, ſalvus abiit & exceſſit, ubique tam ſuam, quàm cæſæ Conjugis innocentiam verbis, lacrimis & publicis tabulis conteſtatus. At quid Ludovico accedit tot cædibus cruento? prima nocte cædem ſecuta tantis curarum fluctibus agi cepit Ludovicus, ut non tantùm capere ſomnum non poſſet, ſed urgentibus cæſorum manibus totam noctem inter aſſiduos metus & horrores exigeret, ita quidem, ut qui tum primum & vigeſimum agebat ætatis annum, ſole orto totus caneſceret & ſeptuegenariô majorem ſeniculum referret. Perſpexit inde ſerô nimis iræ truculentiam & iterati facinoris horridam immanitatem; erubuit tot malis preſſus, & vox faucibus hæſit attonito parricidæ. Ita nempe quæ futura ſunt rarò proſpicimus; quæ malè acta ſunt tunc primùm exhorreſcimus & execramur, cùm factum infectum fieri nequit. O quoties in ira dicuntur, in ira excuduntur, quorum paulô poſt ſibi reddi-tos ſubeat pœnitudo. Viſis tot funeribus, vix ſeipſum ex tanta ſcelerum atrocitate ſuſtinuit. Singulis cadaveribus tumulo illatis exanime Corpus Conjugis ſuo S. Crucis Templo Donandum tæ commiſit, ipſe vero habitu peregrini aſſumpto Romam ad ſummum Pont. Alex. 4tum pedes contendit, delicti multipliciſ veniam à Clemente Deo per illius in terris Vicarium exoraturus.

G. Ludovici fera pœnitudo.

Diſcant à Ludovico temerariæ ſuſpicioni, præceſſinæ judicio, ac prædominanti iræ omnem aditum in præcordia obſerare, omnes ſoluti & vel maximè connubiali vinculo ligati conjuges. Diſcant à Ludovico, nullum unquam reum pronuntiare, niſi pars delatè probè prius ſit audita. Datum fuiſſet nuntio, vel verbulô innocentiam tueri, ſole clarius patuiſſet, quàm impia judicia excoqueret Ludovicus. Dediſſet locum juſtis precibus cæſorum, & in alterum diem ſcelus vanis ex literis depromptum tranſtuliſſet, omnia & ſingula prius ad trutinam vocâſ-

vocâſſet, aut de perfidia ſuſpectos quæſtioni ſeriæ coram teſtibus ſubjeciſſet, innocuos cæſorum mores manibus palpâſſet Ludovicus. Jam verò ut iræ graſſanti ſe totum permiſit, cædes cædibus auxit, unde nihil reſtaret aliud quàm perennis infamia, & conſtans pœnitudo. Pro facienda ſatisfactione juſſus eſt à Summo Pont. Patribus Carthuſianis in Boica cœnobium extruere; at cùm in tota provincia tunc temporis nullum eſſet ordinis hujus monaſterium, mutata Pontificis mente notioribus Patribus de Ciſterzo ſeu Bernardinis in campo principi vulgò Fürſtenfeld nobile clauſtrum erexit & dotavit. Jacet propè in medio Monachium inter Boicæ Regiam & Auguſtam Vindelicorum Urbem Imperialem. Vix ædificium abſolvit, pio etiam fato Ludovicus conceſſit. En quàm verè dictum ſit per antiquos: parva ſæpè ſcintilla grande incendium excitavit. Hic paucæ aliquot lineolæ literis inſertæ, hebes nuntius & epiſtolorum transmutatio tantam poterant tragœdiam maturare, alibi ſæpè prægrandem iram inflammat jovialis facetia, nutus oculorum perperàm explicatus, fermo improvidus, cui nimis propera fides defertur. Caveant proin ipſi conjuges, ne alteri vel minimam præbeant occaſionem, aliquid pravi de ipſis ſuſpicandi, multò magis caveant, ne ipſi ob minimam cauſam de altera comparte ſua vel vicino ita properè ſuſpicentur. Id maximè conjugatis obſervandum eſſe, pridem monuit (9) Hier. his verbis: *crebra munuſcula & ſudariola & faſciolas & veſtes ori applicitas, ac deguſtatos cibos blandas & dulces literulas, ſanctus Amor non habet.* Ex his potius aliquid ſpuriæ Veneris eruitur, ſimilia multis vitâ ſteterunt mortali. Notum eſt, quid S. Itæ acciderit; hæc annulum digitô exutum depoſu t, quem avis rapuit ex feneſtra, & tandem Itæ ſtabularius reperit ac velut fortunæ faventis ſymbolũ digito ſuo inſertũ geſtavit. Vidit eum herus, mox crimen adulterii ſuſpicatus, cœco impetu reum dixit famulum, eumque equi caudæ alligatum rapi per avia juſſit & diſtrahi, conjugem verò è Tokenburgenſi arce ac turri, in ſubjectas petras præcipitari juſſit; at quam Angeli ſuſcepe-rant, ei etiam cervus præluxit, ut prodigioſè ſervatam in eremum abduceret. Hîc loci Deus more ſuo in occaſionem ſanctioris vitæ præcociis iræ delictum & iniquam ſuſpicionem deduxit. Incidit tandem in hanc cœleſtem prædam venatione diſtentus

H.
Zelotypiæ nulla detur anſa.

(9) Hier. ep. 2. ad Nepot.

I.
Annulus ab avicula raptus horridam tragœdiam excitat.
Hiſt.

conjux, & serò nimis in tellexit, se in præcipitanda uxore, nimis præcipitem extitisse. Ah! retrò Helvetia lustretur; Deum bonum! quantam tragœdiam unicum par ligularum Basileæ lapsô seculô excitavit. Vidit ex famuli pileo pendere ligulas herus, quæ cùm simillimæ forent illis, quas nuperrimè uxori suæ dedit, ocius irâ succensus, servo foras profecto, nocte in tempesta gravidam uxorem confodit, inde filiam quoque vix quadrimam interemit. Mox epistolam ad Senatum scripsit, & è summa ædium suarum parte se præcipitem dedit ut cervicem frangeret & truculentam mortem obiret. Epistola illa hæc continuit: quid tentâsset, & cur vim conjugi suæ proli sibi tandem intulisset. Licet jam funus esset, de eo tamen sumptum est suppliciũ, & corpus ejus fractis ossibus sublimi rotæ impositum est. Sic (10) Surius. Hem tanti potuit ruralis ligula, vix obolo digna, quam suam esse credidit; quasi verò non alia illi similis emi potuerit, aut ruralibus ex nuptiis adduci. Sic nempe zelotypia cœco impetu abstracta nihil examinat, et musca facit elephantum, & omnia circa uxorem, aut virum in pessimam trahit suspicionem, quam instigante diabolo strages excipiat horrida; nisi tam enormibus malis maturè scias obviare.

K. Item par ligularum.

(10) Sur. in Chron. ad an. 1528 Hist.

Non sine causa hanc olim legem posuit (11) Tiraquellus: *Conjuges zelotypiam tanquam pestem omnium teterrimam pernicioſissimam, exitioſissimam fugiunto.* Subinde prognascitur hæc misera æmulatio à loci genio & natura. Sic Bodinus meminit zelotypiæ vitium esse vel maximè Italis proprium & Hispanis, ubi minimum viri alieni cum alterius uxore colloquium stomachum movet marito & zelotypiam accendit: Alibi hæc æmulatio notabili vesania ortum trahit ut credant stolidi uxores suos aliis pariter amabiles videri æquè ac ipsis; hinc non illas salutari volunt, nec in publicum prodire, quin si templum petunt, jam metuunt, ne cornutum faciant maritum. Domum sæpius vicini subintrant? jam carneos fures autumant irrepsisse. Hæc *cogitatio ſtulti peccatum eſt* inquit (12) Sapiens. Quin diceret stultitiæ notam sæpenumerò esse zelotypiam. Alias etiam proprio ex defectu sua non rarò principia haurit æmulatio; ita facilè alteri scelus imputant, quô ipsi sordescunt. Abulensis (13) observat huic pravæ suspicionis seu zelotypiæ vitii plus subjectos esse viros in feminas, quàm feminas in viros. Gale-

L. Zelotypia ut pestis vitetur, unde oriatur?

(11) Tiraq leg. 16. connub.

(12) Prov. 24.

(13) Abulens. in c. 18. Matth.

mus

Galenus fœminas prægnantes hoc morbô asserit laborare. Ut plurimùm tamen si juvenes pueri ac puellæ connubiô ligantur, facilis inter eos diffidentia movetur, tunc maximè cùm patulæ aures detractoribus & detractricibus exhibentur, & audita intus in animo excoquuntur, non consulta parte delata. Hæc discretè sociæ parti communicarentur, millies dæmonem connubii turbatorem ambabus prehenderent. Idem periculum impari conjugio unitos attingit, ut si juvenis vetulam, vel anus rugosa ducat imberbem strobilum, senecio virgunculam. Tandem hôc malô sæpè Deus matrimonia piperat, quæ sunt contracta invitis aut insciis parentibus, aut fine pessimo. Sic luunt scelus inobedientiæ, scelus irreverentiæ in parentes commissum, licet contractum non possint invalidare; sic matrimonii abusum Deus vindicat immisso spiritu zelotypiæ, quæ heteroclitos amores in odium vertat & assiduos rancores.

M. Quomodo tot malis obviandum.

At quibus modis omnibus his malis obvietur? sit inter Conjuges mutua semper ac fida communicatio eorum, quæ sunt audita &c. quæ visa. Nullus iræ locus detur, nulla suspicio sedem figat in animo, antequam discretè totum iræ objectum sit comparti detectum. Cogitetur hic & oculos nostros falli posse & aures; ut quid ergò tam propera fides deferatur: pallium in manibus lupæ à Josepho vet. test. relictum poterat reum agere Josephum, sed malè. Oculi sunt decepti. Uxor erat rea, non castissimus Josephus. Prostat hic loci omnibus exemplum ab altero novi test. Josepho profectum, qui maluit suam reliquere, quàm ut sequiora urgeret, indignum se reputans tanta Virgine, quam cœlum irrorâsset. Discant hinc omnes hôc malô pressi firmam patientiam, olim à Deo ubertim coronandam, si hanc matrimonii Crucem exemplo S. Josephi ac sponsæ illius, exemplo S. Itæ & aliorum æquanimiter portârint.

Coronidis locô omnes illos moneo, qui matrimonii statum amplecti cogitant. Ne præproperent hoc negotium, sed totum cum Deo, cum SS. cum Angelo Custode, cum parentibus & probæ notæ hominibus transigant, ne sera pœnitudo, noxia æmulatio malorum ilias animos irruat; quod malum ab omnibus conjugandis clementissimè Deus avertat! Amen.

Concio

# CONCIO XXVIII.

# DOMINICA III. POST PENT.

*Everrit domum. Luc. 15.*

## Opum furiosa cupido.

PRæsens Evangelium Opt. AA. nobis hodie spectandam exhibet feminam, cujus tota opum substantia decem stabat denariis concluſa, quorum modò unum dicitur perdidisse. Nummus iste tantas in curas & angores feminam conjecit, ut nec ante locum daret quieti nec somno, quàm denarium reperisset. Scriptura inquit, eam nocte adhuc intempesta lucernam accendisse, & omnes ædium angulos explorâsse, ut perditum nummum investigaret, quem tandem sumo cum gaudio recepit. In hac parabola probè notetur ritus loquendi Sacræ Scripturæ usitatus, ut eam ritè proponeret, duplici termino utuntur Biblia Græca, unde suam elaboravit Scripturam Hieronymus, dicunt signatè, hanc feminam domum purgâsse, omnes ædium angulos excussisse, ut perditum denarium inveniret, *iconsari*, quod idem fuerit, ac *domum everrit*. Contrà verò Biblia Latina, maximè Antverpiense, Lugdunense & aliquot Missalia expresè dicunt *evertit domum*, sensu longè diverso à priori, qui purè fuit græcus & Hieronymianus. Quis horum primam attigit veritatem? quis sensus Scripturæ fuerit genuinus? *everrit an evertit?* in Scriptura Germanica primas habet vox *everrit*, & sanè credibile est, feminam hanc sedulas accepisse, ut nummum reperiret; quis enim providum dixerit & prudentem, qui uno pro nummo aut nummi lucro totam

A. Morali sensu etiam ritè legitur scriptura hodie, evertit domum, pro everrit. Id multoties præstat avaritia.

totam domum diruat, evertat? Dicetur potiùs talis ſocienus chorœbô ſtultior, ſi ut denarium inveniat, tot millia denariorum diſperdat. Interim locum ſuum in latinis Bibliis vox *evertit* tuetur, & nemo eſt qui vocem corrigat, neque ullus eſt ſacros intra parietes, qui menſæ lectores hypodidaſcala voce ad repetitionem compellat, ſi centies dicant *evertit domum* pro *everrit domum*. Ergò etiam hic ſenſus *evertit domum*, licet ſit contra græcum textum Scripturæ, ſua probabilitate non caret. Illa quæſit, nunc inquiremus. Crediderim ego, ſalvò majorum judiciô, Spiritum Sanctum per hanc vocem *evertit domum* veram avaritiæ indolem ac naturam deſcripſiſſe, ædium everſivam, niſi malis hiſce maturè obvietur, ut hac una ratione ab hoc enormi vitio multos mundi aſſeclas avocaret. Si ergò hæc femina in gratiam unius denarii non totam domum ſuam evertit & peſſumdedit, ſunt certè hôc ævô non pauci tantis opum æſtibus ſuccenſi, tantis avaritiæ facibus inflammati, ut pro nummi aliquot aureis vel totam domum ſuam ultrò diruant, vel dirui patiantur. Novi ego urnarium officialem, qui in colligenda contributione annua unum aut alterum ſeſtertium laxæ manicæ ſuæ properanter immiſſum, quò pauperem operarium aut ſimpliciores ruſticellos defraudabat, in lucro repoſuit & in ludo, dicere auditus tritum illud, *velocitas magiæ rea non eſt*. Taceo denarios, quos grandi numero majoribus urnis infida relatione ſubtractos burſæ ſuæ inſeruit. Accidit, ut ſubdito centum philippeorum mulcta pro graviore delicto imponeretur, quindecim florenos intulit Rationum libro, reliquos ſibi ac ſuis adſcripſit; alias plures mulctas clanculô dictatas penitus ſuppreſſit, ut ex his & aliis numerô innumeris impius creſceret mammona. Maturuit tandem centies furcam meritus raptor iſte & æris alieni ſordidus depeculator, gradu ſuo & officio ſolenni dejectus, horis perperam corraſis exutus, publicâ infamiâ notatus, & in ordinem redactus prædo. Nunquid hoc eſt lucri gratiâ totam domum ſuam *evertere*, ſe ac ſuos etiam benè partis orbare, tanquam per malè parta peſſimâ phtiſi pariter infectis? Tales exitus iniquitatis mammona pænè quotidie ſortitur, neque tamen tot malis edocti ſapiunt eucliones. Voluit ergò Spiritus Sanctus

B. Hæc in terris hæc in cœlis ædes ſubruit.

ctus omnes ac singulos monere, ne, si affluant divitiæ, corda sua divitiis apponant, nec locum dent pravis cupiditatibus, in id unum perpetim intentis, ut anima cum corpore tetræ stygi victima immoletur. Signavit DEUS ipse nobis digitô suô aulas cœlestes, ac ædium palatia, nobis in cœlo habitanda (1) *in domo patris mei mansiones multæ sunt*, quas toties sibi ultrò subruunt & evertunt pessimi eucliones, quoties bonis inhiant alienis, ut per varias iniquitates suam avernalem crumenam saginent. Quàm splendida domus humili Francisco sit in cœlis erecta, Surius (2) bellè describit in Vita. Hanc inclytam domum meruit humilitas ejus, & assidua corporis & carnis mortificatio, pœnitentiæ indefessæ ardens Studium, licet nihil ageret, cujus posset Franciscum pœnitere; Similem domum & nos mereri possumus, si vitam vixerimus Divinis Legibus conformem; si candidè cum DEO, sincerè cum proximo egerimus; at hæc cœlorum palatia nostræ Virtuti erecta, has cœlicas habitationes nostræ innocentiæ decretas, has lucidas, has aureas ædes piis mentibus præparatas, nobis centies, imò millies destruit, evertit *opum furiosa cupido.*

(1) Joan. 14.

(2) Sur. in vit.

## *Corraduntur opes, irritamenta malorum.*

C. Nec Deo, nec Superis parcit avaritiæ.

Ubique vox illa execrabilis sonat, resonat: *O Cives cives, quærenda pecunia primùm est, Virtus post nummos &c.* ut argentum per fas & nefas amplietur, jam pudori valedicitur, jam justitia conculcatur, jam omnis timor abjicitur, jam omnis amicitia ejuratur, jam omnis consanguinitas proscribitur, jam omnis conscientia tumulatur. Verbô:

*Vivitur ex rapto; non hospes ab hospite tutus,*
*Non socer â genero; fratrum quoque gratia rara est.*

Ferrea dixerim secula, neque unquam flagitiorum feraciora, quàm cùm aurum producerent & disseminarent; inde omnis ration-

ratione ac judicio homines ſpoliantur ; inde omnis Religio extinguitur ; inde cœli totius oblivio introducitur ; inde nec ipſe DEUS curatur. Experta eſt hoc ipſum lapſis annis inferior Boica , ubi fortè Suecô unà cum Gallo per Imperium graſſante , ſacerdos equô vectus in milites incidit prædones; juſſerunt hi ocius, & equo ſuo Parochus valediceret. Rogabat Curio DEO ſaltem parcerent , quem è collo pendulum ægro Viaticum geſtaret ; at ſurdis fabulam occinuit ; quin unus militum in blasphemas haſce voces erupit : moras quid nectis ? hoc ſi jumento tua etiam MARIA ſuo cum Infantulo in Ægyptum veheretur , non parceremus , deſcende , & in pedes te dato , nos equites manebimus. En! quò blasphemum os ſcelus rapuit!

At quousque nos avaritiæ rapit & turpis euclionismus? ad noſtros opum aucupes & inſatiabiles pecuniarum voratrios revertimur. Olim 30. denariis DEUM hominem Judas vendidit , decem circiter florenis noſtræ monetæ ; at hoc ævo ita crevit *opum furioſa cupido* , ut vel hodie reperias, qui etiam crucigerô, aut ſeſtertiô DEUM vendant, DEUM ejurent. En ut ille mercator unius ſeſtertii gratiâ per mare, per terras, per cœli Numina jurat, ſibimetipſi pluris merces ſtetiſſe, quàm offerat nundinator? ut ſe ſtygi hoſpes ille aut opifex totum devovet unius crucigeri causâ ! ut equiſo ille pro denario DEUM atque ſuperos blasphemat ! huc malorum pravos & pecunioſos homunicones extimulat *opum furioſa cupido.* Ah ! quàm miſerrè quàm impiè nonnunquam CHRISTI patrimonium prodigitur, quàm iniquè, quàm ſacrilegè Eccleſiarum reditus, hoſpitaliorum cenſus dilapidantur ! quàm furaciter mutilantur ! quantis inde poculis & ferculis vorax gula expletur cùm vel templorum rationes colliguntur vel expediuntur. O ! quàm perfidè , quàm barbarè Sancti Spiritus innocentes columbulæ deplumantur , deartuantur , exoſſantur , & vix non vivæ devorantur, quàm luridè, quàm properè pro modico unguento templorum reditus ad annuos cenſus

D. Euclio immanis parricida.

elocantur, qui primâ mox annô deficiunt! quàm languidè, quàm oscitanter censûs annui Ecclesiis porrigendi urgentur, ut residui ad aliquot florennorum centurias excrescant, unde grandis obex ponitur anniversariis ritè fundatis &c. hoc utique fuerit equô aut asinô CHRISTUM ac Christianam dejecisse, quod in Boica dicuntur Sueci Gallis junctis tentâsse. Si ergò hos apud avarissimos lurcones suâ cadit causâ Servator grassante avaritia, & prædominante, qui truculentiâ excipiet, quâ barbarie proscindet miseros terrigenas *auri furiosa cupido?* Quod sequitur, ex Daniele Bartoli (3) deprompsi, ait hic Author, Aulo avarissimo bursini natam esse sua ex conjuge lectissimam filiolam, mox itaque mensæ admotum accuratissimas rationes duxisse, quanti esset hic partus patri staturus, donec ritè adolescceret & curâ parentum eximeretur; cum autem opes suas & fortunas carni & sanguini suo præferret, ut sumptibus parceret, recens natum infantem lapide grandi collo ejus appenso, entro parens in aquas præcipitavit. At cur non rationes ab auro stygia incluvie sua expetiit, rectè de hac hominum sore dixit (4) Sapiens: *avaro nihil sceleſtus, quia etiam venalem habet animam suam.* S. Aug. (5) hos homines verè dicit amentes & insanos homines. Ipsa Patris formalia recitemus: *Inexplebilis est avaritia, nec DEUM timet, nec hominem reveretur: non patri parcit, non matrem agnoscit, non fratri obtemperat, nec amico fidem servat: viduam opprimit, pupilli rem invadit, liberos in servitium revocat &c. Res mortui occupantur; quasi non & ipsi, qui hoc faciunt, moriantur? quæ est hæc animarum insania, amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum & perdere cælum.* Hæc D. August. Oracula nunc per notabilem tragœdiam elucidamus; patebit inde, quàm bellè singula sint per militem illum expleta, quem suæ Zoopædiæ (6) Antonius Ballinghem inseruit. Ex Antonio præsens factum plures alii suis vel historiis vel sacris sermocinationibus commiserunt.

(3) Dan. Bart. in paup. c. 3.

(4) Eccl. 10.

(5) S. Aug. Ser. 25. de Verb. Dom.

(6) Ant. Ballingh. Zoopæd. tit. hospitalitas.

Pulcr-

Pultoviæ in Polonia caupo erat, cui *cereus in vitium flecti monitoribus asper* filius grandes curas peperit. Nihil ferè tritius est hodie, quàm iteratas à parentibus contra hispidam sobolem querelas deponi, hîc verò sæpenumero accidit, ut tota hirsutæ sobolis culpa in proprios recidat parentes, mali corvi malum ovum progignitur. Mala ex arbore mali pariter fructus prognascuntur. Sicut passim naturæ morbos, phtisin, podagram, lepram &c. suis à parentibus liberi hauriunt, sic multò magis inde participant corruptos mores; unde cancer ille stulta crisi sobolem suam retrorsum euntem excepit, mox enim & suam in patrem seniô vacillantem retorsit proles, pater i præ, sequemur; recta si vestigia presseris, & nos tuo exemplo recta prememus dociles liberi. Ineptè suos castigant, si ipsi parentes castigatis sordibus hirtescant, pater diris execrationibus & blasphemiis, mater jurgiis totam domum infestant, & hæc inter vel preces fundant, vel honesto sermone liberi utantur? pater identidem poculizat, mater vitrizat, & liberi ad seram usque vesperam jejunent? habent Hebræi proverbium, quod nimis frequenter in Germania verificatur, *Vini filius acetum est.* Sensus est, si æstu potandi ardeant parentes, vinum à parentibus largius haustum in filiis degenerabit & acescet. Pater agit continuum lusorem, & liberi nullos unquam jocos capessant? mater pravos sectatur amores, & liberi nullis unquam sodalibus, nullis commerciis assuescant? parentes duplici creta suos hospites absolvunt, & per fas ac nefas mammonem corradunt, & liberi nequidem nummum aut obolum clepant piceis parentibus suis? hæc inquam ineptè liberis suis inculcant parentes, si ipsi his pravitatibus sordescant, teste Sirach (7) *filii fiunt abominationum filii peccatorum*, tollite prava exempla ô parentes, & omnem pravitatem & recalcitrantiam in prole sustulistis. Vestro virtutum exemplo flexiles annos manuducite & in frugem matureścent: illô sublatô frustrà sobolem distortam truditis & urgetis. Puer iste Pultovienſis parentum suorum diras & monita vel elusit vel protervo pede calcavit. Cur? ipsi nempe parentes

E. Funus funere addensat avaritia. Hist.

F. Pravi parentes pravos liberos educant. (7) Eccli. 41.

ejus protritis legibus Divinis, sacris omnibus insuper habitis pecudum non hominum more vivebant, in omne scelus projecti, in omnem audaciam effusi, in omnem avaritiam & iniquitatem proni & proclives. Tot diras tot jurgia exsus, ædibus paternis illiso calce, clanculò aufugit, & martis amans in Martia castra evolavit factus miles. Multa multis annis stipendia fecit eques, & quem tanquam prodigum filium pridem conclamatum, ac vivis exemtum credideram parentes, is pinguibus prædis inter arma ditatus, tandem iterum bellô suo feliciter exauctoratus patriam & parentes suos revisere statuit. Unâ tantùm horulâ Urbe distabat Pulovia, en suam in sororem ignotus miles incidit, in villam foràs egressam; ex hac multa de parentibus suis percontatus, an viverent, an sorte sua vegeti gauderent, se tandem ut fratrem sorori detegit, festa mox lætitia utrumque rapuit: ut verò hæc domi duplô major excresceret, voluit sororem suam hoc rei tanquam Junonis Sacra clàm habere, ne quæ famæ ad parentes in urbem penetraret, sequeretur altero die, & ipsa soror tot annis perditum nunc feliciter repertum fratrem, parentibus filium inter accumulatos lætitiæ applausus ostenderet, se interim nec verbô nec signô, quis & cujas esset, domesticis detecturum, donec soror ex villa domum remeâsset. His pactis mutuò sancitis Cauponis paternas ædes filius attigit ignotus, diversoriô acceptus in seram noctem suis cum parentibus mensæ suæ admotis nulli agnitus edit, bibit hilaris ac festivus. A cœna satur suum ad cauponem amicè conversus, en inquit, prægnans hæc bursa auream prædam marti detractam concludit; hanc, si licet, tibi per noctem servandam rogo, cras hæc & alia obsequia liberali honorario remuneraturus. Accipit hospes bursam, salva omnia promittit equiti, eumque sine cura lecto jubet requiescere, & somno placidam noctem litare. Hactenus plano pede præsens historia excurrit, nunc autem verso temone cruentam tragœdiam accelerat *opum furiosa cupido;* hæc ita primitus hospitam, inde ipsum etiam cauponem corripuit, ut modis omnibus ac technis concubia nocte studerent, quibus artibus sui

G. Inimici hominis domestici.

sui juris bursam facerent aurô tumidam; placuit utrique barbarum ac ferox consilium, quô miles altùm sopitus in lecto mactaretur, ac funus in cellæ vinariæ extimo angulo conderetur. Ah! quàm verè dixit (8) Sapiens: *à domesticis tuis attende*, & quid mali à domesticis timendum? Audi porrò sapientem, fatidicum prophetam: *inimici hominis domestici ejus*, quasi diceret & præmoneret: cave fis, sub amicitiæ larva sæpè fatalis hostilitas nidulatur; *latet anguis in herba* viridi & ridente. Miles iste totâ vitâ sua tam sævos hostes non habuit, quàm proprios parentes. (8) Eccli. 12.

Ivit cubitum eques, sed fortè secum lecto intulit grandem scelerum molem, nullâ pœnitentiâ, nulla contritione expunctam, certus de crastino, qui tumulum irruit in somno. *Lectum & lethum* unâ tantùm litterulâ distant, ut sciant mortales, multos sæpè lectum petere vivos validos, sed nunquam ultrà oculos ad vitam referare, quia fatô aliquoties inopinatô per vim oppressi funus agunt, antequam se animam agere advertant. Coxisset animô suô aliquid simile miles noster, se ultrò forsan ad validam contritionem extimulâsset, quâ felicius fatum instans dormiendo exciperet. Captabat altos ac prædulces somnos eques, hos tamen à parentum oculis tota nocte procul egit *opum furiosa cupido*, tentis identidem stimulis jam hospitam jam hospitem aggressa, ut tandè caupo conjugi suæ præluceret, & accensam facem carnifex mater sequeretur, ambo in cubile militis irreperent, & improba mater grandi cultro filii dormientis gulam secaret, cadavere toto in cellam raptato & ibidem grandi fossæ immisso. Sic auri compotes facti, se lecto componere ac reducem phœbum exspectare. Credebant parricidæ, fusum sanguinem terrâ coopertum, jam sub rosa latere, sine teste confectum scelus nullô ævô in lucem è tenebris emersurum, bursam auream tutò cistâ concludi. At qui dixit (9) *nihil opertum est, quod non reveletur*, non passus est ultra paucas horulas tetrum facinus celari. Accurrit primo mox manè ex condicto soror, domum irruit hilaris & lætabunda; At quæ ad hilaria properabat, miserrimam catastrophen domi reperit; (9) Matth. 10.

H. Lectum ut lethum noctu suspiciatur.

rit ; rogat hæc sine mora parentes suos recèns lecto abditos, an nullus militum pernoctârit ? omninò, parentes inquiunt, sed prò dolor morte repentina oppressum, funus in lecto repertum esse, mox ergò in cellam raptatum & ibidem sepultum esse, ne famâ in vulgus sparsa ipsis parentibus cædis culpa accresceret. Ah inquit filia, sinite parentes ut funus intuear. Sic in cellam descenditur & coram parentibus funus: filia terris eruitur; tum enim verò hæc palàm plangere, lugere, ejulare, & altum vociferari: eheu pater! eheu mater! hic frater meus est, hic filius vester est, unaque inter lacrimas & singultus fractis vocibus totam rei seriem exponit, quò nimirum pactô se hodie festa cum hilaritate me præsente suis sistere parentibus cogitârit. His auditis furere illicò & grassari in singulos accepit *opum furiosa cupido:* Mater capillos rumpere se ac aurum execrari, & arreptô ex culina cultrô, quô filium confecit, seipsam pariter exanimare, pater foràs excurrere, conscendere furcam, & seipsum fatô inauditô ex infami trabe laqueô suspendere, jam pluribus aliis corvi pabulis instructa, soror se in præaltum domûs paternæ puteum præcipitare. Ita quadruplici funere totius tragœdiæ hujus epilogum lusit & absolvit avaritia, *opum furiosa cupido.*

I. Inaudita mors avari.

Dicite modò, nunquid hoc est lucri gratiâ totam domum, totam familiam *evertere*, liberos cum parentibus, parentes cum liberis letho dare horrido execrando ? ne vero hæc immanis tragœdia fabulino auctori adscribatur, sciant omnes, eam hoc ipso currente seculô, annô nempe 1618. 15. Maji accidisse Pultoviæ. Ex ea jure odium efrænis avaritiæ concipiant Eucliones, ne auri fulgore turpiter excœcati vitæ utriusque terrenæ ac cœlicæ irreparabilem jacturam incurrant.

10) Eph. 4. *Nolite locum dare diabolo* Paulus (10) insonat, illi maximè, quem *Plutum* dicimus auri præsidem & Plutoni tetræ stygis dominatori affinem. Pluto hùic undique præcordia obseruntur, & ut Aug. passim cum tota Matre Ecclesia inculcat, *ita per temporalia curratur, ut æterna non perdantur.* Nemo vel manus vel animos suos peculiô contaminet alienô; nemo vel emendo vel vendendo, vel elocando vel transmutando fra-

fraudibus ac dolis proximum circumveniat; de omnibus enim obolis juſto ac omniſcio Deo ratio danda eſt accurata; væ tunc illi, qui perfidiæ reus, argenti pondus & auri impiè corraſum Urnæ ſubjecerit Divinæ? Cogitent potius ſinguli, ſe nudos orbem ingreſſos, ſe nudos iterum mundô egreſſuros, à nullo, niſi ab operibus noſtris ſeu bonis ſeu malis ad Altiſſimi Tribunal ſtipandos, ut ſi bona geſſerunt in vita ſua, mercedem boni recipiant, ſin mala, mali vindictam reportent, nullô ævô mitigandam. Tandem etiam ſinguli mulierem æmulentur hodiernam, cum ea ſcopas manu prehendant, omnes angulos & arcas, omnes ciſtas & burſas probè excutiant & everrant, inde omnes denarios malis fraudibus corraſos unum in cumulum coacervent, & ſuos in terminos, unde collecti ſunt, ritè faciant reverti, facta reſtitutione integra, & ad obolum omnibus numeris abſoluta. Sic porrò omnis furioſa cupido æris alieni totis ex præcordiis proſcribatur, & uni Deo totum hominum pectus conſecretur, qui temporalibus & ſummè neceſſariis bonis id nunquam in terris deſtituet, ibi verò perennibus cœlorum gazis inſtruet, gratiâ & gloriâ coronabit æternâ. Amen.

# CONCIO XXIX.

# DOMINICA IV. POST PENT.

*Laxate retia vestra in capturam. Luc. 5.*

## Retia diabolica.

Lepidum est, quod de S. P. Dominico tetræ stygis dexterrimo lusore tabulæ memorant Ecclesiasticæ AA. non repeto alibi (1) jam fusiùs exenterata. Id unum hic loci moneo: licet ibidem simiæ personæ suæ graves pœnas dæmon dederit S. Patri Dominico, cui concionem paranti ad ungium exustionem jussus est luciferum agere acheronticus alastor; simiæ tamen personam utut ictus & prodigiosè ambustus necdum ponit phlegeton, sed eam hanc in horam acriter tuetur. Ad nos regressus, centies simiam resumit, ut improvidos retibus implicet acheronticis. Vidit hodie per Christum & Discipulos ejus retia laxari in grandem piscium capturam, ergò mox simia naturam orcus involare, & pariter piscatorium rete in capturam Animarum expandere. Successit ei hæc retium stygiorum explicatio tanta ubertate, ut grandi numero animos simiæ Apostolorum æmulator reti stygio concluderet. Vidit S. Antonius olim totum hunc spectabilem mundum retibus obseptum, quibus se nullus extricaret, nisi mitis esset & humilis corde. Tam numerosos orci patentis casses, tam grandia, tam varia tetræ stygis retia ut ritè fugiamus, opus est, ut ea ritè dignoscamus.

(1) Tub. Analog. Dom. 2. Quadrag.

A. Simius dæmon etiam retia sua in Animarum explicat capturam.

B. Orcinum rete duplex est. Primum est *pecunia*. probatur. (2) An. Soc. ad an. 1605

Video ego, duo maximè in hominum sempiternam perniciem ab hoc simio piscatore retia extendi, quorum utrumque jam cominùs exploremus. Primum explanetur per recens seculi hujus factum, quod Annuæ Societatis (2) perhibent, in Insulis Philippinis An. 1605. accidisse. In Garigar Indiæ Orien-

tali

talis oppido servus erat durô servitiô enormiter pressus; nactus enim fuit Herum tam barbarum, tam sordidum, & prodigaliter avarum, ut plus carnis & pabuli quotidiani canibus affunderet & catellis, quàm famulo suo continuit laboribus distento, interim propè inediâ confecto.

His malis è medio tollendis, aut saltem mitigandis nec medium restabat nec spes. Rebus itaque penitus conclamatis, improbô consiliô servus statuit, seipsum tot ærumnis fatô subtrahere violentô, & proxima ex arbore seipsum suspendere. Stabat arbuscula in vicinia tribus tantum ulnis à tellure distincta, quam nisi humi fusus defluo fune in collum detruso prensâsset, corporis truncô nunquam sanè animam profligâsset. Jam collo laqueum induit, jam ipse suam in perniciem arcto fune gulam constrinxit, en cursim advolant vicini, & restim secant jamjam animam acturo. Forma jacentis ita tetra fuisse dicitur, acsi plures ex orco totum ejus corpus occupâssent. Tandem sibi redditus & rationi, candidè fassus est, quid eum in desperationis abyssum præcipitârit. Alia inter totam culpam in orcinum alástorem devolvit, qui monstroso vultu fame ac laboribus exhaustum adortus, ipsi aureum torquem donâsset, & donatum collo injecisset, cum dicto, sic omnibus fortunis beandum, si hoc aureum vellus venderetur; interim hoc ipsum arctiùs semper collo adstrinxit, & propè fauces elisit; nunc autem dolos ejus & inveteratas fraudes utrâque palpabat, cùm videret funem à styge non aureum torquem collo intectum. His nempe retibus innumeros capit & suffocat simia Styx, imò sunt, qui ex immoderata opum cupidine ea ultrò irruant, seque stygi offerant mactandos. Id juxta Paulum (3) omnes præstant avari, & auri petæ eucliones: *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Hinc etiam Christus ipse (4) huic hominum classi æternum *væ* intentavit: *væ vobis divitibus &c.* ubi juxta Jansen. & alios plerumque damnatio exprimitur sempiterna. Hæc si sciant pecunioси, & hac scientia non obstante, avidè nihilominus Pluti divitias aucupentur, extremâ certè dementiâ laborent necesse est, qui per fas & nefas aurum legunt, quod nonnisi *væ* interminabile importat. Servus ille in Philippinis adhuc

(3) 1. Tim. 6.

(4) Luc. 6.

feliciter retia evasit diabolica, contra stygem ritè per Soc. Patres armatus, & suô damnô sàpere doctus in ævum; nunc verò alium producamus, qui quidem casses aureos stygii irruit, nunquam inde ad vitam & libertatem filiorum Dei reversus. Scribit Stengelius (5) fuisse famosissimum euclionem pluribus bonis & fortunis malè partis obseptum, qui cùm auro suo à furibus metueret, & omnes procul insidias suis à bursis proscriptas vellet, id non in arca sua, imò nec domi suæ, sed in proxima eaque densissima silva, & quidem super excelsam & densis frondibus instructam pinum abstrusit, eo nempe in luco tutissimè nidulari persuasus, quem aliis esse vidit inaccessum. Ita suos opum aucupes curis perennibus replet, & mille anxietatũ paliuris pungit, fodicat turpis avarities. Rogabat olim Charon apud Lucianum, senem Menippum, unde aurum tantoperè palleret? tacente Menippo, Charon ipse quæsitum resolvit dixitque, primam & ultimam palloris hujus rationem ex eo desumi, quòd tantis cum curis, tantis cum laboribus & vitæ periculis colligatur, & collectum adhuc plures inter angores servetur. Hinc ab auro & à loculis suis hi avari bursones nihil ferè aliud reportant, quàm pallorem in vultu curas in animo, vigilias in oculis, timorem in membris, sitim acriorem in voluntate, in manibus parsimoniam. Quid dico parsimoniam? genii sui assiduam defraudationem, turpem vitæ rationem, solicitudinum immanes acervos, suspicionum catervas, omnes omninò miserias. Expertus id fuit antè alios idem euclio, cui quieto esse haud licuit, quamdiu ex pinu tecta loculi gaza penderet. Illud identidem vel ore tacito, vel animo mussitare auditus: quidsi ursus aut vulpes nocte concubia pinum meam conscenderent, & in altum usque verticem eluctarentur? actum certè foret de peculio meo. Quid si huc locorum proceaces & audaces pueri irreperent, qui avium nidos prædaturi arduas etiam arbores transcendant? iterum tota bursa mea in prædam cederet tenebrionibus illis. Quid si validi vis concita venti ex antro prosiliret, & pinum auream imis à radicibus erutam, solo insterneret? sic denuò fortunis omnibus excciderem grassante Cauro. Quid si hanc ipsam arborem fulmina summo ignea missa polo ferirent, & quod huic igni proprium est,

(5) Stengl. t. 4. de Jud. c. 14.

C. Ut confirmatur, Hist.

est, aurum bursâ concluſum abſumerent, corium burſæ nulla ſui parte violarent? ſic uno ictu theſaurus periret. His cogitationum tricis, his curarum ſtimulis exacerbatus, ſtatuit mox altero die depoſitum è ſilva tollere, & tutiorem in locum transferre; at ſeriùs euclio pinum ſuam reviſit, ab alio Dei providentiâhuc directo mirabiliter præventus. Erat in vicinia homo pauperrimus ſilvæ adſitus, debitorum onere pænè oppreſſus, & propè ad incitas redactus Amyntas; huic viro tam gravis accidit calamitas, ut impiô conſiliô mente conceptô, mori mallet, quàm toties à creditoribus urgeri, vexari & propemodum ſua è caſa profligari. Statuit proin laqueô vitam concludere; eum in finem ſilvam ſune armatus introgreditur, quærit ſuſpendio locum ab hominum oculis quàm remotiſſimum. Occurrit ocius bono utique genio duce & comite illam in arborem, cui avarus opum heluo aurum ſuum commiſerat; conſcendit, probat capitis frondoſi umbroſum verticem, promit laqueum, collo induit, jamjam efferra morte ſibi ultrò animam eliſurus; hem ſubitò circumſpicientes oculos burſa irruit, & antè ſacculum reperit aurô tumidum, quàm gulam laqueô ſuffocaret. Ut vidit aurô totam crumenam tumeſcere, morti & laqueô mox omnem nuntium remiſit. Inde feliciſſima commutatione lætus burſam cum auro ſuſtulit, & in vicem illius funem ſuum repoſuit, domum reverſus dives & opulentus, qui domô exibat, præ immani pauperie ac debitorũ mole ſeipſum laqueô perempturus. Hoc ſubitaneô ter centum aureorum lucrô, novâ quaſi vitâ redanimatus pauper Mopſus, non tantùm debita ſua ad amuſſim expunxit, ſed emptionis jure plures etiam ſibi agros & læto gramine ridentes campos vendicavit. At quid tenaciſſimo euclioni factum, cui tam enormes curas burſa peperit arbori appenſa, nunc verò in alterius manus delata & ſublata? Revertit paulò poſt eandem in ſilvam, pinum conſcendit, viſurus, num loco ſuo abdita penderet crumena, & ecce pro burſa laqueum reperit ac reſtim è ramo pendulam; mox furere ac pænè in rabiem agi theſaurô ſuô perfidè ſpoliatus; cùm autem tanti lucri jacturam ultrà ferre non poſſet, mortem ſibi violentam ſub ipſis frondoſæ pinûs umbris inferre ſtatuit; arrepto itaque funeillo, quem ruſticus ex alto ſuſpende-

D. Malè parta, malè dilabuntur.

rat, se arbori memoratæ aureus stolo innexuit, ut Divinæ in avaros vindictæ monumentum penderet, quotquot enim hunc ab alto pendulum spectabant, palàm sordidum funus ejurabant, mille diris infamem auripetam execrantes: hem perditum nebulonem, qui tot alios perdidit, & emunxit! jam pœnas dedit avaritiæ truculentas pridem suspendium meritus tenebrio! i nunc opum heluo, & auram gluti, quem auri dira fames in fraudes & nefarias iniquitates devolvit! i modò, & quocunque modô aurum corrade, insatiabilium corvorum execrabilis præda! & quid tibi nunc prosunt bursæ aurô turgidæ alienô? te modò quid juvant tot exactiones, pressuræ, fallaciæ, quibus peculium auxisti? unguenta quid juvant, quorum gratiâ toties suppressa est justitia, toties innocentia prosciſſa, toties viduæ ac pupilli afflicti. Hi centies tibi malam crucem, & pro aureo vellere cannabin apprecabantur, jam se votis suis damnatos esse vident, cùm te literam longam ex arbore factum suspiciunt. His vocibus ab alto pendulum, auri argentique sordidum aucupem salutabant transeuntes. Ita omnibus dirus patuit vivus, omnium execrationibus patuit extinctus. Omnes avari hoc velut in seculo ex arbore suspenso periculosam sortem suam arbitrentur. Paribus auri desideriis per fas & nefas explendis si æstuaverint, suo tempore justa nemesis ad unguem & obolum repetet, quod aurea ingluvies pravis artibus compilavit. Novit pariter Divina providentia, scelerum & rapacitatum mensurâ ritè impletâ, vel aurum malè partum in laqueum transmutare, vel orco permittere, ut hæc aurea retia laxet avaris stygius lavernio, in capturam animarum, cum enormi damno sæpè vix unquam reparando sitientium euclionum. Oraculum est non proverbium, quod vulgò jactatur: *malè parta malè dilabuntur*. Dæmon inde nassas trahit & pedicas, tunicas retinas, funes & catastas, quibus orco alliget incautos &c. Habent immensos æris & argenti acervos, sed malis artibus coacervatos, nullam ætatem ferent acervi, nec annis unquam canescent. Rapiant philippeum? raptum rota decas luet furtô abstracta, vel incendiô absumpta. Se ac suos ditent ex hospitali ex orphotrochio, ex pauperum bursâ, ex templorum reditibus, ex pupillorum bonis! tandem vel ipsi

vel

vel ipsorum nepotes bonis omnibus etiam ritè collectis exuentur, quorum exempla prostant innumera, ac se ultrò laqueis induent acheronticis, quos nulla solvat æternitas.

Alteram retium stygiorum classem bellè olim sapiens (6) detexit his verbis: *fili mi custodi sermones meos; serva mandata mea, & vives. Scribe illa in tabulis cordis tui. Dic sapientiæ, soror mea es, & prudentiam voca animam tuam, ut custodiat te à muliere extranea & ab aliena, quæ verba sua dulcia facit.* Ait ulteriùs sapiens, se sua è fenestra prospexisse, & vidisse irrequietum juvenem gestibus & jubilis insolentiæ plenis in plateas effusum, tandem captum & illaqueatum; quibus laqueis? quibus retiaculis? Audiatur Sapiens: *& ecce occurrit ei mulier ornatu meretricio ad capiendas animas præparata, garrula & vaga.* Hem pedicas avernales! struunt illas pectore tenus ad usq; scandalum nudæ lamiæ, veri nominis lupæ ac meretrices, *ad animas capiendas* retibus & laqueis ab asmodæo instructæ, garrulæ, canoræ, ludibundæ, omnium locorum prostibula, omnium horarum scorta, tota urbe perdiem vagabundæ, omnium nuptiarum convivæ, omnium chorearum primiceriæ, omnium sodalitatum sociæ junones, in omnem lasciviam projectæ, in omnem petulantiam effusæ. Audiatur ulterius veritatis promuscondus Vates: *hæc apprehensum deosculatur & procaci vultu blanditur dicens: intexui funibus lectulum meum; stravi tapetibus pictis ex Ægypto* (illas nempe hic loci icones & tabulas intellige, quæ stygio penicillo elaboratæ, ac nudæ veneris repræsentativæ totis ædibus prostant) *aspersi cubile meum myrrha & aloë & cinnamomô*, quo ipso hæc lupa ostendit, intus animo grandem scelerum mephitim delitescere, cui pellendæ tot aromata coacervantur. *Posthume non benè olet, qui benè semper olet*, pridem cecinit Ethnicus Martialis, & post hunc pluribus seculis olor (7) Ambrosianus: *spargit odores suos voluptas, quia Christi odorem non habet.* Sed quid ulterius meretrix ad juvenem? *veni*, ait illa, *non est enim vir in domo sua, abiit viâ longissimâ.* Hem! mora hæc sunt orci retia, quibus improbis ardoribus exæstuans procus capitur & mactatur; ita sanè in terminis sapiens perorat his verbis: *irretivit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum.* Sapiens his

(6) Prov. 7.

E.
Alterum rete diabolicum est Cypria voluptas.

(7) S. Ambr. l. 1. de Cain c. 4.

his retibus perditum ait juvenem quasi unum, sed qui numerum aliorum plurium sine numero expleat. Ita sanè p. m. Drexelius palàm Boica è Cathedra disseruit; se firmiter credere, centum si damnentur, nonaginta novem ex luxuria damnari, & centesimum alio ex flagitio. Hoc sanè ita inolevit, ut multi nec inter flagitia recenseant luxuriæ portenta, ii nempe, quibus vel Amadis vel Machiavellus rapuit præcordia, ut risu excipiant sardonico Divina, tanquam monachorum commenta, poparum crepitacula, & augurum somniantium vaframenta.

Quàm verè autem his de retibus femininis disputatum sit à citato Salomone, patebit ad oculum ex facto per Delrium (8) & per Masenium (9) descripto. Mirum est, quod in hoc genere Theodoro Maillotio Lottaringiæ Proprætori adhuc adolescenti memorant evenisse. Hic nobilis puellæ pravis amoribus (qui communis dæmonum hamus est) perditè tenebatur. Eam ut matrimonio sibi arctius conjungeret, quemdam, ut credebat, sibi perquam familiarem, sed unà magum, pro consilio & ope virginis adipiscendæ solicitat. Addicit ille operam & opem spondet in tempore; interim fores pulsat stygios, & pro accelerando Theodori consilio tetram stygem implorat. Audit preces acheron, sed ea conditione, si ungues stygios Theodorus decipiat, magi anima in vicem dimissæ præda fiat averno. Sc rata utrinque omnia. Magus paulò post Theodorum domi suæ salutat, spondetque ocius etiam virginem exoptatam pro ratificando contractu secuturam. Nec mora: salutatô amico Theodorô, mox etiam in elegantis puellæ forma præsentem sistit dæmonem magus; hæc inexspectata Theodorum oratione compellat; aitque hac si forma potiri gestias Theodore prius tibi hæc quinque puncta probè observanda propono. Jura, te his ad unguem & ad literam staturum firmiter, & tibi parit fidem jurabo conjugalem. Obstupescite quæso fallacis ora astutiam, quâ etiam sub sacris retia condit diabolica. Ne inquiebat styx femella, me si amas, omni crapula & ebrietate, omni lusu & libidine, furtis omnibus & blasphemiis seriò abstineas velim. Quid hac lege sanctius? utinam hâc unâ omnes matrimoniales contractus signarentur. 2dò, non tantùm festis sed etiam feriatis diebus sacro Missæ officio reverenter assi-

(8) Delr. disq. Mag. l. 2. q. 4.
(9) Masen. in Curios. c. 4. n. 13.

F. Et hoc alterum rete tragicô exemplô illustratur. Hist.

stes. 3tiò singulis mensibus proprio ex lucro liberalem eleemosynam in pauperes erogabis. 4to teipsum & carnem tuam binis per hebdomadem jejuniis macerabis. Occurrit hic loci, quod olim feliciter amasio suo jejunium dictavit (10) omni ævô commendabilis puella, de qua Causinus memorat: cùm libidinosus juvenis hanc ob formæ præstantiam ardentissimè deperiret, jamque scelus anhelaret, ut hos stygios veneris ignes aboleret, flammis statuit pabulum subducere juxta tritum illud: *sine cerere & baccho friget venus.* Dixit ergò se votum feciſſe 40. diebus solo pane & aqua jejunandi, quô se ocius exsolvere cogitaret; ante proin nulla ratione consensuram, nisi & ipse secum ad amores probandos eandem velit inediam per 40. continuos dies sustinere. *Carnis tetra fames quid non mortalia cogis pectora.* Nihil scilicet amanti difficile, nihil arduum. *Græculus esuriens ad cœlum jusseris, ibit.* Condixit stolo & tantis se jejuniis jam triduum emaciavit, sed ita membris ac viribus suis debilitatus, ut plus de morte, quàm de pravis amoribus cogitaret. Ardor libidinis hac levidensi inedia ita resedit, ut nequidem per somnium pravos animô amores versaret. Tantam huic sodi si Confessarius pœnam dictâsset, quot fulmina in sacrum Caput detonuisset. Tantum neque hic loci à Mailotio pius dæmon expetiit. Singulis septimanis binos tantùm dies dari voluit jejunio, ut tantò certius sub feminæ larva orcus delitescceret. 5tò tandem nolim te posthac instar fœtentis porci è strato surgere. Prima potius cura precibus primo mane deferatur, ut diei primordia Deo ritu Christiano immolentur. Hæc mihi te sanctè præstiturum si juraveris, tibi vicissim fidem jurabo, ut nuptias mecum celebres exoptatas. Rogabat Mailotius, unum diem deliberationi; cùm enim lusibus & popinis, sociis & sociabus jam multo tempore assuevisset, mulcta hæc sat ei gravis accidit & operosa; dedit locum meditationi orcus & in crastinum certum ac evidens excoqui voluit responsum. Sic re infecta discessum. Credebat Mailotius hanc femellam ad omne scelus projectam esse, nunc autem se oratricem Bertam seu precabundam Nonnam in hac videt domicella reperisse; placuit modesta simul & formosissima Virgo, displicuit abstinentia, sociorum fuga, precum ac templorum frequentia; hinc

(10) Causin. t. 4. de am. sens sect. 9.

G. Pio altu cluſa venus.

variis passionum ventis mens abripi & exagitari. Hinc amor urgebat, hinc timor instabat & conditiones nimis arduas vel mitigari suadebat vel everti: notavit hos animi fluctuantis actus conflictus arcis Maillotianæ Sacerdos, vir pius ac divinis mensus; blandè itaque meditantem aggressus, diu reluctanti, tandem rei totius veritatem extorsit, qui cùm ocius avernales insidias oculis spectâsset præsagus vates, & utraque manu dæmonis larvati astus prensâsset, candidè dixit Mailotio, agi modò animam ejus & æviternam salutem, falsis hisce promissis si obsequatur, in orcum animam cum corpore præcipitandam. Sic Mailotio persuasit, ut consilium damnaret, & omne commercium conculcaret. Altero die statâ horâ se quidem magus exhibuit & stygia domicella; at cùm frustrà Mailotium sanioris doctum solicitarent, à Mailotio tandem & pio sacerdote junctis viribus arce pulsi & proscripti sunt uterque. Jam magus equum conscendere parabat domum suam reversurus, ecce virgo larvata vultus mutare, formam omnem abjicere, ac vivum eumque teterrimum dæmonem repræsentare, qui mox equo magum dejicere, dejectum, adsito saxo allidere, & in victoriæ prædæ alterius jam dilapsæ prout pactum est, magi corpus cum anima, per avia & invia orco imolanda raptare, equo vacuo ad arcem relictô. Sapuit Mailotius infelicissimo magi exitu, & Sacerdotem illum tanquam cœlô lapsum soterem, totæ vitæ tempore iteratas inter grates Deo refusas sanctè colunt. Vident hic omnes pellices & veneris internuntii, quâ mercede hoc hominum genus carnalis asmodeus remuneretur. Videant alii omnes cum illo Indiæ famulo & præsenti Maillotio, quam periculi plena sint retia per aurum, & amores cyprios ab orcinis fecialibus ubique suspensa. Utraque seriò vitentur & profligentur, ut sua cœlica filiorum Dei libertas semper integra duret, ac salva.

H. Merces veneris internuntio repensa.

Amen.

[o]

Concio

# CONCIO XXX.

# DOMINICA V. POST PENT.

*Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliare fratri tuo. Matth. 5.*

## Mors pharisaica.

OLim nulli licitum fuit armato, Ecclesias subintrare. A Sacris & â profanis Majoribus temeritas mulctabatur Opt. AA. Extant maximè duo Concilia, quibus id ipsum palàm quoque prohibitum erat: tertium Aurelianense (1) cujus erat Canon: *Sacrificia matutina Missarum sicut & vespertina, ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum usum, spectet; quod qui fecerit, in Sacerdotis potestate consistat, qualiter ejus distributione debeat castigari.* Concil. Salegunstadiense (2) usum gladii in Ecclesiis Magnis terrarum Principibus indulsit, ceteris omnibus sub gravi pœna prohibuit. Theodosius Jun. Rom. Imp. ne quidem Principibus usum gladii permisit; singulos potiùs gravi mulcta castigavit, quotquot Sacris hisce legibus temerario ausu contrairent. Is ipse omnibus aliis Imperatoriô exemplô suô splendidè præluxit. *Nos*, inquit (3) ille, *qui legitimi imperii armis circumdamur, quosque sine armatis stipatoribus esse non convenit, DEI templa ingressuri, foris arma relinquimus, & ipsum etiam diadema Regiæ Majestatis*

A. Olim vetitum erat, ne armati templum adirent.

(1) Conc. 3. Aurelian. Can. 28.

(2) Conc. Salegunstad. c. 17.

(3) l. 9. Cod. Theod. tit. 45.

B. Ratio illius.

*statis insigne humiliter deponimus.* S. Amator (4) hujus antiquissimi & Ecclesiastici ritus hanc causam allegat: *Ecclesia Domus Orationis est, non martis statio; Ecclesia Domus pacis est, concordiæ, & charitatis, non discordiæ ac dissensionis.* Theodosius pius Imperator extra Ecclesiæ fores arma posuit; sic non tantùm Ecclesias coluit, sed unà etiam singulis ostendit Christianis, qui & quales omnes illi esse debeant, qui Ecclesias subintrant; volut nempe, ut omnes ira & rancore gravidi, multò ante iras & letales inimicitias abjicerent, quàm sacris ædibus pedem inferrent. Arma quod attinet, manibus palpabilia, ritus iste antiquus pridem exolevit. Nunc sanè ultimæ fæcis homuli suis gladiis accincti templa petunt liberrimè, & nemo est, qui gladiatos vel increpet vel castiget; licet utique laudabiliùs vestigia premerentur Theodosiana. Si armis suis nullum lædant, nullum saucient vel occidant, tolerari potest usus; modò in morali ac mystico sensu, nullis armis Ecclesiæ conspurcarentur; hîc hîc optarem ritum Theodosianum reproduci, quò arma extra Ecclesias ponebantur. Sensus est: modò nulla hostilitas, nullus rancor, nullum odium, nulla ira & aversio, nostris animis recondita Ecclesias irruerent; id saltem à Theodosio discamus, & ad nostram ætatem transportemus. Id pessimum, precibus vacare, in quem finem erecta sunt templa nostra, interim rancorem rabida mente circumferre, inimicitias graves animò fovere, occasiones scelus vindicandi explorare. Hæc pessima oratio est, quam pari passu rancor comitatur & ira. Hæc impia pietas est, nolle proximo veniam dare, & Deo pro scelerum commissorum venia supplicare. Hanc orationem pridem Siracides (5) rejecit: *homo homini reservat iram, & à Deo quærit medelam?* graviter errat juxta S. P. Chrysost. (6) qui sic orat: *qualem enim erga te vis DEUM esse, cum delictorum veniam poscis, talem te exhibere debes his, qui deliquerunt in te.* Nempe quamdiu alterum odiò prosequimur, tamdiu etiam nos odio perenni premit precibus nostris inexorabile Numen; moriamur etiam hoc in odio, anima nostra non fursum ibit ad gloriam, sed rectà deorsum tendet ad pœnam. *Diligite inimicos vestros* (7) ipse Christus intonat, *ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est*, quasi diceret: illos pro filiis suis nullatenus agnoscit.

(4) S. Amator in vit. S. Germani. l. 1. c. 4.

C. Hôc ævô nulla ratio armorum habetur.

D. Possunt realia in templis tolerari, non verò moralia seu mystica arma, rancor, ira & vindicta &c.

(5) Eccli. 28.

6) S. Chrys. l. de Comp.

E. Odium nos Deo reddit exosos.

(7) Matth. 5.

agnoſcit, nec cælicam hæreditatem adire permittit, qui odiô proximum inſectantur, eumque mille diris devovent, neque ulli unquam reconciliationi dant locum; hi potius filii ſunt ac filiæ diaboli, qui ſolis ſimultatibus & inimicitiis deliciatur. Ita palàm affirmat Joan. Carlerius, qui ultra centum ſagas & magos ad rogum usque animarum rector ſtipabat, etiam ſalutem alteri per has hominum fæces impertitam, perennem vindictam ſpirare. Noſtra ſalus tritô illô *pax vobis*, *& Deo gratias* abſolvitur; at quoties hoc hominum genus ſuis in choreis noctu conveniunt, unà omnes diaboli, & orco mancipati homines altis vocibus conclamant; *vindicate vos*, *vindicate vos!* Ita ſe mutuò ſagæ, magi & orcini alaſtores ſalutant. Eſt adeò rancor iſte inveteratus verum ſtigma diabolici homuncionis; quo non obſtante, in menſes & annos odia protelantur; in fatalibus odiis petuntur templa; in aſſiduis vindictæ deſideriis preces funduntur, jejuniô corpus maceratur, pauperculis eleemoſynæ diſpenſantur: odiô & irâ, rancore ac vindictâ fumantibus præcordiis, fiunt exhomologeſes, menſæ accumbitur Euchariſticæ &c. at quô lucro? quô emolumentô? Similes devotionis actus nec flocci facerem. Opera certè ad vitam & gloriam conducibilia non ſunt, odit potiùs Deus tales ſacrilegas devotiones, intus in animo graſſante odio aut implacabili ſimultate. Teſtatum hoc reddit ipſe Deus præſenti Evangelio, ubi ne quidem ſacrificium probat odiô latente contaminatum; relinqui vult ſacrificium, & multò ante ſacra urget reconciliationem; hâc ſublatâ, fructus etiam ſacrificii tollitur & conculcatur; illius in vicem ira potiùs Divina colligitur, ac juſta Nemeſis ad celerem vindictam provocatur. Patet aſſerti hujus veritas ex eo manifeſtè, quod Gabriel Vega Nobilis Hiſpanus teſtis oculatus etiam libris ſuis inſeruit. Agebat vir iſte multis annis Martium ſeu Caſtrenſem Eccleſiaſten; cùm autem hunc induſtrium Præconem domum è bello Religioſa obedientia revocâſſet, regere juſſus eſt Collegium Madritanum in Hiſpania. Quis Gabriel fuerit, dicet (8) Sotvellus. Vir fuit Apoſtolici Spiritus, in caſtris Regiis ſumma militum utilitate pluribus annis verſatus. Funus ejus ab Epiſcopo & omni Clero, à Religioſis familiis, à frequenti Nobilitate celebratum eſt, excitis famâ ſanctitatis ejus & miraculorum, quæ conſtabat eſſe divinitus patrata, dum ipſe re-

F. Imô diaboli filios.

G. Salus diabolica.

H. Sacrificium odiô contaminatum, à Deo rejicitur.

(8) Nath. Sotvel. in Bibl. lit. G. fol. 273.

cicatô ſuper ægros Evangelio, manuque eis impoſita, momento illis priſtinam reſtituit ſanitatem. Huic tot elogiis decorato Gabrieli, cùm Cordubæ proximorum Saluti ſtrenuus operarius inſiſteret, id accidit, quod modò illius et ore atque calamo palàm ſtatui prædicare, Erat Corduba in Hiſpania ſanguine clarus Primas. Regni Officialis, aliorum capitibus regendis ac dirigendis præfectus; hic livore ac odio in alium pari nobilitate conſpicuum accenſus, quotidie occaſionem ſe probè vindicandi captabat. Non potuit hic iræ atrocis æſtus ita reprimi, quin fumus inde foras erumperet, & grandi ſcandalo totam urbem oppleret. Debuit quà Regius Officialis civibus ac ſubditis ſuis optimo vitæ exemplô præfulgere, animos à ſe mutuô ſejunctos unire, odii & rancoris ſemina profligare, ne in fata excreſcerent cruenta; & ecce primus erat, qui pertinax odium animo foveret, & ſingulis propè horis ſui hoſtis è medio tollendi impia Conſilia agitaret. Tetigit hæc hoſtilitas non illum tantùm, à quo ſe graviter læſum eſſe credidit Officialis, ſed omnes illos, quotquot ab hoc nobili ceu cognato ſanguine juncti pendebant, ſed illos quoque, qui cum eo quamcunque familiaritatem, aut aliud quodcunque commercium viſi ſunt eminus contrahere. Hoc unum ſatis erat Officiali, ut hos quoque totis viribus premeret ac proſcinderet, amicum obſequium huic hoſti exhibuiſſe. Grandis calamitas toti incubat urbi, quam proceres regunt ita paſſionati, ut ſuo pariter odio per ſummum nefas involvant, quotquot cum illo, quem odio habent, vel amicè vel civiliter converſantur. Hujusmodi populi Rectores rectiùs exauctorantur; quia hos inter fellitos Majores æquitas & Juſtitia multoties ſupprimitur & ſuffocatur. Deus certè ſicut multos ævi noſtri Ripaldos ad alienæ virtutis exercitium, ad pœnæ reſiduæ exterminium, tolerat & ſuſtentat, quibus velut tribulis & flagellis, in terris triticum flagellat cœleſti horreo inferendum, ita pariter in hoc hominum genus judicium judicat, cùm nihil de judicio ſomniat. Simile quid huic noſtro dicitur Officiali acciſſe. Quem ab urna tanquam impium judicem pridem ſubmovere debuit Summa Poteſtas in terris, cum tandem è vivis rapuit

I. Dicta per tragœdiam firmantur. Hiſt.

Divi-

Divina. Deo dante, fatali morbo domi suæ obruitur. Nihil erat intentatum, nihil inausum, quod malo pellendo non dictarent Archiatri; at pertinax lues omnem Medicorum industriam eluſit. Crevit in horas malum, ita quidem, ut essent, qui jam tritum illud hebetudinis Medicæ asylum apprehenderent, canerentque: *contrà vim mortis non est medicamen in hortis*; monebatur proinde, rebus suis accuratè prospiceret, se cum DEO ac proximo suo integrè reconciliaret, animos candida exhomologesi elueret, seque totum seriò æternitati attingeret, de vita mortali propè actum jam esse, horam instare ultimam, quam nulla ampliùs excipiat, nisi æterna & nullo unquam ævo terminanda. Notabat ipse Nobilis abundè satis, vires deficere, & magnis passibus ad occasum tendere vitam; ut ergò ritu saltem Christiano mori videretur, accivit è vicinia Sacerdotem, cui pro forma more pharisaico, stylo purè recitativo sine vero emendationis proposito, sine vivo contritionis actu, sua expromeret peccatilla; sic enim vel hodie horrida sacrilegia moderni pseudopolitici baptizant. Erat tunc temporis Cordubæ Gabriel memoratus, seduli operarii munere totam per urbem strenuè perfunctus; accurrit ad ægrum properè vocatus, at cùm nosset ex diffusa ubique fama, hunc Virum grandi odio toti etiam urbi comperto jam pluribus annis in vicinum flagrare, renuit categoricè, confitentem priùs audire, quàm palmare illud odium animo suo coram testibus ejecisset, hosti suo præsenti ex integro reconciliatus. Rectè & candidè eum suo patiente præsens egit animarum Galenus; dixit ægro in faciem, hoc fac & vives. Fuisset Gabriel plùs commodi sui quàm alieni amantior, palpum obtrusisset confitenti, ne Nobilem irritaret altius ima pectoris fodicando? fecisset crucem indigno, id autem, quod ægri aures flagellasset, penitus dissimulâsset. O quàm multæ hodie animæ pereunt hoc uno ex defectu, quòd confessarios nactæ sint nimis pusillanimes, nimis laxos, nimis discolos, & gastrimargos, qui neminem audeant offendere, neminem seriò velint de periculo salutis admonere, timentes stolidè, ne illustres personas illas, quibus confitentibus præbent aures, & à quibus multa hucusque mü-

K.
Notæ in mutos & divitum palpones Confessarios.

munera, multa solatia retulerunt, à se abalienent, dicendo veritatem. Nolim ego cum hoc palponum cœtu æternitatem adire; his enim certum exitium præcinuit (9) Sapiens: *qui timet hominem, citò corruet*, ita quidem, ut vix unquam ad meliorem vitam resurgat. Non sic Gabriel verus nominis Archiater & animarum Curio indefessus; ut jam dixi, in faciem ægro dixit Gabriel, nolim ego animam tuam medicari, nolim agere Confessarium tuum, nisi antè serio totum rancorem in hunc conceptum proscribas, & præsentibus ex præcordiis ignoscas. Terruit hæc loquendi libertas ægrum nobilem, & eam in sententiam deduxit, ut saltem forinsecus singula Patri promitteret. Mox ergò vicinus accitur, à quo tot annis vatiniano livore conclamatus æger dissidebat. Jungunt ambo dexteras coram testibus, veniam dant mutuam & precantur, amicitiam solenni forma stabiliunt, & omnes simultates ultra Balthicum mare profligant. Sic tandem Confessio excipitur; sic de piaculis æger absolvitur; sic Sacro CHRISTI Ferculo munitur, sic veluti Christianus athleta etiam Oleo Sacro contra stygem roboratur. Gaudebant lectulo affusi, & vicini, hæc inter capita compositis esse feliciter animos, tot annis disgregatos, posito rancore reparatam esse amicitiam tot votis hactenus exoptatam. Agebantur hæc circa vesperam, ita feliciter, ut crederent, his sacris etiam novas vires fractum corpus recepisse, sed longe aliam scenam nox illapsa detexit. Sole sub occiduo etiam vita occidit ægrotantis; moritur nobilis paulò antè omnibus nævus expiatus eum moriente die, & quem vix animam agere notabant, jam factum vident funus; Id licet repentinum esset, una tamen omnium vox erat & solennis applausus: O Deo sint laudes, & gratiæ immortales, quòd hosti suo reunitus, sacris omnibus ritè præmunitus diem obierit supremum, cœlo utique non exciderit, ultimo in articulo Christiani hominis officio ita probè defunctus. Requiescat in pace! Ita quidem homines judicabant, aliter DEUS. Illi juxta faciem, hic juxta mentem; Illi secundùm verba & extrinseca facta, hic secundùm corda; illi juxta manuum mutuò datarum actionem, hic juxta intentionem; Verbo illi falsum judicium judicabant, hi verum re-

(9) Prov. 29.

ste Psalmista (10) *judicia Domini vera, justificata in semetipsa*; in his nihil unquam scenicum, nihil unquam simulatum, sed & nihil unquam dissimulatum; in his nulla unquam ignorantia, nulla passio, affectus nullus. Ah nemo dicat, rem undique salvam esse, si preces fudit, si veniam dedit, si confessus, si Sacro Epulo refectus est. Verbis & factis etiam corda respondeant, aliàs cœca erit & plumbea devotio. Menti rancor hæreat, quidquid os proferat, DEUS præcordia spectat, nec se incruento Eucharistiæ Sacrificio placari patitur, nisi ex corde, imò ex animo venia hosti data sit candida sincera verbalis simul & mensalis, hic rhodus hic saltus. Qua morte mortuus sit nobilis iste beata an damnata? mox patebit. Tertio die ab obitu magna cum pompa & urbis pænè totius affluxu Sacros intra Templi parietes tumulo illatum est cadaver; celebratæ sunt exequiæ more solito, sacra lecta ultrà mille; dicta simul splendida panegyris, quâ vel maximè ultimus articulus laudem tulit, quòd paucis ante obitum horis adhuc in gratiam redierit cum hoste suo, inde sacris omnibus ritè instructus, visus sit in Domino vitam fato mutare ac mori. At quod lucrum, quod emolumentum ex his omnibus mortuo affusum? nullum. ex tot sacris? nullum. ex tot precibus & officiis? nullum. ex tumulo intra Ecclesiam parato? nullum. ex fusa panægyri? nullum. de hac potius dici poterat Hieronymianum illud: *laudantur ubi non sunt, & cremantur ubi sunt.* Illa nocte, cujus prævia die expedita erant Divina, ephæbi duo Collegium pulsant, & mortui Nobilis Confessarium evocant, præsentem proscripto metu secum ire jubent ob causam, quæ magnam Dei gloriam spectaret; sic præviis facibus ad Templum ducitur, in quo nobilis jacuit humatus; dantur ei claves, quibus sacras ædes recludat; his apertis ad principem Templi Aram deducitur, in qua sanctuarium stabat Sacro Christi Corpori asservando erectum, jubent id quodque recludat, & Sacram pyxidem ad usque Nobilis tumulum deportet. Huc ubi ventum est, ait alter: O Pater hîc jacet scelestum caput. Visus est ante obitum pœnitentiam agere; visus est ante mortem hosti suo veniam dare, visus est confiteri & Sacræ ac-

(10) Psal.

cumbere Mensæ, sed visus est, reipsa pharisæum egit & hypocritam; simulavit se suis de peccatis dolere; finxit se veniam hosti suo indulgere; quæ dixit, ore tenus dixit, non animo; animo potiùs constans rancor inhæsit, quò statuit injuriam duplo vindicare, utprimùm sibi redditus vires & vitam firmâsset. Sic quem omnes credebant in Domino mortuum fuisse, mortuus est in dæmone; hinc æternus phlegetontis hospes jam uritur & crematur; Sacra illi Hostia ea amnum in lingua hæsitat, hanc ergò ore libera sacrilego, & liberatam arcæ restitue. Dictum factum, ephœbi seu coelestes Genii pedum pulsu tumulum reserant, patet intelix cavea, damnatum cadaver caput exserit & linguam, impius Judas sacratissimum, quod gustavit, ferculum adhuc integrum ex ore in Sacerdotis dexteram effundit, restituit ille charum Pignus Capsulæ suæ; quô factô genii duo iterum pedibus tumulum pulsant, & ecce funus stygium ocius immani casu suo cum tumulo in profundum ita properat, ut oculis suis nihil assequi posset Pater. *Facilis descensus averni, sed revocare gradum, superasq; evadere in auras, hoc opus, hic labor est*, sed irritus, sed frustraneus, finitis hisce spectaculis Patrem literarum ad Collegii portam ephœbi comitantur; hic dum valedicere Sacerdos orditur, & oculis ephœbos prosequitur, ex oculis evanuit uterque.

Hem quàm altas & firmas in hominum præcordiis radices agat odium & rancor! hem quàm picea res animô receptabilis est, quæ multos etiam ad inferos usque comitatur? Dabitur hic loci campus sanè amplissimus illos exagitandi, qui toto vitæ tempore rancores & odia intus excoquunt, aut prævis luxuriæ motibus indulgent, ac seriam harum pœnitentiam ad ultimum pænè articulum protelant, quasi verò tam facili negotio tunc valeat cordis augia expurgari: pœnitere aliqui volunt, cum vix amplius spirare possunt, redituri ad antiqua, si modò redierit salus pristina. Nempe quamdiu vivunt, malè vivere volunt, & tamen piè mori præsumunt. Errant isti & toto cœlo aberrant. Error iste innumeros cœlo exclusit & orco transcripsit. Plerumque actum agunt procrastinatores illi. Qui non sapit vegetus juvenis, delirus senex vix unquam sapiet.

piet, nil senio credatur; rarò probum faciet serilis ætas, quem improbum accipit. Pœnitentia ultimum in articulum rejecta incerta est, imò suspecta & infirma est. Sic clarè Aug. (11) *pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est; quæ autem à moriente petitur, timeo ne & ipsa moriatur.* Hæc omnia nimis quàm vera esse testatum reddit præsens Nobilis; sed nolim, ultrà hic locorum morari. Id probè notetur, quod præsens tragœdia repræsentat. En dicti veritatem! Irritæ sunt preces, eleemosynæ, Confessiones nostræ, rancore aut vindictæ spiritu intus in animo sedente. Respuit sacrificium felle tinctum Deus. Ipse (12) insonat per Oseam: *misericordiam volo & non sacrificium.* Olim pharisæi ab omnibus victimis suis studiosè removerunt fel, ut legi antiquæ obsecundarent, interim animo iram & odium, virus & fel, rancorem & invidiam in Christum fomentabant; hinc in illos fulmen illud Justum Numen detonuit: *væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ!* væ qui ore composito amicitiam simulatis, animo vindictam coquitis? talis erat pharisæus Nobilis hodiernus, pharisaica morte extinctus, & cum Evangelico Euclione in orco sepultus, templò ejectus, quia templò erat indignus. Sapiamus hujus damnò & adhuc hodie seriam pœnitentiam prensemus, *diligamus inimicos nostros*, ut juxta Christi oraculum (13) *simus filii Patris nostri, qui in cælis est.*

Amen.

11) S. Aug. ser. 57. de temp.

12) Ose. 6.

13) Matt. 5.

# CONCIO XXXI.

# DOMINICA VI. POST PENTEC.

*Misereor super turbam. Marc. 8.*

## Auri sitibunda Xantippe.

INter Attributa Divina, ut alibi probatum est, nulla quidem realis distinctio, nulla datur differentia AA. Deus ex se immensus, infinitus est, nullo ævo, nulli tempori affixus, sine principio, sine fine, ab æterno in æternum; *neque aliud non Dei sunt, & ipse Deus*, ut loqui solet (1) Aug. *anni Dei æternitas est Dei; æternitas Dei ipsa est substantia Dei.* Sic infinitè sapiens est, infinitè bonus est, ut Sirach (2) meminit. *omnis sapientia à Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante avum.* Vis ac virtus ejus iterum infinitè magna est, infinitè potens est. Omnia potest, quæ vult, aut velle potest, exceptô peccatô & illis, quæ actu contradictionem involvunt, ut montem sine valle producere, quod in terminis implicat; hæc si posset, seipsum ac summam Bonitatem suam destrueret, cùm malo summo summum Bonum misceretur, & summa Veritas seipsam mendacii redargueret, quorum neutrum somniari potest de Deo. Hic locum semper habet illud (3) Angeli Caduceatoris è cœlo in terras ad Virginem ablegatis *non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Verba Dei facta sunt. Una voce *fiat* olim cœlum ac terram ex suo nihilo in hanc lucem produxit: *fiat lux, & facta est lux. Fiat firmamentum & factum est ita. Fiant luminaria in firma-*

(1) S. Aug. in Ps. 101.
(2) Eccli. 1.

A. Inter attributa Dei aliquem habet primatum Misericordia.

(3) Lu. 1.

*firmamento cœli, & factum est ita &c.* Sic de omnipotentia Dei sacer Codex (4) loquitur. Adhæc Deus etiam infinitè justus est; hinc Psaltes Regius (5) exclamat: *judicia tua abyssus*, sine fundo, sine termino. Quidquid tamen sit, hæc Dei attributa ita sunt æqualiter infinita & sibi mutuò innexa, ut amen hæc inter quasi primas ferre videatur *Bonitas Dei*, *Amor Dei*, *Misericordia Dei*. Ratio hujus est, quia hanc præ aliis terræ spectandam exhibet & adorandam. Id in Deo pridem agnovit Vates (6) Regius; hinc voces illæ: *suavis Dominus Universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Idem palàm S. Mater Ecclesia testatur verbis illis publicè decantatis: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere.* Hoc misericordiæ Divinæ attributum Vitæ sunt modò quodam peculiari prensare & amplecti omnes tres in Deitate Personæ.

(4) Gen. 1.
(5) Ps. 35.
(6) Ps. 144. B.
Hoc misericordiæ prædicatum prensare videntur omnes tres Personæ in Deitate.

S. Paulo (7) hunc titulum signatè dictavit DEUS Pater: *Pater Misericordiarum & DEUS totius consolationis*; ideo nos ad parem Virtutis hujus cultum Tharsensis Orator eximulavit: *induite* (8) *sicut filii DEI electi & dilecti viscera misericordiæ.* Scimus, quid receptum sit inter ætate tenellos infantes; quò magis hi patri suo assimilantur, eò majori charitate à patre suo foventur. De hoc majori amore Divino certi sunt omnes illi, qui se Divini Patris exemplò Misericordiæ actibus & charitatis operibus studiosè impendunt; cum tamen alii omnes misericordiæ hujus expertes tanquam filii spurii & laterales à Divina charitate modicum participent. *Verbi Divini*, filii Divini Divinam Misericordiam suspicimus? Ah! quid aliud tota ejus vita extitit, quàm perennis Misericordia? Qui venit omnes salvos facere, omnes animas cœlo luctari, etiam in corpora viribus per morbos exhausta misericordiæ suæ fluenta effudit; qui nos Cibò instruxit Angelicò ad vitam, omnibus etiam corpore famelicis vitæ temporalis media ubertim suppeditavit, si modò vera cum fiducia fores pulsatæ sunt Divinæ. Patet id abundè hodierno ex actu, quo prodigiosè quater mille cibavit, Dei gratia jam prolixum iter emensos, & viribus fractos allectas: misereor inquit ipse *super turbam; jam triduò sustinent me, nec habent, quod*

(7) 2. Cor. 1.
(8) Col. 3.
1. Pater.
2. Filius.

*manducent;* jejunos si dimittam, timendum fuerit, ne in vi deficiant. Nil dicam de peccatoribus, de peccatricibus, magnô pariter numerô post vestigia CHRISTI profecti: de his enim in specie fusiùs agere constitui in proxima Tu. Clement. paribus historiis de infinita DEI Misericordia co cionatorium in morem instruenda, sicut modo in Tragica finita illius Justitia ad peccatores à vitiis abstrahendos prod ceitur. Premebant CHRISTI terram inambulantis vestig magnô numerô, infirmi, paralytici, hydropici, hectici & dæmonibus miserè obsessi, energumeni. Sic ergò Animarum Medicus, quamcunque viam capesseret, secum quasi probat cam piscinam circumduxit, quâ omnis lues abluereturAng lo duce. Inde quò ardentius etiam hæc corporalia Misericor diæ opera CHRISTI assecla exercuerit, tantò plus grati sibi de CHRISTO pariter promittere poterit. Pari ard re etiam Spiritus Sanctus hanc Misericordiæ Virtutem proso quitur, ac liberaliter in quosvis dispensat, ideò *paupe Pater & animarum Consolator* salutatus; quidni etiam illa gratiâ suâ illustret, qui prompta charitate pauperculis ac currunt, eos contrà odiô proscindat, qui miserellos pessim quent, emungunt, exsugunt, & in extremam pauperiem v volvunt.

3. Spiritus S.

C.

Homo homini Deus, Homo homini diabolus. Illud per misericordiam, hoc per avaritiam verificatur.

Latini duplex habent proverbium; utrumque suam periphrasin meretur: primô dicunt, *homo homini Deus est*, alterô, *homo homini diabolus est.* Sensus est: homo erga vicinum suum sæpè personam egit junioris Dei, sæpè etiam partes ac diaboli. Nos hunc in modum præsens oraculum explanem Sæpè homo alteri homini esse videtur DEUS, sæpè diabol unde hoc? exhibeat alteri misericordiam? tanquam terrest Deus passim coletur, cui proprium est misereri; sibi adeò p rem Divinitatis titulum vendicant misericordes, ut non tan tùm Altissimi, sed ipsi etiam Dii valeant salutari; quod jam pridem Psaltes innuit (9) Regius *ego autem dixi, vos Dii & filii Excelsi omnes.* Plinius risit olim Romanos, quòd ultrò tercentum Numina fabricarent; cum autem sanctius re hanc excuteret, iterum eos laudibus extulit. Cur? sic enim providi Romani omnibus ac singulis viam monstrabant, qui

(9) Ps. 81.

ad usque immortalitatem eveherent, & Diis accenseri totis viribus collaborarent. Id maximè obtinetur, si afflictis & pauperculis Misericordia exhibetur. Huc omnes à potiori collimare nisi sunt Romani, & vel maximè Vespasian. Augustus; unde toto à Senatu concluſum, ei quoque suam stationem Deos inter determinare, quia nullum diem abire passus est, quo de pauperculis & malè pressis non benè mereretur. Hæc quidem gentilis est stoliditas, patet tamen ex ea, quô locô apud Ethnicos olim misericordia fuerit, locô nempe Divinô. Si ex Misericordia nobis nulla penitus misericordia substantialiter accrescat, quod fieri non potest, per hanc tamen Misericordiam ita extollimur, ut Deum à facie ad faciem coràm arbitrari, & ex hac visione uberes delicias haurire valeamus. Hoc ipsum stimulo fuit hactenus millenis Christianis, ut se ultrò ad misericordiæ opera extimularent, quia nôrunt, proximum ad Divinitatis fruitionem gradum esse Misericordiam. CùmAlex.V. Pont. Rom. præsens Evangelion meditando evolveret, dicitur sua ociosus in pauperes distribuisse, hinc de se jocô dicere auditus: Cùm Episcopus essem, dives eram; factusCardinalis, factus sum pauper, factus nunc tandem Summus Pontifex, totus sum mendicus. Imperatrix Placilla Theodosii Conjux, auditis pariter his verbis, *misereor super turbam*, tantos ardores misericordiæ pauperibus dispensandæ concepit, ut etiam pauperum casas iraeret, leprodochia, & hospitalia reviseret, & singulis manu propria largam stipem erogaret. Non placuit hæc humilitas superbientibus Aulæ palatinis, piam Imperatricem hoc ex capite suggilantes, ipsà verò insuper habitis mordacibus puncturis nihil uspiam deceptis Misericordiæ operibus remisit; expeditis omnibus hoc uno verè regali assertô impiam vulpinantium procerum crisin evertit: *dignum est imperiô, pauperibus eleemosynam elargiri*, quasi diceret, vobis nimiùm mucidis & jejunis aularum fungis nulla hoc in negotio fides haberi potest, quia manus vestræ nimis sunt piceæ; sic meis pauperibus vix tertia pars in eleemosynam cederet. Rationes sic dandæ, calamus vester oppidò fidelis sc. nihilominus jactaret, tantum hospitalibus, tantum ad manus pauperum ex Imperio Cæsaris expensum, ubi sæpè vix obolus pauperes manus attingeret. Satius

D. Fructus & effectus vocum harum: misereor super turbam &c.

tius ergò fuerit, & tutius, ut propriâ manu mea largiar, quàm ea vestræ petulcitati, vestræ rapacitati committam; ita scio evidenter, Sacram eleemosynam nulla sui parte mutilatam fuisse. Eadem verba, *misereor super turbam*, tam altùm animo suo infixit Eduardus Anglio Rex, ut nec regio parceret thesauro; quidquid à mensa Regia redundabat, ocius voluit in pauperes dispertiri; cùm autem tot cibandis non sufficerent residui cibi, hem ipsu argenteas lances & orbes Rex arripuit, easque in frusta comminutas pauperibo distribuit. Vidit hæc Aidanus Episcopus, Regiæ mensæ ab Eduardo admotus, mox ergò tanto misericordiæ actu obstupefactus, manum Regis osculari occepit dixitque. *O! manus quam pereat tam larga tam munifica & misericors Manus!* vim vota hæc habuerunt; cum enim post centum annos tumulus Eduardi recluderetur, notatum est, totum corpus in cineres defluxisse, exceptu manu illa salva adhuc & integra, quasi recèns à corpore suo avulsa. Noluit adeò Deus membrum illud à vermibus absumi, quô tot aliis in dies & annos firmata fuit vita. Divo Oswaldo Beatus Amedeus societur Saphojæ Dux. ad hunc mittebatur ex Gallia grandis legatus, qui cùm alia inter Ducem rogâsset, quot canes venaticos haberet, risisse & dixisse fertur Princeps, se illorum sat grandem numerum habere, hos cùm spectare vellet, in atrium manu duxit Legatum Dux, ubi duodecim grandes tabulas occupabant mendici convivæ, per Principem more solito cibati, his visis subintulit Amedeus, en hi canes sunt mei venatici, quibus statui cœlos venari. Imò his Deum ipsum venatus est Amadeus, illorum precibus & ardentibus suspiriis ad usq; thronum Altissimi sublimatus. Ita non tantùm in Amedeo sed omnibus aliis misericordiæ patronis id proverbiorum (10) videmus expletum: *corona sapientum divitiæ illorum.* Expendantur hæ in miseliorinox coronæ fabricabuntur, quibus Misericordia illorum in cælis coronetur. Hic autem S. P. Chrys. animadvertit, hoc solatii nullũ gaudere posse, nisi cũ Christo verbô dicat & factô, *misereor super turbam*, verba ejus (11) sic sonant: *expers erit omnis coronæ, qui non dixerit illud Christi, misereor super turbam*; imò quoquot hanc misericordiam tetris pedibus conculcant, nihil sanè ex barbarie quàm æternum *væ* reportant. Misericordia blando vultu excipiet post fata misericordes, dicetque, *venite benedicti patris*

E. Manus eleemosynaria non putrescit.

F. Per pauperes velut canes venaticos, cœlum imò Deum venatur Amedeus.

(10) Prov. 14.

11) S. Chrysost. hom. 5. ad pop.

*patris mei, percipite paratum vobis regnum* (12) *esurivi enim, & dedistis mihi manducare;* contrà verò æternum *væ* in barbaros & immisericordes pauperum ripaldos fulminabitur: *ite maledicti in ignem æternum; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Sic ergò in illis proverbium superiùs exenteratum verificatur: *homo homini diabolus*, sicut enim Misericordia pauperes ad usq; Deitatem sublimat, sic barbara & ferax immisericordia omnes truces tyrannos pauperum hostes in orcum præcipitat.

(12) Matth. 25. G. Væ illis, qui sunt avari & esse nolunt misericordes.

An rei hujus vivax testimonium desideratur? non procul hinc abeundum. Lustretur tantummodò Evangelicus Euclio (13) quem in orco sepultum memorat Script. quæ causa fuit damnationis hujus? Respondebit illicò (14) Aug. *pauperis ulcerosi, qui ante januam ejus contemtus jacebat, misertus fuisset, & ipse misericordiam mereretur.* Non ergò suas ob opes hic euclio damnationem incurrit sempiternam, sed quia opes suas arctè tenuit cistis suis conclusas, & nihil inde passus est pauperibus erogari. Nemo quærat, cur divites ægerrimè salventur, ut facilius sit camelum per foramen acûs transire, quàm ut opulentus atria cœli subintret. Ratio evidens est. Nolunt obolô privari; hinc toties à se vacuos pauperes dimittunt, sed quô lucrô? ut nec illis ullam velit misericordiam post fata exhiberi justus Deus, sed tot fraudibus & usuris plenos in abyssum miseriarum sine misericordia præcipitet, juxta illud (15) *quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Augustinus ulteriùs hoc in divite animadvertit, non legi de ipso, quòd aliis sua mutilârit, quòd pauperes exsexerit, aut eos verbis crudis ac verberibus exceperit, quod hodie multis crudioribus multis est in locis solenne, ita nec de ipso legi ait, quòd viduas pressérit, quòd pupillos suis fortunis expilârit, quòd pauperum bursas eventilârit, & communibus eleemosynis suum sit in lucrum abusus: *nihil horum* inquit S. P. (16) *de ipso memorat Script. erat quidam dives, verba sunt Script. sed de suo dives erat, induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè:* at vestes suas ritè solvit mercatoribus, sartoribus; gulam explevit, at nulla ideò nomina apud laniones, praxatores, hospites aut alios opifices contraxit; de suo solvit, non de alieno, quidquid vel in luxum vel in gulam expendit, *quod ergò crimen ejus*, pergit ulterius S. Pater, & tandem sic profatur: *jacens ante januam ulcerosus, & non adjutus:*

(13) Luc. 18.
(14) S. Aug. ep. 89.
(15) Matth. 7.
(16) S. Aug. Serm. 19. de verb. Ap. H. Probatur id per Euclionem Evangelicum.

*propter hanc solam inhumanitatem, quâ contemnebat pauperem mortuus est dives & sepultus est in averno; hic hic desiderat gutta-tam, qui non dedit micam, nonne accepit justam sententiam?* concludit tandem totum hunc discursum Aug. sequenti epiphonemate: *si hæc ergò pœna est avarorum, quæ erit raptorum?* quæ illis decreta fuerit pœna, qui non tantùm nil pauperibus dispensant, sed alios etiam ab his misericordiæ operibus impiè avocant, qui alios bonis suis defraudant, debita negant, protocolla transmutant; quod scio â multis sine ullo scrupulo lucri causâ sæpius tentatum esse. His Euclionibus fortè nimis erat absoletum divitis evangelici adductum exemplum, horum ergò in gratiam recentius adducam, & ne Viri querantur, se perpetim tangi & taxari, auri sitibundam feminam, veri nominis Xantippen adducam, quam olim tam viris quàm feminis in exemplum proposuit S. P. Greg. Episc. (17) Turon. Philander à Sitenvvald (18) rara definitione mulierem circumscripsit. Quærit is, quid est femina? & respondet, femina nihil aliud est, quàm *splendido luxu exornatum, fraudibus & dolis suffarcinatum Animal.* Si ulli feminæ præsens definitio tribui potuit & accomodari, ea certè huic ante alias omnes aptetur, quam promit Gregorio, fuit utique hæc lamia mille fraudibus obsepta, quas tamen larvata pietate probè novit palliare. Secularibus unà & Religiosis grandem rhinocerotis insum affinxit. Colebatur passim tanquam DEO dilecta Oratrix, multi se precibus ejus devoverant, persuasi, se lucrum feciſſe nescio quantum, si scirent, hanc Bertam pro ipsis rosarium deblateraturam, terminum hunc nemo carpat; quidquid enim precum fudit Xantippe, felis instar murilegæ profudit, sine mente, sine animo, ad fucum hominibus faciendum, interim tanta auri & argenti rabies præcordia cepit, ut varias technas easque sacras peculium augendi excogitaret; & nemo erat, qui precatricis hujus Nonnæ fraudes olfaceret, nisi cùm velut humi bos rueret fusa subitum repentinum. Cùm videret, tanto in pretio preces esse, quas funderet, statuit sub prætextu exoticæ pietatis novis fundis fuorum ora sublinere; alia inter finxit, se Divino ex instinctu Palæstinam visere, quam Deus suo fecit sepulchro insignem, unà quoque quot posset captivos eleemosynis hunc in finem corrogatis barbaræ tyrannidi subtrahere, firmiter decreviſſe, omnes proin ac singulos

K. Confirmatur recentiori exemplo feminæ hypocraticæ & avaræ.

(17) S. Greg. Turon. l. 1. de glor. MM. c. 106.

(18) Philand. spect. 2. Hist.

gulos rogare, pro redimendis captivis ſubſidium aliquod charitativum peregrinaturæ committerent. Sic grande lucrum ſperabat Xantippe, neq; eam ſpes ſua fefellit. Ubiq; enim grandem pecuniæ ſummam Chriſtiani contribuebant, rati ſanctius opes expendi non poſſe, quàm ſi tam piæ oratrici feminæ transſcribantur, pro tanto Redemptionis bono in Palæſtinam transportandæ. At ſint hactenus vultu ad omnem modeſtiam compoſito, geſtibus & ſermonis pientiſſimi tractu ac precandi ſtudio innumeros decepit, ita pariter hoc aſtu lucri cauſa tentato magnò numerò ſacros & profanos circumvenit. Collectam pecuniæ ſummam non in terram ſanctam pertulit, ſed clàm domi ſuæ in ſuos olim uſus ſub terris defoſſam occultavit. Raròprofunt impiè parta: ideò neq; hanc Xantippen ſua furta juvare poterant. Moram ex moris nectebat lamia, prætendere ſolita jam hanc jam illam rationem, cur ſe tam vaſto itineri necdum accingeret. Noluit ultrà ferre DEUS tantam hypocriſin & opum fraudulentam exactionem; vitæ filum Xantippe huic incidit, ut pateret, etiam in feminis verificari, quod pridem innuit (19) Pſalmiſta: *viri ſanguinum & doloſi non dimidiabant dies ſuos.* Extincta hac ſtrige, Epiſcopi mandato in collectam Palæſtinæ pecuniam ſeriò fuit inquiſitum: quæſitum acriter ex filia ejus; ex qua tamen nihil poterat intelligi; clàm enim mater omnia domi ſuæ infoderat; neque filiæ ſuæ fidebat, ne ab ætate ac ſexu omnis ſecreti impatiente proderetur. Sic totam domum circuibant ſcrutatores, & excuſſis omnibus angulis tandem altè ſepultum theſaurum in extima parte cellæ ſubterraneæ reperiebant. Noluit Epiſcopus de hoc iniquitatis Mammona quidquam ſibi vendicare, noluit inde vel obolum egenis diſtribuere, ſed eam, nec obolo ſummæ demptô, totam ut reperit, ſumma voluit ſepulchro injici, & ſuper infame mendacis feminæ cadaver jactari, dicens identidem tritam illam Script. (20) formulam: *pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Quid lucri hoc ex peculio retulerit, funeſtiſſimum lamentum per tres continuos dies è ſepulchro perceptum detexit. Auditum inde multoties: *urit me aurum, heu urit me aurum!* ne verò tantùm aures ſtygia voce percellerentur, ſed ipſi etiam oculi miſeriarum caperent experimentum, terrâ iterum eruta, ſe horridum ſpectaculum exſeruit; viſum enim eſt liquatum & candens aurum flammæ inſtar lucentis in os mulieris tanquam

(19) Pſ. 54.

(20) Act. 8. L. Lucrum ex mammona relatum.

quam rivus ardens influere, hac cum vocis horrisona appendice: *aurum sitiisti, aurum bibe.* Ex quo facilè colligitur, quô fomento suas inter flammas hæc sit Xantippe refocillata. Euclio Evangelicus non potuit guttam obtinere, ut fumantem linguam refrigeraret; hæc femina totum bibit flumen, & tamen sitis repressa non est, sed potius succensa; hic nempe locum habuit illud (21) psalmistæ: *ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* hic potus erit inexplebilis avari in æternum & ultra.

(21) Ps. 10.

Sicut ergò per misericordiam superius adducti Deum assecuti sunt, ad usque thronum Altissimi feliciter evecti, & quasi Deificati, ita modò pariter videmus, per immisericordem avaritiam, ubi pauperibus non tantùm nihil erogatur, sed illis etiam quæ sua sunt, perfidè subleguntur, ut hic factum, exitium maturari sempiternum. Misericordia reddit nos filios Dei, imò Deus, Deique similes Spiritus, at immisericordia, seu inexplebilis avaritiæ reddit nos filios sathanæ, imò ipsos Sathanas, & spiritus sathanizantes. His omnibus malis ut maturè liberemur, execramur hodie barbaram & immisericordem avaritiam, & sanctæ charitati servi assuescimus, quâ miseros & afflictos mortales ex animo amplectamur, spe freti, amores illis exhibitos, Deum nobis posita nostra illô gratiarum centuplô coronaturum. Amen.

CON-

# CONCIO XXXII.

# DOMINICA VII. POST PENT.

*Attendite vobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces. Matth. 7.*

## A stygе insaccatus Doctor.

TAm falsus Propheta non datur, quàm dæmon sit, & hæretici dæmonis discipuli, quocunque nomine salutentur Opt. AA. de diabolo Veritas inquit (1) Divina: *in veritate non stetit, & non est veritas in eo.* Protritæ veritatis specimen dedit jam in paradiso, ubi suô illô mendaciis hirsutô præsagiô, *nequaquam* (2) *moriemini* cum proto-parentibus nostris totum genus humanum perdidit, destruxit. Adjecit alterum primo simillimum, seu quod idem mendacissimum oraculum: *eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Hujus farinæ vaticiniis hanc etiamnum in horam pœnè innumeros seducit. Nulla, quæso, fidei huic mille mendaciorum fabro, etiam vera enuncianti deferatur; ita nos paternè monet (3) Euthymius his verbis: *ne damonibus unquam credamus etiam vera dicentibus; cùm enim ament mendacium, & nobis sint infensissimi, nunquam vera loquuntur, nisi ad fallendum veritate quasi escâ utantur.* Ut Steng. (4) perhibet, prostabat olim Norinbergæ pluribus annis mirabile quoddam speculum ex crystallo fabricatum, *vatidicum* vulgò dictum; quoties enim de re abstrusa, dubia & incerta reddi vellent certiores, castum puerum jubebant speculum introspicere, inde ab ipso percontabantur, quid intus spectaret? sic de visis puero apparentibus cuncta exactè speculum repræsentabat, quæcunque requirerentur. Duravit hæc vati-

(1) Jo. 8.

(2) Gen. 3.

A.

Falsissimus propheta dæmon est

3) Euthym. in Marc. 1.

(4) Steng. de sortit.

vaticinandi protervia multis annis, & nemo fuit, qui testatum redderet, se ulla unquam in re deceptum esse; sic vera semper de præteritis enuntiando, grandem sibi veritatis famam conciliavit. Multum boni præstitit hoc speculum, quotquot enim

B. Ei nec vera dicent credendum.

antehac opibus alienis piceas manus injecerant; quotquot furtivas carnis impetuosæ delicias avidè sectabantur, vel mœchi vel adulteri lenones, his à flagitiis seriò abstinebant; timebant nempe, ne furta clandestina, seu stupra, & adulteria hoc speculo proderentur. Diu tenuit hæc fallacia, nunquam in ipso crimine falsi deprehensa. Sic fidem firmavit, ut tantò fidentiùs ora tandem grandi mendacio illineret, cum enormi plurium damno & dispendio salutis. Erat par conjugum Norinbergæ, qui amica pace & mutua charitate perpetim gaudebant Deo ac superis dilecti conjuges; huic nobili conjugio jam multo tempore graves struxit insidias orcus, ut vel æmulationis teterrima grassantes spiritus excitaret, vel illos inter dissidia pareret. Placuit stygi occasio, cùm uxor ejus gravem ferret maturo pondere ventrem; hîc animos injecit marito, ut rescire cuperet, masculum an puellam uterô gestaret uxor gravida. Crevit in horas desiderium, ita quidem, ut qui hucusque grandibus diris stygium hoc speculum onerâsset, jam ultrò hoc ex vitro pasci ambiret curiositatem suam; adit proin solus cum puero innocente vatidicum prophetam, jubet masculum introspicere, qui ocius renuntiat, se bellum puellum crispatis comis rubentem & ridentem eminus intueri, sed ponè stantem rubiberbium civem matri ac puero colludentem. Hæc cùm etiam maritus spectâsset, & vicinum ex facie nôsset, ocius in pejus mutari maritus, animô coquere consilia in miserrimam cædem eruptura: quid inquiebat ad spectacula spectator, siccine meus iste vicinus ad meam? itane thori fidem uxor disregit, & amores mihi juratos in viciniam transtulit? non abludit à Patre puer, ruber ore patrissat; â me certè nulla hausit lineamenta. Gracchum me faciat cornutum rubiberbius adulter? non patiar ego tam immani flagitio thorum incestari. Ulciscar sceleratum proteram exscindam cum prole parentem. Dixit hæc & mox ardentibus furiis plùs ultra per stygem accensus, quà data porta ruit, & vicinum suum labis purum ac vitæ integerrimum

C. Vera nuntiat ut fallat. Probatur ex speculo Norinbergensi.

civem

civem retrò aggressus adacto in tergum pugione sub ipsam ædium portam mactat necat; inde pari furore percitus adhuc fumante gladio domi suæ etiam uxorem transverberat, ac fœtum uterô extractum in cloacam projicit, ipse verò tot malis in rabiem actus, & nunquam ultrà sibi redditus, animam vomit miserè tumultuantem. En finem toties dicta veritate quæsitum, quadruplex scilicet funus. Sic suos ludit stygius veterator. Vidit hæc præter alios innumeros vir magni nominis & antiqui candoris Spenglerus nomine, & doluit, tot animas per acheronticum ludionem fascinari, & in orcum devolvi! justô itaque zelô inflammatus etiam speculum accessit, quasi delphicum hoc oraculum in rebus dubiis consulturus at, unà malleô fortiter impacto totam speculi figuram comminuit, frendente orco, sed vanâ sine viribus irâ in malleatorem tentata, partes verò contusas una cum seriô involucro in latrinam abjecit. Sic totum orci vaticinium dissipavit, postquam duplex connubium evertit. O utinam hoc factum plures alii æmularentur, & quævis orci oracula ita cordatè profligarent, & plures certè animæ libertate filiorum Dei gauderent, quæ pessimè his præsagiis seductæ, orco cedunt victimæ.

*Attendite à falsis prophetis*, & vel maximè à fallacissimo Satana, qui per veritatem sæpiùs obtrusam, mera mendacia venit, eámque tragico tandem fine coronat. Lanam undique candidam stygius impostor foris ostentat, intus crudelem lupum ovium prædonem repræsentat. Notent hæc probè, qui subinde per annum sortes jactant Satanicas, ut resciant, quô matrimoniô sint copulandi, quò gentium sint moturi, & quid ipsis unô verbô futurum sit sequentibus horis cùm tamen de futuris contingentibus tam parùm determinatam possint veritatem orcini alástoresque expromere, quàm recubans sub fornice felis. Attingatur etiam per orcum veritas, id tamen nunquam accidet præsciente, sed temerario conjectante diabolo. Permittit nonnunquam hæc & alia etiam Deus, fortientibus ad pœnam, aliis omnibus ad cautelam. Sic ille dicitur variis schedulis varia mortis genera inscripsisse, ut resciret, quâ ipse foret morte periturus, in lecto, an in campo fune an ense? misit inde manum in peram schedis oppletam, & semper funem

D. Sortitio prava summè periculosa est.

funem protraxit. Credidit oraculo toties firmato sodes, & cùm infamiam patibuli gravissimè horreret, fatum insolens præoccupavit, & se ultrò domi suæ suspendit, ne sciiicet id muneris exequi carnifex cogeretur. Huc suis cum oraculis totam per vim obtrusis acheronticus lavernio respexit, persuasus, & eum suimetipsius carnificem fore truculentum, si toties funem produxerit; neque eum sua spes aut præsumptio fefellit. Juxta Tertul. (5) mendax homo suis mendacibus assertis id unum lucratur, ut nec vera dicenti credatur. *Dic quem fructum* (verba sunt Tert.) *mendacitatis suæ mendaciloqui reportaverit eum sanè, ut nec vera dicentibus credatur ultrà.* Ut quid ergo mendacissimæ stygi tam propera fides defertur? quid stultius fuerit? quid amentius dixeris quàm hosti credere? quid vesanius quàm ei fidem adhibere, qui *nunquam stetit in veritate*, tetit (6) Aquilâ, imò, qui etiam cùm vera loquitur, splendidè mentitur; eum enim in finem toties vera loquitur, ut incautos & nimiùm credulos faciliori negotio supplantet, & tantò evidentius veris falsa substituat. Deum immortalem! si vivis & toto adhuc corpore firmis ac vegetis tot technas struat, tot mendacia occinat, quas insidias parabit infirmis & proximè moriturisquot mendaciis fato proximos lactabit, ut pœnitentiam dispendat, ut animam peccato infectam in abyssum præcipitet, ut languidam voluntatem in objecti sceleris assensum, aut in patrati complacentiam detrudat, suique juris faciat detrusam! hic suas totas vires suas, omnes astus & fallacias expromit orcus, ut vel unico pravo ac deliberato cogitatu decumbentem impetret & triumphet. O quàm gravis & periculi plena hæc lucta omnibus illis accidet, qui valido adhuc corpore in omnem vitæ turpioris licentiam effusi scelera sceleribus accumulabant, spe impiper orcum fascinati, se ultimo in articulo vivis pœnitentiæ actibus totam flagitiorum iliadem expuncturos! non sine causa monuit suos Tharsensis (7) *nolite locum dare diabolo. Cur turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hospes.* Semel pro cordiis receptus ægerrimè proscribitur; & quem semel picis unguibus suis concluserit, haut facilè ultrà dimittit. Hic si alius unquam prophetam agit perennibus mendaciis hirsutum. Væ illi, qui patulas aures præbet lureoni, & suam illi voluntatem & affec-

(5) Tert. l. de Car. Christ. c. 5.

(6) Jo. 8.

E. Mendaci etiam vera loquenti, non creditur, cur dæmoni fides habetur.

(7) Eph. 4.

& assensum transcribit; hoc in agone ipsos etiam castissimos innocentiæ athletas, Deo suo perpetim mersos ascetas, virtute ac doctrina uberrimè instructos, artibus sacris & scientiis insignes magistros, suis sophismatis fecit perplexos suis vaticiniis, dolis & commentis in omnem pravitatis assensum proclives, quibus tandem immortui, rectà in barathrum defluebant, æternis ignibus formidandum. Firmemus hæc obiter palpabili exemplo, ut tantò fortius contra infernales technas militemus, quantò certius est, hoc in articulo etiam viros omni literatura excultos à stygе victos tartaro prædam cessisse. Satius fuerit, omnes aurium poros probè contra orcum oppilâsse, ne quid avernalis doli, fallacis vaticinii & mendacis commenti, imas possit pectoris fibras penetrare, & totum hominem depopulari. Nemo in dubium revocet facti veritatem; hanc præter alios plures proprio descripsit calamo consummatæ virtutis & doctrinæ author, purpuratus Ecclesiæ Pater (8) Bellarminus.

F. Repellatur maximè in articulo mortis

(8) Bellar. l. 2. de art. mor. c. 9.

Paduæ in Academia Italiæ varios inter artium Professores duo maximè Theologi eminebant. Horum doctrina ita Paduam illustravit, ut passim fama vulgaret, doctiores in Italia non reperiri; inde factum est, ut magnô numerô sanctiorum scientiarum candidati etiam remotis ex oris Paduam prensarent persuasos, se tantò beatiùs domum regressuros, si passim possint in patria testari, se horum sub magisterio in sacris fidei mysteriis profeciisse. Quod olim Poëtis erat Homerus, id Paduæ fuit Italis exterisque hoc nobile par fratrum, quos tam arcta necessitudine morum ac studiorum virtutis & doctrinæ fama conjunxit, ut propè diceres germanos. Hic sæpè pati videas grandem eclypsin scientiarum divitem apparatum, quia non rarò à virtutis studio studium sapientiæ disjungitur. Dantur utique multâ sæpenumero doctrinâ conspicui, sed unà summo in gradu tumidi, superbi, laxi, liberi, gastrimargi, nullius zeli, nullius conscientiæ, in omnem gulam effusi, in omnem audaciam projecti, qui nectar & ambrosiam in teterrimum virus transmutent. Hæc causa fuit, cur olim S. Ignatius, Lyræo (9) teste, se palàm visendum exhiberet laxo cuidam fratri, literis suis tantoperè immerso, ut nec precum ultrà nec semihorariæ meditationis tunc usitatæ curâ tangeretur. Hunc

G. Hic subindè viri etiam doctissimi à stygе infaccantur. Probatur exemplô Paduanô. Hist.

(9) Lyr. in Apoph.

ad hominis religiosi officium paucis hisce voculis reduxit: *fra-mi, plus de spritu & minus de scientia*, quasi diceret, h[a]ud jacturam ferre fixum est, satius fore, si ea tangat doctrina, quàm ut virtutem enervet & studia pietatis. His duobus Theologiæ Magistris neutrum defuit; clarebant enim ap[u]d omnes etiam procul ab Italia remotos tam pia eruditione, quàm doctissima virtute, quarum utramque largo quoque calam[o] orbi fecerant testatam. Hinc tantus eorum cultus, veneratio & authoritas excrevit, ut eorum voces vocumque syllabas meris pro oraculis captarentur. Nemo illos toto vidit anno nisi vel in templo rem inter Divinam, vel in athenæo suos inter Doctores & studiosos, vel in musæo domestico libros inter doctiores umbras, pridem vivis exemtos Authores. Nemo illos vel in mensâ convivas, vel in viridario deliciantes habuit collegas, quod passim aliis hoc ævo etiam trivialibus pædoribus maximè per Germaniam receptum, ut credant se diem ab hebdomadem perdidisse, nisi hunc vel illum probè ambusserint. Crapulam tamen hi duo contraxerant, quod jure mireris, pa[n]quotidianam, in seram usque noctem protelatam, sed ad Cleanthis lampadem oleô non vinô fluentem, librorum non scyphorum avidi heluones, quos utinam Germaniæ gulones stren[u]sectarentur. Ingenii & doctrinæ paritas, vitæ ac morum simi[l]tudo ambos mutuis amicitiæ vinculis ita nexuit & colligavit, ut tota urbe nulli se inter essent amiciores. Diceres binis [e]corporibus unam animam habitare. Diceres hic Pyladem [i]vixisse & Orestem; hîc Pythiam & Damonem spirare & consp[i]re. Nulla dulcior amicitia est, quàm si doctus sibi similem doctu[m] pariter amicum nanciscatur. Res oppidò cara sed rara est ha[c] amicitia, veri gaudii ferax unio. *O amici* dixit ille *nullus am[i]cus.* Nomen habent quamplurimi hoc mendaci ævo, qui vivant amicè, sed ex operibus amicitia probetur. Amicum cr[e]pant obsequium, & à tergo parant toxicum. *Trita frequen[s]que via est per amici fallere vultum.* Verba byssina, facta plu[m]bea. *Vox quidem vox Jacobi est*, Script. teste (10) *sed manus [E]sau*, hispidæ, hirsutæ, barbaræ, truculentæ, tuam in pernicie[m] exporrectæ. Multi alii fortunati sunt amici, quia cum fortu[na] rotantur & mutantur.

H. Ita studendum est, ut ne spiritus literis intepescat.

(10) Gen. 27.

Tempo-

*Tempore felici multos numerabis amicos,*
*Tempora si fuerint nubila, solus eris.*

Tollantur adipales mensæ, convivia, unguenta? *solus eris.* Trabeâ caput orbetur? in ordinem magni nominis Pambo redigatur? *solus eris.* Sit etiam optima & omnium firmissima ævi hujus amicitia, hæc tamen nonnisi ad tumulum procedit; inde ex oculis ex animo vanescit; hoc tam certum est, ut etiam in adagium Juristis receptum excreverit: *amicitia morte dissolvitur.* Quæ ergò & quàm mirabilis hæc fuerit amicitia hos inter duos Academiæ Doctores firmata, quam non tantùm nulla suspicio, nulla commendatio, nulla susurratio, nulla controversia, sed necipsa mors potuit dissipare. Rapuit tandem alterum horum ferox libitina, & mœstissimo luctu superstitis amici solitudinem opplebat; mitigavit tamen nonnihil acerbos mœrores vitæ innocentis memoria æternâ gloriâ dignæ in defuncto; quem enim non benè sperare jubeat tanta precum assiduitas? tanta sacrorum frequentatio? tantus castimoniæ cultus? tanta salutis in ævum assecurandæ cura? tanta mortis in Domino obeundæ præparatio? decessit sacris omnibus pientissimè munitus, sacra Exhomologesi sæpiùs etiam suo in articulo expiatus, & tandem sacrô quoque Oleô ad luctam & agonem ultimum maturè instructus. His & aliis fortibus argumentis persuasus alter, firmiter credidit, amici sui animam rectâ lineâ è lecto in cœlum avolâsse. At quàm longè alia sunt hominũ judicia, quàm iterũ alia sunt Dei judicia! de his ipse Spiritus Sanctus (11) enuntiat: *judicia Dei abyssus*, quam nullus hominum, nullus Angelorum penetret intellectus. Centies imò millies hic loci decipimur mortales, ut jam alibi dictum est hôc annô. Quò hujus Doctoris anima corpore suo educta migraverit, ocius ex ore ipsius defuncti hauriemus. Sedebat fortè divinis pro mortuo expeditis, in seram noctem ad pulpitum more suo amicus, se ad publicas theses altera die propugnandas fortiter paraturus, en subitò janua musæi reseratur, & se amico suo præsentem sistit amicus, eo vestium cultu amictus, quô in vivis utebatur, hoc uno discrimine à vivo distinctus, quòd oculi scintillarent, & è vestibus undique velut è furno grandes flammæ prorumperent. Horruit primitus ad horridum amici aspectum, & vox faucibus hæsit;

I. Amicitia ultra mortem protensa.

(11) Ps. 35.

K. Judicia Dei longè alia quàm hominum.

cùm autem amici desiderium amico succurrendi in momento crescceret, animos resumpsit his vocibus amicum funus cordatus spiritu affatus: dic amicorum intime quæ facies tua? hæc tuæ incendia? an pœnis purgantibus post fata cruciaris? quousq; tui cruciatus extendunt? quis juvandi modus? an eleemosynis, an precibus, an jejuniis & peregrinationibus ardens focus extinguatur? dic, quibus mediis æviterna salus maturetur? nullis ego pecuniis parcam, ut te his flammis eripiam. Noctes atq; dies supplicies ad sidera palmas extendam, ut animam foco subtrahat clemens Deus. Si opus, etiam pane & aqua contentus tuæ salutis gratiâ vitam toto annô extraham. Ibo, si Deo placet, ad Apostolorum limina Romam tuo nomine peregrinus, in Einsidlum sacram Helvetiæ, Cellam Styriæ, Oettingam Bavariæ, Compostellam Hispaniæ, vel etiam Jerosolymas usque ad Dominici nostri sacerrimum sepulchrum, eò quò digitum extenderis, mox craſtinâ profecturus. Te ego, ut nôsti, imis semper è præcordiis amavi; neque mors tua hunc amorem meum extinxit, sed eum potiùs novis flammis ex illis, quas coram video, accendit. Terminum ponat amori meo fallax mundus, transgredias. Limites figat huic amori meo procax mundus, transiliam. Ite ergò quibus modis ac mediis tua possit salus festinari, modos omnes ac media quantocius apprehendam. His dictis, suspiriis imis è præcordiis educto hæc in verba flagrantem & fumantem linguam suam resolvit umbra: Cessa pro me preces & vota effundere, jejunia & eleemosynas tibi uni reserva. Nihil lucri ad me defluet, si pro me totum etiam orbem peragraveris. Ego in statu sum, ut hæc omnia unum in cumulum coacervata mihi ultrà nihil penitus prodesse valeant. A Justo Judice Deo ad ignes damnatus sum æviternos. Esset horum atrocitas adhuc tolerabilis, si post mille annos, post millies millenos annos ignes hosce scirem extinguendos; sed actum & conclamatum est. Tu si solares æstus æstivo tempore subterfugias, cogitare poteris quid in æternis ignibus sint mille anni; hos tamen & alios iterum millenos patienter sufferrem, modò spes mea eminus finem attingeret videndo. At quid mille, imò millies annos allego? nôsti quid Christus dixerit: ite maledicti in ignem æternum. Finem doleo, quem nullo unquam tempore invenio. Durabit igni-

L. Concio Itygia.

ignis iſte, quamdiu Deus erit Deus. Effundat damnatus ſingulis mille annis unam lacrimulam, eique dicatur, tantas ſi lacrimas emiſerit, ut expleant oceanum, finem fore pœnarum, eſſet ſanè, quod gaudioſè tanto ſe tempore lactaret, at horrida æternitas omnẽ ſpem detruncat, omne ſolatium poſt mille millia hauriendum averruncat; hæc una æternitas ita formidabilis eſt, ut ſi tota ejus pœna muſcæ unius morſum non excederet, tamen intolerabilis foret; nunc cùm omnia ibi confluant tormenta, nihil ſanè præ illo cruciatu erunt mundi totius tormenta, quàm pulvis & umbra. O æternitas quàm longa es! o æternitas quàm rarò te ritè expendunt mortales! quis te verbis ſat explicet æternitas! non mihi ſint linguæ centum, ſint oraque centum, dicere valeam quid ſit æternitas. Quamdiu Deus Deus eſt, tamdiu durabunt etiam tormenta illa, quæ nec verbis poſſunt exprimi, nec mente ruminari. Væ nobis, qui nati ſumus, & nunquam mori poſſumus! mors hæc ſine morte mors eſt, ſine fine finis, ſine vita vita, quià à Deo & ab æterna vita æternùm ſeparata, ab Angelorum & omnium Cœlitum ſocietate æternùm ſejuncta, diabolis & omnibus damnatis æternùm ſociata; ubi æternus dolor, æternus ſtridor, æternum væ, æternum pœnitere, æternus clamor, æterna deſperatio in æternum graſſatur; heu mihi heu mihi! audiit quidem hunc horrificum ſermonem amicus; cùm autem inexſpectatæ damnationis hujus nullam adhuc cauſam reſciret, novis quæſtionibus umbram adortus, eam ſibi paucis exponi petiit. Ad quæ iterum hunc in ſenſum damnatus: cùm jam in extremis agerem, venit ad me tentator diabolus formam Theologi mentitus, & cùm ſciret me Theologicis ſcientiis apprimè inſtructum eſſe, quæſiit ex me peramicè, quid crederem? Reſpondi ego, me totum id credere, quod in apoſtolico ſymbolo veluti fidei nucleô concluditur. Mox iterum ad me veterator ille, habere ſe contra hos articulos unum vel alterum dubium, quod ſolvi rogaret, cùm ſeipſum tricis nonnullis expedire non poſſet. Condixi, & per ſymbolum Athanaſianum explicui Apoſtolicum. His cùm necdum aquieſceret, ſolidum arietem in me movit, & contrà ſic arguit: non poſſunt hæc probari: Deus enim tamdiu pater non eſt, quamdiu Deus fuit, ſed prius eſſe debuit Deus, antequam pater exiſteret. His

auditis reposui quidem, hanc doctrinam pridem damnatam esse, dixi eam quoque non sine gravi vocis accentu & animi moti hæreticam doctrinam, diabolicam doctrinam, indignatus eam reproduci, quæ pridem essent à Conciliis explosa, partem nempe nec ab æterno, consequenter nec filium ab æterno filium fuisse. Vidit Iavernio se invisa quæstione stomachum ægro movisse, mox itaque ad me iterum iterumque: parcius virorum optime, ut veritas indagetur, non clamoribus agendum est nauticis sed vivacibus argumentis. Quid ego hic sentiam exactè scio; ad eos tamen mihi exactè si responderis, me grandi errore liberabis, & novo tibi beneficio obstringes. Hem optimi AA. quàm bene subinde per ipsos jam damnatos lemures sua urgeat judicia in terris Deus propalari, aliis omnibus ad perennem cautelam. Coactus est orcinus iste spiritus amico suo totam damnationem suam, & damnationis causam patefacere hunc in sensum: dum viverem nullum horrui argumentatorem, persuasus, ita me meis in Theologicis principiis & omnibus abstrusis sententiis fundatum esse, ut vel cum ipso dæmone de SS. Trinit. mysterio disputare præsumerem, certus de victoria etiam à stygio alastore reportanda. At expertus sum modò, quid Angeli licet damnati ratio possit in hominem & intellectus; devolvit ille tanto in me cumulo Scripturas malè detortas, Patrum authoritates pravo sensu expositas, rationes contra me affabrè tornatas, argumenta undique speciosa & sophismatis suis adeò arctè me concludit, ut nullus esset effugio locus; sic tandem de articulis sole ipso certioribus paulatim dubitare occepi, tandem eum in errorem ac hæresin plùs quàm Arrianam dilapsus, ut nec patrem imò nec filium, multò minus Spiritum Sanctum esse Deum crederem. Dedi huic decumano errori assensum, cui etiam immortuus sum, & coram divino tribunali tanquam formalis hæreticus justo judice Deo sententia fulminatus sum æternæ damnationis. His dictis tota ex oculis gemens umbra evanuit.

M. Superba & temeraria præsumptio Doctoris punitur.

Hem præclarum specimen orcinæ fallaciæ. Ita etiam doctissimos in agone triumphat, si aures præbeant lavernicæ. Ita calcaneo nequam insidiatur seu ultimæ cogitationi nostræ ut ea suo cum assensu in hæresin, in rancorem & odium, in lasciviam aut aliud objectum peccaminosum feratur. Has si insidias

piis & omni doctrina conspicuis struat veterator, inde facilè argui potest, quibus technis alios nec pios nec doctos subruere moliatur. Inde omnium pili jure sursum erigantur, si ultimus ille agon oculis nostris eminus repræsentetur. Superstes Doctor amici sui æternâ jacturâ & spectri supplicio perculsus, mox statuit Ecclesiæ Catholicæ fidem renovare, eámque assiduo professionis Catholicæ exercitio nullo non die reiterare, ut tantò firmius eam in agone tueretur, quantò altius eam animo suo adhuc vegetus impressisset. Paulò post ipsum quoque morbus fatalis corripuit lectóque affixit, ac funus fecit. Irruit etiam ad hunc ægrum stygius veterator, cúmque quid crederet exploravit. At hic malò doctus alienò, utut præstans Theologus esset, carbonariũ circulum minimè vitiosum pro scito assumpsit & omnia, hostis acerrimi tela felicissimè elusit. Dixit se credere, quod S. Mater Ecclesia credit. Urget hostis: & quid credit Ecclesia Mater? cui iterum æger, idipsum credit Ecclesia quod ego credo. Sic usque ad ultimum ut sic per circulum summè proficuum, nasò traxit stygium lavernionem; interim anima ritè in vivis expiata ad urnam migravit Divinam orci victrix media carbonarii fide, inde ad cœlos usque sublimata. Paucis post diebus vultu undiq; radioso quasi beatus amicis suis apparuit, eósque monuit ut secum pro facta per damnatum saluberrima admonitione immortales gratias Deo refunderent, quod signo erat luculento, eum diem suum longè felicius in terris obiisse, quem viderant gloriâ quasi cœlicâ vestitum. Dil. AA. Sapuit Doctor iste damnò alienò; Cum illo & nos sapiamus neque ullam fidem habeamus avernalibus sophismatis. Nec de ingenio præsumamus, nec de doctrina. Tentati sunt, victi sunt omnium victores, pii simul & docti Theologi, quid ergò nobis in fide tentandis accidet, qui ita rudes sumus, ut nec sciamus, quid sit credendum, neque id vel legendo vel audiendo addiscere quæramus. *Qui stat, videat ne cadat* (12) nec pius de virtute sua, nec doctus de doctrina sua præsumat. Locũ si dedimus diabolo vaticinanti, diabolo argutanti, hodie fores omnes teterrimo impostori obseremus; hodie carbonarii fidem reassumamus, & nec latum unguem ab hoc altero recens cœlis illato Paduensium Doctore recedamus verbò, resipiscamus, & sapiamus fortiter constanter cum secundo Theologo, ne cum primo damnemur &c. quod ter pium Numen avertat! Amen.

N. Ultimum articulum jure omnes exhorrescant

O. Fidem Carbonarii docti assumant & indocti

(12) 1. Cor. 10.

Concio

# CONCIO XXXIII.
# DOMINICA VIII. POST PENTECOST.

*Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis Luc. 16.*

## Æquissimô judiciô fulminatus Euclio.

MIrabilem sententiam præsens Evangelion conclud
Opt. AA. jubemur nobis amicos conciliare res iniqu
tatis Mammonam. An ergò vitia serviant virtut
an ex malè partis Christianæ charitati litetur? an e
bonis alienis, furto alteri ablatis licita eleemosyna
pauperes erogetur? an coriario elaboratam pellem ritè subleg
ut inde nudos miserorum pedes expediam? hæc ego non cap
qui semper audivi, malè parta malè dilabi, nec facienda esse m
la, ut eveniant bona; undè ergò per Mammonam mihi amicos
riam? ubi malum est suppositum, omnia & singula, quæ inæd
cantur, pravitatem contrahunt. Ubi impiè partæ sunt pecun
ex illis nil utique aliò dirigi poterit aut devolvi, nisi ad ipsum
nominis dominum ac possessorem, ita Sirach. (1) *qui offert sac*
*ficium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in co*
*spectu parentis.* Hæc cruda tyrannis foret, & cum ea tamen
crificium ex iniquo mammona confertur; unde facili negotio p
tium arguas sacrificii memorati. Audiamus hac super re Aug
*ait mihi raptor alienorum; ego similis illius divitis non sum: ag*
*pes facio, vinctis in carcerem victum transmitto.* At di
*reputas? tollere noli & dedisti. Cui dederis, gaudet, at cui a*
*stuleris, plorat; quem duorum istorum exaudiet Dominus? in*
*tellige stulte, cùm pascis Christianum, pascis Christum, cùm sp*
*lias Christianum, spolias Christum.* Hæc & alia de iniquitat
mamm

(1) Eccli 35.

A.

Ex bonis iniquis nec coli vult Deus nec placari.

(2) S. Aug. Ser. 19. de Verb. Ap.

mammona differit Augustinus. Id quod scripsit Africanus Pater, etiam opere complevit. Posuit fortè ad sacerrimos pedes ejus grandem bursam aurô turgidam dives euclio eum in finem, ut inge sacras ædes ac Dei Templa splendidè ornaret, rejecit totam summam Sanctus Pontifex, quia novit, ad id jus naturale binis ejus filiis competere, quos sine causa bonis orbare statuit paternis. Rem totam ipe narrat hac cum (3) clausula: *quicunque vult exhæreditaro filiô, hæredem facere Ecclesiam, quærat alium, qui suscipiat, non Augustinum, imò Deo propitio nullum inveniet.* Pari generositate Franciscani Patres furtivam stipem respuerunt, ut memorat (4) Spondanus. Miserat illis Henricus Anglorum Rex in vestium materiam grandes bigas, laneis pannis onustas, quos à mercatoribus contra jura extorserat. Remisêre bigas cum hoc dicto: nec sibi de rapinis licitum esse eleemosynas accipere, nec Regi dare. Sic Baronio (5) teste Liberius Pont. Max. Constantio Imperatori quingentos aureos submittenti, & Imperatrici totidem donanti, cordatè donum remisit cum hac appendice, det antè militibus suis stata salaria & stipendia menstrua, velhæc dari curet per alios, qui suis salariis milites defraudant, coguntque rapto vivere cum enormi civium ac plebejorum damno. Eusebio Magnati alios offerenti in faciem dixit Liberius: *tu Ecclesias expilâsti, & jam mihi ut egenti eleemosynam donas? abi, & ante fias Christianus.* Dicere voluit Liberius, tu quidem in summo gradu nomen crepas Christianum, & necdum infimum attigisti; hoc est, ut pueri norunt abecedarii, superlativum formare, qui careat positivô; *abi & antè fias Christianus.* Hiccine Christianus audiat, & in Christianitate toleretur, qui plus defert Christianorum juratis hostibus quàm propriæ fidei domesticis Christianis? qui tot cœnobia & templa, tot sacraria expilavit, ut taceam profana? qui tot pauperes fecit pupillos, & alienis se bonis per vim corrasis ditavit? *abi antè & fias Christianus*, jam certè necdum hominis Christiani characterem ostentas. Fac Deo etiam nobilem Ecclesiam ex bonis malè partis & impiè corrasis exædificari, nec ipse Deus suo pro habitaculo simile recipit ædificium, imò ipsos etiam diabolos mittit, quasi lictores suos, qui talem domum iterum subruant, evertant, & solo æquent dirutam, ut refert in suo exemp. spec. Brocardus. At quid totam ex malè partis erectam Ecclesiam allego? proscribit Deus ex campanili simplicem cam-

B. Iniquitatis mammonam rejecit Augustinus & alii, cum nec templis passi sunt inferri.

(3) Idem Serm. ad Cler.

(4) Spond. ad An. 1252.

(5) Baron. tom. 3. an. 315.

C. Ruit Ecclesia ex malè partis erecta, & fraudulenter fusa campana.

panam impiis artibus fusam & elaboratam. Scribit Henr. Canisius fuisse Aquisgrani in Belgio artificiosum vitrificem ac æ fusorem, qui sibi parem tunc temporis toto in Belgio dicebatur, non habuisse; cùm verò Tancho Monachus Benedictinus nobilem campanam fudisset, cujus amœnissimam vocem ac tonum ipse Imperator Carolus vehementer obstupuit, artifex illi invidiâ percitus in Tanchonem, & rancoris œstrô percussus, diri alium, & quidem Monachum, qui ipsi vel primas raperet æquaret, Imperatorem accessit, eique sanctè adpromisit, se majorem campanam quàm sit Tanchonica fusurum, quæ trigesimo molliorem gratiosiorem & clariorem sit sonum editura, quam altera per Monachum fusa modò Imperator necessaria huic operi curaret; petiit inde magnam cupri quantitatem & argenti libras centum, loco stanni campanæ applicanda; His positis ulem condixit campanam, ut altera huic collata censeri debeat quasi lignea. Carolus Templorum prodigiosus Zelotes, (ut enim ad oculum patet, tot templa Carolus erexit, quot literas numerat alphabetum, viginti quatuor; quorum primum erat *Aquisgranense* in Belgio, & ultimum *Tigurense* in Helvetia vulgò Zürich) Carolus inquam Templorum Zelotes, promisit se ocius curaturum, ut necessaria recipiat. Liquefactis omnibus materiis, impius Mammonista, argenti libras retinuit, eique centum libras optimi stanni subrogavit; fusa est campana ita feliciter, ut arte & industriæ ad amussim totum opus responderet. Placuit Imperatori campana, in qua nullus poterat defectus redargui; videbatur etiam sonus omnium vota explere. Cum plausu & solenni jubilo ad turrim sublimata, suô etiam malleô instructa jam exalta trabe pendebat. Exspectabatur avidè, quam vocem ederet ex alta turri editura; at ecce, dum totis viribus funes attrahunt, dum totam movent, gyrant, pulsant & concitant campanam, malleô ritè in utramque partem adactô, mutescit tota, & velut elinguis facta nullum penitus edit sonum. Credebant alii qui magico carmine fascinatam esse campanam invidia duce; eum in finem sacris amuletis & exorcismis urgebant vocem, sed irrito conatu; sic tandem moræ longioris impatiens artifex ipse turrim irruit, funem carpit, pulsat, rotat impetuosè campanam suam, & hem tertio ductu malleus è medio solutus rectà in ar-

tificis

tificis caput decidit, & funus facit artificem magistrum. Hoc nempe lucrum fuit, quod legit ex argento per summam impietatem retento, & stanno in illius vicem assumpto. Sic Deus adhuc hodie improbos mammonistas & opum perfidos corrasores fatô punit inopinâto utplurimum temporaneo simul & æternô. Avulso cadavere, tota pariter campana malleô suô soluta, ex alto decidit, & ruptis omnibus obstaculis, tam profundè in subjacentem terram penetravit, ut nullis inde machinis extrahi posset. Loqui adeò noluit, imò etiam in turri pendere noluit præsens campana, quia tot fraudibus compilata, substitutô in argenti vicem stannô, argentô propriæ bursæ illatô. Reperta est quidem in ædibus æritusoris hujus massa notabilis residui argenti, quam tamen ipse Cæsar in pauperes distribui voluit, ne argenti pars sincera per hunc iniquitatis Mammonam inficeretur. At dicet nonnemo hic loci, mirum non esse, quòd fatô subitaneô sit à Deo fraudulentus hic artifex correptus, sacrilegium nequam commisit, rapuit Ecclesiæ donata, Deum non homines expilavit, & fraudavit; furta profanâ, & fraudes purè seculares tantis pœnis non mactantur. Opt. AA. talia qui gruniunt, seipsos gravissimè decipiunt. Sit sacrum, sit profanum, quod alteri clepis bonum, *iniquitatis Mammonæ* est, quam iniquitatem justus DEUS & in hoc seculo & in futuro acerrimè castigat. Cogor horum in gratiam vivax exemplum producere, quod suis (6) stromatis fusè inseruit Nirnbergius, Author undique classicus. Nactus est germanos parentes, patrem Tirolensem, & matrem Bavaram, ex quibus Madriti in Hispaniæ meditullio sub finem lapsi seculi prognatus est, vir fuit Eusebius multæ Orationis & magnæ mortificationis, septem quotidie horas orationi, & tres duntaxat somno dare solitus; in se unum severus, in omnes alios blandus & plenus charitate, quæ boni superioris & probi nominis prælati evidens est characteristica. Libros scripsit in omni scientiarum genere ultra sexaginta, quos inter duodecim in folio exaravit. Suum in corpusculum singulis diebus ad sanguinem usque flagris desæviit, minima in se tanquam maxima castigare solitus. E cœlo edoctus mortis suæ annum, diem & horam designavit &c. ut fusè perhibet vita ejus, operibus illius Parthenicis Lugduni præfixa. Hic ergò tanti nominis Vir fide sua dignissimus Jesuita propriô calamô sequens factum enarrat.

(6) Eus. Nirnb. l. 5. strom. c. 24 D. Laus Eusebii Nirnb.

E. Exemplum mammonistæ fatô perfidiæ attemperatô extincti.

Erat Parisiis in Gallia Civis sat opulentus, qui præter alia terræ jugera etiam nobilem vineam recensuit. Placuit hæc vinea magni nominis officiali Regio, & ita placuit, ut eam votis ardentibus sibi cuperet ex integro vendicatam. Obtulit pretium æquivalens multoties civi, etiam paratæ monetæ summam annumerare paratus, modò vineam suam grandi cederet. At nec prece nec pretio moveri poterat civis, ut vineam tam rari liquoris parentem dimitteret. Sæpiùs hac de re solicitatus civis idem semper responsum misit proco negativum: vineam sibi ac familiæ posteris decretam nullo esse pretio venalem. Tulit quidem acerrimè repulsam toties iteratam officialis, & cum ei hunc in civem nullum jus aut dominium competeret, suis pro votis nec vindicare potuit repulsam. Desistit adeò à ceptis, donec alia se occasio exhiberet uberis viveti affabrè captandi, hanc ansam morbus præbuit & mors ei morbo prognata, quæ civem vineæ possessorem è vivis rapuit. Extincto Cive, Vineæ causam seriò procus reassumpsit, & quod nullo potuit jure à vivo nanciscì, id fraudibus & dolis extorquere studuit à sepulto. Eum in finem propriam in perniciem gallico usus est stratagemate penitus inaudito. Sumit in silentio duos lurcones perfidos cives, gyaris & carcere dignos conduxit, quos probè subornatos & larga mercede corruptos seipsum ad usque defuncti civis tumulum sequi jussit concubia nocte. Paruit uterque jejunus ac perjurus lavernio pecuniarum lucrô illectus. Ad tumulum delati mox glebam removent, & ad tumbam usque sibi viam sternunt terni nebulones. Reserant tumbam, cui recens commissum erat cadaver, jacebat antè oculos civile corpus animâ exhaustum, etiam vermibus suis circumseptum. *Auri Sacra fames quid non mortalia cogis pectora!* plùs ultrà grassari non potest euclionismus, quàm si posito omni pudore, & omni pariter horrore funditus profligato, in ipsa etiam cadavera lucri gratiâ debacchetur. Rectè cecinit Poëta:

*Detestabilius nil terra creavit avarô,*
*Et nimio lucri pejus amore nihil.*

Descen-

Hist.

Descendit in tumulum vineæ candidatus Grandis, & totam auri summam pro vinea coëmenda pridem viventi oblatam, sed nunquam acceptam, in manus tradit defuncti, inde ocius ad falsos testes conversus ait: hem domini mei, memores estote luculenti actûs hujus, quô testes oculati coràm videtis, hunc virum pro vinea tot aureos à me parata in moneta præsentatos, suas in manus accepisse, sine ulla reclamatione, sine ulla protestatione in contrarium facta; vos ergò testes mihi eritis, vineam mihi ritè venditam, & pretium vineæ purô aurô concluſum per me in civis hujus manus traditum esse. Probant contractum utrinque ratum bini nebulones, & manu condicunt stipulata, se hæc etiam jurejurando ad Judicis urnam testaturos; his factis, rapuit denuò bursam auro gravem ex manibus defuncti præsens Officialis, ac re optimè confecta, cum suis domum revertit. Altero die utrumque ad Judicem produxit Grandis, palàm ex ore duorum testatus, se civi huic totam summam pro vinea in manus dedisse, sibi proin jus in vineam competere, licet perpetim vidua reclamet; contractum utrinque firmatum, duplici testimonio roborari. Idem jurejurando solenniter affirmabant hunc in finem conducti & liberali congiario inuncti nebulones. Renuit quidem constanter vidua, nihil unquam à vivo conjuge venditum ex vinea, palàm protestata, sed contra torrentem. Coram mundo & seculari judicio jam causâ cum suis cecidit vidua binis falsis testibus convicta; at DEUS justus Judex & pauperum maximè viduarum amicabilis pater, ultrà noluit Judicum urnam decipi & innocentiam affligi. Accinxit fortitudine lumbos suos, ut tam horridam iniquitatem corriperet, & correptam justissimâ sententiâ fulminaret. Questa est vidua vineæ jacturam toti pænè Urbi, ejulans perpetim & lamentans se à pravis testibus circumventam à judice condemnatam, bonis cedere coactam esse, licet ea nunquam à vivente marito, nec ab ipsa ejus uxore vendita essent, nec nummus pro illis esset unquam suis ædibus illatus. Delata tandem ad Philippum Galliæ Regem controversiâ, binis iterum Consiliariis Regis eventilanda præsens causa committitur, ubi tamen altera jam vice rejecta vidua repulsam tulit, iterabat falsis testibus hoc etiam in judicio

prævalentibus. Parùm abfuit, quin mente mota mulier ipsimetipsis manus injiceret violentas; animos meliores dictabat vicinus, qui eam in sententiam deduxit viduam, ut ad Regis ipsius genua procideret, & ab eo erectis ad sidera palmis justitiam imploraret. Paruit afflicta consilio sanè salubérrimo vidua; sic enim votis suis celerrimè damnata totam brevi vineam recepit. Dimisit à se plenam solamine Philippus de causæ totius pravitate jam aliunde edoctus, eique cancti omnes Justitiæ cultum adpromisit. Postridie ad se in regiam utrumq; testem accersit, & utrumq; seorsim exagitat Rex: et primo quærit, an recitare nôsset totam orationem Dominicam. Stupuit ad insolitam quæstionem civis & annuit, imò totam istam orationem à capite ad calcem Regi suo evolvit. Hoc uno simplici actu totum stabat examen. Hôc dimissô testis alter subintrat, eumq; serio ac truci vultu hunc in morem affatur Philippus: age sodes, commilito tuus contestis actu mihi fassus est veritatem, totamq; rei vos inter transactæ seriem mihi, velut orationem Dominicam recitaret, coràm exposuit; idem si fassus ipseris, salva res; vita saltem servabitur; sin esse perrexeris in testando contumax, vespillo veritatis, curabo ut vel hodie ante solis occubitum litera fias longa, & sub dio spiritum evomas mendacem. Territus hac oratione nequam civis, mox se humi coram Rege suo abjecit, & ab ovo ad malum totam rei seriem explicuit, fassus unà quàm impiè, quàm sacrilegè cum defuncto egerit officialis, data in manus bursâ, & receptâ, quod etiam pro ipsos esset alterô juramentô firmatum. Sic ergò & alter dimissus pristinam libertatem recepit, prout condixit Philippus. Et quid Nobili actum, qui hos vaferrimos testes conduxit? in hunc eam sententiam detonuit, quam facti atrocitas jure suo exigere videbatur: referavit euclio ille nefandus sacros cineres, tumulos violavit, pios manes suis in loculis efronti perfidia & audibus verè stygiis aggressus: dignus proinde non est, qui terram obambulet, vivus adhuc hodie tumuletur. Dictum factum. Necdum sol occubuit, jam glebâ suâ extra urbem tectus et lavernio & suffocatus. Sic vidua juri reddita, vineam resumpsit; sic inaudito probrosæ mortis genere Mammonam iniquitatis luit Officialis, nullo habito respectu vel exhibitæ humilitatis

nobilitatis, vel obitæ dignitatis. Teſtibus vita manſit integra, ſed imfamis & probroſa. Inclyti AA. hactenus obiter detexi-mus, quid mali ſpiritus moliatur mammoniſticus; ut ſervos ſuos & mancipia exagitet, ut vitam perdat temporaneam, ac mori neſciam, æviternam; patet inde nihil infelicius eſſe iniquô Mammoniſtâ, fortunis malè corraſis ditato. His non obſtantibus ſe auri fulgore faſcinari patiuntur & implanari cœci mortales.

F. Ubique mammoniſmus grallatur.

*Corraduntur opes irritamenta malorum;*
*Jamque nocens ferrum, ferroq; nocentius aurum*
*Prodierat, prodit bellum, quod pugnat utroque,*
*Vivitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,*
*Non ſocer à genero, fratrum quoque gratia rara eſt.*

Ovid. (7) teſte. (7) Ovid. 1. Met.

Clamatur ubique ſtentorea voce cum Horatio:

*O cives, cives, quærenda pecunia primum eſt,*
*Virtus poſt nummos &c.*

Itur in ima terræ viſcera, & in ſede manium opes ampliantur, donec è cœlo ſcelus fulminet triſulco igne ter juſtum Numen. At ubi quæſtio ſuperius poſita & necdum eviſcerata? manet gordius ille ſuis adhuc plicis involutus. Si Mammona iniquitatis tantum mali pariat, ut nec DEUS velit tali ſacrificio placari, cur ergò præcipit hodie, ut amici quærantur ex iniquitatis mammona? gordius iſte vel ſolvi debet vel ſecari, quis ergò ſenſus fuerit vocum illarum? modicum inde lucrum euclionibus accreſcet. Omnis iniquitas à DEO reprobatur & caſtigatur; cum ergò vult amicos ex mammona conciliari, qui nos in cœlos ſubliment, alium longè ſcopum ſibi prima Veritas præfixit, quam phantaſticè fingant & ſommient eucliones, quem illum? non ut ex malè partis eleemoſynæ darentur, aut ſacrificia Deo libarentur; abſit! Tirinus verum promit ſenſum vocibus illis concluſum; ait ille, voluiſſe hic loci Deum pecuniæ naturam & indolem manifeſtare; pecunia ſeu juſtô ſeu injuſtô titulô corraſa,

G. Quæſtio poſita per malignantem pecuniæ naturam & pauperum curam reſolvitur.

rasa, justa phrasin hebraicam *Mammona iniquitatis* compellatur, quia etiam pecunia legitimè collecta tanquam malitiæ instrumentum passim omnibus servit ad flagitia millena & innumeras iniquitates; quis enim nescit, quantum mali ex fortunis ritè partis oriatur, si incautius tractentur. His certè millies Jura in Coriis violantur; his æquitas millies in Consessibus dissipatur; his subditorum jurata fides millies convellitur; his ipsum naturæ vinculum millies dissolvitur; his in pudendam castitatis prolicutionem candicans virginitas millies adducitur; his luxus & luxuria, gula & intemperantia millies fovetur; his innocentia millies opprimitur. Verbo:

*Aurô pulsa fides, aurô venalia jura,*
*Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.*

Ubi mammona grassatur, ibi mox fides & fiducia hallucinatur. Ubi aurum rutilat, mox nigro carbone tincta veritas caligat; hinc centies imò millies dimissa impietate, candicans integritas proscinditur. Ubi spes certa auri argentique largo pondere lætatur, itur adhuc hodie in curias & tribunalia tanquam ad auream messem, quod olim dicitur Stratocli receptum fuisse; qui per justitiæ gladium cum aliorum enormi damno & inedia grandes opes congessit; hic non facilè causa rejicitur, ut sit prava, impia & venenosa, modò pars altera bursam fecit gravidam, modò sit illa de pane lucrando, de lucro augendo, de peculio ampliando. Inde tot causarum nefariæ suspensiones, protelationes, procrastinationes & revisiones prodeunt, ubi tota posset conclusio semihorulâ expediri. Omnis libido, omne adulterium, omnes falsæ literæ, & fraudatio sigillorum, omnes cædes, homicidia & cruenta bella per mammonam elaborantur.

Vidit hæc omnia pecuniis annexa Deus; hinc voluit causas tanquam spinas pecunias tractari. Ea probis titulis si collecta sint, caveant tamen singuli, ne illâ perperam abutantur. Eum in finem sacro fœnori ritè ac legitimè partæ opes applicentur, eoque locorum reponantur, ubi possit centuplum obtineri. In pauperes dispensentur, qui precibus suis nubila penetrent, & patronis suis à Deo immortales gratias procurent; sic pro temporanea æterna.

æterna, pro terra cœlum probi dispensatores recipient. Huc collimabat præsens Concio Servatoris, quam pia Elisabetha ex Turingia ita cordi habuit, ut unico die mille & sexaginta quatuor aureos in pauperes distribueret; quod etiam de Carolo legitur Borromæo, imò Pontifex iste nec suo parci voluit lecto, ut misellis pauperibus celeres suppetiæ ferrentur. Quod si tamen teipsum grandis premat paupertas, ut datum non sit, hoc modo ex iniquitatis Mammona plures amicos conciliare, consilium sequere Aug. (8) *Si potes* inquit S. P. *pauperi da, si verò dare non potes, affabilem te præsta; coronat Deus bonitatem, ubi non invenit facultatem.* Possunt sæpè miselli solatiô & piâ doctrinâ roborari, ut tantò fortius jugum ferant paupertatis. Sic legitur ipse D. Petrus feciſſe opibus & fortunis exhaustus: *argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo,* (9) *hoc tibi do,* habeo scilicet mea in potestate amicam vocem solamine plenam, ascetica doctrinæ punctum, quô alterius patientia sufflciatur. Has pecunias omnes erogare poterunt, si modò velint verbulô suaviori afflictos dignari. Sic iterum Aug. (10) *habet semper, unde det, cui plenum est pectus charitate.* Hæc charitas eò singulos promovebit, quò hodie dirigi voluit opes ac divitias Servator, *in æterna tabernacula*, ubi secura quies & nescia vita senectæ & cum pace fides habitant sine fine voluptas &c.

Amen.

H. Eleemosynæ optima largitio.

(8) S. Aug. in Ps. 103.

I. Hanc etiam dare possunt pauperes pauperi.

(9) Act. 3.

10) S. Aug. in ps. 36.

# CONCIO XXXIV.

# DOMINICA IX. POST PENTEC.

*Domus mea domus orationis est. Luc. 19.*

## Templorum profanatio.

Dil. AA. sit & mihi hodie indultum Christi Servatoris exemplô, illos omnes suis pro meritis cribrare, qui Deo ac Superis sacras ædes & Basilicas, sine modestia & gravitate, sine reverentia & sacrarum cultu frequentant, eas verbis & factis contaminant eas pravis animi desideriis & obscœnis motibus conspurcant, eas grandibus scandalis incestant, & ibidem plures victimas orci immolant quàm præsenti Deo. *Domus mea* inquit Deus ipse *domus orationis est*, non saliorum aut heluonum, non ludionum aut endymionum. *Domus mea domus orationis est*, non canum hara, non latronum spelunca, non barbitonsorum nec mercatorum officina, non taberna est, non lupanarium est, nec ruralis casa. Omnes fœneratores Christus ipse templi profligat Jerosolymitanô, & prout Joannes (1) perhibet, ex flagrô, è funiculis contextô pellit, fugat; hi pecuniosi lurcones, hi avari eucliones occupabant tantùm Templi vestibulum, sedebantque per atrium dispersi, maximè peregrinis intenti, quibus summo in pretio aræ victimas distrahebant, panem, vinum, buculas oves, & columbas. Quidquid aris dicatum est, à sacerdotibus novo cum fœnore hi peccuniarum aucupes redimebant, ut duplo majus pretium ex oblatis tanquam dignioribus victimis reciperent. Hæc omnia Deus everti, mensas nummulariorum subruit disjecit, proscriptis nundinatoribus, & ab hac hominum fæce totum templi atrium splendidè purgavit. In ipsam interiorem Ecclesiam hujusce hominum genus suis cum mercibus ne quidem datum fuit pedem intromittere, nec

A. Exemplô Christi templa purgentur.

(1) Joan. 11.

nec visi sunt simile aliquid vel petere vel attentare, contenti forensi atrio, ubi mercimonia sua exercerent. Et verò cur illis non datum fuit Ecclesiâ ingredi, & ultimos Ecclesiæ angulos distrahendis mercibus aptare? Templum Jerosolymitanũ magnis quidem sumptibus & luxu undique magnifico extructum & probè auro illitum est ac splendidè circumscriptum, in eo tamen nihil erat nisi umbra Dei, arca nempe fœderis, quâ præter manna, binæ Moysis tabulæ, Aaronis virga tot prodigiis clara, & panes propositionis concluſi asservabantur. Steterit hoc templum bis mille, nongentis & viginti millionibus, ut Azor calculat: est autem unus millio nostræ monetæ talis summa, quæ ex decies centies mille florenis conflatur. Fuerint in hoc templo argentea thuribula vigesies mille, candelabra pariter argentea decies mille, tubæ ductiles argenteæ mille ac ducentæ, varii generis ac formæ instrumenta musica quadragies millena, vasa purè aurea quinquagies millena & ducenta, vasa argentea quinquagies millena & nongenta &c. his tamen omnibus insuper habitis, quævis apud nos Catholica ruralis & filialis Ecclesia multis superat parasangis Jerosolymitanam illam Dei Regiam & illustrem Basilicam. Ratio tantæ dignitatis ac prærogativæ certa est ac evidens. In templô Jerosolymitano umbra tantùm erat parietina, at nostris in ruralibus etiâ templis, tota prostat Dei substantia, tota patet JESU Christi Humanitas in Ara præsens Eucharistica; sicut ergò phæbei solis amplissimus splendor omnibus umbris infinities præstat, ita templum illud Jerosolymitanum quævis hodie ruralis Ecclesia gradibus innumeris superat & triumphat, modò Catholica sit, & ibidem incruentum Eucharistiæ sacrificium celebretur. Ah! deprehendisset Christus hos nundinatores & usurarios populos in ipso Templi Sanctuario, quantô zelô in hos avaros institores exarsisset, quos tam acerba crisi in templi propylæo confixit! plus dico: videat Deus Christianos hodie, qui juxta nominis etymon illius ubique doctrinam profitentur, Templa & Ecclesias nostras, ubi Deo præsenti multa Angelorum millia assistunt, tam modico cultu respicere, imò sine fronte sine pudore sacras ædes mille scandalis opplere? quis sanæ mentis miretur, si zelô justitiæ accensus totam pharetram telis exarmet, &

B. Quævis ruralis Ecclesia Templo prævalet Jerosolimitano.

C. Ergò Deus multo acriùs puniet horum Violatores quàm illius.

horridos furores in sacrilegos templorum profanatores è cœlo depluat, quod sæpiùs legitur actitâsse, ut tabulæ perhibent Ecclesiasticæ.

Deum bonum! obeantur nonnihil templa nostra, & eminus lustrentur, quid in illis oculos irruet, nisi quod pridem per suum Jeremiam queri auditus & est ter clemens Deus: *quid est*, (2) *quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa*? quasi diceret Propheta: peccet tam impudenter mea in domo cœcus Gentilis, barbarus & inhumanus Turca, procax hæreticus, tanta sanè pravitas non esset; sunt umbrarum amici, æternæ lucis jurati hostes, omnium impietatum flagrantes proci, omnis pietatis efferi prædones, omnium fraudum & mendaciorum architecti, omnis veritatis & sinceritatis feroces inimici &c. at quòd Christiani mei, meo nomine condecorati, mea unâ eáque salvifica fide ritè imbuti, mea hactenus Carne liberaliter saginati, meo sanguine refecti, se turcis & barbaris assimilari patiantur, hoc jure bilem excitet fulmineam. Alios maximè Ecclesiasticos in mensis & conviviis, in viridariis & in tabernis graviter ludi & traduci, vel etiam sacri nominis famâ impiè spoliari; in aulis principum mutuis in se odiis palatinos efferari; juvenes procos suis cum lupis ad omnem luxum & luxuriem compositis, etiam tecto capite per plateas grassari; in nundinis annuis mille fraudes excoqui, mille iniquitates exerceri, mille per cuniculos & viarum anfractus impias opes corradi, illo sub fornice, illa in officina, ista mendacia fabricari &c. id meos utique rancores exsuscitat & inflammat, sed longè graviores iras inde haurio, quòd videam hæc & alia his turpiora meis in Ecclesiis practicari. Quid mali ergò his in sacrariis nominales christiani operantur? pro immane probrum! erubesco referre singula. Ipse Ezechiel (3) loquatur, quid mali viderit sub tectis istis: *ingredere & vide abominationes pessimas, sed à sanctuario incipe*, ut mox capite memorat sequenti: *& ecce quasi 25. viri dorsa habentes contra Templum Domini, & facies ad orientem, & adorabant ad ortum solis.* Tirinus in harum vocum periphrasi sub 25. viris miserabile sacerdotium intelligi vult, quod locò veri Dei,

(2) Jer. 11.

D. Zelat Domum suam Deus.

(3) Ezech. 8. & 9.

Dei inanimatum ſolem ſeu paganum Apollinem ſacrilegè adorabat. In ſenſu morali voces illas etiam ad eos extendit, qui plùs lucri quàm Dei gratiâ templum frequentant; plùs ſuum ſalarium, quàm ſacrarium ampliari geſtiunt; qui beneficia ſua & officia explent obiter ſua interim angarialia ad obolum urgent; curas & labores ſuos pretiô appretiant decumanô; magnis ſumptibus premunt funera; anniverſarios per Officiales & Vicarios propriâ firmatos abolere contendunt, frugibus annexis horreo ſacrilegè illatis, aut divite ſalario pro ſomno & otio perperàm recepto, cum grandi damno vel purgantium animarum vel viventium amicorum, qui ſuis precibus & ſuffragiis ritè fundatis impiè fraudantur, unde onus reſtitutionis in perfidos tot ſacrorum veſpillones redundet; qui porrò greſſus omnes Dei aut Cœlitum gloriæ factos arctè dinumerant, ſuis ut duplonibus coronentur; qui, ut inquit Gilbertus (4) *mercimonia de Chriſto exercent*, Judæ germani fratres, cujus exemplô lucra quærant ex unguento, ex eleemoſynis, ex gazophilacio, ex agno paſchali, nulli communicando, niſi pingui victimâ excolatur. Taceo illos, qui Chriſti patrimonium, reditus & cenſus Eccleſiarum miſerè diſcerpunt aut per alios diſcerpi, inutiliter diſpenſari, vel per immane ſacrilegium gulæ immolari patiuntur. Ah! nonnullis in locis ita hæc græcatio ex Eccleſiæ bonis ſine fronte aſſumpta invaluit, ut nec ſacrario, nec ipſi Euchariſtico Deo parcatur; in ipſius oculis Divinis *crateras magnos ſtatuunt & vina coronant*, ut vires hauriant geſtando conopeo decretas &c. quo tamen ita potiùs deficiunt, ut eas ſacrorum Bajulus per omnes caſus non poſſit declinare.

I. Quæ in templis Jeremias vidit & Ezechiel, ad ævum noſtrum moraliter transferuntur.

(4) Gilb. Abb. ſer. 5. in Cant.

Placet ulteriùs coràm arbitrari, quantis apud nos honoribus templa excolantur? opus non eſt ut ſingula luſtrentur, quod Ezechiel viſus eſt, exigere. Id ſatis eſt patulis auribus haurire, quod bini vel terni Patres hac ſuper re propriâ ſignarunt. Mihi uni fidem nolim adhiberi. Primus ſit D. P. Anaſtaſius Sinaita, cujus ab ore hæc profluunt (5) lamenta: *Aliqui poſtquam in templum venerunt, ne unâ quidem horâ quieſcunt, mutuò conſertis ſermonibus nugantes, plùs ineptis*

(5) S. Anaſt. Sin. orat. de Synaxe.

*ineptis fabulationibus, quàm piis precibus intenti.* Sic palm
egit pseudopoliticus ille Coridon, qui canibus suis comitatu
fidem suam undique paradoxam toti hominum cœtui explicu
templi primam sedem cum enormi prosopopœia ingressus.

F. Irreverentia Christianorum in templa per Patres exponitur.

En ut humeros jactat! ut caput & collum totumque trasoris truncum domicellis incurvat! ut humum verrit complemen tista? Deum in ara præsentem ne quidem oculô dignatur; loci principe sibi vendicatô, & canibus vernis, mox irruit sedile quasi arduum iter confeciſſet, pedes exporrigit, & dexteri firmat capitolium, ne somniô pressum humi defluat. Nullam hic genuflexionem videas, nullum rosarium &c. hæc & alia tanquam puerorum nugamenta ne quidem in animum. For mat quidem Crucem, sed qualem? politicam: primò cincinnos in altum erigit; fictis crinibus si caput tumeat, reformat pilos inde mystacem suum in utramque partem detorquet, tandem punctum honoris deorsum trudit ne pilus sursum elatus in soleſcat. Hem totam crucem politicam, orci fabulam! audiat hic sodes in ara proxima Corpus Eucharisticum elevari, move se quidem & modicè tundit pectus quasi diceret *hic latet anguis in herba;* mox tamen iterum pergit vel cum canibus ludere, vel cum sui similibus socienis confabulari. Sacrô nedum finitô nova promit, legit literas, haurit tabacum. Hæc pietas politica est, quam hodie Machiavelliſtæ Deo exhibent præsenti. Sic leges explent Ecclesiæ, sacrum præcipientis. Dicite modò, an crudius cum Deo agi possit ab ultimæ fœcis rusticô? hæc si politia fuerit, dic quid erit grobianismus? quid morum erit rusticitas? Imperant quidem leges etiam politicæ, ut singulis suus honor deferatur; sed quem totum hic domicellæ recipiunt, ex eo nihil ultrà in Deum redundat. Primus nempe hic etiam orcus trahit, alteras aut penitus nullas Deus. *Alii*, pergit iterum Anastasius, *de rebus & possessionibus suis pacisicentes emporium, & nundinarum locum fecerunt templum: alii detrahendo invicem, seu etiam ipsis sacerdotibus sacrificium offerentibus in collecta occupantur.* Hæc Anastas. Sic ergò multi sacris in ædibus mercantur, nundianntur, de agris & villis suis tricantur. Non pauci acerba crisi dilacerant sacris operantes presbyteros, quibus sæpè procaciter affinguntur nua-

G. Crux Politici.

nunquam somniata. Aliqui hostem suum eminùs prospiciunt, mox animô coquunt vindictam. Ita templa mendaciis, detractionibus, & mille aliis pravitatibus opplentur. Et hoc sit Deum præsentem in Ecclesiis coluisse? hoc sit sacrum die festivo piè ac reverenter audivisse? antiquus Pater Eusebius (6) ipse oculis suis scandala vidit horrida & doluit Domum Dei tantis cruditatibus objacere. Ipsum audiamus: *novi plerosque ad Sanctorum celebritates accedere, ut magis peccent, atque ita recedere: accedunt non ad fundendas preces, sed ad voluptatẽ capessendam.* His verbis illos maximè tangit memoratus Pater, qui ut videant, ut videantur, luxu vestium superbientes Ecclesias subintrant: *propter ipsum conventum ac mutuum videre ac videri, pompæ in publicum proferuntur, vel ut luxuria negotietur, vel ut gloria insoleſcat*, quod quidem de cœcis dixit gentilibus Tertul. (7) at quis vetat, quò minùs ea de ipsis etiam Christianis prædicemus, quia hunc in finem nimis quàm sæpè etiam nostræ fidei domestici sexus utriusque juvenes puellæ adulti & adulteri, adultæ & adulteræ templa frequentant, ut vel oculos possint in alienam figere formam, vel propriâ valeant alienos fascinare. Sciunt subinde meliorem locum colloquendi & precandi non dari quàm Domum Dei; his ergò luxuriantibus colloquiis tanquam publicum lupanar servire debent templa & sacella, visitationes sacrarum ædium & prolixæ peregrinationes. Hinc *filiæ Sion*, ut queritur Isaias (8) *collô excelsô* (seu adusque scandalum nudatô, quod meretricum est, non pudicarum virginum) *& nutibus oculorum ibant* Jerosolymas, seu in Divorum basilicas, in omnem petulantiam effusæ, in omne flagitium projectæ, in quodvis commercium pronæ ac proclives. At nunquid hoc est ex Domo Dei lupanar facere ac prostibulum? qua de causa dextrâ fulminante totam urbem, totum aliquem cœtum, percutiat justum Numen? Hæc & alia multis in locis etiamnum ridentur veluti peccatilla, cùm tamen Theologi pœnè omnes scandala similia grandibus iisque mortalibus peccatis accenseant. Et verò ratio dictat, peccatillum dici non posse, quò Deus ipse luditur & contemtui habetur, si penes ipsum locum, in quo Christus sacramentaliter renascitur, tot impieta-

(6) Eusb. orat. de S. Com.

(7) Tert. l. 1. de cult. fem. c. 1.

(8) Isa. 3.

H.
Probra templis illata dicuntur peccatilla.

impietates & luxuriosæ procationes committantur. Peccatillum utique dici non potest, si ex Domo Dei lusoria aut potatoria fiat taberna, lustrum, pasta. Peccatillum haud dubiè dici non potes, si ibidem locus detur iræ ac rancori, odio & vindictæ; si ibidem plùs creaturis serviatur quàm Creatori, plùs orco quàm Deo sacrificetur, & tot innocentes animulæ scandalizentur, scandalò probis datò, unde aleâ in pejus versâ in omne scelus protrudantur, totique tandem cœlo miserabilem nuntium remittant.

Hæc tamen qui credere renuit, id quod sequitur, prob capiat, discátque cum alterius damno in timore ac tremo Christiano Ecclesias obire, & in his oculos duntaxat Divinissimam Majestatem reflectere, huic uni famulam ope ram deferre, huic uni vota & preces effundere, qui omnem petulantiam in Ecclesiis effusam hic & ibi grandibus pœ castigat. Horroris plenum est, quod S. P. Basilius Episcopus (9) S. Basil. Seluc. l. 2. de mir. S. Thecl. c. 18. Seleucensis (9) propriâ descripsit, & ad posteros transmi Erat festus dies Divæ Martyri Theclæ sacer, quem cùm soleni pompa celebrare statuissent, grandis populi affluxus templum irruit, ut novam festivitatem coràm spectare Hoc in affluxu etiam præsto erant duo, qui Irenopoli adve rant, plùs tamen curiositate adducti quàm pietate. Peracti omnibus Divinis & expedita solennitate, hi duo cum al pluribus in hospitio convenerant, ubi singuli, quod ipsi maxim placuisset, palàm prædicabant: hic nobilem musicam extu ille splendidè vestitas aras commendavit, tertio ipse Pontifex infulatus præplacuit tam nobili Clerô stipatus. Alius p clytis laudibus ultra horariam concionem celebravit, q prodigiosæ Virginis hujus Virtutes sole clarius illustratæ fuer Cùm omnes sensa sua enucleâssent, tandem etiam alt Irenopolitanus, cui nomen Orentius, quid ipsi maximè placu sacrilegis hisce vocibus detexit: prædicate, ut lubet, festivas p pompas & lætabundam diem, mihi horum nihil placuit; m meo præ objecto tota musica desipuit, omnis ara evilu omnis concio emarcuit, tota mitræ gravitas & Cleri circum stan tis pompa pro nihilo fuit; id unum mihi perplacuit, quo ex odeco templi respiciens plurimùm suspexi. Inde femin

I. At ea Deus pœnis mulctat æternis. Probatur quæ Orentium

vidi, quâ non formosior ulla, prô quantum frontis & oris decus, quàm vivax color vultum composuit?

*Inter virgineos longè pulcherrima cœtus*
*Vicit fœmineos pulchrior ore choros.*

Ab hac nec oculos nec animos meos dimovi; nescio proin quid alibi per Ecclesiam ageretur. Mihi unum hoc formæ prodigium in votis erat & perennibus desideriis: nihil mihi Musica, nihil templi ornatus, nihil Oratoris eloquentia; hæc una delicium erat meum, nectar & ambrosia, ita quidem, ut nihil magis cordi esset, quàm ut Martyrem Theclam exorarem, quô efficeret, ut hâc mihi formâ etiam frui liceret! O bellæ cœloque dignæ preces, imô tectius, vota verè horridam, sacrilega, stygia, execranda! ita nempe carnivoli flagriones etiam in templis scortantur; ita sæpè in taberna coram tabacaniis fratribus probra sua & propudia enarrant, seq; per supinam & efrontem impudentiam palàm jactitant, quàm splendidè per ipsos Berta illa sit seducta; cùm verò animus esset in Sacro Tribunali purgandus, hærent, cespitant, halucinantur, & probra sua hi lurcones Sacris auribus committere erubescunt, quæ antè tota coram heluonum caterva cum plausu recitabant. Quid lucratus sit hac impudentia & sacrilega dicacitate Orentius, brevi clarescet. Hæc peccatilla non fuisse, eventus docuit. Effatum est Spiritus Sancti (10) *qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo;* ergò si quis hisce concupiscentiis immoriatur, jam cœlô excidit æternùm. Ita signatè Paulus (11) intonat: *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Hoc accuratè probabit Orentius noster, formæ præco femininæ. Cœnâ soluta, lectis conceditur, ubi reliqui omnes celeri somno correpti placida quiete laxabant membra, solus tamen Orentius largo licet pocænio invitatus somno indulgere haud potuit; jacebat duas pænè horas insomnis; his dilapsis, videbatur sibi aspectabilem se habere Sanctam Theclam throno aureo sublimem, & larga cuivis munuscula dispensantem, qui hunc

(10) Matt. 5.

(11) Eph. 5.

diem festo cultu celebrâssent quos inter cùm etiam Orentio esset, huic uni dicere videbatur virgo Martyr eumque palàm compellare, quam mercedem ipse prensaret? An adhuc formosam illam in templo visam adamaret? cùm impius veneris satelles annueret, reposuit virgò: i ergò & præoptatum hoc donum elegantem lupam capesse. Nemo unquam tantâ lætitiâ gestiebat, quàm Orentius tam venustâ feminæ prædâ potitus. At vix hora diffluxit, grande gaudium in horridos ejulatus migravit. Adfuit tandem petita Venus, visa in templo femina cubile ingressa, rectà petit Orentium, quam etiam amplectitur, mox tamen in avernalem harpyjam mutata, hominem impium dilacerat, cutemque à capite ad calem detrahens infelicem Marsyam ita fœtore ac vermibus replet, ut multi, qui unà in cubiculo erant, ad hoc enorme spectaculum erpergefacti animô linquerentur. Hæc tragœdia, sic in terminis de se meminit Basilius, tantos mihi horrores incussit, ut eam præ horrore vix calamô possem signare & chartis committere.

Hem epilogum, quem amor cârneus & lascivus ex somnio veram fecit historiam. Dubium non est, justum hîc Deum exemplar ab oculis statuere illis voluisse, qui oculis suis nimium indulgentes, sacras ædes sacrilego luminum lampade profanant & nefario ausu incestant. Orentium proinde omnes impudentes proci, omnes luxuriantes lupæ probè intueantur, quibus idem est templum ac lupanar publicum, potatoria taberna, vel latronum spelunea. Dicant modò sacrorum ludiones, parum referre, quidquid in templis agatur, quidquid in Ecclesiis cogitetur. Pravis hisce desideriis in patenti foro, in publica platea, domi ex fenestra sua litâsset Orentius; Deo fortè sua litationis pœnas dedisset, sed non tam graves, tam tragicas, atque nunc, cùm his obscœnitatibus Domum DEI conspurcaret. DEO qui coram DEO non pepercit, se dignum fecit quem pœnâ etiam exoticâ scelerum vindex Deus proscinderet aliis omnibus ad cautelam, qui cùm Orentio hæc stygia desideria secum etiam ad usque templa deportant; his omnibus æternum væ S.P. Aug. (12) intentat, cum quo totum hunc sermonem

(12) S. Aug. Sotil, c. 4.

monem concludam: *væ, inquit ille, cæcis oculis, qui te non vident! væ oculos avertentibus à te, ut videant vanitatem*, imò libidinem & luxuriam, feminam luxuriosè nudatam, aut vestium luxu luxuriantem lupam, quam toties ipse orcus induit, ut evellat & destruat, & dissipet & dispergat, suique juris faciat animam pretiosissimò Sanguinis Dominici lytrò redemptam. Væ omnibus illis, qui te ô DEUS in Domo tua tam graviter offendunt, & oculos à te aversos in peccaminosa objecta rejiciunt, optabunt hi aliquando, utinam à cunis cœcus fuissem, ita nec DEUM nec illius sacras ædes violâssem, & jam illis etiam DEUM à facie ad faciem mihi datum foret intueri, quo intuitu me in æternum libido privavit, Hæc ut maturè caveantur, cum Jobo pactum renovemus quotidie (13) dicamusque: *pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem de virgine.* Frænum fortè ac lupatum sensibus nostris injiciamus, ne liberi dimissi animam orco prostituant. Greg. teste, (14) *intueri non decet, quod non licet concupisci.* Sequamur omnes Siracidis (15) Consilium, quo Sacris Basilicis omnem reverentiam adstruxit: *custodi pedem tuum ingrediens Domum Dei*, ingressus pariter totum hominem ita dirige, ut eximius audias DEI ac Templorum cultor, & quà talis è cœlo terrestri, quod templum est, ad veri nominis cœlum Divinum sustolli merearis.

Amen.

(13) Job. 31.
(14) S. Greg. 21. mor. c. 19.

# CONCIO XXXV.

# DOMINICA X. POST PENTEC.

*Deus propitius esto mihi peccatori. Luc. 18.*

## Cœca præsumptio.

INter omnes hortorum flores primatum tenet Rosa Opr. AA. hoc ex capite *florum Regina* passim nuncupata. Quidquid in Rosa datur, pretium meretur & laudem, color, odor, folia, lignum & umbilicus, imò ipsæ etiam spinæ & paliuri, quibus velut antemurali contra omnes hostium assultus, probè à natura munitam esse Rosam videmus. Vulgò *grata* & *amœna*, *dulcis* & *amicabilis* Rosa dicitur, quia odor illius multùm dicitur valere ad animos mutuis amoribus constringendos Plinio (1) teste. Sic Gentilibus Ethnicis in orientalibus Indiis receptum olim fuit & præceptum, ut antè oleò rosaceò totum corpus inungerent, quàm suis falsis deorum simulacris victimas immolarent. Utut tamen pretiosæ sint Rosæ, multis tamen displiunt rosæ, imò has etiam nauseant, & quidquid rosam redolet fugiunt, execrantur. Prodigiosum est, quod ex amœnis rosarum floribus haurire dicuntur araneæ; insident rosis ficus apiculæ; at enormi cum discrimine: apes succum exsugunt aureum, nectareum, ex quo mella thymò fragrantia conficiunt, araneæ contrà trahunt inde lethale aconitum. Unde hoc? in rosa nihil mali datur, nihil veneni, ut probè norunt pharmacopæi. Plinius & Aristoteles, atque alii plures curiosi naturæ rimatores totam causam in toxicatam araneæ naturam conjecerunt, dicuntque, succum optimum ex rosis haustum, per malignantem naturam araneæ primùm in acre venenum transformari; manet adeò rosa suò in pristino flore, ac pretio, quod probè

A. In Rosis omnia pretium merentur & laudem.

(1) Plin. l. 2. hist. nat.

probè sciunt providæ apiculæ, multum verò conspurcant & depretiant araneæ. Ceterùm odor rosaceus utplurimùm gravis & invisus esse perhibetur scarabæis (vulgò Roßkefer) & aliis furfuris hujus insectis, item vermibus illis, quos *cantharides* vocamus, vineis maximè & olivetis infestæ. Aldrovandus inquit (2) si scarabæus etiam in duas partes secetur, utramque partem adhuc se moturam & gyraturam, at foliis rosaceis involvatur, mox omnem motum cessaturum; projiciatur in aquam rosaceam integro cum corpore, in ictu oculi peribit, quia melleum rosæ odorem ferre non valet. Ità multi referunt, & canibus hunc odorem perquam infestum esse, quod ab experientia pendet, quam nunquam tentavi. Hæc causa fuit, cur domina Venus, ut fabulæ loquuntur, intimi & amicissimi Hectoris sui cadaver oleò ungeret rosaceò, ut hoc medio canes arcerentur, & integrum Hectoris corpus sub dio quiesceret, donec flammis, pro more antiquis recepto, exureretur. Sic à tribus stygiis molossis, quos Achilles pro discerpendo Hectore jam conduxit, ne quidem attingi poterant vel attrectari. Horrori erat rosaceus odor, qui hos cerberos procul ab Hectore proscripsit. Ita sanè Ovid. (3) cecinit:

*Pomphagus, & Dorceus, & Oribasus, Arcades omnes*
*Hinc fugitant &c.*

Hæc & alia decora, quæ rosam coronant, eò induxerunt doctissimum Picinelli (4) ut eâ pro symbolo uteretur, ad explicandum Eucharistiæ mysterium; hunc in finem assumpsit rosam apiculâ insessam, scarabæo humi jacente, quem blandus odor enecuit, hoc adjecto lemmate: *Mors est malis, vita bonis*, vel ut alii, nostrum ad thema canunt distinctiùs: *certa Salus apibus, Scarabais certa ruina.* Fuit Assveri convivium, prout omnes nôrunt, Eucharisticæ Mensæ celebris figura; id cùm non tantùm in amœno quodam horto, sed insuper in obscuri cujusdam nemoris vicinia celebratum sit symbolicam Eucharistiæ rosam terminis evidentibus prædicat & commendat. Audiamus hac super re nobilem Poëtam:

B. Non omnibus rosæ sapiunt.

(2) Aldrov. l. 4. de insect. c. 3.

(3) Ovid. 3. Met.

(4) Picinel. in Mund. Symb. l. 9. c. 18.

C. Symbolum est SS. Euch. probis vitam firmat, pravis mortem maturat.

*Splendida regali Assverus convivia luxu*
*Dum struit, hinc ortus cernitur, inde nemus,*
*Sunt flores horto, nemori sunt horrida monstra,*
*Hoc gignit spinas, & parit ille Rosas.*
*Dum parat Angelicus Regum Rex dona, dapesq;*
*Collocat æthereos inter utrumque Cibos.*
*Est nemus, est Hortus: bonus est hinc, inde malignus;*
*Colligit hic Spinas, colligit ille Rosas.*

Tetris crabronibus & informibus scarabæis ab Eucharistia instar recentis Rosæ exitium afferri disertè testatur (5) Chrys. his verbis: *Sicut cibus corporeus cùm ventrem invenerit pravis humoribus occupatum, nullum præstat auxilium, sed plus nocet, ita Cibus iste Sacer, si quem repererit malignitate polletem, magis eum perdet, non sua natura, sed vitio sentientis.*

(5) S. Jo. Chrys. Serm. de prodit. jud.

D. Alio morali sensu Rosa est Misericordia Dei.

At liceat mihi hodie Rosam hanc cum lemmate suo, *mors malis, vita bonis*, in alio adhuc morali sensu assumere, ab eo plurimùm distincto, quem posuit Picinellus. Quem locum inter flores rosa sortitur, eundem sibi vendicat inter attributa DEI infinita Misericordia illius. Realiter loquendo, sunt quidem omnia in se prorsus æqualia, utprimùm nuper disputatum est, & probatum, hanc tamen Misericordiam Deus identidem spectandam exhibet & adorandam; aliæ proprietates non ita crebrò spectantur. *Universæ viæ Domini misericordia & veritas*, (6) seu quod idem fuerit, quocunque oculi excurrant, in Veritatem Dei & in Misericordiam ejus impingent, quæ ipsam quoque DEI justitiam plano pede comitatur; quidquid enim Deus dictante justitia vindicat aut castigat, ita plerumque castigat, ut fatendum sit misericordiam justitiæ unitam, peccato Deo dictare longè infra meritum castigandi peccatoris. Hac Duce Misericordia *dissimulat peccata hominum* & ad flagitia plures menses & annos connivet, quasi rerum omnium ignarus aut incurius. Exspectat in annos reorum pœnitentiam, mala non

(6) Ps. 24.

mos & conclamatos peccatores denuò in gratiam recipit, modò DEO ſuo in ultimo mortis articulo ſeriam pectoris tunſionem, veri nominis dolorem, verum aliquod & efficax ſuſpirium aut lacrimam, ſeu perfectam exhomologeſin Deo ac ſuperis offerant. Facili negotio ſe placari patitur ter Clemens Deus. Hæc ipſa ratio eſt, cur ritè cum Roſa comparetur Dei Miſericordia. Piæ ac pœnitentes apiculæ ex hac Divinæ Miſericordiæ Roſa gratiam ſugunt & veniam, ſcelerum omnium remiſſionem, & vitam ſempiternam. Apes veri nominis Chriſtianæ canunt perpetim cum Pſalmiſta (7) & D. P. Aug. (8) *dulcis & rectus Dominus: amo Deum, quòd dulcis eſt, timo Deum, quod rectus eſt*; crabrones verò hoc miſericordiæ Divinæ attributo graviſſimè abuntur, in Dei Bonitatem petulanter confidunt, peccant in Clementiam cordatè, volvunt ſe ac revolvunt diu noctuque in ſcelerum luto præſumptuosè, donec ob ætatis ac virium defectum etiam pecandi facultas deſtruatur, & ea ſe identidem cogitatione lactant & ſaginant, ultimum ſi articulum attigerint, ſe Deum, qui multæ miſerationis eſt usque in finem, vel ſeria confeſſione, vel ignea contritione placaturum; hæc una tunc vocum trias proferatur *Miſerere mei Deus*, de gratia DEI jam certum fore peccatorem; vel alter vocum quinarius Deo præſentetur, quo etiam hodiernus peccator publicanus Dei gratiam lucratus eſſe legitur, *Deus propitius eſto mihi peccatori*, libertati priſtinæ filiorum Dei reſtituendum cujuscumq; flagitii reum. Ita quidem peſſimè argutantur inviſi crabrones. Succus, quem ex Miſericordiæ Roſa exſugunt, ex ſe nobilis, præſtans ac propè divinus, illis unà & araneis fit venenum, quò vita præcipitetur vitalis & æterna. Concluſum quod inde trahunt, peſſimi ominis eſt, quia parit præſumptuoſam ſummè noxiam & lethalem. At quid dicit hæc præſumptio? quid involvit? non audis quàm ineptè arguant ex Miſericordia Divina? ut quid carnem meam ſine ulla neceſſitate affligam? ut quid precibus & jejuniis, flagris & vigiliis debile corpus proſcindam? ut quid omnibus deliciis & voluptatibus totalem nuntium remittam? ſi ſcelus omne tribus aut quinque voculis, uno valido contritionis ſuſpirio expungere poſſim & abolere. Infans ſim, ſi ante tempus diem dicam carni aut

E.

Ut ſic ſumpta mors eſt malis, vita bonis.

(7) Pſ. 24.
(8) S. Aug. in Joan. tr. 39.

aut languini, baccho aut veneri; jam mundo vivam; jam gulæ serviam &c. si videro fatum approximare, me ocius ad Deum toto ex corde convertam, & obitu felicissimo diem claudam supremum. Sic rosam tractant perfidi peccatores & nigerrimi crabrones. Sic peccare pergant in Spiritum Sanctum, seu quod idem, in Misericordiam Divinam, sed cum enormi damno suo & æternæ salutis irreparabili jactura. Sic ubi piæ apiculæ servant vitam, mortem oppetunt peccatrices vespæ ac perfidi crabrones. Per abusum Clementiæ Divinæ reddunt se indignos gratiâ Divinâ, quam alii participant, quia maturè Clementiam Dei implorant. Hæc & his similia cuduntur millies, sed hoc est symbolam sine hospitis annutu formare; hoc ipso enim quod tales solâ misericordia nitantur, Justitia Dei exstimulatur & irritatur, ut in Spiritum Sanctum reos è medio tollat, antequam aliquid sacri cogitatûs animum irrepat. Nemo tam præsumptuosè cum Deo agat; nemo se totum tribus illis voculis cum Davide, quinque illis vocibus cum publicano in agone reparandis committat. Quam gratiam his Deus exhibuit, eam tamen sibi certò & evidenter non possunt posteri adpromittere. Nunc dicta etiam binis exemplis roboremus, quorum primum (9) Marcantius suppeditat, alterum Bagatta (10) subministrat.

(9) Jac. Marcant. in hort. past. tr. 1. sect. 9.

(10) Bagat. p. 2. l. 6. c. 1.

F. Probatur binis etiam exemplis, Hist.

Legitur in vita B. Thomæ Mori (Nota probè, hunc Cancellarium palàm in Horto suo *Beatum* dicit Marcantius) fuisse in Anglia Virum grandibus vitiis libidinum, iniquitatum & pomaris avaritiæ implicitum, qui quidem frequentissimè de maturanda pœnitentia seriò monitus est, at irrito effectu; trivit illam procrastinatorum cantilenam semper occinuit: vitam ad cœlum ita difficilem non esse, Deum illud non pro capris aut anseribus condidisse sed pro hominibus, diu noctuque ostia patescere, quacunque se hora, & horulæ momentò ad DEUM peccator converterit, in gratiam à DEO recipi peccatorem; se verò ultimo in articulo tribus verbulis salutem reparaturum in æternum & ultra. Alludebat verò pessimus iste sodes ad illas Davidis voces: *Miserere mei Deus*, quibus iram repressit Divinam. At hoc ipso in Spiritum S. sacrilegus præsumptor peccabat, quò Deus justam in iram provocatus antè hominem rapuit, quàm multiplex scelus pœnitendo elueret, procul quidem

quidem in agonem detrusus tria verba, sed à Davidicis enormiter distincta. Accidit fortè ut, ut arctum & lubricum pontem equô suô sublimis transiret; hic fallente vestigio unà cum equo in præterfluentem prolapsus, clamare quidem auditus est, sed quid? *rapiat omnia dæmon.* Irarum plenus protulit tria verba, at illis non salutem sed æternam animæ perditionem assecutus est. Hunc exitum præsumptuosi crabrones sortiuntur; pro precibus DEUM execrantur, pro DEO dæmonem vocant, imò DEI ne quidem recordantur, sic rectà in tartarum descendunt.

Id quod Bagattà memorat, Ecclesiasticum Curionem concernit. Erat quidem Parochus non ineruditus, sed cui melius fuisset, si vel natus non fuisset, vel sues cum prodigo, non animas hominum curâsset. Claruit omnibus notis miseri mercenarii, ut de bono pastore perhibet Evangelista. Qui vitam ejus in compendio gestit evolvere, is Bernardum (11) legat, sic in genere de tam luridis animarum Pastoribus differentem: *cum superbia propria sit dæmonibus, luxuria pecudibus, avaritia mercatoribus, ex his omnibus factum est monstrum, quod est malus Clericus.* Erat quidem ortu tenuis, qui puer potiùs alienâ quàm propriâ vixit quadrâ, literis tamen ita se excoluit, ut tandem in juvenem ac virum sacris ordinibus coronatum adolesceret; at vel ideò immani fastu turgere cepit & insolescere, quia præter omne meritum in altum per saltum ab aliis ejusdem farinæ socienis se subitò vidit elatum, ut tantò profundiùs rueret, quantò altiùs ascendit. Rectè ait perantiquum dogma: *sordidius nihil est humili, cùm surgit in altum.* Firmavit asserti veritatem præsens Curio, curis illatus, antequam ritè nôsset, quid cura involveret. Aris & focis admotus, affines & consanguineos suos nequidem ultrà respexit, dedignatus pariter illos quibuscum antè familiariùs consueverat. Nempe, qui seipsum præ animi fastu haud novit ampliùs, nec alios potuit dignoscere. Capitis Comæ, quas ei Deus dedit & natura, nimis erant de trivio; harum ergò in vicem fictitias suffixit undeunde corrasas. Adhæc gulæ ac lusibus continuis aurium tenus immerso, nec angariale salarium, nec annui

11) S. Bern. de Conv. ad Cler. Hist.

census suffecerant. Bagata eum etiam in terminis concubinarium vocat, quia infamem Oeconomam cum grandi suorum scandalo multo tempore sustinuit. Vixerat etiamnum pares ejus septuagenariô major senex, vir antiquæ fidei, pius, probus, & precabundus Orator, modicô contentus; hic patrem filium monuit, vitam ut viveret statui congruam sacro, Ecclesiastico, positis omnibus scandalis, ne ira Dei jure irritata, tot & tantas pravitates, sacra magnô numerô neglecta aut impiè deproperata pœnâ excipiat inauditâ. Idem alii præstabant sacri & profani; at omnes ac singulos hortatores paucis elusit, id unum jactare solitus, se de salute sua certum esse, nec opus habere ullô magistrô, quinque verbis cœlum reserari utut firmo adamante occlusum, si modò ultimo in articulo cum hodierno exclamet publicano: *Deus propitius esto mihi peccatori*! at debebat hic Curio humilem sortem suam in animos revocare, debebat omnem à se fastum proscribere, omni lusu & pravo commercio se abdicare, omnem gulam ac lasciviam reprimere, omne scandalum procul ex oculis suorum demovere, ut ne pravô ipsius exemplô edocti subditi, parvi aut nihili facerent, quæ ex sua sunt natura verè gravia & mortalia peccata. Vident illiterati hæc & hæc liberè vel à doctis vel ab Ecclesiasticis aut religiosis patrari, ocius inde conclusa formant pessima: usque ad crapulam græcari, (sic illi ratiocinantur) tam grave scelus esse non potest: lusus etsi quotidianus tantam pravitatem importare non potest: commercia feminina tantæ malitiæ nullatenus esse possunt: iniquitatis mammona nihil mali parere potest &c. licet hæc ut gravissima flagitia in omnibus cathedris proscindantur; aliàs se his ipsis pravitatibus non ita frequenter ille & ille Sacri Ordinis Curio aut Religiosus contaminaret. Ita passim quæ magna sunt enervantur & conculcantur. At hæc omnia susque deque habebat Curio iste; quinque voces totam vitam flagitiosè detritam reformabunt: *Deus propitius esto mihi peccatori*, fuissent utique hæ voces magnæ virtutis & energiæ, si illis piè proferendis quotidie per annum inhæsisset; sic quòd singulis diebus piam in praxin deductum esset, ultrò enuntiandum se etiam morituro præsentâsset. Sicut autem bellissimè redolens rosa vespe

vespis & crabronibus mortem accelerat & interitum, sic & huic nostro Curioni turpis abusus Misericordiæ Divinæ, quæ mille aliis probè illâ utentibus vitam fovet, in perniciem cessit propriam eamque sempiternam. Cùm fortè sua è popina & lusoria taberna vinô temulentus cespitando identidem domum remearet, hircum grandem obvium habuit in via, seu rectius dæmonem hirci formam mentitum; hunc cùm verbis & molli attactu liberè ac ludicè muleeret, hircus palpô irritatus in eum irruit, & partes inguinarias cornibus suis impetens, ictum tandem letalem inflixit, quo vulnere humi corruit amisso mentis usu. Notatum hîc fuit, hircum duo maximè objecta dilaniâsse, fictos nempe capitis crines & ventris crassissimi Eglonianum abdomen, ut ostenderet, per quæ quis peccat, per ea reum justissimè puniri. Multi quidem ad spectaculum accurrerant; at nemo fuit, qui cum orcino flammas ejaculante hirco congredi auderet, ut vitam Curioni servaret. Sic mori debuit per carnificem hircum, qui vitam vixit verius hircinam quàm humanam, sacram, Ecclesiasticam. Prodigiô non caret, quod hic loci circa feminam actum esse legitur, omni loquendi usu à cunis destitutam; alios inter vicinos & hæc mulier curiositatis ergò ad triste spectaculum procurrit; hæc Curionem suum jam humi fusum, sed mente motum, & adhuc spumantem vix eminus conspexit, ea ocius DEO dante usum linguæ stupentibus vicinis recepit, ea palàm non sine miraculo prolocuta, quæ DEUS feminæ suggessit: compellabat autem his vocibus jacentem: hem strobile! hem cincinnatule! hem thraso trossule, ubi verba illa publicani? ubi modò voces illæ quinariæ: *Deus propitius esto mihi peccatori*, quibus in articulo tuo prolatis, mox ad cœlos evolare cogitâsti? age, loquere modò! nunc agon agitur. Hæc ut dixit, vixit Curio, illuc rectà delatus, quo prævius ille pœnarum socius cum suo vocum ternione præcessit, *rapiat omnia dæmon!*

En Opt. AA. quàm periculosum sit, se totum Cle-

G. Caveatur omnis præsumptio.

mentiæ credere Divinæ, interim peccata peccatis accumulare, ea cum spe ac fiducia, fore, ut tribus tandem vel quinque voculis tota peccatorum ilias destruatur. *Dinumerare non possum*, inquit S. P. Aug. (12) *quantos hæc inanis spei umbra deceperit.* Verum est, nullum peccatorem à gratia sua excludit, modò se gratiæ hujus capacem reddat peccator, & dignum, cui illa conferatur. An autem dignus vel capax sit ille, qui tam præsumptuosè in gratiam peccat, ex binis his exemplis abundè patet. Exemplum latronis in cruce non trahi debet in exemplum aut sequelam. *Una hirundo ver non facit.* Unus est, qui semper pravus in agone resipuit, & secundum in Scripturis non habet. Unum sumpsit, ut nullus desperet. Unum sumpsit & non plures, ut nemo præsumptuosè peccaret. Singulis potiùs memori mente Siracidis monitum volvatur (13) *ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ disperdet te &c.* quam vindictam à nostris omnium cervicibus clemens & misericors DEUS avertat!

Amen.

(12) S. Aug. Ser. 120. de temp.

(13) Eccli. 5.

CON-

# CONCIO XXXVI.
# DOMINICA XI. POST PENTEC.

*Loquebatur rectè. Marc. 7.*

## Lethalis Lingua.

RArum est assertum AA. quod Salomon (1) promit in linguæ humanæ perfecta descriptione: *mors & vita in manu linguæ*, quid hoc rei? an ergò manibus instructa est lingua nostra? qui hæc unquam de lingua hominum somniavit? & unde hac in manu ita sibi mutuò contraria subsistunt, *mors & vita*? ut nodus iste rumpatur, id probè notetur, quod de Salomone memorat (2) Script. *locutus est Salomon tria millia parabolas*, quas inter principem facilè locum sibi vendicat præsens assertum: *mors & vita in manu linguæ*. Parabola est seu similitudo, quam hic loci Rex sapientissimus expromit, vario sensu etiam morali vestita, ut mox dicetur. Ita sumi vult similitudinariè memoratas voces (3) Cornelius. Sicut in Script. per nudam similitudinem pennæ ventis attinguntur, sic pariter hoc in loco parabolica manus linguæ assuitur. Per *manus* in Script. *metonymicè* sumptas *opera*, per *manus paræmicè* sumptas extremum discrimen & periculum signatur. Hinc Jacobus (4) vult manus purgari, *emundate manus vestras*, seu quod idem, opera vestra perficite, ut sint sine nævo, sine sordibus, sine iniquitate, sine defectu. Ante ipsum verò pridem cecinit Psaltes (5) Regius: *Anima mea in manibus meis semper*, seu, nunquam ego securus sum, ne animam diflet ventus pestilens & disperdat. At quid *mors* hic loci? utrumque opera circumstat, & iter illud æternitatis. Opera linguæ sunt verba; hæc si bona sunt? nullum periculum eminus prostat; ex bonis verbis, & ex bonis operibus animæ conciliatur felicissimum iter, quò æternitas aditur, & vita æviterna;

(1) Prov. 18.

(2) 3. Reg. 4.

A. Lingua mortis ac Vitæ parens, quo sensu?

(3) Cornel. in Prov.

(4) Jac. 4.

(5) Ps. 118.

B. Lingua manualis quæ?

at mala si fuerint ? iter illud summo cum periculo capessitur, perditur vita, ac tetra mors in nostram & aliorum perniciem evocatur. Hugo memoratis vocibus alium quærit sensum, eaque ad Verbi Divini Sacerrimos Præcones detorquet; horum linguæ si manu sua instructæ fuerint, seu opere ipso & virtutum propriarum exemplo sua dicta confirment, sibi ac suis Auditoribus vitam tuentur æternam; at si sine manibus loquantur, seu moribus suis contrarium ostendant, se unà & suos Auditores in mortem præcipitant; hoc ipso enim quòd aliter perorent, & aliter vivant, omnis clamor infirmus est & invalidus; discunt inde potius AA. lusum & crapulam, mendacium & usuram, omnesque alias iniquitates eludere & pro nihilo ducere, si hæc pariter esse videant sacris præconibus recepta; sic peccata vilescerent, & utraq; pars vitæ jacturam incurreret sempiternæ. Hæc Hugonis assertio nihil ad nos. Qui hoc arduum munus obit prædicandi, scire debet ultrò, ad quid vi muneris sui sit obstrictus, ut nempe non tantum lingua & nudis vocibus, sed manibus etiam & factis loquatur; id ni fiat, una manu suos AA. in cœlum sustollunt, altera in orcum deturbant.

Ego id tuebor, quod in proverbia notari voluit Cornelius, in manibus nempe, id est in verbis, quæ velut opera per linguam efformantur, vitam & mortem inveniri. Verba si bona fuerint, multis quasi manu vitam tuentur. Si autem prava fuerint, mortem afferunt; hinc patet, quid & quantum sub modico illo carnis linguatæ frustulo deliteſcat, *mors & vita*. Hoc ævô ægerrimè salvus abit & integer, qui sua manuali lingua nihil loquitur, nisi quod pium, sanctum, & primæ Veritati consonum est. Vivat adhuc hodie Aristoteles, centies illud dogma suum recantaret, quô pium & candidum Callisthenem peramicè monuit, ut Laertius perhibet, ne tam liberè, tam cordatè Alexandro Regi loqueretur, Magnates veritatis audiendæ impotes esse: *talia si loqueris non multo tempore vives*; hi totis viribus in tuam perniciem ac perditionem ex quatuor mundi plagis conspirabitur, ut tibi præter omne meritum vel dicam impingant, vel nunquam somniatum scelus attingant, unde veritas tua vel suspecta reddatur, vel penitus cassa. Accidat simile quid Veritatis assertori, non mors dici debet sed vita, salus & for-

C. Veritas odium parit.

& fortuna, quia hôc mediô innocens anima ad immortalem Martyrii incruenti gloriam ſublimatur, prout ſcimus per impium & ſacrilegum Herodem ſublimatum eſſe Baptiſtam: hic utique una in linea conſiſtunt vita & mors, ſed mors tantùm ſecularis & temporanea, quæ vitæ ſempiternæ comparata, vitæ potiùs naturam induit, quam firmat in ævum. Væ autem omnibus illis, qui ſuis in linguis temporaneam mortem circumgeſtant & ſimul æternam! væ omnibus illis, qui tetris & ſqualentibus alloquiis ſuis eò vicinos inducunt, ut vitæ renuntient ſempiternæ, ac ſe ultrò in abyſſum demergant. Hi latrones hominum albô eradantur. At qui ſunt hi ſocieni? quæ ora ſunt ita periculoſa, quæ linguæ ita ſunt noxiæ, ut vitam duplicem evertant? audire ſi placet, detegam illa & deſcribam.

D. Detractores in lingua mortem circumferunt & quidem triplicatam.

Hac ſuper re ſi Bernardum conſulimus, ponit ille mox in apice horum latronum execrandos famæ alterius roſores vulgò detractores, qui alios malè deferunt, impiè coarguunt, facti nunquam cogitati malitiosè inſimulant, ex odio & inveterato rancore etiam laude digna vitiosè traducunt, ſobrios œconomos & modeſtos viros avaritiæ notâ conſpurcant, honeſtè veſtitos ſuperbientes graculos proclamant, precibus addictos tanquam turpes hypocritas convitiantur, iiis adeò integri nominis famam perfidè mutilant & ſacrilegè conculcant; hic hic ut plurimùm locum habet *mori in manibus linguæ*, & quidem non una mors, ſed triplicata; hac enim plerumque terni mactantur. Vir honeſtus & candidus ſecum fert triplicem vitam. Prima vita ſacra eſt, ſpiritualis, imò cœlica; tamdiu ſervatur, quamdiu in homine durat Gratia Divina, quam ſolum mortale ſcelus profligat. Vita ſecunda eſt corporalis vita; ſpirat quamdiu anima corpus informat. Tertia eſt vita civilis, vita moralis, quæ cum nominis fama tollitur & enecatur. Vanuit nomen? hominem talem rectius umbris accenſeas. Vita & fama pari paſſu ambulant, ut ſcholæ loquuntur, horum unâ perfidè ſublatâ, etiam ruit altera. Singulas has vitas perdit, deſtruit detractrix lingua; primam quidem in ſeipſo truncat & trucidat, alteram in illis, qui patulas aures detractori miniſtrant, & ſæpè etiam in eo, qui configitur, ſi nempe ad odium & vindictam, ad rancores & inimicitias exſtimuletur, unde non rarò etiam altera corporalis

poralis vita per prædominantem bilem destruitur. Tertiam vitam moralem is semper perdit, cui pravitas impingitur. In hæc linguata mors plerumque tres uno ictu enecat, & vitam, quam vivunt, petulanter exturbat, imò etiam viginti, triginta, quadraginta &c. quod facilè tunc accidit, si fatalis detractio cadat supra populosas ædes, cœnobia, cœtus, capitula, vel si coram magno populi affluxu proferatur. De hoc malo acriter perorat Scriptura (6) *mors illius mors nequissima, & utinam potiùs infernus, quàm illa.* Cur quæso ipsi etiam inferno dicitur prævalere? ratio hujus evidens est: infernus tantùm capit & comprehendit reos homunciones, grandibus flagitiis immortuos, impœnitentes, undique pravos & perversos peccatores, at detractio frequentissimè pios ac vitæ integros, omnes labeculæ puros acerrimè infectatur, in necem & perditionem ejus intenta, si modò possit tam pravus finis obtineri: hinc tot vitâ exciderunt æternâ ut Siracides conqueritur l.c. *interierunt per linguam suam* seu vitam aliis ademptam ipsi quoque amiserunt in vivis pariter & post fata.

(6) Eccli. 28.

Hæc ita se habeant AA. pium Siracidis monitum & filiale consilium in Domino amplexamur, quod sic sonat loco cit. *attende, ne fortè labaris in lingua tua, & casus tuus sit insanabilis.* Hoc ipsum his in peccatis probè notetur, *ne casus tuus sit insanabilis.* Scelus detractorium passim dicitur *caudatum scelus*, quia grandem post se trahit appendicem, aliis passim flagitiis non receptam. Alterum sui nominis fama dilosè ac nequiter spoliâsti, & sic eum morali vitâ suâ exuisti, satis non est, in Confessionali dixisse: alteri falsis criminationibus graviter detraxi: alteri turpia quædam flagitia affinxi, unde ipsius authoritas enormiter detrita, vel ab officio penitus est rejectus &c. plus ultra insonat Augustinus: *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum:* hem! famæ restitutio per Africanum Præsulem urgetur & inculcatur. Hem! palinodiam ab Hipponensi Antistite canere jubetur detractor, omnia omnibus in locis revocare, quæ ausibus infrunitis contra vicinum Orestem evomuit. Hoc opus hic labor est, qui multis esse videtur intole-

E. Dicitur detractio caudatum scelus, quia post se trahit famæ ablatæ restitutionem.

tolerabilis, inexplebilis. Hic Rhodus, hic saltus est, quem nisi fortiter supenent detractores, actum est de salute ipsorum. Optimè in rem Bernardus manet l. c. *profertur leviter dicterium, sed non leviter revocatur.* Vidit S. Pater, quàm grave huic hominum generi hæc accidat palinodia; quàm difficilis imò quàm multis sæpè impossibilis esse videatur hæc revocatio, hæc nominis ablati restitutio, interim effatum manet Augustinianum: *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Adulterium committitur, aut fornicatio? homicidium patratur? festum violatur? crapula contrahitur? diris execrationibus & blasphemiis domus oppletur aut platea? possunt hæc & alia per seriam contritionem & perfectam exhomologesin expungi; at plus ultra præstare tenetur detractor; vult hic sodes scelerum suorum plenariam veniam nancisci, tenetur ubique malè effutita evertere, se reum proclamare, alterum absolvere, palàm fateri, hæc & hæc malè in vulgus sparsa nullam fidem mereri; conspurcatum alterius nomen repurgare tenetur; quod si negligatur, confessiones & peregrinationes ejus, preces & jejunia illius nec flocci facerem, nec obolô emerem; benè itaque Sirach inquit: *attende, ne labaris in lingua tua & lapsus tuus sit insanabilis.* Si quis à Serpente mordetur, in promptu medicina est theriaca, vel pulvis serpentinus; si omne periculum vanescit, omne toxicum diffringitur, enervatur. Si quis ictu letali à scorpio saucietur, læsa pars oleô scorpiacô inungatur, nec ictus nec virus nocebit.

F. Difficultas hujus Restitutionis exponitur.

Si quis rabidi canis morsum patiatur, rabientis lyciscæ pilis plaga oppleatur, morsus erit innoxius. At verò lædatur per letalem linguam innocens fama Metelli, anima læsoris nonnisi operosissimè salvabitur. Cur? ponamus te fratri tuo integrum nomen coram senis auditoribus mutilâsse, qui tamen postea in varias terrarum plagas dispersi sunt; fac unum ex illis Romam evolâsse, alterum Augustæ morari tertium Viennæ subsistere, quartum Parisios excurrisse, quintum Constantiæ ad locum Acronianum hæsitare, sextum Salisburgi pedem fixisse &c. dic, quibus modis hi tantoperè distincti moneri

neri possunt, ne audita divulgent, quia falsa &c. grandem injuriam factam esse Metello; hunc enim non esse, nec fuisse unquam, qui descriptus esset & nigerrimo carbone signatus; hinc nimis quàm verum est, quod candidè præmonuit Sirach: *attende, ne linguâ labaris, & casus tuus sit insanabilis.* Sapè talionis lege detractor punitur, ut quod alteri perperam affinxit, ferre cogatur. Delanuza (7) nobilis Scriptura refert inter alia, fuisse Ascalæ in Hispania nobilem, qui Alphonso à Castro Patri Franciscano etiam hoc confessus esse dicitur, se coram aliis pluribus publicè gloriatum fuisse, quàm bellè à se virgo illa esset seducta, cum tamen eam ne quidem viderit Virginem illam pro scorto divulgatam esse, quæ tamen, ut ajunt, puram semper & illibatam vitam in silentio duxisset. His auditis, resolutionem dedit Alphonsus, quam multi dicent paradoxam, mi domine, inquiebat ille, morbus vester esse videtur incurabilis; tanto malo vix dabitur medicamen. Horruit nobilis ad inexspectatam sententiam, & exanduit, quòd pro conclamato nobilem haberet hispidus ille Radamanthus. An ergò solus iste Pambo sapiat? An unius fratelli sententiâ stet salus? Abi properè & alium quære mitiorem conscientiæ arbitrum, patrem, non tyrannum, sic scelerum pondere gravatus aliam tentavit Urnam; venit Salamancam, ubi eidem Confessarius obtigit paris zeli, doctrinæ, virtutis, veritatis & religionis, Franciscus de victoria, Academiæ Salamancensis Professor publicus & profundus Theologus; huic tanquam doctrinæ prodigio idem scelus confessionaliter detexit cum suis circumstantiis jam ante expressis; unà graviter conquestus est de alterius Patris crassa sententia, quasi salus ipsius conclamata esset, cùm tamen seriò vellet conteri. Ut probè singula Franciscus excepit, suam pariter sententiam exprompsit his verbis: mi domine scelus, quod commisit, utique grave est & majus decumano, hoc ut expungat, unum præter Confessionem medium restat, ut nempe coram singulis, ubi virgini tam enormiter detractum est, candidè revocet impiè dicta dicatque, se contra omnem scientiam & conscientiam hæc & alia sparsisse, velle pro non dictis haberi, imò pro meris figmentis; paratum se esse, hanc revoca-

(7) Delanuz. hom. 23. G.

Profligat omnem reparationem aut palinodiam, reputatio propria. Hist.

tionem & Virginis graviter in fama læsæ integritatem, etiam solenni juramento stabilire &c. excepit alteram sententiam buxô pallidior nobilis, & mox irarum œstro percitus expostulare cepit cum secundo: quid? an me ipsum mendacii, perfidiæ redarguam? an fidem & famam meam nobili sanguine oriundus prostituam? an honoris ac reputationis meæ jacturam mihi ultrò conciliem? absit absit à nobili tanta proprii nominis protritio? publica sum persona, omnium in oculis & amoribus versor, Aulæ Regiæ Palatinus, grandibus majorum ceris inclytus & antiquissima nobilitate insignis; quis ergò mihi Hispaniæ Grandi tantum onus imponat? Repostuit Franc. non est, mi domine, quòd tanta cum prosopopœia humilis pœnitens nobilitatem suam extollat; hæc parerga fori hujus non sunt. Apud DEUM nulla est distinctio græci & latini. Apud DEUM summa est nobilitas virtutibus florere, bonis operibus abundare, cuique suum reddere, Deo honorem & gloriam, vicino charitatem & famam, si multò ante fuerit ablata. Idem Augustinus, qui dixit: *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, etiam hæc subjunxit: *si autem non restituatur ablatum, cùm restitui possit, pœnitentia non agitur, sed simulatur.* Hæc restitutio famæ Virgini ablatæ si politicas suæ Dominationis vires excedat, repeto quod meus ille Alphonsus dixit, dicoque actum esse de salute ipsius. Vade in pace. Sic ab altero Confessario dimissus abiit, excessit sine absolutione, cujus capax non erat, sine lux & sine crux. Quid hinc nobili famæ latroni actum sit sequentibus horis, non memoratur. Si sua in sententia nihil recantandi hæsit pertinax, erco cessit victima indubitata. Patet adeò, quantùm lingua detractoria à morte prematur.

H. Sine hac restitutione, nihil valet pœnitentia.

Alterius classis latrones, qui sibi & aliis suis cum linguis mortem accelerant jam temporalem jam æternam, sunt omnes illi, qui mille diris, execrationibus & blasphemiis, imprecationibus & innumeris probris iram inflammant cum summo eorum damno, qui fulminant & fulminantur; de his iterum Siracides: *mors in manibus linguæ.* Agnovit hoc ipsum gentilis Seneca his verbis (8) *non miror, si omnia nos à pueritia sequantur*

I. Linguam habent letalem blasphemi & imprecatores.

(8) Sen. ep. 11.

*quantur mala.* Rationem hujus mox subnectit: *inter exsecrationes parentum crevimus.* Audit Deus has execrationes, & non raro eas exaudit. Vultis hujus evidens paradigma? vos expleo; nil enim ita tritum est hodie, quàm tot inter diras iram evomere.

(9) Mich. Isselt merc. Gallo-Belg. l. 12. an. 1595.

K. Tragicô exemplô letalis linguæ imprecatio fulcitur. Hist.

Horridum est, quod Mich. Isselt (9) annô 1595. ad Rhenum memorat accidisse. Baccharach oppidum est Rheno adjectum, æquali propè intervallô Moguntiâ distinctum & Confluentiâ vulgò Coblentz / ajunt à Baccho nomen loco inditum, quòd ibi primæ notæ vinum olim nasceretur, *Bacchiara* totum tractum illud passim compellatum. Hic loci sedem fixerat immanis lurco, fæx ultima perditorum hominum, hinc perpetim crapulatus, qui, ut Tertul. dixit, pro Deo Bacchum, pro templo tabernam, pro ara dolium, & pro suo archi-patrono coluit cauponem. Hic more suo popinam petiit festa lece, opera manuum suarum per hebdomadem elaborata dilapidaturus. Quod gulâ non absumpsit, lusu perdidit, uxor interim ac liberi cum horrida fame ac inedia domi luctabantur. Novit apprimè uxor misera & jam partui vicina, quem secum lurco tueretur, & doluit totius hebdomadæ labores & lucra ita lusibus & poculis prostitui cum enormi rei familiaris dispendio; ut ergò aliquid saltem gulæ subtraheret uxor, utero prægnante popinam subit, rogat, instat, finem faciat lurcandi & domum revertat. Visa conjuge & audita, mox in ferocem iras excandescit, tonat, fulminat & horridis imprecationum diris misellam profligat. Alia inter etiam hæc legitur vomuisse: *Apage mastygia tuo cum dæmone, quem uterô cirumgestas! moram si nectis, avernalem uterum tuum ense transverbero.* Horruit ad tam atroces diras uxor, & mille inter lamenta domum revertit; paulò post ira & indignatione partum præcipitante, fortu solvitur & parit; sed quid? monstrum ita horridum, ut eô visô vicini omnes procul aufugerent: imâ pars draconem squameum & caudatum referebat, media hominem, suprema serpentem. Vixit hoc monstrum, donec audito partu se domum suam lurco improbus conferret. Vix ebrius Sipho pedem intulit hypocausto, ubi viribus exhausta & assiduis horroribus percussa jacuit

jacuit puerpera, hem ocius monſtrum ſibila emittere, caput attollere, ac totis viribus in lurconem ruere, oblongâ caudâ totum corporis truncum amplecti, eumque jam caudâ, jam dentibus & linguâ undique mordere & intoxicare, ut in tympani morem venter excreſceret. Sic ſua in crapula fatum excepit tot diris commenſuratum, paulò poſt etiam uxor præ horroris acrimonia exſpiravit. Hem mortem horridam in manu linguæ! quâ DEUS gulam puniit & linguæ imprecantis probra.

Rectè adeò Sirach monuit ſingulos: *attende ne labaris in lingua;* hanc potiùs forti lupato coërce, ut nihil expromat, niſi quod pium ſit & utile, laude dignum, & amplioris boni diffuſivum, Deo ac Superis amicum. Sic de tali lingua felicibus auſpiciis enuntiabitur; quod hodie Evangelico de muto Spiritus Sanctus palàm edixit: *& loquebatur rectè;* ut tali ex loquela nihil penitus eſſet de morte timendum, ſed inde potiùs multiplex ſolatium excreſceret, vitæ cœleſtis in ævum roborandæ. DEUS ter Optimus Maximus noſtrum omnium labia & linguas ſua potenti dextera, Deique digitô ſemper prodigioſô clementiſſimè attingat, ut ex oribus & linguis noſtris illæ tantùm voces, & vocum opera promanent, quæ nobis atque aliis omnibus, vitam pariant æternantem, nullô ævô terminandam, nullis reboantium adverſitatum ventis diſſipandam, omnium deliciarum bajulam, omnium excogitabilium bonorum feracem Vitam. Amen.

L. Loquendum rectè, ut ſola vita Linguam regat, dirigat.

## CONCIO XXXVII.

# DOMINICA XII. POST PENTECOST.

*Incidit in latrones. Luc. 10.*

## Latrocinans Amicitia.

QUod hodie in Evangelio proponitur, AA. nec similitudo est, nec parabola, sed veri nominis historia, ut enim S. Hier. (1) testatur, erat via illa, quâ ex Jerosolymitana urbe in Jerichuntinam descendebatur, horroris & periculi plena, Stabat in medio *silva horrida dumi, ubi plurima frondet arbor, & ingenti foliorum exuberat umbra.* Arduus collis pariter silvæ medium tenebat, cui forte castellum latronum nidum vicini aucupes imponebant; hinc eminus prospicere poterant peregrinos, quos bonis omnibus spoliatos, etiam plagis pluribus sauciabant, ut tam citò aufugere prohiberentur, donec suum in locum delata esset præda. Hebraicè dicebatur silva hæc *adomim* seu *locus rubens & cruentus*, sic ab humani sanguinis larga profusione cognominatus. Adrichamius (2) de hoc latronum receptaculo sic loquitur: *adomim locus est sanguinarius, frequentibus homicidiis & latrociniis infamis etiã posterioribus temporibus rem & nomen retinuit, aspectu horribilis, & valdè periculosus, quémque sine conductu nemo transeat.* Ab Jericho & ab Jerosolyma æquali ferè distantia, quatuor millium nostrorũ intervallo discriminatur. Historiæ huic immorari non cupio, sed progredior more meo ad moralem sensum his vocibus concluſum, incidit in latrones. Nemo quærat hodie latrones istos in silvis, aut silvarum ferarúmque lustris; prostant in copia omnibus pænè in locis & compitis. Tanto pejus est, quod hi latrones nec agnoscantur, nec fugiantur. Simu-

(1) S. Hier. in c. 10. Matth.

A. Quæ hodie in Evangelio prostant, historica sunt.

(2) Adrich. f. 14. in Palæst.

Simulant se & pro fidelibus amicis, pro cordialibus socienis se jactant, venditant, interim si possunt, mox gulam involant, & incautos suffocant. Hîc certè centies audias ingeminari; *fide, sed cui fidas, vide.* Morales quondam latrones nunc digitô meô sed obiter signabo, ut ultimô locô referendum tantò possim fusiùs producere.

B. Morales latrones ubique dantur quamplurimi. Tales sunt lusores & bibones socii.

Vox *latrones* latinis abbreviata vox est, idem, quod *latrones, qui latera stipant*, seu socii commilitones, qui alterius lateri hac de causâ assistunt, ut alterum tueantur, eum verò tantò audacius aggrediuntur, quantò minus de fide ac perfidia sunt suspecti. Rectè omninò. Tales socieni sunt maadidi fratres, gulones, siphones & prodigi ludiones; hos multi hodie pro intimis amicis proclamant, interim aliud nil sunt, quàm tetri latrones. Ita pridem Martialis (3)

(3) Mart. l. 9. ep. 15.

*Hunc, quem cœna tibi, quem mensa paravit amicum,*
*Esse putas fidæ pectus amicitiæ?*

Dicere vult Martialis, hanc ollarem amicitiam vitreo fundamine nixam multoties fallere & ab amici legibus resilire. Crepat quidem amores aureos, sed cùm ultrà carnem non excurrat, nulla est. *Aprum amat & mulos, & sumen & ostrea, non te.* Quamdiu cum illis ore insatiabilis gurges dapibus indulges, torósque vinô spumantes cados evacuas; quamdiu cum illis solidos dies ludendo extrahis, tamdiu laudibus extolleris, & mille obsequiis splendidè foveris; at dies dicatur gulosissimæ sodalitati; tollantur commercia bursæ noxia, totique urbi scandalosa, hic primùm videbis, tot insidias non tibi sed bursæ tuæ structas esse, sumen quærebatur tuum, tê relictô, nunc verò versâ in pejus aleâ, te tanquam heteroclitum & infidum fratrem odiô insectantur vatinianô. Opt. AA. si compotatio aliud non est, quàm prædatio, latrocinatio, nemo sanæ mentis vitio dederit si combibones dixero latrones. Quid ergò est compotatio passim recepta? *Potatio ad ebrietatem est pœna gravi & acerba dignissimum scelus, quod in homine Dei sacerrimam imaginem vitiat, incestat; quod vitam corporis everruncat & animæ; quod in subitaneam mortem gulosos præci-*

*præcipitat*; *quod hominem ebrium orco & diabolo transcribit.* Hem bestialis gulæ ac potationis definitionem, unde ad oculum pateſcat, quàm efferos agant latrones tui poculares ſocii, tui fumivendi & tabacarii fratres, qui te non vitâ tantùm temporanea emungunt ſed & ſempiternâ. At definitio iſta modica periphraſi expolatur, ut tantò promptius apprehendatur. Dicitur optimo jure omnis impia compotatio *ſcelus*. Dicere debui ſcelus omnium ſcelerum parentem, omnium ſcelerum ſynopſin, malorum omnium iliadem. Sic certè de hoc ſcelere palàm perorat (4) Aug. *ebrietas blandus dæmon, dulce venenum, grande peccatum; quam qui habet, ſeipſum non habet; quam qui facit, peccatum non facit, ſed ipſe totum eſt peccatum.* Quaſi dicat Aug. in homine ebrio nihil penitus boni eſt, quia merum ſcelus eſt, omnium ſcelerum brevis ſyllabus & compendium, diverſorium, & ultimum complementum ut ſic. Ita quoque *pœna gravi digniſſimum* ſcelus eſt, quod contra Deum & proximum, contra rationem propriam ac ſeipſum ebrius gulo petulanter committit. *Contra Deum* quidem, quia toties prohibet hanc beſtialitatem, eâmque in Sodomitis unà cum libidine ſulphurea pice extinxit. *Contra proximum*, quia ſæpè per pipoſos conjuges uxores ac liberi in ſummam pauperiem & ærumnarum abyſſum devolvuntur. *Contra alios vicinos*, quia frequenter ab efferis ſiphonibus grandibus calumniis onerantur, plagis & vulneribus obruuntur. *Contra rationem*, quia hæc acerbè læditur enervatur, obfuſcatur & tumulatur; unde rectius inter beſtias ebrius lurco collocetur, quàm inter ratione ſua præditos collegas. *Contra ſe ipſum*, quia ſe ultrò in perditionem hic & ibi deturbat. Porrò dixi, hôc flagitiô *Dei imaginem in homine graviſſimè vitiari*, quia hæc potiùs in mores abit brutales. Si alia ratio non ſit, quæ diſſet & profliget ebrietatem, hæc una ſufficiat. Dei imaginem conculcari, quam & in corpore & in animo homo circumgeſtat; corporis deſtructionem experientia probat quotidiana, animæ tanta fortè non eſſe creditur, quia non videtur; interim & hanc tanta deſolationis abominatio corripit, ut ne quidem animæ brutali; ne dicam humanæ aut angelicæ, valeat comparari. Statue tibi ob oculos ebrium gulo-

(4) S. Aug. ſer. 232. de temp.

gulonem; mores & actus ejus explora; fateberis, nifallor, me nimis parcum fuiſſe in ebrii deſcriptione. Senſus ejus & intellectum ſi luſtras, nulla eſt beſtia ſub ſole, quæ non plus habeat prudentiæ & ſenſualitatis quàm ebrius pepo. Mores ejus ac ritus agendi ſi exploras, nullus morio tam abſonus erit quàm talis Epicuri de grege porcus, imò nullus porcus ita ſordidus eſt & fœculentus, quàm ebrius ſtolprio; neque enim una tantùm ex parte, nec uno ex latere, nec uno ex loco, ſed ex omnibus locis & poris contra naturam & præter naturam, velut peſſimè fœtens Patrocli olla, horridas ſordes & execrandas fœces protrudit non ſine graviſſimo damno vegetæ ſanitatis, cujus veri ſunt latrones tam in ſe quàm in aliis, quos grandibus urgent culullis. Hanc beſtialem gulam multi tamen ita avidè ſectantur, ut ne quidem frænum gulæ velint injicere, morte ipſa ponè tergori hærente; hinc gloria & honore, fide ac fiducia, bonis & fortunis, vita ſimul mortali & immortali frequentiſſimè per ebrietatem expilantur. Alia paſſi mala, quæ ſua incunabula debent ebrietati, numerum ſuperant arithmeticum, jam alibi obiter & perpaucis ſignata. Ah! quid non ſobrii ac pii homines has inter brutales feras patiuntur! væ prægnantibus feminis, quæ tales nactæ ſunt ſocienos; cujus vivax exemplum primùm nuper adduximus. Quoties uterô concluſi infantes antè vitâ excidunt, quàm luſtricos Baptismi fontes attingant? Sic uxoribus & liberis multoties vita truncatur, quam cùm ſibimetipſis quoque diſſidunt & depopulentur, accelerando mortem ſubitaneam & repentinam, jure illos *latrones* dixi, qui nec ſibi parcant, ſæpiùs in crapula feræ inſtar crepare deprehenſi & exſpirare; unde porrò illo ſolenni epitaphio latinè fabricato decorari mereantur ſinguli: *Hic propter bipſit & bapſit, in tumulum lapſit. Sicut vixit, ita morixit ſine lux, ſine crux, & ſine omni D[illegible] Requieſcat in pice!* quis enim locus aptius congruat his biboſis vitæ latronibus, his rapacibus burſæ prædonibus, quàm modò ſit per præſens epitaphium deſcriptus, interminabilis avernus, ubi toties potata ſalus ex liquefacto plumbo ac pice totis cadis refunditur. Crapulam ſuam ad uſque ſupremi Judicis urnam repentinò extincti deferant?

nihil in illis sua ex imagine Deus videt; nihil in illis ex ratione humana deprehendit; id quod in illis reperit, aliud non est quàm bestialis sordities, diabolica præsumptio, immanis horror, inhumana fœditas insanus furor, teterrima mephitis, & utriusque vitæ barbara & truculenta latrocinatio. Cœlum utique pro tam irrationabilibus feris conditum non fuit, sed pro piis, sobriis, & sua ratione prudenter ac providè utentibus veri nominis hominibus. Nullum illi dolorem, nullam contritionem à morte in dolio præventi, Deo Judici offerre possunt, quia totam rationem suam poculis & culullis suffocârunt, multò minùs Deum implorare possunt, quia mentem suam nullo salubri cogitatu sursum valent extollere. Status, in quo fœtentem animam exhálant, sceleratus est & inhumanus, quia summam Dei offensam & aversionem importat. Status, in quo hinc emigrant, perditus est & damnatus, quia ebrii sua in crapula extincti rectà in orcum fluunt, ut inter orcinos lemures contractos in vivis strepitus edormiant. Recte proin omnes hi *latronibus* accensentur, qui se & alios per immodicam potandi ingluviem subvertunt. Tollantur è medio hi truculenti vitæ latrones, suis ab officiis & honorum trabeis temulenti laverniones degradentur; opum ac fortunarum, hæreditatum & patrimoniorum pessimi dilapidatores, lucri & salarii heluones suis à magnatibus exauctorentur, patebit sanè quâ celerem fugam sit undique ebrietas captura, ut locum fugientis sancta expleat sobrietas. Hi gulæ ministri, ut crapulam suam altero in orbe exhalaverint, ipsos arguent præpositos Proceres & Magistratus: fuisset, qui nos sero moneret, castigaret, & acribus pœnis mulctaret, non omnis correctio in vanum abiisset; cùm autem hi ipsi ad urnam sedentes Radamanthi prævio exemplo suo ad potum singulos extimularent, nos etiam subinde ad immodicos haustus latronum more cogerent & inflammarent, æquum est, ut cum subditis Domini fame ac siti canina plectantur in orco, quos nostris omnibus à cervicibus Clemens Deus avertat! Qui de his furconibus plura scire gestit, adeat 5am Dom. post Pasch. Tub. Ech. Dominicam 2am post Epiphaniam Tub. Trag. item Dom. 6am post Pasch. Tub. Trag.

Ut video, nimis prolixa crisi ebrios lurcones pexui. Ad hanc bibonum classem etiam reduci debent perfidi lusores. Incidat quis in lusores istos, verè de ipso enunties tritum illud: *incidit in latrones*, incidit in prædones, qui eum ad usque interulam & indusium expilent. Ubi hoc hominum genus toleratur, nemo miretur, si piceæ manus cives inter & inquilinos, incolas inter & accolas multiplicentur. Ludendo fures domi & in foro, imò etiam in choro ennutriuntur. Lusum qui perdidit, lucra sua requirit quocunque modo; nihil habet quod ponat, cistas lustrat, bursas visitat alienas, ut spiritum expleat ludendi. S. Bernardus (5) refert, fuisse hominem, lusui tam enormiter immersum, ut etiam uxorem suam exponeret, hâc perditâ, etiam dentes suos prostitueret; his pariter dilapidatis, ore vacuo domum erat lusori remeandum. Novi locum, ubi ruralis Amyntas binos equos, quibus lignum vexerat, impio lusu amisit, insuper currum suum, pileum & collare suum, ut nihil ei præter funem remaneret, quò se urbem egressus proxima ex arbore suspenderet; hoc nunquid est latronem agere, prædari, depopulari, furari, latrocinari? hæc tollere, hæc proscindere & funditus extirpare, iterum magnatibus incumbit, Reip. Capitibus, rationem reddent conniventiæ suæ summo Deo in novissimo die.

C. Tales sunt lusores socii.

(5) S. Bern. Serm. 47.

D. Tales sunt procaces femellæ.

D Bernardus locô recitatô adhuc aliam latronum classem manifestat, quos nec ut latrones agnoscimus, nec timemus, sed potiùs prensamus, & omni cultu prosequimur. Si qua effrons fœmina, bellè compta, luxuriosè vestita, fucato vultu picta pellex, meretricium in morem collotenus nudata lupa, quoslibet incautos fallere docta viros puella &c. oculos incurrit Bernardi, mox ille altùm exclamare auditus est: *latrones, latrones*! & quem expilare, quem spoliare, quem trucidare quærunt latrones istæ? apud insontes & vitæ inculpatæ animas gratiam Divinam, ut carnalibus desideriis oppletæ, lascivis obtutibus succensæ, verum Deum suis è præcordiis proscribant, asmodæo totum pectus habitandum committant, & jacturam salutis contrahant sempiternæ. Hanc latrocinandi rationem digitô tantùm attigero; memini enim me hoc *latro-*

*num* genus hac ipsa Dom. Tub. Anal. Hist. sub hoc ipso titulo: *latro femina* exagitâsse.

(6) Mich. 7. E. Tales sunt amici.

Si ex Michæa quæram, quis adhuc latronis insignia circumferat? digitô signabit amicos, consanguineos, domesticos & parentes, *inimici hominis* (6) *domestici ejus.* Id certe ævô ita malitiosô nec novum nec rarũ est. Legatur prima Dom. post Epiph. Tub. Anal. Hist. fatebuntur omnes, optimo jure illi Dominicæ datum esse hunc titulum *Noverca consanguinitas.* Major amicitia & consanguinitas non datur, quàm illa quæ parentes inter & liberos intercedit; hinc Cicero (7) voluit, ut liberi patrem tanquam Deum, & matrem tanquam Deam suspicerent. Lactantius voluit, (8) ut eorum voluntates, annutus & oculorum nictus, pro divinis oraculis liberi reciperent. Philo Hebræus (9) voluit, ut parentes suos tanquâ terrestres Deos liberi honorarent. S. Ambors. (10) nequidem pati voluit, ut liberi suos parentes hispido & indignabundo vultu aspicerent. Si etiam tua causa æqua fuerit, & patris tui iniqua, *noli contendere cum eo,* inquit Quintil. (11) *sat plena ratio est, patrem velle.* Ut Tiraq. (12) observat, *nullus amor vincit paternum, & nullum consilium melius quàm patris pro filiis.* Hactenus dicta ficta sumantur, ut sensus sit, parentes utique tanquam juniores Deos amandos esse, non tamen plùs quàm Deũ, nec contra Deũ: nunquam eorum etiam observandos esse & explendos, quousque jussus aut imperia consona sunt imperio ac præcepto Divino; secus si accidat, dicendum quod Petrus (13) Summis Sacerdotibus occinuit: *obedire oportet Deo magis quàm hominibus;* ne aspero vultu obeantur, ne verbô aut facto violentur, ne cum illis rixosè disputetur, nempe quamdiu nihil desideratur quod Deo adversum, quod peccaminosum est. Amor eorum utique summus est, consilium illorum est optimum, si tamen amori Divino non præponderet, aut eidem contrarietur; consilium puro ex corde in Deum & liberorum æternam salutem procedat; si autem cœcus esset amor eorum, quo liberos suos depereunt, simiæ instar suos amplexando necarent. Cœcus amor, simius amor est, quô liberos suos in omnem luxum & luxuriem educant, eos ad omnes choreas & conventicula dimittunt, eos lusum & ludendi dolos edocent, eos uberius

(7) Cic. Orat. pro Cn. Planc.

(8) Lact. Instit. Div. l. 4.

(9) Phil. ad Decal. præc. 4.

(10) S. Ambr. in c. 19. Matth.

(11) Quintil. declam. 9.

(12) Tiraq. in l. si unquam in præf. num. 7. C. de revocat. donat.

(13) Act. 5.

ubertim pecuniis instruunt, eos gulæ assuefaciunt, eos pro lubitu liberè grassari, græcari, & procari permittunt &c. hos non parentes dixeris sed *latrones*, quibus se liberi totis viribus opponant. Ah! nullos hujusmodi parentes liberi hôc ævô sortirentur, tantâ certè malitia præsens ævum non sordesceret. Dicite quæso, quæ causa est, cur tanta hodie pravitas hominum totum per orbem grassetur? quod in Echon. Tub. Dom. Quinquag. dixi probavique, adhuc dico, & quod dictum est, hodie repeto: tantæ pravitatis causa sunt parentes & magistratus. Hos inter justitia dormit vindicativa, quia ipsi subinde parî scelere, quod castigandum est in aliis, sunt contaminati, illi contrà Deum ac Divina parùm curant, omni pietate vacui, sacri timoris expertes, in omnem audaciam, gulam, petulantiam effusi &c. quid à tam discolis parentibus proles hauriat, quam domi forisque mille replent scandalis, quam secum in ganeas ducunt & popinas, ubi nil boni vident, audiunt; quam luxuriosè vestiunt, ut fascinent incautos; quam in omne libertatis aucupium devolvunt; quam omnem bibendi & lurcandi docent pravitatem. Ait Æneas Sylvius (14) postea summus Pont. hujus nominis Pius 2dus & palàm fatetur, se magni nominis & primæ autoritatis Virum nôsse, unà tamen in folio regali bibosissimum lurconem, qui rectius dici debebat propriæ sobolis truculentus latro. Misera sanè & dolenda res est, grandibus Urnis admoveri homines vel in gulam vel in venerem petulanter effusos, qui nonnisi sobibus faveant pari genio instructis. Vir ille, de quo Æneas meminit, media nocte suo è lecto surrexit, potandi libidinem pro more, valido haustu extincturus. Exhaustô grandi poculô filii sui altùm dormientis lectum accessit, eique parem haustum obtulit; cùm autem somno mersus, ore diducto nil responderet, vinum parens ori patulo infudit; cùm desuper uxor questa in herum acrius exsurgeret, bestia hæc sequens formavit conclusum: ergò filius iste meus non est, sed à te ex obliquo per immane adulterium conceptus, quia mecum non vult media nocte cados & cyathos evacuare. Hem latrones parentes, qui carnem & sanguinem suum tam horridè tam impiè primis etiam annis baccho immolant &

(14) Æn. Sylv. Com. in Panorm. l. 1.

obtruncant! ita nimis frequenter verificatur, quod præfens Evangelion decantat: *incidit in latrones.* Hic filius hæc fila nacta est latronem patrem, latronem matrem, qui liberos suos bonis omnibus insontis animæ despolient, se unà & illos vitâ privent æternâ. Vultis hujus farinæ patrem coram intueri, paucis excipite, quod suis quadragesimalibus exemplis de prodigioso Dei digito fusè inseruit ferventissimus pœnitentiæ præco (15) Bisselius.

(15) Jo. Bissel. in Dig. Dei. f. 195. E.

Ultimum hoc assertum tragicô exemplô fulcitur.

Livonia vulgò Lifland provincia est ad mare Balthicum sita, hodie juris Polonici & ditionis; Prussia vel Borussia vulgò Preussen / ultima Germaniæ Regio est, nunc Brandeburgico Marchioni & S. R. I. Electori subjecta. Has inter duas Provincias alius jacet principatus vulgò Churland & Curlandia dictus; in hoc Ducatu fluvio *Mas* vulgò Mamel-Fluß adsita urbs celebratur, nomine Mittau, quàm Fingus vir doctus & dives incoluit. Hujus uxor enixa est incisura formæ puellam omnibus naturæ dotibus à Deo liberaliter instructam. In educatione proba filiæ hujus omnem lapidem movit mater, pater nullum. Mortua matre, simul etiam omnis cura & solicitudo filiam piè educandi evanuit. Fingus mansit viduus, ac rei domesticæ curam filiæ suæ commisit, quâ etiam ut œconomâ usus est tribus annis; his jam paucis dilapsis, decimum septimum ætatis suæ annum ingressa puella suo fideliter questa est, se uteri tormina sentire, & crebra patere deliquia, stomacho cibos nauseante, nescire se mali gravitatem medicinam. Novit ocius pater, quò tenderent querelæ, & in omnem partem anxius inquirit, quô mediô grandibus malis & probris maturè possit obviari; occurrit tandem consiliarius consultori pessimum, quo expleto grandem unà stultitiæ notam contraxit. Vir tam sapiens, tam literatus adit Senatum, palàm questus, filiam suam jam à multo tempore pravorum procorum commerciis innodatam, patris monita constanter eluisse, acrius ex officio per ipsum castigatam etiam minas & probrosissimas vindictas patri suo intentâsse, cùm ergo ipse pater oleum & operam perdat in seria correctione, & ex pravis hisce commerciis toti familiæ grandis infamia timeatur, hanc patri suo rebellem filiam Curiæ castigandam committi; rogare

re se proinde, ut antè carceri mancipetur, quàm fugam capessat, & per juratas obstetrices probè discutiatur, an non execrabilem fœtum uterô ferat scelesta. Stupent ad actoris causam filiæ propriæ intentatam Senatores; utplurimum enim suarum peccatilla & leviſſimos nævos parentes tegunt, occultant, extenuant & excusant. Accepta tamen fuit præsens causa utut esset paradoxa; incarceratur filia & examinatur; fassa est ultrò probrum suum, at simul palàm asseruit, fœtus, quem uterô ferret, se patrem alium non scire, quàm proprium parentem Fingum. Compellatus de fatali commercio pater, mox dicta repetiit: nunquid Domini mei pridem prædixi, vindicaturam tot pia in me monita rebellem filiam; nunc, ut video, totum virus in patrem evomuit. Stupuit utique Senatus, & vix capere potuit, virum tam prudentê, tam doctum in tam enorme scelus flammis dignam pravitatem dilapsum esse; credebat potius puellam cœco furore accensam locum rancori dedisse & vindictæ, ut patrem reum proclamaret. Stabat ex parte patris tota pænè urbs, filiam detestata, quòd patrem morti traderet. Audita est pars utraque iteratis vicibus, patre constanter filiam execrante & scelus pernegante, filia viciſſim totum commercium in patrem devolvente, fecit hæc causa Senatum ita perplexum, ut nescirent, quæ sententia esset hoc in rariſſimo casu formanda. Interim prægnans filia in carcere uterô soluta, infantem peperit, sed jam mortuum, quem identidem patri suo Fingo adscripsit. Post exhaustos puerperii menses factum est à Senatu concluſum sed cornutum, utrinque filiam constringens: sic arguebant contra puellam: vel verum est, quod de patre suo toties examinata fingit filia, vel falsum? si verum est, mortis supplicium unà cum patre suo meretur. Si falsum est quod allégat, iterum mortis pœnam meretur, quia tam immanis flagitii proprium patrem eumque insontem infrunitis ausibus insimulat. Sic ad gladium damnata est puerpera. Ante fatalem ictum ultimò ac seriò de infantis patre compellata, iterum iterumque Fingum patrem produxit; asserto etiam immortua fuit, capite per carnificem truncata. Quò anima migraverit, Deus scit. Jam pœnas dedit seu incestûs seu mendacii filia, neci data. At quid patri actum? nihil ille sua in captiva solitudine de sententia, nihil

de

de fato filiæ irrogato resciebat. Paulò post necem filiæ illatam patrem suo in carcere Judices revisunt, unaque per fenestram in patentem plateam prospectant, variis de rebus colloquia sua cum captivo miscentes; alia inter sermonis objectum etiam facta est filia jam capite plexa; narratum adeò quæ in eam a Senatu detorta esset sententia, ut nempe noxium caput et humeris tolleretur. Sic Justitiæ legibus uniformiter judicatum esse. Hoc judicium ritè judicatum cum Fingo probarent, & hic se constanter innoxium proclamaret, en subitò per plateam à quatuor tumbæ bajulis nigro velo amicta sandapila transportatur; quærit captivus, quod funus esset & unde tam repente vix posuit quæstionem Fingus, eam ocius à Judicibus resci videt Fingus. Filia est tua, inquiebant illi, modò capite mutilata & hæc, ut scias, suo veteri asserto immortua est, te nempe patrem esse & seductorem filiæ tuæ. Necdum ritè has voces protulerant, jam mordax conscientia rei latronis ita furere occepit, ut sui ulterius impatiens, altùm exclamaret: ô filia mea charissima, ubicunque jam anima tua commoretur, jam tandem fateri cogor, quod hucusque tam pertinaciter negavi & ejuravi! ego ego latro sum ille, qui te necui & infantem! ego ego te in execrabilem incestum, nunc etiam in teterrimam mortem præcipitavi &c. Sic palàm fassus singula se ultrò Justitiæ obtulit enecandum, id unum precatus, miti sententia reus patris plecteretur. Fuit sanè mitis & tanto sceleri minimè commensurata, quia pari cum filia fatò extinctus est, capite per carnificis ensem decusso.

Fuit utique parens iste crudelissimus latro, quis dubitet? incidit in sævissimum latronem filia, qui eam vitâ & fama spoliavit. Debebat hæc filia se patri suo fortiter opponere & antè millies mori, quàm votis ejus annutum dare, id quod S. Virgo & Martyr Dympna generosè præstitit, cùm à proprio patre ad simile scelus succenderetur. Inde ad oculum quoque patescit, quantum in pravis etiam hominibus rea conscientia operetur; in sandapilæ obtutu præcordia tangat. Hinc clarescit, quàm nihil sit occultum, quod non in apricum Dei summi Providentia educat. Ah! si nec parentibus in carnalibus desideriis fides haberi potest, quantò periculosius fuerit cum

cum aliis familiaritatem contraxisse. Caveant singuli hos latrones, qui nos per crapulam & fœtentem luxuriam vitâ privare ambiunt temporanea & sempiterna, cujus jacturam â nobis clemens Deus avertat! Amen.

# CONCIO XXXVIII.
# DOMINICA XIII. POST PENTEC.

*Ite ostendite vos Sacerdotibus. Luc. 17.*

## Defectus Restitutionis æternùm noxius.

HEm AA. ipsum Christi præceptum de auriculari Confessione ritè coràm Vicario ejus expedienda! *ite & ostendite vos Sacerdotibus;* his tanquam spiritualibus Medicis animæ jacentis vulnera maturè curanda exhibete. Sic sumi vult præfatas voces D. P. Bonav. (1) *in hoc mandato instituit Dominus Sacerdotale officium omnibus esse reverendum, & ad curationem peccatorum esse necessarium.* Necessarium vocat, quia miseri peccatores alio medio nisi Sacræ Confessionis juvari non possunt, siquidem ea in viribus sit humanis, quibus sublatis certum est piam voluntatem à Clementissimo Deo ipso pro opere reputari. Hæc causa fuit, cur olim Constantinus Imperator omnes querelas scriptô libellô conclusas, & contra Ven. Clerum Cæsari oblatas publicis ignibus exuri vellet Imperator; æquum enim non est, inquiebat Cæsar, ut per nos illi judicentur, quorum judicio omnes hodie mortales, etiam Coronati Principes subjacemus. Allusit pientissimus Cæsar ad Sacerrimum Confessionis Tribunal, ubi Sacerdotes sedent tanquam

(1) S. Bonav. Ser. 4. in Dom. 18. post Pent.

A. Christus præcipit auricularem Confessionem.

Judices, & Supremi Numinis Vicarii, ut noſtris nos placitis expediant, & expeditos in libertatem filiorum Dei reſtituant. Miſit hodie Servator noſter leprâ infectos homines ad Ven. Sacerdotium, ut Animæ Medicos digitô ſignaret; in Veteri lege proprium munus erat Sacerdotum, lepram à non lepra diſcernere, à ſanis morbidos removere, ne pars ſincera contagioſam luem è commercio cum Contagioſis attraheret. Plus muneris novæ Legis Sacerdotibus incumbit, qui ex officio non tantùm lepram inter & lepram judicant, ſed lepram animæ adſitam totaliter etiam curant & medicantur; agnitio proin lepræ & illius diſtinctio Veteri Sacerdotio ſola competebat, Novæ Legis Sacerdotibus utraque Ritus competit, cognitionis ſimul & curationis. Hinc omnium peccantium auribus alta voce intonat Auguſtinus (2) quæ ſequuntur: *ite oſtendite vos Sacerdotibus, ſeu quod idem, pœnitentiam agite, ſed qualis agitur in Eccleſia.* Si quæras ulterà ex Aug. quæ illa ſit, fuſiori periphraſi pœnitentiam deſcribet his verbis: *Nemo ſibi dicat, ego apud DEUM occultè ago pœnitentiam, Deus, qui mihi ignoſcit, ſcit, quia in corde pœnitentiam ago.* Vult dicere S. Pater, occultam pœnitentiam nullam eſſe, & nulla ratione defendi poſſe, ipſe iterum auditur: *noſcit utique, ſed non ideò ignoſcit*, ergò juxta Aug. occulta pœnitentia non ſufficit, ratio hujus ex ipsâ ſumitur Scriptura juxta eundem Patrem ſic loquentem: *An ergò ſine cauſa dictum eſt, quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in cœlis? ergò ſine cauſa data ſunt claves? verbô: fruſtra Evangelium & verba Chriſti*, qui nempe credit vel aſſerit, ſcelus expiari per occultam pœnitentiam, & nullam Confeſſionem ad extra pro remiſſione criminum requiri. Cùm itaque Chriſtus hodie leproſis diceret, *ite & oſtendite vos Sacerdotibus*, unà omnibus præcepit, peccati lue contaminatis, ut ſuas animæ plagas per ſinceram confeſſionem medicis exponant, ſiquidem priſtinam velint gratiam, veram animæ ſalutem recuperare. Ut autem palàm omnibus innoteſcat, quantùm hoc uno è puncto ſalus hominum pendeat æviterna, ideò ſtatui calamo fuſiore per tragicum quoddam exemplum proponere; quod cùm longum ſit & prolixum, ſine ullis ambagibus operi manum accingo & hiſtoriam prehendo. Facti veritatem nemo

B. Grande diſcrimen inter Sacerdotes Vet. Teſt. & Novi.

(2) S. Aug. hom. 49.

C. Confeſſio auricularis bellè probatur ex Aug.

nemo in dubium trahet, nisi pepo fuerit & hebes Sacrorum idiota. Nacta est præcones nimis magnos & nimis multos, omni exceptione majores hagiographos. Eam suo pastorali horto inseruit (3) Jacobus Marcantius. Pædagogo suo (4) Phil. Dultreman. Dominicali suo (5) Henr. Englgrav, & suo de peccatis tractatui (6) Georg. Stengelius; qui tamen omnes latentur, se illam originaliter à Joanne Lorino transsumpsisse, qui tunc actu præsens erat in urbe, ubi hæc dicuntur accidisse; regionem quidem nomine tenus manifestat, familiam tamen & Religiosum Ordinem, cujus putridum membrum allegatur, altò silentiò involvit, ut posterorum famæ parcatur. Quis Lorinus fuerit primus omnium tragœdiæ hujus Author, sat abundè plures tomi loquuntur, quibus tam vetus quàm novum testamentum splendidè illustravit. Ut paucis omnia complectar, tanti nominis vir erat Lorinus, ut à legendi asiduitate *alter Longinus Cassius*, ab omnigena doctrina *spirans Bibliotheca*, ab uberrimo scientiarum apparatu *Ambulans Musæum*, ab Authoritate & immani diligentia, *inter solertissimos scriptores accuratissimus Author* diceretur, Sotvello (7) teste, fuit natione Gallus, patriâ Avenionensis, religione Jesuita, mundo natus an. 1559. & annis pluribus in Italia consumptis, mundo tandem Dolæ in Burgundia An. 1634. denatus, cùm paulò antè sequentem tragœdiam loco præsens in Italia excepisset. Erat illustri stemmate clarus Dynasta, una prole eaque mascula beatus an damnatus? Deus scit, albæ certè filius fuit gallinæ, quia unicus, ad omnem luxum, delicatum in morem educatus. Hic ne serò malitiam addisceret, omnem vanitatem à discola matre & sacra exoso patre hausit puer. Amor, quô suam prolem hi parentes deperibant, simius erat amor, sicut enim simiæ ita perditè suos amant simiolos, ut eos arctissimè amplexando perimant, & occidant, sic ipsi hic locorum parentes, sobolem suam, quàm nimis ineptè diligebant, potiùs destruebant. Non credebat stulta mater, à se filium amari, nisi omnia filiolo suo indulgeret & conniveret. Quidquid optimi vel in mensa fuit vel in penu domestica, id huic gratiarum pullo quacunque horâ tempestivè intempestivè sine modo, sine mensura ingeri debuit & obtrudi. Nihil pe-

(3) Marcant. in hort. past. f. 835.
(4) Pæd. Christ. c. 15. tit. Conf.
(5) Englgr. p. 2. f. 269. in fol.
(6) Ge. Steng. in 7. peccat. f. 28. in 4.

D.
Elogium Lorini.

(7) Nat. Sotvel. in bibl. f. 470.

C.
Firmatur Aug. assertum etiam exemplô tragicô.
Hist.

F. Simius Amor parentum in filios summè noxius est.

stilentius est, quàm si liberi molliter educati pessimæ libertati committantur; pejus est, si à cunis quasi & à primoribus annis ad epulas & choreas, ad comessationes & compotationes ipsis à parentibus suis deducantur, ad luxum & luxuriam ipsis à parentibus inflammentur. Hujusmodi parentes lapsâ Dominicâ veri nominis latrones diximus, quod nomen apprimè merentur. Augebunt latrocinantium parentum classem & numerum etiam hodierni, qui filium suum tanquam cœlò lapsum Numen visi sunt adorare; induebatur purpurâ & byssô filius largis etiam aurô amictâ, quasi idolum esset, carne morticina. At foret pulsâsset pauperculus, nudus, inops, famelicus Codrus, ne quidem detritum calceum, ne quidem obolum ab avaris parentibus retinuisset; usq; adeò ambos ferax avarities corripuit; opes nempe filio deaurando expensas, nulla pœnitudo excepit, quia unica erat soboles totius familiæ fulcrum, & avitæ posteritatis columna, spes firma parentum ac senii prædulce levamen, cui tamen nullum unquam *Amen* echonicè respondit; DEUS enim fata longè alia disposuit, quàm ea parens uterque somniavit. At Lorinus, cùm adhuc nutricis manibus sustentaretur (ita enim etiam hodie pessimus ritus feminas inter invaluit, ut sæpè putida ex causâ, v. g. formæ tuendæ gratiâ, liberis suis pernariam cellam illam denegent, quam materno in pectore feminis providit natura, prout loqui placet (8) Ferrerio) jam jussus est ad numeros pedes componere, formare saltum & utraque manu phrases gallicas effigiare; at quæsiisset nonnemo, at Crucem nosset dexterâ exprimere, Oratione Dominica Deum adorare, Angelica Deiparam venerari? ocius novercans mater reposuisset, nimis adhuc tenellum esse puellum, tam sublimibus mysteriis ritè capiendis inhabilem &c. ut quid ergò tam promptus capit ludicra, fescennina? ita nempe mundo & carni primitias dicamus, Deo ac superis quisquilias. Ita Sacrorum rudis pessimè adolevit in omnem luxum projectus, in omnem petulantiam effusus, facturus aliquando parentibus suis grande cordolium, ex quo sperabant liberale solatium. Applicabant quidem literis archipullum suum parentes, ea tamen conditione magistris sancita, ut ne filio cerebellum difringerent, aut nimio studiorum labore caput fatigarent; at cur caput non

(8) S. Vinc. Ferrer. in hor. princ. l. 2. c. 23.

non læditur, cùm solidas noctes ad sybariticas mensas pervigilant, ubi sæpè inter pocula & choreas præ lassitudine humi fluunt? cur nulla lassitudine caput premitur, cùm lusibus & ganeis plures horæ, imò dies cum noctibus falluntur? Deum bonum! de nimia filii adultioris libertate, de morum licentia, de opum profusione, de parentum contemptu parentes conqueruntur, & ipsi interim in omnem licentiam prolem educant, talem habetis, qualem teneris ab annis in omnem audaciam educâstis. Si vobis modò adultior soboles recalcitret, pœna vestra culpa est vestra improbi parentes, qui â cunabulis in omnem petulantiam stimulos proli vestræ dedistis. Vix ad maturam ætatem hæc soboles excrevit, sui unà juris esse voluit, monitoribus asper, atque indolem suam tot modis per parentes depravatam in dies & horas liberaliùs exseruit; non ille jam domi suæ sparthâ vel mensâ contentus, sed mensas sectari vicinas, quibus pratis floridiores Rosulæ assiderent & Narcissæ; his floseulis fascinatus nec ædibus ultrà se paternis concludi, nec seris parentum monitis se flecti passus est adolescens; his insuper habitis ludere, otiari, bacchari, comessari, magnô unà pretiô vestiri, choros & choreas instituere hamata munuscula puellis quin & uxoratis transmittere, quidquid lascivia dictat, tentare cepit, & hæc quidē omnia gyaris & carcere digna tantò fortiùs tantò impudentiùs visus est sectari, quia interim parentes quoque fatô properô rapuit libitina. Crediderim hos parentes maximam sui partem uno esse cordoliô absumptos, quòd viderent, adultam prolem propriis parentibus calces illidere, monitis omnibus reboare, jugum excutere domesticum, & quà data porta, in omnem libidinem toti familiæ probrosam grassari. At verò parentum culpâ hæc acciderunt; cur sobolem suam ita molli brachio educârunt? cur quidquid in votis erat puello, à teneris indulserunt? cur perenni palpo insolentem audaciam foverunt? quin perditæ sobolis suæ justo Judici pœnas dederint extincti, nullus dubito. Suadebant quidem huic libertino sanguine proximo juncti familiares, ut sibi conjugio jungeret nobilem damam ceris ac virtutibus inclytam, opibus ac fortunis opulentam, persuasi, sic forti lupato frænandam mentem & innovandam. At nimis quàm verum est Numi-

(9) Prov. 22.

10) S. Hier. ep. 7. ad Lætam.

G. Quæ pueri discimus, etiam viri practicamus.

nis (9) Oraculum: *Adolescens juxta viam suam ambulans, etiam cùm senuerit non recedet ab ea.* Manet alta mente repôstum, quod primis annis à parentibus hausit tenella ætas. Hieronymo teste (10) *difficillimè eraditur, quod rudes accepta perbiberunt: lanarum conchylia quis in pristinum candorem revocet? recens testa diu & saporem retinet & odorem, quo primùm imbuta est.* Quod quis puer discit vel adolescens, id vir aut senex factus ægerrimè dediscit, *quod nova testa capit, inveterata sapit*, rectè puer à teneris instruatur? ad senium usque sua in rectitudine durabit; malè contrà primis ab annis informetur? *naturam expellas furcâ, tamen usque recurret.* Patet id abundè in præsenti juvenco. Connubiô ligatus nihil ab antiquis moribus remisit, veneris furta impiè sectatus & lusorum commercia. Duo maximè scelera esse jactantur, quæ piceas nobis manus injectant, procandi libido & ludendi perfida cupido. Scelus utrumque sine fundo est, quia insatiatum est. Opes affluant & fortunæ? procus si fuerit aut perjurus lusor, opes deficient & fortunæ. Vetus Testamentum lustretur, veritas ad oculum patebit in Antiocho & in Salomone. Nova lex discutiatur, idem suô calculô probabit Herodis & prodigus ille porcaster, quorum iste penitus ad incitas redactus est, ut etiam siliquis vesceretur *procus*, seu unâ tantùm literulâ, paululùm immutatâ *porcus*. Reliqui tantas opes coradere non poterant, ut vel lusorias societates vel impia pellicum desideria explerent. Regales gazas lusus exhaurit & procatio. Hæc qui credere renuit, hunc novæ familiæ œconomum suspiciat. Accepit à parentibus Crœsêas opes, tulit dotem verè auream nova nupta, ter decem millia; his tamen omnibus prodigiosè diffatis, intra paucos annos pænè ad tribus rios descendit. Abiit excessit paratæ monetæ plutus, nec tamen solum vertit Asmodæus aut sodes Spiritus in aleas & fritillos effusus; horum ut ingluviem expleret, nihil inausum nihil intentatum reliquit, modis omnibus technis & versutiis intentus, quibus largos redderet proventus. Primi omnium erant pauperes subditi, quos cum bonis nactus est paternis hos ita torsit & annuis censibus adauxit, ut multos ad usque vitam & sanguinem emungeret, & funditus exhauriret. Alios dolis

H. Procis & lusoribus nullæ opes sufficiunt.

dolis & astibus circumvenit, alios fraudulenta venditione aut fallaci emptione decepit, alios grandibus usuris pressit, ut novis sed prohibitis artibus peculium exprimeret. Fuit, qui ex subditis modicum pedem exerraret, grandibus mulctis modicè reos castigavit, non gregem tondere doctus sed deglubere. Si paribus technis per vim & nefas corrasa fuit opima hæreditas, eidem à parentibus relicta, sed modò jam enormiter eventilata, mirum nemini videatur, tantos pecuniarum acervos tantillo tempore dissipatos esse & dilapidatos. *De malè corrasis non gaudet tertius hæres.* Ut impiè parta sunt, ita pariter impiè ac sceleratè dilabuntur. Accedat lusus, & lusum prodiga opum luxuria comitetur? nec regina pecunia suis stabit basibus firma; humi cadet, & in pannosam pauperiem præcipitata ruet, imò in ipsum æternitatis barathrum toto impetu descendet, nisi alteri pessimè ablata, suum jubeat ad principium per candidam restitutionem reverti. Si verò peculium hæreditario jure à parentibus transsumptum probi justique nominis peculium fuit, bonis titulis sine ullius injuria per industrios parentes adauctum iterum diu subsistere non potuit, quia impiò filii lucrò mixtum fuit & contaminatum; sicut rubigo ferrum consumit, & lupinæ fides enervant ovinas, ita vel unicus iniquitatis nummus, ne dicam plures, probæ notæ aureis sociatus, grandibus etiam talentis affricat epilepsiam, ut te dormiente dispereat argenti pondus & auri.

I. Corradunt eas per fas & nefas.

K. Malè parta malè dilabuntur

Novit apprimè Nobilis hujus sanguisugæ sordidam indolem, fraudibus & furtis, improbis usuris hirtescentem naturam loci Parochus & Ecclesiasticus Curio animarum; at cum quævis salutis monita forti sibilo explauderet Dynasta, vidit facilè vir prudens in lucrando Nobili oleum & operam absumi, sine fructu sine emolumento; neque tamen passus est ita suam errantem oviculam extra gregem vagari, quin sæpiùs eam ad ovile revocaret, irrito semper conatu. Hæsit hic Nobilis in trito & triviali errore illo, qui vel hodie non paucos premere videtur. Vidit quidem sub iniquè partis, sub tam grandibus & illicitis usuris aliquam notabilem malitiam comprehendi, sed unà rudis fungus credidit, salva fore omnia, si modò fraudes & iniquitates suas suo candidè Confessario enun-

L. Horribilis error mammonistarum, qui credunt una

confessione scelerum singula expediri, sine restitutione.

enuntiet, qui cruce facta totam ocius pravitatem absterget. Instabat commodùm Pascha, ubi ex Ecclesiæ præcepto omnes Christi fideles proprio sacerdoti suo confiteri jubentur; hanc legem pro forma expleturus & hic Nobilis se suo sistit Parocho, qui animum pœnitentem suis criminum laqueis expediat. Verum est, nullum scelus est, quod non extinguat pœnitentia, si tamen vera sit pœnitentia, non ficta, non simulata; qualis erat præsentis Dynastæ. Confessus est quidem fraudes suas & impoosturas, quibus plurimum auri corrasit, usuras etiam suas ultrà mensuram & sortem quocunque lucro protensas; at cùm ab his iniquitatibus desistere nollet, atque insuper male parta suis reddere dominis recusaret Dynasta, renuit pariter loci Curio eidem scelerum omnium sacramentariam absolutionem elargiri; ei unà mentem explicuit magni Patris Augustini apertè professi: (11) *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si quidem restitui possit ablatum &c. si vero restitui possit, & non restituitur, pœnitentia non agitur, sed simulatur.* Rectè judicavit secularis iste Curio, cùm sine ullo respectu pœnitenti suo duplex onus imposuit, ut nempe non iniquitatibus & illicitis usuris certum & efficacem nunquam remitteret, atque unà malè parta suis, quibus sua rapuit, restitueret. Utinam pari zelo & cordato spiritu suos exciperent pœnitentes religiosi judices, animam fortè suam à barathro servâsset nobilis iste. Non potest Confessarius ullus sine imposita restitutione pœnitentes huic nobili similes absolvere, ne propriæ salutis periculo se velit Confessarius involvere, & alterius peccata participare, prout hic factum inferius dicetur. Sic sacro ex ergastulo sine Cruce dimissus Dynasta, totam ex cacochymiam in animæ peritissimum medicum evomuit, qui Nobili tanquam rustico loqueretur, & nesciret politiam, crudis & crassis vocibus pœnitentes exciperet, itane verò crudus audiat Ripaldus, qui magnis etiam dominis sanctam prædicat veritatem? desistite malignari, & mitiora occinent. Quæ & qualis est pœnitentia, plangere commissa, & plangenda non dimittere? Stultus sit andabata, qui hæc non capiat? Solane Confessio sufficiat ad retinendum iniquitatis mammonam? nil ultrà tutum erit, nihil inaccessum; quæratur incognitus judex Con-

(11) S. Aug. Ep. ad Maced.

M. Onus restitutionis in SS. tribunalibus urgeatur & seriò inculcetur. Defectu restitutionis intimatæ confessus suo cum pœnitente damnatur.

Confessarius, eique furtum propaletur; salva res. Facta Cruce, mea erit rapina &c. hem quousque pertinax error grassetur, ad Dei ac hominum perennem contemptum. Maneat ergò suo in vigore Augustini Oraculum firmum, stabile, inconcussum: *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Item alterum: *si verò non restituatur, cùm possit restitui, pœnitentia non agitur, sed simulatur.* Non credidit Parocho suo Parochianus; ivit proin ad aliquem Societatis Patrem, qui tamen intellectâ causâ idem judiciũ judicavit, dixitque candidè, ipsum absolvi non posse, nisi fide sincera se omnium ablatorum restitutionem facturum adpromitteret, adjecta insuper hac tristi appendice: id nisi fecerit, actum esse de cœlo. Re ergò infecta etiam hoc à Judice nimis acerbo avaritiæ Aristarcho discessit, ac tertium adiit, inde etiam quartum, sed ab omnibus idem responsum, eandem retulit repulsam. Agebatur interim acribus conscientiæ stimulis Dynasta, quos cùm nullus animorum Judex reprimeret, eò quòd ipse reus nullum à se mammonam rejiceret, nulli pœnitentiæ seriò agendæ se accomodaret, imò potiùs omnem restitutionis faciendæ mentionem subterfugeret, alia & alia tamdiu subsellia oberravit, donec tandem reperiret aliquem suum ad gustum vel idiotam vel libertinum fratrem, qui nullo discrimine, nulla potestate, scelus omne protervis ausibus absolveret, quoties absolvi vellet Dynasta, nulla unquam restitutione seriò inculcata. Hic unus sanguisugæ placuit; hic unus pessimo mamonistæ ad unguem satisfecit. Fuit hic sodes non secularis Sacerdos (quod studiosè memoro, ne Venerabili Clero præproperè dica sine ullo fundamine imponatur) hic, inquam, sodes secularis Sacerdos non fuit, sed religiosus, cappam & tunicam non item regulam professus, laxus frater & gastrimargus, qui sibi de præda tam pingui & opima tacitè applausit, ac modis omnibus hunc Nobilem suo studuit abdomini fovendo retinere, palàm dicere auditus, ceteros omnes nimiùm scrupulosos mentium tortores, nodum in scripo quæsivisse, se gordios omnes uno ictu dissoluturum. Sic quoties mammonista vellet, ab hoc Monachi monstro sinè ulla restitutionis impositione

largam & laxam absolutionem retulit, sed nudis & emedullatis vocibus expressam, re nullam. Quis fuerit Religiosus ille, studiô tacetur, ne, quod ævo nostro perquàm receptum est, unius discoli sodis pravitas toti Corpori, toti Ordini aut Religioni perperam affricetur. *Si videris Sacerdotem* (dixerim hic loci: *si videris religiosum indignum*) verbi recito magni Patris (12) Chrysost. *non ob id etiam calumniari Sacerdotium debes aut Religionem; neque enim calumniandæ res est, sed ille solùm meretur convitiis obrui, qui tantô hoc abutitur; & Medici multi carnifices sunt, qui pro medicis præparant venena, neque tamen artem Medicam vituperes, sed eum, qui arte sua impiè abutitur; impingunt etiam scopulos nautæ, neque tamen ars navigandi, sed eorum perversa voluntas damnanda est.* Sic Chrys. Ne proin alii pluribus imputetur, quod de uno indisciplinato & laxo fratre togâ & cucullôtenus Monachum professo asseritur, nomen suppprimitur. Dari tales nemini mirum videatur; in consortio ejus nec cœli erant puri. *Reperit* Deus etiam *suis in Angelis pravitatem*, Scriptura (13) teste. Habuit suos inter *diabolos* quoque Collegium Apostolicum Christo (14) teste: *unus ex vobis diabolus est.* Nihil itaque per unum exlegem & dissolutum fratrem, cujus Religio tacetur, sacris Cœtibus derogatur. Dicuntur hæc in genere aliis omnibus ad cautelam, ut unius damnô sempiternô sobriè in Domino sapiant universi. Ad historiam regredior. Hunc inter ollarem religiosum & dynastam magna extitit familiaritas; hinc se mutuò invisere, hinc suavissimè unà confabulari, hinc identidem lætissimè simul comessari & græcari. Gaudebat uterque mutuô alloquio & conversatione, Nobilis immunitate & iniqui lucri quæstu possessione, nomine ac cucullôtenus religiosus larga comessatione. Sed ut certum finem ac mensuram magna scelera fortiuntur, ita hîc quoque mensurâ scelerum expletâ, nihil ultra scelerum vindex Deus scelestis capitibus indulsit. Constituebant hi die quodam mensam opiparè instructam; convenerant in

(12) S. Joan Chrys. de Virt. & Vit.

(13) Job. 4.
(14) Joan. 6.

in prandio; mensæ assidebant uterque non tantùm in vesperam, sed in seram quoque noctem extractæ. Volabant joci, salibus immodicis jam largiùs aspergebatur prudens ac timoratæ conscientiæ Parochus, jam ejusdem sententiæ Patres Jesuitæ, atque alii frustrà per dynastam pulsati Confessarii. Ambulabant in orbem fercula, ibant in circum magnis hospitibus coronatum grandes scyphi, & crateres falernô spumantes; nemo illis lætior, nemo beatior; at nesciebant stolidi, quid sequens ferret hora; nocte jam multa post lautissimam mensam Nobilis in lectum concessit, Monachus suum in claustrum se recepit; vix tamen se ad somnum ritè composuit frater, hem inopinatò vernæ duo ad cœnobii fores properant, pulsant, sibique ociùs adesse jubent illum, quem Nobilis ille modò ad extrema per apoplexiam deductus suis à confessionibus haberet; proripuit hic se utut attonitus è strato properè, & injectis tumultuariè vestibus, socio comitante, ac binis vernis, qui eum evocabant, latera stipantibus facigeris se viæ committit. Per forum ut transeunt, videt eminus conscientiæ Arbiter micante luna Nobilem illum convivatorem suum nocturna in toga sua pro ædium foribus magnificè obambulantem; hôc visô, intempestivè se delusum ratus, amarulentiùs suis cum ductoribus expostulat, ut qui aliud ludendi tempus non habuissent, quàm ut sacer conscientiæ Judex lusûs ridiculi fieret argumentum? alios fuisse, quibus os sublinerent, ea si nocte comœdiam vel dare, vel spectare libuisset. Hæc cùm diceret, adfuit ipse Dynasta vultu plùs quàm truculento sic eum affatus: nihil hic fictum, vel jocô actum existima; non tantùm ægrotavi, sed etiam vixi, apoplexiâ tactus & consumptus. Mortuus tecum loquor, & heu æternis orci focis adjudicatus! Cepi ardere, ardeo, sempérque ardebo, idque justè patior, quia hæc fraudibus & dolis, furtis & rapinis, usuris & malè partis opibus nunquam restitutis, nec non sacrilego Sacramentorum usu promerui; tu verò infelicissime popa, religionis tuæ turpe catarma, Ordinis tui fæculentum sperma, perditionis meæ pestilens causa extitisti; tui officii erat, mihi verum dicere, reum de vitiis increpare, impium lucrum seriò amoliri, è medio tollere proximas

peccandi occasiones, mammonæ restitutionem totis viribus urgere, ludicro pœnitent omnem absolutionem denegare &c. at verò cùm mensæ tantùm servires non conscientiæ, & longè pluris faceres offam meam, quàm animam meam, mihi idenditem palpum obtrusisti, & unà peccantem suis in pravitatibus confirmâsti, minùs necessariam restitutionem vociferatus, ut nequid abdomini tuo sublegeretur; par igitur est, ut scelerum meorum particeps fautor, etiam particeps fias pœnarum alastor &c. Hæc ubi dixit, duo vernæ inaverniles cacodæmonum larvas conversi, unus nobilem, alter ficti nominis religiosum comprehendit, eúmque in ictu oculi rectâ viâ in phlegetontem abstraxit. Solus ibi tam luctuosæ tragœdiæ spectator relictus est laicus frater, rei atrocitate horridum in morem perculsus, & hos inter continuos tremores tandem sine socio Patre domum regressus, ubi scenam ita tragicam fratribus in choro congregatis, oculatus testis explicuit.

Hæc Tragœdiæ summa est satis utique horrida & luctuosa. Patet inde nec Deum ludi, nec pœnitentiæ Sacramentum. Patet inde, quantam obligationem importet seria peccatorum confessio, & opum malè partarum restitutio. Nactus est peccator pœnitens candidum, sobrium, prudens simul & doctum conscientiæ Arbitrum, qui cum D. Pauli verè ac fidenter (15) asserat: *vos quæro, non vestra?* reperit Confessarium, qui nec hamatis munusculis, nec cuticularibellariis se flecti patiatur, ut agat mitionem, ut palpo tanquam ulcera, ubi potiùs ambabus palmis arctè premi debent, ut totum inde pus profluat & pituita? verbo, suæ conscientiæ fidelem arbitrum invenit, qui unam Dei gloriam, & animarum æviternam salutem præ oculis habeat, & veri nominis zelo ad cœlum dirigat pœnitentem, Sanctæ & intaminatæ Veritatis assiduus præco? is Deo dicat grates, & ab hoc se regi patiatur; si verò talis non sit, sed vita laxiori, & moribus gastrimargis, eum potiùs referre videatur, quem tandem ultimo ac pessimo loco adeptus fuit Nobilis hodiernus, citò citò alius quæratur, qui nec statu, nec officio suo abutatur.

(15) 2. Cor. 12.

Talem

Talem Confessarium ubivis locorum verus pœnitens reperiet, cui animus est à vitiis seriò desistere & cœlestia sectari. Rapuisti aliena? bursis atque ædibus tuis maturè omnem Mammonam proscribe, quia sine restitutione juxta certam omnium sententiam salus tua in æternum conclamata est; si quidem possibilis sit restitutio; cùm ad impossibile nemo teneatur. Age posthac cum omnibus & singulis candidè, germanè, sine fuco, sine dolo, & nullum erit periculum Mammonæ. Vident hîc pariter æris alieni possessores reprobi, quos vernas & famulos ædibus suis conducant; vivi erant dæmones sacigeri, qui tanquam obsequiosi Nobilis illius famuli Confessarium evocabant; hi etiamnum ædes illas, cistas illas & bursas oberrant; hi etiamnum arces illas & domicilia, Curias illas & aulas frequentant, quas habitant mamonistæ; sed tales hospites, tales ædium inquilinos nostris omnium à foribus, à nostris omnium tectis & ædibus clemens Deus proscribat! Amen.

# CONCIO XXXIX.

# DOMINICA XIV. POST PENTEC.

*Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ. Matth. 6.*

## Mali Chriſticolæ Mammoniſtæ.

CUm Marcellus belli fulmen & Romanæ Gloriæ gentis devictis hoſtibus ex Sicilia Romam reveheret, & more triumphabundo tanquam hoſtium exterorum glorioſiſſimus Domitor urbem eſſet ingreſſus, binis ſimul Deâbus *Gloriæ* ac *Virtuti* nobile fanum extruere conſtituit AA. Conſultabant popæ & ſacrificuli; quâ formâ omnium ſplendidiſſimè erigi poſſet ſtructura, & concluſum eſt, duplicem Deam unô ædificiô nec capi nec concludi, nec ritè coli poſſe; ſi ergò Marcellus ſtatuas utramque templô decorare, duplex templum ædificet; ita tamen, ut omnes indè diſcant, à *Virtute* ad *Gloriam* aſcendi: primum itaque templum *Virtuti* ſacretur, alterum *Gloriæ*, ita tamen, ut ad hanc nulli aditus detur, niſi alterum *Virtutis* ſacrum priùs tranſeatur. Hic loci cœci gentiles grande lumen accendunt, quô præſens Evangelion illuſtretur; quid enim hoc duplici ædificio aliud ſignabant, quàm id, quod Chriſtus hodie Phariſæis occinuit: *non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ*. Non capit unum templum Deos à ſe mutuò tantoperè diſtinctos. Uni ſoli dedicari debet templum, alterô, qui ſpurius eſt, penitus excluſô. Opt. Auditores quæratur ex Divo Paulo (1) quanti hominem faciat, & quid ex homine fieri velit, candidè dicet: *neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* Quod hic loci Corinthiis ſæpè inculcat, omnes tangit. Nos omnes eſſe oportet *templa Dei*, ſed quæ illum ſolum comprehendant, illum inquam ſolum, qui

A. Per cœcos gentiles Præſens Evangelium explanatur.

(1) 1. Cor. 3.

qui totum hoc templum ex nihilo sui extruxit, & tantis hactenus impensis ac sumptibus sui juris fecit, ac proprio sanguine purgavit. Hîc nemo juxta veri Dei effigiem collocet idolum; non patitur corrivalem Zelótes Deus. Sacros amores sibi vendicat uni; hos qui dividit, totum Deum suo ê templo proscribit; hic alteri nec sacellum vult erigi, nec aram, nec tabulam, *ego*, inquit (2) idê, *sum Dominus Deus tuus fortis zelotes*, ut ne quis alius irrepat, qui se Deum mentiatur stygiô damnatus avernô. Hæc ipsa causa est, prout Hugo memorat (3) cur Deus simul esse vellet hominum Creator & Redemptor, nempe, *utne amorem tuum divideres, idem factus est tibi Creator & Redemptor.* Cùm sponsa (4) in Cant. avidè inquireret, quibus modis ipsa tanquam templum Deo dicatum suis à fœcibus ritè posset purgari, hæc vox cœlica auribus ejus illapsa est: *pone me, ut signaculum super cor tuum*, seu pectus tuum ita fortiter obsigna, ut nullus illuc præter Deum valeat penetrare. Idem cor hoc ipso ex capite desuper factum est amplum & flammeum, ut unum Deum cœlô defluum ardentibus suspiriis & flagrantibus desideriis exciperet, inferiùs verò versus terram totum acuminosum, ut nihil è terris terreum, ut nihil è mundo vanum aut fictitium, ut nihil è carne lascivum, ut nihil ex orco peccaminosum, Deo ter optimo maximo adversum possit illuc irrepere. Odit nempe Deus & execratur quamcunque mixturam aut societatem, solus & unicus possidere vult habitaculum suum. *Non vult Christus communionem*, verba sunt (5) S. Patris Augustini, *sed solus vult possidere, quod emit; tanti emit, ut solus possideret; tu verò eidem facis consortem diabolum, cui te per peccatum vendidisti. Væ duplici corde*, pergit Augustinus, *qui in corde suo partem faciunt Deo, & partem faciunt diabolo.* Quid importat hoc væ? quid minitatur? respondeat (6) Sophonias: *disperdam eos, qui jurant in Domino & in Melchon*, seu, quod idem fuerit, qui Deo servire gestiunt & Mammonæ. Experti sunt hoc *Væ* in Veteri Testamento duri & obstinaces Philistæi (7) hi eò temeritatis & audaciæ progressi sunt, ut eandem in Aram, in qua stetit Arca fœderis, idolum Dagon reponerent. At quid Deus ad hanc enormem proterviam? primùm eos paternè monuit, ut

B.
Cor est templum Dei

(2) Exod. 20.

(3) Hug. Vict. in Matth.

(4) Cant. 8.

C.
Cor totum sibi Deus vendicat.

(5) S. Aug. tr. 7. in Joan.

(6) Soph. 1.

(7) 1. Reg. 7

D. Arca Dei non patitur sibi sociari Dagonem; ideò graviter Puniti sunt Philistæi, in Vet. Lege.

ut procul ex aris & ex oculis orcinum Alastorem removerent. Script. teste. *Altera die ecce Dagon pronus jacebat in terra.* Ex hoc casu poterat utique & debebat evidenter colligi, Dagonem fœderis Arcæ una in ara malè ac perfidè sociari; cœci tamen Philistæi nec capere visi sunt, nec agnoscere facti hujus pravitatem, persuasi, id casu fortuito accidisse, quia nec manus nec pedes erant ex casu luxati; ausu itaque plùs quàm temerario in Aram Dagónem suum reposuêre Philistæi, sed hoc ipso ad celerem scœleris vindictam justum Numen provocabant; altera die templô reseratô, distinctè viderunt, iterum humi abjectum esse Dagónem, & in frusta comminutum; inde vindex Dei manus etiam Philistæos corripuit, qui juxta Dei Arcam locabant Dagónem. Notat hic loci Cornelius (8) injuriam arcæ illatam triplici pœnâ ultum esse Deum. Prima in Dagónem ferebatur, qui Arcam quasi devictam sibi subditam habebat prosternendo eum ante Arcam, ut eam adorare videretur; erat autem Dagon, ut inquit Bonav. (9) Veneris idolum à Philistæis juxta Dei Arcam locatum. Secunda pœna irruit Philistæos, eos probrosa morte, pudendô alvi morbô seu fœda lue mulctando. Vatablus hunc morbum vocat *Marisam*, Lyranus *dysenteriam*, Theodoretus *phagodænam* seu *cancrum*, Genebrardus *hæmorrhoidas*, alii *luem gallicam* seu *veneream*. Novum fuisse morbum & peculiariter à DEO Philistæis immissum, ex eo patet, quia præter acerrimos dolores etiam intestinorum putrefactionem peperit & egestionem, unde multi fato pressi sunt repentino. Tertia pœna in ipsam regionem grassari visa est, mures immittendo, qui omnia fata, omnia germina depascerent, qui hortos, vineas, fruges, & fructus devastarent. Si tam grandibus pœnis Aræ & Arcæ Dei violatores in Veteri Lege Deus punivit, quâ pœnâ in Nova Lege omnes illos castigabit, qui juxta Deum in templo Dei colunt Mammonam? huc huc tendit præsens crisis evangelica *non potestis Deo servire & Mammonæ*, quasi diceret, non potest simul eodem sub tecto, eodem in pectoris templo habitare Arca & Dagon, Virtus & vitium, Deus & diabolus, Deus & Plutus, aut iniquitatis Mammona. Hos ambidextros pœna speciali mulctare Deus constituit, sicut peculiari lue infectos & confectos esse scimus Philistæos.

(8) Cornel. in 1. Reg. 5.

(9) S. Bonav. in Ps. 21.

An placet hanc ſpecialem pœnam, quâ in nova Lege vindex Deus pſeudopoliticos neutraliſtas, Dei ſimul & mammonæ reprobos cultores mulctavit, coràm arbitrari? Audiamus breviter, quæ Virgilius Ceparius Soc. Jeſu Sacerdos, Rector Collegii Florentini & Romani ipsò Feſtò SS. Simonis & Judæ Anno 1614. in Domo profeſſa Sodalibus ſuis Præſes Sodalitatis prædicavit, accepta, ut ajebat, ab illo ipſo, qui tunc in Urbe præſens erat, cùm hæc in Luſitania agerentur, Nycio (10) teſte. Erat ibi tacito nomine urbeculæ cuiusdam nobilis præfectus, qui contra Divinum primæ Veritatis oraculum eam in ſententiam verè abſonam & erroneam deflexit, poſſe facili negotio & Deo ſimul & Mammonæ ſerviri, contradicente Scriptura. Qui hunc vidit prætorem, & nihil ultrà de moribus ejus ac vita intellexit, unà judicium judicavit, huic viro vitæ ſanctimoniâ, Dei ac juſtitiæ cultu neminem mortalium anteire. Recitabat ſingulis diebus ex ultronea pietate cum Sacerdotibus omnes horas ſeu totum Breviarium, diebus ſingulis ab Eccleſia decretum; cui inſuper nobile auctarium quotidie adjecit Officiola minora de Sanctis. Pranſus aut cœnatus vel muſæum ſuum, vel hortum obibat, roſariò Deiparæ recitandò piè diſtentus, rarò antè ad cauſas forenſes progreſſus, quàm globulis Virgine evolutis, octavo quovis die peccata confiteri, & erectis in altum palmis Menſam adire ſolitus Euchariſticam. Adhæc magnus erat pater pauperum, & mendicantium Ordinum patronus: illos nunquam à ſe vacuos dimiſit, ſed larga ſemper ſtipe refocillavit: hos eſculentis & poculentis largiſſimè per annum inſtruxit. Dic, quid pietati defuit & liberalitati, qua prætor iſte inclaruit? an etiam altiùs extendi poterit virtus, quàm actu fuerit hîc loci extenta? hoc ardenti orationis zelò & aliis incenſæ charitatis actibus multos ſanè religioſos multis poſt ſe paſſibus reliquiſſe videtur. Hactenus eam vitæ probitatem deſcripſimus, quæ nonnullis cenſoribus etiam videri potuit aris digna; at quomodo? ut ſcilicet etiam ipſe ſicut Dagon in fruſta comminueretur. Ehodum, inquies, quid judicii in Virum tam probum vibratur? an tanta morum pietate conſpicuus prætor Dagoni comparetur? quidni? cujus opera exhibuit, illius etiam nomen referat. Non formari debent

E. In nova Lege prætor ille Luſitanus. Hiſt.

(10) Nycius de virt. & vit. c. 4.

F. Palmaris hypocrita.

G. Non secundum faciem judicandum.

bent judicia ex aspectu, nec ex auditu; quia *frons*, *oculi*, *vultus persæpè mentiuntur*, *oratio verò sæpissimè*, prout vel pueri norunt primis in scholis abecedarii, cùm suas operis appendices excaudicant. *Oratio* vox est bifaria & ambidextra; sumitur pro sermone, pro eloquentia, sed & proprecibus sumitur, quibus Deum humi fusi adoramus, & pios Cœlites nostra in vota urgemus. Non omnis *oratio* precatio est; felis murilega sub fornace sessitans etiam labia movet strepente mure. videat hæc rudis puellus, ad matrem curret anhelus, dicetque hem mater, catus orat! ridet ad hæc mater, quia novit, cujus toni sit oratio felina; sic ergò & hæc oratio fallit Auditores, non item Deum cordium & interioris linguæ accuratissimum rimatorem. Videat nonnemo eminus in Ecclesiis pra grandes viros ac feminas toto corpore spectabiles prominere grandes rosarii globos evolvere, aut etiam erectas ad fidem tollere palmas, mirabitur immotam devotionem rerum insciusspectator; at cominus inspiciat oratores, solido marmori cotrices personas videbit insculptas, & oratio prodibit statua, marmorea, vana, fictitia; remove lapidem, & vel modicum introspice, prô quantum luti, fimi, sordium, vermium, murium, talparum, & venenatorum animalium sub hoc precatore viro, sub hac precatrice femina delitescet! his interim formis, his figuris pulvis & umbra exornatur; his iciunculis tumuli condecorantur. Hic subduplici schemate *cati* atque *tumuli* prostat oratio vivis coloribus descripta, quam Lusitanus pictor exhibuit. Rectè monuit Servator noster (11) *nolite secundum faciem judicare*, nolite secundum labia judicare; centies falsa oratio, & creditur esse Seraphina, quæ purè felina est aut marmorea. Talis erat, quam fudit prætor noster, vana, putida, inanis, vacua, cassa, impia, hypocritica. Pietas illius erat cadmica, devotio illius erat scenica, ad fucum simplicioribus faciendum reiterata. Octiduana Confessio ejus potiùs erat sacrilegus Divinorum mysteriorum abusus; eleemosyna ejus praxis erat pharisaica, ad occupandam popularem auram resumpta; Clausiralium cibatio & liberalis potatio eum in finem frequentata est, ut tantò liberiùs datum esset peccare & grassari, quantò certior esset de patronis læsi aut lædendi nominis se-

(11) Joan. 7.

mam fortiter propugnaturis; verbô, ut Nycius inquit, foris oviculæ candidâ lanâ totus innocens splendicabat, intus nihil ab infesto & rapace lupo distabat, dolis plenus & fraudibus, pravis desideriis obsitus, mille iniquitatibus cumulatus, munerum unguentis undiq; delibutus, auri horrida fame succensus, qui modo quocunque per fas & nefas opes corraderet, alieno ex peculio largiores eleemosynas dispensaret, alterius è bursa mensas adipales instrueret, minimas noxas grandibus pecuniarum mulctis oneraret, quarum nec tertiam partem rationario insereret, fictis & enormibus tributis subditos emungeret, oppansô nequitiæ palliô bonis suis opulentos negotiatores expilaret &c. his modis, his mediis adipaliter fartus, facilè potuit largiores eleemosynas dilargiri; at quo fructu? quô emolumentô? nullô, nec simplici Deogratias digno; quæ enim hæc gratia fuerit, totam pellem probè elaboratam coriario furari, ut inde nudipedes iros calceis instruas? quæ charitas fuerit, innocentem Metellum decorticare, ut alterum calefacias? quæ justitia fuerit luridis & putentibus causis lucri gratiâ patrocinari, pauperes viduas & insontes pupillos ad incitas promovere? alios ad restim adigere, ut ditescas? hæc & alia prætor iste tentavit, foris pientissimus asceta, intus turpis Sauromata, vel Sarmata pallus equô. In patente templo supplice gestu Eucharisticum Numen adorabat, domum regressus cum prece thura dabat stygio mammonæ. Paulô antè hoc hominis monstrum cum idolo Dagon comparavi; nec malè. Quid signat Dagon in Scriptura? Divo Patri Hieronymo (12) Dagon juxta hebræos fontes idem fuerit, quod *tristitia piscis*. Quid hoc rei? quid respondi? habuit olim hoc turpe idolum grande caput, pectus habuit & manus instar hominis, à media sui parte squamosum & caudatum piscem referebat; hoc Dagonis portentum partim terreum, partim aqueum, philistæi maris accolæ tanquam Deum colebant, reipsa monstrum erat marinum, veri nominis chymæra, bestia phantastica, cum qua jure, ut memini, hunc prætorem comparavi. Jam caro erat, jam piscis erat; jam calidus erat, jam frigidus; jam nobilis asceta in folio, jam rapacium prædonum princeps nebulo; jam homo, jam bestia, quem jure dixerit Poëta, *semibovemq; virum, semivirumq; bovem*, qui Summi Dei arcam

H. Eleemosyna ex alieno nulla est.

12) S. Hier. in qq. Script.

I. Impius Judex.

& orcinum Dagonem una in ara constituit, hypocritica pietate Deo, irrequieta opum cupidine Pluto & Mammonæ famulatus. Perennis ejus cura & animi flagrantis anxia solicitudo eò perpetim collimabant, ut mutuis odiis & simultatibus vel amicos vel vicinos succenderet; ut tricas extricis formaret; ut dissidentes animos foveret; ut lites ex litibus serereret, & controversias ultrò tumulandas redanimaret; ut jurgia & linguæ prælia lusciaret; ut causas unâ horulâ expediendas in dies ac menses extraheret & cudatum fuit in turbido piscari; sic mulctas mulctis adauxit; increvit lectis scelerata pecunia nummis; in hunc finem suos quaquaversum emissarios & venaticos canes, nare sagaces lyciscas despostuit, qui omnium angulos excuterent, & adipales prædas in casses & in retia pecuniosi prætoris agitarent. Causas forenses tam affabrè novit protelare, ut tamen videri posset, terminum quæri inevertibilem, nunquam licet somniatum, donec extenuatâ partium bursâ, illi tandem sententia diceretur candida, qui largioribus unguentis hunc præfectum inunxit, vel pluribus munusculis conjugem proserpinam cumulavit. Noluit Deus scelerum æquus vindex tot iniquitatum portenta, tot juris & æqui protitiones, tot stygia opum aucupia conniventibus oculis intueri incisci statuit tot fraudes & subditorum torturas, tot sacrorum abusus, tot simios Dei lusus. Celerem vindictam visæ sunt matura-

K. Audit Deus pauperum imprecationes.

re perennes diræ & horridæ execrationes, quibus malè pressi prætorem suum diu noctuq; onerabant. Erant quidem non pauci qui viri hujus in egenos largitatem ad cœlos usque laudibus sublimarent; erant contrà pænè innumeri, qui pecuniosum illius & iniquitati patrocinantem genium, genium fucatum & nummatum ad usq; tænari fauces imprecando devolverent. Qui inimoris erant indolis, diras omnes & imprecationum thyestæas preces exosi, Deum ac Superos precabantur, ut quod viribus negatum humanis, ipsi perficerent, & huic præfecto pharisaicum pectus innovarent, ut tam ad intra quàm ad extra, prout scholæ loquuntur, parem vitæ tenorem professus, uni Deo famulam operam deferret, Mammona & Dagone in exilium proscriptis, cuique suum redderet, & cum omnibus candidè ageret ac sincerè. Piorum preces & malè pressorum imprecationes rarò cassæ sunt aut irritæ; sed his præ illis locum videtur vindex Deus feciſſe, ut virus suum

in orcinum Mammonistam effunderent. Multis annis hunc lusum cum Deo & cum terricolis lusit prætor iste; ex quo iterum ad oculum clarescit Summi Dei Misericordia verè infinita, quâ hoc scelestum caput tanto tempore toleravit, ut nempe copiosum tempus haberet, se cum Deo ex animo reconciliandi; cùm autem nulla correctio sequeretur, sed omnia potiùs in pejus ruerent, DEUS tandem in ipsum horridæ mortis sententiam fulminavit. Ibat fortè die quodam innubi ac sereno suam extra urbem ambulatum, nullo achate comitatus, ubi more suo novas artes ampliandi peculium animô excoxit; ecce, videt eminus ad se ex obliquo magnis passibus ignoti laris tabellarium approperare, qui proprias in manus ipsi literas tradidit, & mox iterum ex oculis avolavit. Horruit ad primum hunc actum prætor, & quasi sidere tactus ab alto obstupuit, gelidusque comas attollere cepit horror. Recollectis viribus literas aperuit, & ecce alterum fulmen, quô ex literis tactus alta & horrida voce intonuit: heu mihi perdito prætori! quid actu literæ loquerentur, experiri nemo potuit, studiô suppressæ sunt aut focô exustæ. Legerit haud dubiè in illis fatalem sententiam à justissima Nemesi è cœlo detortam. Et quid tum? si etiam actu se reprobationis æternæ sententiâ perculsum esse, legisset? non ideô salus ejus credi poterat funditus conclamata, cum adhuc pluribus horis intra corporis septa ejus anima spiraret.

Quærunt Theologi, quid illi agendum sit, cui cœlitus facta esset revelatio futuræ damnationis? an sperandum ei esset? an desperandum? Itur hic loci varias in sententias. Mihi una illa probatur, quam refert & sequitur (13) Tannerus, multumque servit admores reformandos. Ut tantò meliùs posita quæstio, & illius resolutio capiatur, pro certo tenendum est, Deum juxta ordinariam legem nulli mortalium damnationem suam *tanquam absolute futuram* revelare. Hoc sensu quæstionem si sumas, audacter totum tibi suppositum negatur & ejuratur; casu ergo, quô aliqua revelatio fieret, ordinariè talis revelatio vel erit *putatitia* & *illusoria*, ipso *à diabolo profecta*, quæ credebatur esse cœlô delapsa; vel si è cœlo lapsa est, erit ordinariè *comminatoria*, seu, quod idem est, *conditionata*, non *absoluta* revelatio, quæ sanè irritari non posset, si quæras ultrà, quæ illa sit conditio? dico, hac sub conditione intimari posse revelationem, *si peccator esse pergat, qui fuit, nec*

(13) Tanner. in 2. 2. S. Thom. t. 3. d. 2. q. 1. dub. 4. n. 3.

L. Et, cui facta est revelatio damnationis, nullatenus desperandum est.

*nec se per finalem pœnitentiam ad Deum suum seriò convertat*: si enim in finali pertinacia moriatur impœnitens, certa ei damnatio est; si contrà pœnitentiam egerit, quam etiam adhuc in ultimo agere potest articulo, si velit, certa ei salus est. Hac ergò *comminatoria* seu *conditionata* revelatione suppositâ (*absolutam* enim jam rejecimus) quæstio procedit, quid agendum erit peccatori? ad quam ocius respondeo, dicoque, id ei agendum est, quod egit Abraham, & quod egisse leguntur Ninivitæ in Ver. Test. de Magn. Patre Abrahamo dixit (14) Paulus: *credidit in spem contra spem*, & spes eum non confudit. Sperentur desperata; hoc enim est (14) Rom. 4.

(15) Corn. in l. c. *sperare in spem contra spem*, ut Cornelius (15) observat. Credantur etiam futura, quorum nulla est spes, vel quorum spes creditur esse succisa; credantur hæc omnia *in spem contra spem*, & hæc spes nullum peccatorem confundet, si & reliqua fiant, quæ spes sanctior dictaverit. Jonas Propheta jussus est à DEO urbi excidium Ninivitis præsagire; intravit urbem balænâ solutus, & (16) Jon. 3. (16) clamavit voce magna: *Viri Ninivitæ, adhuc 40. dies, & Ninive subvertetur.* Lapsi sunt 40. dies, & urbi tamen nihil usquam mali accidit; stetit post 40. dies adhuc illæsa, imò integra. An falsum dixit ex imperio divino Propheta? absit! revelatio penam facta erat *comminatoria*, erat *conditionata* revelatio, *post 40. dies Ninive subvertetur*, nisi scilicet pœnitentiam egerit, nisi interim mores in melius mutaverit, & hac ratione à DEO impetraverit sententiæ de excidio urbis vel sublationem, vel suspensionem. Sic S. Gaudentius (17) perorat: *non eversa est Ninive, quia pœnituit Ninive.* Perculsi hac *conditionata* revelatione Ninivitæ resipuerunt, & pœnitentiam egerunt in cinere ac cilicio peracerbam; hac pœnitentiâ placatus ex integro Deus, minas revocavit, & urbi pepercit. Is ergò, cui talis facta est revelatio, pœnitentes Ninivitas æmuletur. Veri nominis pœnitentia, cui sua sit restitutio sociata, irato Deo præsentetur, & videbit pariter reus iram vanuisse, Deumque peccatori reconciliatum esse. Ambrosio (18) teste, *novit Deus mutare sententiam, si tu nescis emendare delictum.* Stante itaque memorata revelatione, adhuc sperandum est, & nullatenus desperandum est, totisque viribus in id enitendum est, ut residuo vivendi tempore reus expleat conditionem, quâ probè adimpletâ, suam quoque sententiam, ut

(17) S. Gaud. tr. 3. ad Deoph.

(18) S. Ambros. l. 2. in Luc.

M. Absoluta revelatio

ut Ambrosius meminit, Deus revocet, & in gratiam recipiat pœnitentem. Quod de *absoluta* revelatione â nonnullis disputatur, fori hujus non est; casus est metaphysicus, & cum Bonitate Dei, juxta S. Bonav. incompossibilis, ergò Deo inglorius, & hoc ipso nullus, quia verè hominem desperare cogeret, ut (19) D. Thomas memorat, ergò nec Deo tanquam Summo Bono affingi debet. Nunc ex intervallo ad historiam redimus, unde per epistolam ab ignoto cursore prætori oblatam, in Theologiæ fertiles agros nonnihil fuimus digressi. Si talem revelationem ex literis hausit prætor, & ex illis fulminatæ damnationis sententiam legit, *comminatoria* fuit sententia, non *absoluta*; ergò non desperare debuit, sed potiùs sperare debuit in spem contra spem, sed adhuc gratiæ & gloriæ compotem fore, si pœnitentiam egerit, & malè ablata suis ritè dominis reddiderit. Deus illi post sententiam ex literis lectam plures adhuc horas indulsit, ut delicta expiaret, & expiando simul sententiam mutaret divinam. Deductus est inter bajulas manus domum usque & lectulo commissus, quem tamen irrequietus ferre non potuit, qui tot aliis quietem turbavit. Suspendit nonnihil manum vindicem clemens Deus propter pœnitentiam, quam cùm frustra exspectaret, cepit tandem in hypocriticum Mammonistam justas iras exonerare. Cùm proximum in conclave deportaretur; hem 27. dæmonum spectra, horridâ sanè formâ se obtulerunt, quorum ocius viginti præfectum ingressi, totum corpus immanibus tormentis excruciabant, reliqui septem totum per cubiculum rapido volatu ferebantur. Hoc aspectu terrefactis omnibus, properè quidem Sacerdotes accurrebant, ut junctis viribus tetros spiritus profligarent. Aggressi primitus illos, qui corpus obsederant, mox audiunt vociferantes: oleum perditis, operam luditis; Dei jussu hominem hunc irruimus, unde nos nulla hominum potestas ejiciat; citiùs illi pellentur, qui cubiculum oberrant. Hôc auditô, versi sunt ad septenos spiritus Sacris exorcismis profligandos, sed ab his antè numerosa crisi sunt perstricti, quàm locô cederent. Quidquid sceleris aut nævi commissum est â singulis, enucleatè detectum est per obvolitantes diabolos: huic crapula, illi somnolentia, alteri libertatis aucupium, alteri cum sexu altero familiare commercium, superbia aut gula, alteri clavium

damnationis non datur nec dari potest.

(19) S. Thom. q. 23. de Verit. A. 8. ad 2.

N.

Pœna horrida hypocritici Mammonistæ.

vium prensatio, Sacri deproperatio, chori neglectio, frequentata excursio & alia palàm objecta. Detectis præsentium culpis, unus post alterum cubiculo excessit, exceptô septimô Alastore, qui reliquis pertinacior loco hæsit, donec fortiùs exorcismis urgeretur. Jam ad abitum se quoque septimus dæmon parabat, en migraturus, se ad illos convertit, qui præfectum obsidebant, dixitque: eja socii, quid hîc agimus, nostris à sociis destituti? cur non illorum simul vestigia sectamur? quid nos ultrà cruciandos popis commitimus? agite fratres mei, rapite, capite optimam portionem præfecti nostri animam, & hinc mecum nostra in plutonia regna migrate. Vix hæc dixit, vixit prætor, & impetu facto 20. dæmones excesserunt, atq; unà secum infelicem prætoris animam in æternum orci barathrum raptârunt, ubi vel hodie cum omnibus hypocritis, cum omnibus Mammonistis, cum omnibus falsis judicibus, cum omnibus avaris prætoribus & pravis Christianis, æternantibus focis crematur.

Hem lucrum, quod reportant, qui unà Deo gestiunt servire ac Mammonæ, Deo & Dagoni, arcæ divinæ orcinum idolum sociantes. Sic Deus totô pectoris templô proscribitur. Sic dæmones nostram in perniciem provocantur. Audiamus potiùs singuli Augustinum (20) *Vis esse templum Veritatis, frange malleum falsitatis; in cor tuum sola intret arca testamenti, & ruat Dagon?* ruat Bacchus! ruat Venus! ruat ira! ruat invidia, & iniquitatis Mammona? Solus Deus ac Dominus noster habitet præcordia nostra per gratiam!

Amen.

20) S. Aug. locô sup. cit. tr. 7. in Joan.

CON-

# CONCIO XL.

# DOMINICA XV. POST PENTEC.

*Ecce defunctus. Luc. 7.*

## Spirans cadaver.

JUre optimo diabolus vulgi ex sententia *pauper diabolus* nuncupatur Opt. AA. Est hæc sententia ita trivialis, ut pænè locum fecerit communi proverbio. Crepat quidem grandes divitias, auri argentique talenta *pauper diabolus*; interim dantur quamplurimi, quibus arrham largiter admissam necdum hodie persolvit. Ah! quot magi & sagæ lapsis annis hic locorum Salisburgi ad rogum ducti sunt me præsente, quibus suam adhuc arrham debebat *pauper diabolus*! & quantô pretiô stabat hæc arrha? triginta, quadraginta quinque crucigeris, florenô, & ad plurimùm philippeo. Ut quid ergò tantos jactat thesauros mendax dæmon, qui tantillum suis orci mancipiis nesciat expedire? prô cœcas mortalium mentes! quis tam pauperi, tam mendaci, tam versuto & fallaci diabolo sua obsequia pro nihilo mancipet! det etiam suis subinde majoribus in monetis largiores pecunias, utplurimùm tamen erunt umbratiles & fictitiæ, fuci, fungi, siquidem rité inspiciantur, ad ridendos ac decipiendos homunciones proximo ab equili recenter educti, & auricalcô pigmentati, ut rudiores oculos supplantet, prout horum exempla magnô numerô recitat Delrio in Disquisitionibus suis. Sicut quoad opes & pecunias pauper est diabolus, ita pariter pauperrimus est quoad vires suas & potentiam undique mancam, debilem, infirmam, quâ tamen thrasonicè gloriatur, & infrunita ex superbia se ipsi etiam Deo assimilat. Suscitat Deus mortuos, ut in Naim factum vidimus, & alibi passim. Parem virtutem sibi mendax dæmon adscribit, eámque magnificè

A. Pauper est diabolus, & quoad opes & quoad vires & potentiam.

ſagis & magis ſuis deprædicat, ut his fucis, his mendaciis lactatos, ſuis in obſequiis ad ultimum usque ſpiritum aut fatalem ictum detineat, peſſimè perſuaſos, ſe vel nullum tormentorum pœnam ſenſuros, vel etiam neci datos, mox iterum ad vitam hâc millies feliciorem ope dæmonis reſuſcitandos. Utrumque falſum eſſe, experientia docet pænè quotidiana; ſive enim hoc hominum genus equuleo torqueas, ſeu facibus amburas, ſeu aſciculis configas, diris ululatibus curias opplent, & ſcelerum omnium ſpecies ac numeros vi tormentorum adacti enucleatè propalant, eum maximè in finem, ut porrò tam enormi lanienæ corpus ſubtrahant. Secti, concremati utique ad vitam remeant, ſed horridam, acheronticam, omnium pœnarum & excogitabilium tormentorũ denſo agmine æternùm obſeſſam. Centies in vota diabolus à quocunque hominum genere evocetur, ut mactatum canem in pedes erigat, ut animam bovinam in occiſi bovis corpus reducat, nec canem enectum priſtino vigori reſtituere, nec occiſum bovem poterit redanimare; quantò minùs homini mortuo vitam & animam inſpirabit, quod uni Deo proprium eſt.

B. Poteſt aſſiſtendo cadaver movere acſi viveret, ſed informare non poteſt dæmon.

Poteſt quidem dæmon, ſi Deus permittat, animam cogere damnatam, ut cadaver ſubeat, illud moveat, & in eo aliquas actiones demonſtret, imò, à potiori ipſe dæmon ſubingredi poteſt cadaver, & per magos cogi poſſunt dæmones, ut cadaver ingreſſi, illud geſtent, moveant, & reliqua faciant ad tempus, ex quibus vivere videantur; ſed non durat diu talis impoſtura, repentè dæmon avolat, & truncum deponit cadaver, nunquam vitâ inſtructum, quia nullâ unquam anima informatum. Accidit aliquid ſimile archimago Cornelio Agrippæ Lovanii, ut Delrio (1) perhibet. Habuit hic Agrippa memorata in urbe nobilem commenſalem, oppidò curioſum juvenem. Aliò proficiſcendum erat Agrippæ; antequam abiret, muſæi ſui claves uxori ſuæ commiſit, addita ſeveri prohibitione, ne quem ingredi permitteret abſente viro. At inconſultus iſte & curioſiſſimus adoleſcens non deſiit mulierculam deprecari, opportunè importunè, ut ſibi ne modicè ingrediendi copiam faceret. Obtinuit tandem, quod ardentibus votis deſideravit. Muſæum ingreſſus luſtravit obvia,

(1) Delr. Diſq. mag. l. 2. q. 29.

obvia, & casu in patentem libellum incidit incognitis voculis, literis & figuris oppletum, quô reconditæ latebant orci conjurationes; legit curiosus voces barbaras & hirsutas; nec mora: pulsatur ocius janua; horret nonnihil ad insolitos ictus, sed cùm ultrà nihil tentaretur, pergit plures lineas hispidis vocibus expressas evolvere, & ecce, iterum janua solitô fortius pulsatur, & rudi rerum harum juvene nihil respondente, truci, atque horrido vultu teterrimus dæmon ingreditur, quærit impetuosè, cui bono vocatus esset ex orco, & quid fieri vellet per vocatum? horridus timor tremulo juveni omnem vocem intercludit, sed unà fauces etiam dæmon involat, & adolescentem præfocat. Sic miser pœnas dedit nefandæ curiositatis. Redit interim domum ex itinere archimagus: videt eminus supra tectum saltantes & tripudiantes diabolos, lætos hilares, quod juvenem mactassent; utitur è vestigio solitis artibus suis Agrippa; adsunt illicò vocati alástores, totámque rei seriem, ut gesta fuit, mago enarrant; mox ergò homicidæ diabolo in mandatis dat, ut cadaver adolescentis per ipsum suffocati quantocius ingrediatur, & aliquoties illud per forum publicum, ubi plurimi solent studiosi convenire, circumferat, quasi ipse per orcum interemptus juvenis, vivus vegetus more suo forum obambularet, tandem verò cadaver repentè destituat, ut humi ruat truncus; ita omnes credent apoplexiâ tactum juvenem subitaneô fatô extinctum, tectúmque manebit scelus, nec periculum erit ullum, ne magiæ Agrippa herus insimuletur. Fecit imperata orcus, cadaver ingressus aliquoties forum obambulavit, tandem subitò totũ corpus concidit, eo aufugiente, qui totum illud cadaver dirigebat assistens diabolus, non informans. Ita diu creditum est, subita morte correptum juvenem concidisse; licet suffocationis factæ indicia rem facerent suspectam. Patuit denique diabolica fraus & impostura, cùm in Lotharingia captus Agrippa totum scelus præter alia inumera ultrò fateretur. Mera itaque fascinatio est diaboli, cum cadavera movet ad modicum tempus; diu enim stare non potest aut durare hæc fraudulentia, qualis etiam fascinatio est, cùm ex aëre formatum corpus etiam suis ritè colori-

bus ac membris distinctum, Deo permittente, assumit, quod tamen mox iterum ponere compellitur. Ut autem vel ipse dæmon exhaustum cadaver suâ iterum animâ informet, aut à corpore separatam animam iterum in corpus humanum intromittat, id toti orco impossibile est, quia hoc soli Deo proprium est, Superat hæc cadaveris redanimatio, seu animæ immissio totas vires in unum collectas omnium Divorum cœlitum; unde licet sæpiùs audias: S. Vincent. Ferrer. S. Xaverius &c. tot & tot mortuos ad vitam revocârunt, qui tritissimus hodie loquendi modus est, nunquam tamen id aliter vel sumi debet vel intelligi, quàm Deum tot mortuos suscitâsse, cui uni propria est suscitatio, ad preces & instantiam S. Vincentii, S. Xaverii, non sanctum cœlitem, non Angelum, imò nec Deiparam.

C. Dantur tamen passim viva cadavera per peccatum.

Utut hæc vera sint, negari tamen non potest, dari homines per orbem propè innumeros, qui ex diabolico instinctu umbræ instar circumeant. Credunt omnes, eos vitam vivere humanam, & mortui sunt; dæmon illos regit & dirigit; orcus illos ducit & reducit, ut proin sæpiùs possint digitô signari, *eum defunctus!* hem *vivum* hàc transit *cadaver!* hic nobis ob oculos versatur *vitale funus;* tale *vivax cadaver* erat Episcopus ille Sardensis, ad quem criticam & monitoriam epistolam (2) Apoc. 3. exaravit Joannes, cui hæc (2) erant inserta: *scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es.* Alcazar apud Cornelium hunc sensum dictis vocibus attribuit: scio, quæ opera feceris etiam bona; quæ tamen omnia flocci facio, quia tantùm nomine tenus vivis, coram Deo reverà inter umbras collocaris tanquam mortuus & exanimis; hinc etiam opera tua sunt mortua & omni fructu ac præmio destituta. Ex hac vocum interpretatione, Cornelius sequens format conclusum, aitque: *ergò Episcopus iste in statu fuit peccati mortalis.* Hinc ego aliud iterum educo conclusum, dicóque: ergò coram Deo quodvis grave peccatum ex vivo homine facit funus & exanime cadaver. Inde si dæmon homicida tentator & malorum omnium incentor tot grandia nobis peccata instillet, quæ mortem affert innumeris, & funera funeribus totum per orbem addensat, ut proin totus hic spectabilis mundus jure dici valeat

D. Probatur ex Script.

valeat grande cœmeterium, ubi tot numerô innumerô mortuas animas vivis corporibus concluſas omni ex parte deprehendas. Hæc ipſa fuit S. P. Iſidori (3) ſententia, à S. P. Auguſtino transſumpta: *vita corporis anima eſt, animæ vita Deus eſt; ſicut ergò corpus mortuum eſt ſine anima, ſic anima mortua eſt ſine Deo;* cùm porrò, ut ſcholæ loquuntur, *à potiori fieri debeat denominatio*, potior autem hominis pars ſit anima, ſequitur evidenter, hæc ſi gravi fuerit peccatò infecta, hoc ipſo mortuam eſſe coram Deo, ergò ut mortua toti homini ſuam tribuet denominationem, & hominem peccaminoſum *ſpirans cadaver* nuncupavit. Tale cadaver omnis homo eſt, qui gravi eóque letali peccatò infectus eſt. Videas adeò ſimulis luxuriæ actum lenonem, obſcœnum Veneris ſatellitem, turpem mœchum, generis feminini laſcivientem procum, urbis aut oppidi, vici aut pagi procacem taurum, jure optimo exclames, *Ecce defunctus!* oculos irruat irarum percitus œſtrô, hoſtis implacabilis, pertinax inimicus? jure iterum funus deſignes dicásque: *ecce defunctus!* eminus proſpicias in ſpem lucri approperantem auri argentique avidum euclionem, pauperum ſanguiſugam, pecuniariæ iniquitatis inexplebilem patronum? juſtô iterum titulô hoc hominum genus configes dicésque: *ecce defunctus!* audias, videas, coràm adſtare nominis alieni ac illuſtris famæ perfidum depeculatorem? rectè denuò detractori occines: *ecce defunctus!* plateas oberret Bacchi Thyrſigeri titubans alumnus, furiata mente vacillans heluo, ventricoſus gurges, vinô madidus inſaturabilis gulo, ebrius lurco? iterum iterumque oculati dicent arbitri, *ecce defunctus!* etſi corpus ſuum adhuc præſens anima informet, & humi repat irrationatum pecus, Epicuri de grege porcus, animæ tamen ejus orcinus rationis prædo jam ictum letalem infixit; toto ab homine jam Deus migravit & gratia ejus, & caſu, quò in tali ſtatu etiam corpus animâ ſuâ ſpolietur, hoc ipſo vitâ excideret ſempiternâ tanquam ſpirans cadaver. Quô peccatô gravatus fuerit Epiſcopus ille, cui paulò antè occinuit Joannes: *ecce defunctus! nomen habes, quòd vivas & mortuus es!* non expreſsè in ſcripturâ ſignatur. Aliqui dicunt, eum clanculò vitam duxiſſe obſcœnis amoribus contaminatam,

(3) S. Iſid. l. 1. de Sum. Bono.

foris tamen Cyprias faces occultâsse. Alii eũ grandis avaritiæ insimulant, plùs lucro pecuniarum quàm animarum intentum. Alii credunt, eum in Cura pastorali somnolentum, publica eâque palmaria suorum flagitia conniventibus oculis dissimulâsse; qua de causa Cornelius observat in Apoc. adhuc hodie plurimos animarum Curiones, Concionatores & fori utriusque magistratus æternis ignibus mulctari, prout 2. Dom. Advent. hujus Tubæ fusius diduximus, non quòd ipsi luridè viverent, sed quòd subditos suos gravius peccantes non seriò castigarent, atque ita connivendo omnium aliorum scelerum se participes redderent, juxta illud S. Valerii (4) effatum:

*Ipse jubere nefas, quin ipse jubetur amare,*
*Qui prohibere valet, nec prohibere volet.*

Obsirmemus paucis Patrum & Concil. Oraculis præsens effatum: Concilium Pistense de his Pastoribus (5) sic loquitur: *non est liber à consensu, qui, quod emendare potest, emendare negligit.* Concil. Melense hoc in negotio sequentia (6) concludit: *qui alterius errores participat, cum illis æternam retributionis mercedem sortietur.* Felix IV. Pontif. Rom. hæc epistolæ ad S. Cæsarium datæ (7) inseruit: *qui potest venienti malo resistere, & dissimulans fieri permittit, ipse mali operis auctor esse approbatur.* Idem tenuit Greg. (8) M. binis in locis. *Qui non corrigit resecanda committit.* Et (9) alibi: *qui emendare potest & negligit, se procul dubio delicti participem reddit.* Urgent hinc non tantùm profanos magistratus, sed vel maximè sacros animarum Curiones Episcopos & Ecclesiarũ Rectores, Parochos & Pastores, si cum lupis ululent, cum lupis ingluviem lucri pari pœnâ mulctandi. Talis si fuit Sardensis Episcopus, rectè à Joanne inter mortuos collocatur quàm vivos. Interim quis flagitiô in specie notatus fuerit Episcopus ille, non constat evidenter. Varii, ut vidimus, varia enuntiant. Fuisse *spirans cadaver* certum est ex oraculo Divino. Sed & illud certum est, homines per nullum scelus tam citò, tam properè in mortem præcipitari & *spirans* fieri *cadaver*, quàm per luxuriæ vitium. Hîc funus homo redditur etiam per turpem cogitatum animô liberè creeptum. Ubi vel unicus talis cogitatus præco-

(4) S. Valerius in Concord. Regul. c. 3. §. 7.
(5) Concil. Pistens. c. 4.
(6) Concil. Melens. c. 8.
(7) Felix Pap. in ep. ad S. Cæsar Arelat.
(8) S. Greg. M. l. 7. epist. 6.
(9) Idem l. 6. Epist. 64.

præcordia irrepit, jam intonat Ezechiel (10) *anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Alia omnia vitia citius eliminantur; hoc piceam habet indolem, nec tam facilè se profligari patitur. Manet altâ mente repôstum, & naturam furcâ expellas, mox iterum redibit, ac *spirans* faciet *cadaver.* Juxta nonnullos Patres faciliùs verè ac realiter mortui ad vitam reducuntur, quàm unum hujus generis *spirans cadaver* ritè ad gratiam & gloriam redanimetur. Est ergò quòd sibi probè hoc in lubrico negotio singuli attendant, ne per ipsos funerum numerus augeatur. De hoc *animato funere* plura dixi Tub. Anal. t. 1. & 2. hac ipsa Dom. ubi horum funerum evidentia figna descripsi. Nunc in gratiam luxuriantis juventæ hactenus dicta & variis testimoniis firmata, etiam tragicô quodam exemplô suffulciam, ad quod jure omnibus procis, amasiis & prostibulis ambæ aures tinniant.

(10) Ezech. 8.

Antonius Ballinghem Belga ultra 40. libros in lucem emisit, quos inter facilè primas tenet *Triumphus castitatis* binis tomis distinctum opus. Hoc in opere fuisse memorat juvenem (11) ceris quidem prænobilem, at vitâ & moribus ruralem mopsum, aut rectiùs fæculentum suem. Alias inter innocentes puellas, quas urbensis iste taurus seduxit (eum aliqui Garziam vocant, alii nec nomine dignantur) etiam fuit Deo sacrata Virgo monialis; hanc plurimis alloquiis eò jam pellexerat, ut certam noctis horam fugæ ac libidini explendæ determinaret. Illa disciplina his in feminarum claustris maximè probatur & prædicatur, ubi nulli monialium cum quocunque extero ad clatros loqui vi legum est indultum, nisi loquentibus testis præsens assistat, quæ omnes & singulas voces mutuò collatas auribus suis hauriat. Sic multis & enormibus malis obviatur. Dicunt S. Carolum Borromæum in visitandis hisce cœnobiis ubique hanc legem instaurâsse. Viguisset hæc lex in hoc monialium claustro, juvenis iste animam suam fortè ab interitu servâsset. Abiit ad conditam horam nocturnus hic Veneris procus ad monasterium, at ecce præter moram templum reperit apertum. Ductus curiositate subiit templum multis undique facibus coruscum, advertit unà cantu funebri totam Ecclesiam resonare, & in ipso templi umbilico funus consistere insignibus juveni propriis

(11) Ant. Balingh. in Tri. Cast. E. Exemplô confirmatur.

propriis exornatum, numerosis funalibus illustre. Sedebant utraque ex chori parte suis in subsellüs plures Monachi, productis super faciem cucullis, officium defunctorum tertiato vocum sonô exsolventes. Accessit anxius & solicitus spectator, & quod jure mireris, ultimum ex ignotis hisce Monachis etiam interpellare ausus exquirit, quid exequiæ tam intempestivè signarent, & cujus defuncti esset prostans funus? respondit ocius & nomine suo Garziam compellavit, alter curiosum exploratorem ad tumbam remisit, insignia spectare, ex illis ocius defuncti nomen legendum. Hem ut Garziæ jam ex præmeditato scelere defuncto tristes næniæ decantantur, & funeralia solenni forma expediuntur. *Ecce d. functus!* horrua ad iteratum responsum juvenis & ex tertio altera ex parte quærere institit, cujus funeris exequiæ colerentur; sed idem quoque tertius respondit: hic ad nomen suum denuo proclamatum, & ad feralem tumbam suis insignibus circumvestitum novis terroribus perculsus, statuit ociùs se hinc proripere, & amasiam suam investigare. Sic tremulo pede abiit excessit at vix pedem templô extulit, in mediam & patentem plateam digressus, duo grandes & nigerrimo carbone notati monstra juvenem procum aggressi sunt, à quibus etiam, monialis jam ad fugam procincta, & adhuc ex muro prospectante, ubi tutus possit descensum moliri, in frusta discerptus est Garzias. Ecce *defunctus*! hîc utraque, ut ajunt, manu palpemus, quàm vivo ex homine *spirans cadaver* faciat libido! Monachi utrique circumstantes erant orcini alástores, improbi manes averni, qui hunc juvenem luxuriantibus focis æstuantem, tam quam Deo mortuum, sibique proprium funus orcinâ suâ decantabant, ociùs in averno sepeliendum; permisit autem Deus, imò voluit præcepitque, ut qui animam pridem per omnes lemures & continuatas libidines suas sibi passus est trucidari, jam etiam per cerbereos canes vitâ corporis exspoliaretur. Rapuit hunc lenonem funestissimo actu è medio vindex Deus, ut pœnas daret protervæ libidinis, & ne plures innocuas Virginum animas teterrimæ stygi transmitteret. Sapuit hoc tristi spectaculô monialis, & residuo vitæ tempore acri pœnitentia in tumulum usque continuata multiplex scelus expiare contro-

contendit, tantò utique ſanctiore fato poſt aliquot annos ſacros intra parietes extincta, quantò triſtiori & acerbiori fato trementibus oculis coràm vidit turpem amaſium per ſtygios canes dilaniari. Ex hoc tragico funere omnes ac ſinguli efficax capiant exemplũ, caveántque, ne latrocinans aſmodæus noſtra in præcordia per quinque ſenſuum noſtrorum feneſtras funeſtam mortem intrudat. Huc tendit monitum verè paternum à Jeremia profectum, quô omnes viſus eſt hortari, ut fores undique probè oppeſſulent & arctè conſtringant, ne quid letale per clauſuram malè apertam in humanum pectus irrepat. *Aſcendit mors per feneſtras*, verba ſunt (12) citati Prophetæ. Curandum proinde, ut ſenſuum fores ſemper maneant firmiter obſtructæ; Irruit autem fatum peſtilens in hominem per tria maximè oſtia, quibus etiam duo reſidua ſociantur. Primò per os, ſeu quod idem per gulam & praviloquium. Secundò per aures, improbum & impudentem auditum; quem ut à labe integrum ſervaret Bernardus (13) pridem dixit: *mors intrat per feneſtras noſtras, cùm prurientes auribus & oculis letale poculum detractionis invicem nobis miniſtrare contendimus.* Tertiò tandem per oculos, quo etiam tactum direxeris & olfactum veneris impiæ duplex inſtrumentum. Hæ fores, hæc oſtia firmiter oppilentur, & unà morti omnis via obſtruetur, ne ad ima penetret, animam Dei ſummi ſplendidiſſimam imaginem perimat & evertat, unde totus homo à Deo æternùm rejectus, gratiâ Divinâ in æternum orbatus, cœlô totaliter excluſus in barathrum ruat miſeriarum, in ſtygiæ noctis ergaſtulum, in æternæ caliginis palmares umbras, & omni luce carentia regna horrida, ſquallida, tetrica, crudelia, execranda, quæ à noſtrûm ſingulis ter pientiſſimum Numen averruncet! Amen.

(12) Jer. 9.

13) S. Bern. Ser. 24. in Cant.

# CONCIO XLI.

# DOMINICA XVI. POST PENTEC.

*Et ipsi observabant eum. Luc. 14.*

## Invidiæ tormentum.

QUamdiu Christus in carne nostra mortali terrarum ambulavit, lividiores zoilos expertus non est, quam scribas & pharisæos AA. Hi voces singulas ab ore Christi profluas accuratè librabant; hi quasi singulos ejus passus juxta invidiæ regulam dimetiebantur, in omnem partem providi exploratores, ut nævum invenirent, quem nigro dente arroderent. Hodie fucata charitate à pharisæo ad mensam opiparè instructam invitatur, eum in finem, ut acta & voces ejus observarent, & inde occasionem haurirent, ipsum tanquam falsum prophetam coram populo traducendi. Quocunque pedem tulit Christus, benè de omnibus mereri satagebat Christus in omnes, maximè in pauperes ac plebeios, in morbidos & grandi lue infectos largus & beneficus. Famelicos pane cibavit & modicô saturatos dimum remisit; acri morbô emaciatos pristino virium vigore struxit; languida febri exhaustis firmam salutem restituit; tô extinctos ad vitam revocavit; unde in horas crevit popul affluxus, Christi nomen, gloria & fama totum per orbem celebrata, eô numerô ac beneficiorum cumulô adaucta, ut ipsi licet inviti ac œstro invidiæ perciti pharisæi palàm fatèri gerentur (1) *multa signa facit homo iste*; inde capita consider rent consultaturi, quibus modis tantus populi aceursus repr meretur; hinc voces illæ (2) *quid facimus? ecce mundus tus post eum abit*; nos interim tanquam inutiles fungi humi jacebimus, omnium peripiema. Æmulatio hæc fumantum ra-

A. Christi erant acerrimi hostes pharisæi.

(1) Jo. 11.

(2) Jo. 12.

dem odium peperit, quo Christum ad usque Crucem imò in tumulum usque acerrimè proscindebant. Lustrabant in eo minima quævis, verba, opera ad trutinam vocando, num quid fortè reperirent, unde quà proditor, qua dæmonum incantator, aut quà legis everſor proclamaretur; cùm verò vitæ integer scelerisque purus de nullo posset flagitio redargui, ne quidem nævô, quem cribrarent, inventô, tandem inanem umbram insectati, ipsam Virtutem tanquam multiplici vitio infectam dilacerabant. Qui ex obsessis corporibus in Dei digito dæmones proscripsit, dicebatur fœdus & commercium cum Belzebub contraxisse. Qui Sabbathô manuum impositione, voce aut verbulo grandes morbos absterſit, & ipsam procul egit mortem, spargebatur Sabbathum violâsse. Qui sonora voce palàm edixit, *date Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt DEI* (3) *DEO*, vel Cæsari tributum negâsse, vel Romanos in Judæam evocâsse credebatur. Qui nemine contemptô se mensæ passus est adhiberi, vini potator, vini heluo proclamabatur. Qui omnium salutem seu corporum seu animorum promptè ac liberaliter promovit, unde tantas hominum legiones attraxit, rebellis audiebat, & populi seductor. Sic ipsi etiam virtuti turpe vitium affricabatur per execrabiles phariſæos. Laude digna, vitio vertebantur. Salus publica velut rabida pestis mille diris opplebatur. *Et ipsi observabant eum.* Alii legunt, *& insidiabantur ei*, eum ocius neci turpissimæ traditurі, si quod morte dignum facinus ex virtutibus erui posset. At quæ causa fuit tantæ insectationis? sic quærit ipse S. Pater Basilius Magnus his verbis: (4) *Cur Christus tantis est insidiis petitus?* quam posuit quæstionem, etiam enodat paucis aitque, *ob magna illius prodigia* tot nempe insidias passus est Christus. Quæratur ulterius ex S. Patre, quænam illa sint prodigia? promptus reponet: *salus supplicum ac miserorum: pascebantur esurientes, & qui pascebat oppugnabatur: revivisebant mortui, & author vitæ invidiam sustinebat: dæmones fugabantur, & quia eis imperabat, insidiis petebatur: leprosi curabantur, claudi ambulabant, surdi audiebant, & is, qui hæc beneficia conferebat, fugabatur.* Hæc Basil. En quantam malorum iliadem pariat avernalis livor. Livor iste

B. Deficiente vitio, etiam virtutem velut vitio affectam lividis dentibus dilacerabant.

(3) Matth. 22.

(4) S. Basil. in ep. Joan.

C. Beneficentia in omnes tantum ei odium peperit.

in enorme odium excrevit, quod se aliter nec placari nec sopiri permisit, quàm sanguinis profluviô. Ita sensit scripsitque Greg. (5) Naz. *ex populi multitudine ac frequentia signorum editio & miracula, quæ homines ethnicos ad Evangelium trahebant, extiterunt; ex his porrò nata est invidia, ex invidia odium, ex odio insidiæ, ex insidiis proditio, ex proditione Crux.* Deum bonum! si tam enormes insidias Christo struat ferox invidia, quantas homini struet. Ducatur à majori ad minus rectâ linea, & jure omnes grassantem invidiam horrebimus. Cogor invidorum gratiâ, quibus omnes orbis angulos sunt oppleti, livoris & invidiæ stygiam indolem arctius inspectari; fortassis aliqui ex tot malorum inde prognascentium cloacis, tot pravis desideriis, & animi liventis efferis passionibus fortem ac validum nuntium remittent, quod sanè Boni Cultes maturè felicitent.

(5) S. Greg. Naz. Orat. 4.

Juxta S. Thomæ (6) Angelicam doctrinam invidia propriè sumpta nihil aliud est, quàm *tristitia de alieno bono, in quantum excellentiæ propriæ diminutivum est.* Est ex genere suo peccatum mortale, si hæ duæ conditiones invidiam circumstent. Prima est, si pravus adsit voluntatis consensus, ut alteri suam fortunam, suam virtutem aut scientiam invideas; inde contra ipsum latens odium capessas, quasi per ipsius fortunam virtutem aut scientiam tua caperet decrementum, is adeò tuâ unus gratiâ suis gratiis destituatur. Secunda est, si bonum, quod per invidiam iræ mixtam vel odio junctam impeditur, sit grave bonum, v. g. magna dignitas alterius: virtuti ejus commensura, ars peculiaris magno sudore acquisita, industria eloquentia grandibus studiis obtenta, magnatum gratia non pecuniis, sed virtutibus & scientiis conciliata, imò etiam parca & abstinens sobrietas, candida & verè germana sinceritas, studium orationis, bibonum & lusorum prudens fuga, vita continens ac Divinis Legibus exactè conformis &c. quæ omnia invidum homuncionem sæpè multò fortius exacerbant, quàm secularis fortuna. Sic ergò subinde alteri etiam Deus invidetur, & fervens Dei Cultus, Dei Gratia; ut sic, quia sacris infesta est invidia, plerumque etiam mortalis peccati naturam

(6) S. Thom. 2. 2. q. 36. D. Explicatur invidiæ natura.

turam repræsentat. Aliàs si leve objectum attingat, leve erit peccatum. Ceterum debet hic loci invidia ritè ab æmulationis spiritu distingui. Hæc æmulatio non procedit ex odio sicut invidia; tristatur quidem de alterius bono æmulator, non tamen quod alteri suam invideat fortunam, scientiam, virtutem, aut gratiam &c. sed quòd tale bonum etiam sibi ardentibus votis exoptet, quod tamen hactenus necdum potuit adipisci. Talis æmulatio laudabilis est, excitat in nobis flagrans desiderium, paribus gratiis maximè sacris potiendi, quibus Deo ac hominibus fiant gratiosi. Hac æmulatione pueri & puellæ domi & in scholis provocantur, ut parem industriam, pietatem majoribus suis exhibeant, quâ se ille & ille tantò fecit præmiò, tantò fecit encomio & gloria dignum. Hic loci rectè pro majoribus subselliis ratione doctrinæ vocum & calami arduis velitationibus dimicatur. Qui sapiunt & bono publico ritè præsident ampliandò, has æmulationes inter scholares præmiis & elogiis insigniter fovent, & semper ardentius inflammant. Docuit hoc ipsum piæ æmulationis genus Lætam suam S.P. (7) Hieronymus his verbis: *da socias puellæ, quibus cum discat, & quibus invideat, quarum laude percussæ amplius ad discendum accendatur.* Hæc æmulatio nihil in se mali continet, nisi rancor & odium accedat formale, ut supra dictum, aut veri nominis invidia. Studio à parentibus inter liberos, totis viribus à ludimagistris inter discipulos alitur & conservatur, accenditur & extimulatur. De hoc æmulationis spiritu nemo loquitur; maneat ille suo in pretio & cultu juventuti educandæ summè necessarius. Nostri sermonis objectum est peccaminosus livor, execrabilis invidia. Potest etiam tristitia concipi de alterius fortuna ex pura & illimi charitate, ex justitiæ zelo, sine ullo invidiæ peccato, ut si quis tristetur de alterius sanitate, eò quod illam insana bibendi bestialitate ita mutilet, disperdat, destruat & exscindat, atque insuper adhuc alios ad pares haustus & perennem sanitatis jacturam perfidè ac barbarè inducat; dolet itaque, quia sanitas gravis est occasio graviter peccandi, & alios in idem grave peccatum devolvendi. Ut sic invidia non est, sed pius, sed justus zelus & fervor laudabilis. Videas porrò ad Urnam

E. Distingui debet ab æmulationis Spiritu, qui laudabilis est.

(7) S. Hier. Ep. ad Lætam.

F. Licitum est pravis & summè noxiis peccatoribus piam & properam mortem precari, sine invidia.

sedere iniquos judices, unguentarios prætores, scribas pharisæos suis dignitatibus indignos lurcones, unde perpetim audias sub cultro vociferantem justitiam, innocentiam, virtutem &c. Videas porrò hæreticos tot animarum impios seductores, tamdiu vitam prorogare; videas tyrannos in obvios ferocissimè latrocinantes, Deo etiam dicatis per immane sacrilegium abutentes Thyestas, sacrorum expilatores Attilas, inauditæ crudelitatis bustuarios, agrorum templorumque sævissimos vastatores &c. impunè grassari, sacrilegia sacrilegiis accumulare, omnia susque deque vertere ac depopulari &c. hæc inquam si videas, si audias, jure inde dolorem ac tristitiam concipias; homines tam iniquos, tam biboſos, tam scandalosos, tam fidei & veritati infestos, tam enormis truculentiæ latrones, tam impios justitiæ ac pietatis vespillones per totum hunc spectabilem mundum dominari, tot piorum innocuis capitibus inambulare, potestate sua & officio clavium tam horridè abuti in suam & mille aliorum perniciem, utinam non æternam &c. huic hominum pravorum generi, his inquam pravis judicibus & hæreticis, his trucibus tyrannis & latronibus justo ex zelo optima cum conscientia felix iter in sanctam æternitatem, properam, maturam atque unà piam mortem precari possumus, & sic mille alii in vita serventur, si non temporanea, saltem æterna, boni omnis in cœlis affluente vita, quâ fortè cum seculari poterant exspoliari. De his omnibus hactenus enumeratis, licet aliquam invidiæ speciem præseferant, sermo nobis non est; ea tamen paucis allegare debui, ut rudiores bonum à malo rectius nôrint discriminare. *Sapientibus & insipientibus debitor sum* (8) inquit Paulus, & cujus rei debitor est? Sanctæ veritatis ritè ad oculum explanandæ, ne cum falsitate confundatur.

(8) Rom. 1.

Veri nominis invidia superius descripta, rectè dicitur *mortiferum scelus*, quia partim invidum, partim illum, quem petit invidia, in ærumnas, sæpè ipsam etiam in mortem trudere cogitat & præcipitare Invidum suimetipsius carnificem agere, probatur in Echon. Tub. post 4. Dom. pascha. Suus sibi culter est invidus, quô seipsum emaciat, excoriat. Vesperilio est. Solem odit, & alterius lumen execratur, umbris inerrans & no-

& noctibus. Nunquam illi benè est, nisi alteri fuerit malè. Bono dolet alieno, suus adeò sibi livor proprius carnifex efficitur. Paulus (9) hos homines dixit *homines invidiâ plenos & homicidio*, sibi nempe & aliis vitam impiè truncando. De hoc vitio rectè etiam dixit (10) Bern. *ubi invidia est, ibi mors est; nec potes simul invidere & vivere.* Invidia ima pectoris depascitur & vitam abrodit humanam, ut rubigo ferrum; quod ipsum bellè descripsit (11) Poëta, cùm vivis metri coloribus invidiâ obsessum hominem depingeret:

*Pallor in ore sedet, macies in corpore toto;*
*Nunquam recta acies; livent rubigine dentes;*
*Pectora felle virent; lingua est suffusa venenô;*
*Risus abest, nisi quem visi fecêre dolores;*
*Nec fruitur somnô vigilantibus excita curis;*
*Sed videt ingratos, intabescitque videndo*
*Successus hominum, carpitque & carpitur unà,*
*Suppliciumque suum est &c.*

G. Vera invidia mortiferum scelus est. (9) Rom. 1. (10) S. Bern. ep. 7. (11) Ovid. 2. Met.

Portò vitium hoc *invidiæ* verè diabolicum est vitium, quæ primas cunas suas diabolo debet Sapientiâ (12) teste: *invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Hâc penitus subtracâ, fortassis immortalitate sua tota hæc mortalitas gauderet. Alia scelera habent saltem modicum aliquod lucrum, aut leve aliquod & umbratile oblectamentum, invidia verò nec lucrum habet, nec gaudium, sed potius dolores & immanes cruciatus. Superbia punctum aliquod honoris affectis suis communicat; avaritia opes opibus coacervat; gula, crapula & ebrietas fauces & palatum titillat, & ventrem explet; libido impudicæ carni bestialem voluptatulam dispensat; irato placet & sapit vindicta; sola invidia omni emolumentô vacua est, seque ipsam mactat, conficit & absumit, solis aliorum ærumnis sine ullo proprio commodo dives & opulenta, quod hodie solis dæmonibus proprium est, qui nostra ex pernicie nonnisi duplices pœnas hauriunt; gaudent proinde nostro hominum malo & interitu ex mera malitia, licet inde dolor illorum & cru-

H. Scelus verè diabolicum. (12) Sap. 2.

cruciatus augeatur. Hæc causa fuit, cur tantoperè in hoc hominum genus Chryſ. (13) detonaret: *invidia peſtiferum malum hominem in diabolicam ditionem, & in immaniſſimum dæmonem convertit.*

(13) S. Jo. Chryſ. Ser. 41. in Matth.

Adhæc præſens vitium rectè dixeris ſanguinolentum, ſanguiſugium ſcelus. Ita Baſilius (14) exclamat: *fugiamus invidiam homicidii matrem.* Patet id abundè in pio Abele per invidum fratrem mactato; in ipſo Chriſto per phariſæorum inſatiabilem invidiam neci dato; in S. Stephano ex invidia Scniorum, quod illius ſapientiæ non poſſent reſiſtere, lapidum torrente obruto & acta (15) referunt Apoſtolica. Imò ut Chryſ. (16) animadvertit, creditur invidus deterior eſſe adulterò, latrociniis infami ſicario, & templorum ſacrilego expilatore. Nemo aſſertum ſtupeat, meum, ut dixi, non eſt, ſed habet Authorem græcum Patrem, & Sanctum nempe Joannem Chryſ. cujus hæc ſunt formalia: *qui invidiæ vitiò laboraverit, & adultero, & ſcortatore, & ſacrilego prædone iniquior eſt.* Sed & ratio mirabilis aſſerti hujus audiatur: *ex his ſcilicet aliqui in Sacris litteris ſalvati ſunt, ex invidis vix unus*, quia ordinariè omnes invidi deorſum ruunt in exitiale barathrum; rarò nempe hi homines ſeriam ex corde integro pœnitentiam agunt, rarò omne prorſus odium & rancorem invidiæ affectus è præcordiis proſcribunt. David adulter erat, latro in cæde pluribus homicidiis infectus, uterque tamen in gratiam à DEO receptus eſt & in gloriam; Saul contrà, Cain, & Eſau ſuo livore, ſua in invidia obbrutuerunt, ut adeò his hominibus jure timeri debeat mors temporanea & mors ſimul æviterna.

(14) S. Baſil. hom. de invid.

(15) Act. 6.

(16) S. Chryſ. hom. 7. in Rom.

I. Scelus ſanguinolentum.

K. Scelus omni ſcelere deterius.

Interim quid hodie communius, quid uſitatius, quid trivialius eſt quàm invidia? quis quæſo ſcelus hoc ſuis pro meritis apprehendit? nunquid toto graſſatur in orbe? & nemo id tanquam capitale ſcelus ſerio fugit aut efficaciter proſcindit. Ait quidem vulgare diverbium; *invidia in oculis progignitur, in cœnobiis alitur, fovetur & educatur, in Xenodochiis nutritur;* At reſurgit ocius, ac totum orbem pererrat. *Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo*, dic quo in terrarum angulo, quo ſub tecto nullus livor nulla invidia graſſetur, aut clanculò in alterius damnum deliteſcat. De Au-

L. Interim ubique graſſatur.

cis jam pridem enuntiavit Sapiens (17) *hic alius alium occidit.* Hic perpetim cani audias : hodie mihi cras tibi. Expertus loquatur Belisarius, qui in Aula Cæsaris Justiniani solus dicere potuit: *nos poma natamus;* at ecce quàm subitò aleam vertit invidia ! hac instigante tandem oculis excidit & omnibus fortunæ bonis, ex arduo summæ dignitatis throno, ad infimam eamque miserrimam mendicabuli sortem detrusus. En ut stipem corrogat miser cœcio! *Viator da obolum Belisario, quem Virtus extulit, invidia excæcavit!* hos lusus adhuc hodie ubivis locorum livor ludit & invidia. *Tolluntur in altum* virtutis ac Scientiæ beneficiô, *ut lapsu graviore ruant* invidiæ stimulô. Romam vocat Hieron. (18) *invidiosam & maledictam civitatem.* Romam nomine suo nuncupavit, & alias omnes intellexit. Monstretur locus, vicus, oppidum, pagus, civitas, asceterium, ubi nulla unquam invidia stabuletur. Figulus figulum odit, faber fabrum, hospes hospitem, advocatus advocatum, procurator procuratorem, medicus medicum, magister magistrum, vicinus vicinum, & alterius lucrum suum singuli damnum esse interpretantur; hinc alterius opera invidus vituperat, & pravis artibus alterum non tantùm impedit, sed frequenter etiam fascinat & incantat. *Literatus est,* inquit (19) Bernardus, *odit socium.* Invidia naribus perspicilia accommodat, quibus aliorum acta extenuentur; ita pati debent omni literaturâ conspicui Catones, ut in ipsos putidi oris fœtentem vomicam exonerent rudes asini & archipodiales idiotæ, qui ne quidem obiter totâ vitâ suâ comprehendent, quod illi sunt obliti. Ah quot vel hodie insignes libri & cedrò digniſſima scripta suis archivis velut tetro carcere jacent abdita, nunquam in lucem emersura? cur? elaboravit ea miles tantùm gregarius, simplex Casista; prodeant hæc scripta in publicam lucem? grandis nota veteranis Doctoribus accresceret, quia omnes pileati uno in mortario contusi simplicioribus trossulis multò antè herbam porrigerent, quàm similes lineas calamis exararent; prodeant alia publicam in lucem, & inter publicos plausus vernantes gloriæ lauros suis pro meritis reportent vel patentibus libris, vel splendidis thesium foliis commissa erunt ocius, qui hæc & illa nigris dentibus arrodant, eaque

(17) Sap. 14.

18) S. Hier. ep. ad Marcell.

(19) S. Bern. de mundi falla-

sine fronte, sine pudore, sine ulla ratione, fœtenti lotiô palàm aspergant. Cur? nôrunt apprimè, quàm domi suæ ipsis sit cuncta supellex: cacant verba, cùm vel altera periodus in Latio formanda. Hæret aqua, cùm negatur maxima; horrent adeò publicum, ne idem incurrant fatum, quô Diodorus Cronus philosophiæ Professor legitur (20) extinctus Fulgoso teste. Egit ille publicæ disputationis præsidem oppidò infaustum, cùm enim à Collega sacro mergeretur philosophicô, tam valido rubore suffundi cepit, ut coram Auditoribus suis humi rueret funus, & tragica conclusione totam disceptationem coronaret; id ergò, quod præ animi debilitate suo jure subterfugiunt, etiam suo invident vicino; hinc illæ lacrimæ & obtusæ mentis informes ructus &c. Sic livor & invidia passim hodie rudibus Aristarchis dominatur. *Astutus est in negotiis*, pergit Bernardus, *& in secularibus causis? nullum sibi similem dari vult lividus. Pecuniosus est? ut primum ditescere videt alterum, cruciatur. Fortis est aut formosus? tor ei durum est; cautum, inquietum*, quia videt se his donis destitutum, quibus eminet alter. Musicus est? alius ipsô melior jam crepitaculis accensebitur, quibus per majorem Dominicam Passionis tumultuaria Matutina concluduntur. Verbô: volunt esse soli soles invidi, ut soli luceant sicut fungus in laterna. Soli volunt omnes libros absumpsisse tinebetes, amusi; soli volunt omnem politiam captâsse inurbani; soli volunt omnia jura sui juris fecisse, omnia judicia judicâsse, omnes controversias mactâsse, licet sibi passim occini audiant tritum & lud & triviale: *in codice didicisti is modicè. In Novellis rudiores asellis. In Digestis parùm potestis &c. & tamen Doctor estis.* Egit nempe ubivis locorum pedè suum invidia, doctos inter & arcedarios tirones, pios inter & impios, divites inter & mendicos, sumos inter & infimæ fœcis homulos, sacros inter & profanos. Nihil ex dictis resorbeo. Atrox invidia etiam templa irruit, & in Deo dicatas ædes depopulatur, Aris ipsis infesta. Sic pridem quæri auditus est Aureus Orator Chrysost. prout vita loquitur: *heu quanta vis est invidiæ! cadit etiam in Viros Ecclesiasticos, in Viros perfectos*, seu quod idem fuerit, in viros perfectionis studium professos; nihil enim inter homines terreos perfectum est, nihil enim ex parte beatum est; sufficit, eò totis viribus Deo juratos eniti, ut cæteri illuc in humanis nunquam pertingant, juxta illud Sap. (21) Proverbium

(20) Fulgos. l. 9.

(21) Prov. 6.

M. Etiam in Sacrarium repit, profatur.

culum: *septies in die cadit justus.* In quæ verba sic Greg.(22) paraphrizat: *justorum casus status eorum est, quia subinde cadere permittuntur, ut fortiùs possint stare; permittuntur in malis ruere, ne summa virtutum dona per elationem amittant. Hi etsi quandoque verba Domini non adimplent, à Domino longiùs non recedunt, qui ad tempus relinquuntur, ut in æternum teneantur, & in modico desipiunt, sed mox iterum resipiscunt.* Hæc Greg. Notavit inde jam suo tempore Chrys. invidiâ quoq; in ipsos muris clausos Ascetas irruisse, & medio in Sacrario binis maximè capitibus insultâsse, Verbi Divini Præconibus & conscientiarum Rectoribus Sacris, cùm fusius auditorium & largiorem affluxum hi nacti sunt præ illis. Utriusq; invidiæ hujo hanc in horam, prô dolor, exempla prostant innumera. Colliduntur pulpita & Sacra tribunalia, cùm illa videas deseri, hæc ardentiùs frequentari. Mutet pœnitens justis ex causis suum conscientiæ arbitrum? facilè accidet, dico, facilè accidet, quia scio accidisse, ut in ultimo articulo ad pœnitentem vocatus, ope sua moribundum destituat. Prô dedecus & immane probrum! siccine in ipsum articulum, ex quo tota pendet æternitas, repat livor? hic potiùs summa libertas pœnitentibus patescat. Sunt sæpè uno in cœnobio tres, quatuor expositi ad fratrum confessiones excipiendas, quibus liberum sit hunc vel illum adire; & secularibus vitio detur, si alibi locorum animos expient? ehodum saniora fratres mei! hic zelus est, sed non secundum scientiam(23) *Gyaris dignus par vagi, Scripho*, quibus insulis reos olim mactabant Romani. Ostendunt hi animorum judices, (quos rectiùs dixerim laniones) se summo in gradu invidiâ laborare, vel nescio quid lucri sacris è tribunalibus aucupari, hoc ipso se indignos prædicant, qui judicis personam sustineant, aut Sacris admoveantur, prout nuper primùm disseruimus, & proximè iterum disseremus. Confessarius alterum sit mare; mare sinu suo excipit gratanter omnes fluvios, atq; iterum omnes à se dimittit sine ullius dispendio. Veri nominis Confessarius nullum pœnitentem sibi uni alligat insolubili gordio, sed totale arbitrium suæ libertati relinquit, ne sacrilegia sacrilegiis accumulentur, quæ sanè his animorum torturis enormi numero excrescunt. Ubiubi tandem confessio fiat, quid ad te? modò ritè fiat, integrè ac perfectè. Multò minùs palàm gloriatur veri nominis Confessarius, se sua sub cura hos & hos grandes,

(22) S. Greg. l. 6. in 1. Reg. c. 15.

(23) Juvenal. Sat. 10.

has & has damas fovere. Mihi satis est hoc motivum, ut colonias aliò transferam, & hujus farinæ thrasoni validos calces illidam, salvô judiciô majorum. Hoc judicum sacrorum genus utplurimùm invidiâ livescit. Occurrit mihi hic loci, quod contra hæc gloriæ animalia palàm dicere memini Præsidem Marianum Henricum Moser p.m. impigrum Societatis operarium: hi gloriabundi bambaliones (verba recito dicti Præsidis hæc & alia palàm Ingolstadii declamantis meo tempore) sellæ patroclianæ seu turpi latrinæ optimo jure assimilentur; glorietur hæc sella dicatque: hos & hos hospites habui hodie &c. sordes suas meum in sinum etiam ille dejicit & illa &c. id sanè præstabit sella, quod gloriando præstat bambalio; imò coram Deo & Angelis Dei, prout certum est ex historiis, longè horridiùs fœtet anima uno libidinis motu infecta, quam plures simul latrinæ, plura simul sterquilinia unum in cumulum congesta.

Paucis ut dicam omnia. Sicut olim in paradisum invidia irrepsit, & ibi protoparentes nostros suis cum posteris pessumdedit; sicut Cain contra germanum Abel, Esau contra Jacob, perfidi fratres contra Joseph, Judæos & pharisæos contra Christum irritavit, ita hunc in diem amicos contra amicos, vicinos contra vicinos, fratres contra fratres excitat, exstimulat, provocat, irritat. Hic nullus ita clausus, ita sacer, ita firmiter obseptus est, quem non irrumpat, & proscindat. Firmentur hactenus asserta per duos Florentios, quorum unus Sanctus est, alter impius, & in hac invidia miserè extinctus, ut binis exemplis, iisque tragicis præsentis finis coronetur.

Eutychius & Florentius eremicolæ multis annis piè simul in eremo convixerant Greg. (24) teste & (25) Discipulo. Ut vero vicini monasterii Rector mortem oppetiit, Eutychius à fratribus congregatis in Rectorem unitis vocibus electus, eremô cessit; at solus eam incoluit Florentius, quem ut Deus solaretur, eidem ursum submisit, qui herum suum piè reverituò, morem gessit quæcunque imperanti. Ovibus pascendis à Florentio veluti canis præfectus, oves stato tempore in pascua duxit & reduxit; famâ prodigii vulgatâ, ad hunc Florentium grandis facto est concursus, ut qui etiam ursis efficax nôsset imperium largiri. Videbant fratres quatenus Eutychio subjecti grandem populi affluxum, ursique prodigium, & invi-

(24) S. Greg. l. 3. dial. c. 15.
(25) Discipul. in M. Prompt. Hist.

invidebant, graviter Forentio indignati, quòd unus ille tantis prodigiis clarescceret, non ità novus ipsorum Rector Eutychius. Crescente invidia, junctis viribus ursum aggressi fratres, pluribus plagis saucium occiderunt. Sic fidelis ursus suam obedientiam & magistri sui virtutem fatô luit truculentô stimulante invidia; at mox à tergo insequi visa est invidos ursicidas Dei Summi evidens vindicta. Primò quidem leprâ percussi sunt, inde membris omnibus miserè putrescentibus, morbô absumpti sunt Herodianô. Ite porrò & alteri prodigiosam Virtutem invidete. Discant hinc justitiam moniti, neque temnere Divos, quotquot suis animi penetralibus invidiam fovent.

Concludo totum hunc sermonem altero cum Florentio, sed pessimo, quem fusè describit (26) Marcantius, ex S. Benedicti vita depromptum. Cùm S. Benedicti præviô exemplô succensi plures adolescentes nuntium seculo remitterent, & Divo huic Patriarchæ fidem jurarent assectæ, Presbyter quidam, cui nomen Florentio, æstrô invidiæ percitus, tot bellos juvenes in nassam trahi monasticam, multos ab illius commercio & studio probitatis abstrahere, totis viribus allaboravit; cùm neq; sic quidquam proficeret, ad dolos & fraudes conversus, amicum se finxit protervus hostis, & Sancto Viro panem transmisit largô venenô piperatum. Novit ocius Vir Dei, quid sub crusta lateret, & panem hunc suo, quem aluit, corvo dedit, eum in locum properè deportandum, ubi nec hominibus, nec feris esse posset nocumento. Vidit invidiâ excœcatus Sacerdos, irritis à se insidiis Benedictum tentari; statuit proin juvenum animos perdere, qui libentius Magistrum peremisset; eum in finem oculis tironum in horto cellis vicino procaces puellas sacrilegus nequam objecit, quæ animos spectatores eminus ad libidinem succenderent. Horruit ad immanem audaciam Vir Dei, & ne quis suorum è cella in cœnum vitiorum defflueret, locum cum suis mutare constituit. At vix solum vertit Benedictus, solarium corruit, suiq; ruinâ invidiæ obtrivit. Duo hi Florentii probus & reprobus ostendunt, quàm prona sit Nemesis Divina ad invidos acerrimè castigandos. Audiant proin omnes S. Zenonem (27) & sequantur: *fugiamus invidiam obicem pietatis, cœli obstaculum, viam gehennæ, primitias pœnæ perpetuæ &c.* quam ab omnibus ter pium Numen avertat! Amen.

(26) Marcant. in hort. Tub. Sacerd. tr. 4. l. 3. Hist.

(27) S. Zeno Veron. Serm. de Liv.

# CONCIO XLII.

# DOMINICA XVII. POST PENTECOST.

*Diliges proximum tuum sicut teipsum. Matth. 22.*

## Speculum Juventutis.

SI quæratur hodie, quis noster proximus sit, cujus amorem ac cultum Christus imperat AA. digito quidem singuli homines signabuntur, qui nobiscum ex nihilo ad imaginem ac similitudinem Dei, ad unum finem, Gloriam immortalem à Deo creati, infinitô sanguinis Divini lytrô ex servitute diabolica in libertatem filiorum Dei felicissimè protracti sunt, quos omnes eodem amore complecti jubemur, quô nos ipsos amplexamur. At quæratur ulterius, quis hos inter innumeros proximos sit nobis omnium proximè approximatus? fatendum est, illos esse, à quibus post Deum carnem & sanguinem hausimus, parentes nostros; hic ergò præ ceteris locum habebit præceptum illud: *diliges proximum tuum sicut teipsum*; ideò è tenebris in lucem Divina ope liberi emergunt, ut per hos debitus amor & cultus toto, quo vivunt tempore parentibus deferatur. Sic Scriptura (1) loquitur: *ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Quænam est lex illa, cujus hic mentionem facit D. Paulus? Origenes (2) illam ipsam legem hic loci vult intelligi, quæ cultum & amorem in parentes liberis præcipit. Cùm verò Christus in terris Patrem non haberet, sed in cœlis, iste inquit (3) de seipso: *honorifico patrem meum, qui in cœlis est.* Huic itaque se legi ultrò fecit obnoxium Christus *factus sub lege*; quantò fortiùs ergò nos premer lex memorata, ut primus amor post Deum nostros ad parentes transportetur. Erga Deū, & erga parentes nostros nunquam satis grati esse possumus, Id tam verum est, ut probè diverbii alicujus nacu-

A. Proximi nostri immediati sunt parentes, quos diligere jubemur omnes.

(1) Gal. 4.

(2) Orig. in c. 8. Joan

(3) Joan. 8.

naturam induerit, quô lateri quasi Divino juncti fuisse videntur parentes nostri, ut nempe cum Aristotele (4) crederetur, parentes humanô majorem cultum & amorem, Divino proximum mereri. Hæc causa fuit, cur olim Plato & Socrates illos tanquam domesticos Deos proclamarent. Si Dii sint domestici, domus patria templum sit necesse est, in quo sacrificulos agant liberi, summa cum reverentia Diis suis intra parietes domesticos servientes. Similia innuit quoque (5) Script. *qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur.* Quærit in hunc locum (6) Cajetanus: dic, quæso, cur eodem supplicio mortis mulctatur, qui parentes despicit, atque is, qui Deum ter optimum maximum blasphemat? *punitur contumelia in parentes morte* (sic Cajet. loquitur) *sicut & blasphemia Dei.* Audiatur modò responsum quoque: *hæc ratio legis est, quia nec Deo, nec parentibus reddere possumus æquale. Consideravit lex, quòd sicut parentes in hoc cum Deo conveniunt, ita pœna contumeliæ in parentes, cum pœna contumeliæ in Deum conveniat.* Quasi diceret Cajetanus: sicut Deo omnem cultum debemus, ita pariter omnem parentibus exhibere tenemur; sicut autem morte acerba punitur ille, qui hunc Deo debitum amorem Deo subtrahit, ita pari pœna ptoscindi meretur, qui suis parentibus cultum & amorem sublegit filialem.

Placet similem pœnam, licet mortem non involvat, satis tamen aliunde horridam in exemplo velut in speculo coràm arbitrari? id paucis audiamus, quod tres Sancti Patres sanctô pariter calamô describunt. Primus eorum est S. Cæsarius Arelat. Episc. (7) qui circa An. Christi 480. in Gallia vixit scripsitque. Alter sit (8) S. Thom. Cantiprat. Tertius esto S. Bonav. (9) quorum uterque vixit circa An. Christi 1250. ille quidem in Belgio, iste verò in Italia. Juxta hos tres sancti nominis Patres, omni exceptione majores bibliographos, erat in Nortmannia Civis quidam nulla dignitate conspicuus, divitiis tamen maximis cumulatus; huic Viro Deus filium indulsit, qui cùm unicum esset familiæ fulcrum, grandibus in deliciis, in pretio fuit permagno, ideò etiam inter delicias delicatè ac molliter educatus, quæ tamen educatio pessimè paren-

(4) Ariss. l. 9. Ethic. c. 2.

(5) Exod. 21.

(6) Cajet. in l. c.

B.
Nec Deo nec parentibus reddi potest æquale.

C.
Væ qui parentes suos despiciunt? probatur horrido exemplo.

(7) S. Cæsar l. 6. mir. c. 22.

(8) S. Thom. Cant. l. 2. Apum c. 7. a. 4.

(9) S. Bonav. l. de 10. præc. Ser. 5. de 4to

parentibus cessit ac filio illorum. Pater quidem, ut dixi, nullo erat sanguine clarus, nulla nobilitate conspicuus, sed civis honestus, at *quò vix ditior alter!*

*Crevit enim aggestis jam densa pecunia nummis,*
*Nec domus immensas arcta tenebat opes.*

Ut tamen filius iste in adolescentem & paulatim in juvenem excrevit, alius nobili prosapia oriundus, olfacta pingui hæreditate, hunc filium filiæ suæ in maritum expetiit, ea tamen conditione, ut bonis suis parentes cederent, & omnium rerum suarum possessionem filio transcriberent; filium vicissim, quæcunque vel patri vel matri essent necessaria, largè ac hilariter promptè ac properè in tumulum usque suppeditaturum. Non placuit parentibus connubium oblatum, multò minus conditio placuit; utrumque enim visum est illis grande paradoxum, ut bonis cedant vegeti, & filium civis nobili damæ connubio jungant. Quæ paritas? si jugo vel aratro trahendo, bovi regius aliquis bucephalus societur; trahet ille jugum, hic a jugo resiliet & elisis calcibus jugum aut currum disfringet.

D. Par pari nubat,

*Si qua voles aptè nubere, nube pari*; cives cum civibus, nobiles cum sui æqualibus fœdera firment; quid ad nos hæc vestium pompa? vana & inanis gloria, ubi vacua est bursa? dama haec totum fortè patrimonium suum suo corporis trunco circumgestat &c. Rectè judicârunt parentes, cùm nollent in tam dispares nuptias consentiri, at gravius accidit altera conditio, ut bonis nuntium remitterent. Verba quidem erant byssina, at timendum ne facta sequantur plumbea. Aurei montes promittebantur, at unde tandem prognascatur non jam ridiculus mus, sed horridus bufo &c. videbant boni parentes recentia parentum exempla oculis objecta, qui hac bonorum cessione miserrimè impegerunt; horum damnô sapere malebant, quàm se dubio committere ac infido freto. Juvenilis œconomis utplurimùm nimis prolixa est senum parentum vita, unde sera pœnitentia factæ cessionis parentes corripit, quæ sub ingratæ sobolis cura sæpè dixeris vivos Martyres. Periculosa opus est aleæ, si bonis suis cedant parentes, & se totos alterum charitati committant. Prostant defectuosæ charitatis

E. Cessio bonorum periculi plena est,

hujus ſpecimina nimis numeroſa; nolebant adeò ardentibus petentium votis vel annutum vel aſſenſum dare parentes, duplici ratione ad negativam impulſi, jam intimata. Urgebant nobiles totis viribus aſſenſum, adductis rationum momentis, quæ jam patri ſeorſim obtruſerant, jam iterum ſeorſim matri; alia inter & filiæ formam & aviti ſtemmatis nobilitatem, & ſolertem prudentiam, & vel maximè providam œconomiæ peritiam grandi cum proſopopœia prædicantes. Et verò quot gradibus melior eſt nobilis quàm civis, aut ruſticellus? quot incrementis rubicundior eſt cruor nobilis, quàm ruralis? rectè dixit, qui cecinit:

*Et genus & proavos, & quæ non fecimus ipſi*
*Vix ea noſtra puto &c.*

F. Una nobilitas gratis crepatur.

Quid tantoperè crepatur, quod alienum eſt, & ab aliis caſualiter mutuatum eſt? an tanti fuerit prodigii, ſi poſt operoſam rimationem porcus glandem reperiat? caſualis res nobilitas eſt, ſicut modò ex nobilibus natus es, ita naſci poteras ex ruſticis, ex lictorum ceris; & fortè parentibus dignitas affunditur, quâ nunquam claruerunt:

*Majorum quisquis fuit ille tuorum* ait Juven.
*Aut cerdo fuit, aut illud quod dicere nolo.*

Novi talem, qui ſe nobilem jactavit, cujus parens ignoti latris egit publicum veſpillonem. Alium ſcio nobilium inſignia extra patriam profeſſum, cujus frater etiam Regis titulô ſed nocturni decoratus in Imperali urbe latrinas purgabat. Poterat hic rectius ſtemma regium crepare; at quis fœtenti maſculo fidem habuiſſet, architripudialiter mentienti? his ſaltem fucis ſein opimam civis familiam intruſit opulenti viri, filiæ hunc prius in finem ſeductæ, miſerabili matrimonio junctus, unde modò decocta hæreditate pænè ad triarios dilapſus bonis excidit & fortunis. Pares fortè ceras hic Nobilis exhibuit, quas ſi ritè providus arbiter explorâſſet, quidni avi aut parentis fœculentam mephitim binis naribus hauſiſſet; Damam certè ſuam tantis elogiorum cumulis non ornâſſent nobilitate inclyti thraſones, ſi verba factis, facta verbis reſpondiſſent. *Vino vendibili hedera ſuſpensâ opus non eſt*; hæc vappæ appenditur,

ut tantò facilius emptor supplantetur. Sic ergò multis debuit encomiis persuaderi, quod nullis poterat rationibus probari. *Dama* sanè suspecta vox est; si abecedariis scholaribus credatur, *silvestrem capram* designat *dama*, pecus africanum, hispidum, hirsutum, impetuosum vorax, mordax, contumax, cui informis est forma, barbara indoles. Rectè hac voce territi parentes assensum dare recusabant, modò passi non essent, se melleis vocibus fascinari, ut tandem votis toties repulsis infelicem annutum præberent. Abdicabant se tandem dominiò sui parentes; filius sponsam duxit nobilem damam, & cum sua recens nupta omnes parentum fortunas possessor irruit.

Opt. AA. Beneficia hominibus collata vini naturam repræsentare videntur; Dum recens est, dulcedinem propinat; sed fac illud antiquari, tantò gravius acescet, quantò pius mellis antè libandum porrexit. Hi recèns matrimoniò juncti annô primô & nonnihil etiam alterô, magnos honores senioribus parentibus exhibebant, & quidquid ad vitam & honestissimam sustentationem necessarium erat, vocibus benignis, sereno vultu, plena libertate, & læta promptitudine subministrârunt; ita quidem, ut non modicè parentes gauderent, se omni cura domestica & labore liberatos, omnibus filio relictis in otio & quiete frui posse. At quàm verè dixit (10) Seneca:

(10) Sen. in Thyest.

*Nemo confidat nimiùm secundis;*
*Nemo desperet meliora lapsis.*

Cur? nescimus enim, quid serus vehat vesper. Non ctedebant pii parentes; fidem datam in summam posse perfidiam degenerare, donec actu experti sunt, quod prides debebant subodorari. Primo abdicatæ possessionis annô fides stabat integra, incontaminata; annô alterô nutare cepit & vacillare; tertiô tandè penitus humi corruit, & omni ope destituti parentes, eoque sordidam damam nunc conjugem filii turpis avaritia induxit, ut parentes hasce tanquam insatiabiles ardeum gulones acerrimè corriperet. Uxoris importunitate accensus etiam filius pari scommatum acrimoniâ suos inparentes invectus est. Hîc primùm sortem suam ambo lamentari, factam properè cessionem ejurare, cùm factum infectum fieri

non posset; hic primùm manibus palpabant, quod toties illis per fideles vicinos prædictum, cùm ipsi viderent, opes ac fortunas suas non ad morigerum ac obsequentem filium, sed ad rabidum euclionem devolutas esse. Vix ædibus alienis illata est hæc impetuosa dama seu imperiosa Juno, ocius sibi domestici Simonis partes ac jura vendicabat, se tamen ultra annum suos intra charitatis senibus impensæ limites fucato astu continuit; facilè proin flexilem virum eò induxit, ut in malè materiatam casam è diametro suis ædibus objectam seniculos disponeret; sic quæstibus & querelis domum exonerari, sic sine testibus & arbitris gulæ ac pinguiori mensæ pro lubitu vacari posse. Paruit impudenti consilio efrons filius, seu potiùs triviali damæ imperio cessit properè perfidus unà & crudelis in suos filius. Compulsi sunt patriis ædibus emigrare decrepiti parentes ex domicilio optimè instructo in turpissimum mapale; nulli jam pluribus annis habitatum, quòd ventis & pluviis pervia essent tecta, & patentes fenestræ; hic in casa undique hiulca cœli unà & procacis filii enormes injurias fusis lacrimis deplorabant. Mittebatur quidem stato tempore victus, sed ita tenuis ac levidensis, ut vix esui serviret. Canes & cati patriis in ædibus bellariis pascebantur, parentibus ciborum quisquiliæ & emarcidæ carnis segmenta transmittebantur. O fidem malè fidam! ô scythicam ingratitudinem, barbaram immanitatem! hæc causa fuit, cur miseri parentes nunquam sine uberibus lacrimis luridæ mensæ cibis non cibis instructæ accumberent, & nonnisi *potum suum cum fletu* (11) *miscerent*. Auxit malorum grandinem & miserias accumulavit, quòd illis propè datum non esset domum propriam filio relictam subintrare, ita torvo vultu & caperata fronte à dama simul & à procace filio parentes excipiebantur, crudè & crassè eminus interrogati, quid vellent, antequam ædium scalas tentarent; quidquid ergò in votis fuit, per internuntium aliquem solicitari debuit vel verius emendicari. Non potuit ulteriùs justum è cœlo Numen tantam barbariem tolerare, tantam in parentes cruditatem & crudelitatem intueri; se itaque ad tanti sceleris vindictam seriò accinxit. Accidit fortè, ut probè fartum anserem veru transfixum dama in culina sua assaret; defluxit pinguis adeps

(11) Pf. 101.

in subjacentes prunas; inde vento aspirante odor & fumus ad famelicos parentes è regione habitantes proximam in vicinian transcendit; mater ipsa oculis curiosis etiam anserem ad candentes prunas, stridentem eminùs spectabat; mox itaque suum ad conjugem conversa, his eum vocibus compellavit: en virorum optime, ut iterum sua cum dama lautè ac opiparè filius noster epulatur, nos interim necessario victu destituit, ut cum fame ac inedia luctemur senes, quibus olim opes affluxerant & fortuna. Non audis ut anser strepat ad crepantes prunas? nunquid odor ambas nares titillat? nunquid dentes pruriunt in opimas dapes? quin unà imus, & mensam quærimus adipalem, nunquam invitati nos ultrò invitamus, ut tandem aliquando nostros inanes stomachos exsaturemus. Non difficulter famelico persuadeas ut emaciatum referet stomachũ pinguibus bellariis redanimandum. Rapuit scipionem suum senecio, eique innixus comitante senicula matre, rectà domum petiit relictam. Vidit è fenestra parentes filius, atque ocius in culinam digressus anserem jussit à foco removeri & probè abscondi, venire utrumque silicernium ut anserem soli abliguriant, ipse porrò quasi casu in atrium prodiisset, eminus vidit jam scalas parentes emetiri, mox ergo ad parentes conversus truci vultu, quid vultis, inquirit? quid tempore tam importuno domum irruitis? per internuntiam vernam nuntiate, quid desit vobis & transmittam; cœterum me mihi relinquite &c. Notabant ex tam hispida salutatione sat abundè parentes, quô locô esset anser; actum videbant de de mensa, quâ famem mitigarent; spe sua graviter delusi & mox truci alloquio eminus territi, dissimulatâ reditûs causa suâ in casam jejuni remeant, Deóque fletus ac gemitus millenos questus ac singultus immolant innumeros, qui sine mora cœlos penetrabant, ut Dei jam ad puniendum accincti vindictam maturarent. Vix parens casam tenuit cum socia matre, cervo de convivis domô proscriptis filius in mandatis dedit ancillæ, ut occultatum anserem suum in locum reponeret, & assatum mensæ aptaret. Fecit imperata heri curitans ancilla, at ecce cum patellæ operculum removeret, anserino ventri pinguissimum vidit bufonem insidere, qui prominentibus oculis ancillam intuitus, tantis eam terroribus opplevit, ut horridis clamoribus

bus ingeminatis, se procul in fugam proriperet. Accurrit illicò herus cum hera dira vociferatione accitus, qui ut tetrum bufonem conspexit, mox obviò baculò in manus sumpto turpem bestiam profligare instituit; at bufo caput erexit, oculos igneos in herum detorsit, putidum os latè diduxit, ventrem distendit, & tandem in pedes erectus, facto repentè impetu in effrontis ac crudelis filii faciem prosiluit, totique ejus vultui tam pertinaciter inhæsit, ut nulla virtute, nullis artibus, nullis iade posset precibus avelli. I nunc procax & truculente fili, & parentibus tuis mille titulis debitos & juratos cultus detrahe! i nunc tuos in parentes barbare fili, & in damæ gratiam ædibus ac mensâ parentes tuos proscribe, ingratissima bellua! lue quod peccâsti! & hæc fuit vindicta, quâ filii hujus suos in parentes geticam inhumanitatem corripuit; fuit hæc vindicta tantò gravior, quantò prolixior; dicitur enim multis annis durâsse, ita tamen, ut motu irrequieto cogeretur urbes & oppida peragrare, & omnibus liberis suos in parentes inhumanis aut quocunque modo discolis speculum exhibere, in quo pœnas distinctè videant pravis filiis à justo Judice Deo decretas. Ajunt eum hunc bufonem vultui hærentem Parisios usque in Gallias, imò etiam Tridentum usque in Tirolin detulisse, ut ex hoc speculo filii omnes addiscerent, quàm periculosum sit & noxium, vicem non rependere curis & laboribus, quos liberorum causâ nunquam non providi parentes exantlârunt. Lapsis aliquot annis tandem ad preces Divorum Cœlitum facta seria exhomologesi solutus est hoc bufonis monstro, suis iterum parentibus redditus sanus, integer & tota facie feliciter purgatus, quos in tumulum usque sua cum Berta constanti pietate ac indefesso cultu tenerrimè fovit & ferventissimè dilexit. Hoc speculum omnibus hodie pueris ac puellis, juvenibus ac virgunculis, liberis seu maturis seu immaturis, parvulis & adultis, probè speculandum præsento, affigo unà huic speculo lemma, quod præsens Evangelion communicat: *diliges proximum tuum sicut teipsum*; cùm autem proximus nobis proximior non sit quàm parentes nostri, diliges eos sicut teipsum, primos post Deum, ac Divos Cœlites amores & cultus ad parentes transferendo, quicunque fuerint parentes tui. Id nisi fiat, Deum time,

G. Nobile speculum pro discola juventute.

qui despectum parentibus illatum pœnâ punit inauditâ. Filius iste post exhaustum hoc supplicium biennio tantùm supervixit. Nempe? *qui honorat patrem suum, vitâ vivet longiore*, ut Sirach (11) memorat. Vis esse longævus super terram, dilige *proximum tuum sicut teipsum*, cole parentes tuos seu vivos seu mortuos, illos ope ac reverentia, hos precibus. Ita non tantùm vitâ à Deo donaberis prolixa, sed pluribus gratiis è cœlo defluis coronaberis, quarum novem speciales ex Siracide producit (12) Pererius, singulos ociùs hic loci proponendas.

(11) Eccli. 3.

(12) Pererius in Eccli.

H. Novem gratiæ probis & morigeris filiis à Deo decretæ.

Primò spondet Pererius omnibus probis ac morigeris liberis, parentum suorum eximiis cultoribus opes ac thesauros. Scriptum est enim: l.c. *sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam.* 2dò liberos spondet pariter obsequiosos: *qui honorat patrem, jucundabitur in filiis suis.* 3tiò orationem virtuosam: *in die orationis suæ exaudietur.* 4tò vitam longævam: *qui honorat patrem suum, vita vivet longiore*, ut jam superius dictum est. 5tò familiæ propagationem: *benedictio patris firmat domos filiorum.* 6tò gloriam & honorem: *ex honore patris gloria filii.* 7mò in speciali tribulatione speciale solatium è cœlo: *in die tribulationis memor erit tui.* 8vò scelerum veniam: *sicut in inferno glacies, ita solventur peccata tua.* 9nò omnium gratiarum affluxum & vel maximè ultimi agonis beneficium: *honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in novissimo maneat*, seu, ut Pererius inquit, ut benedictio Dei etiam supra ultimum mortis nostræ articulum cadat. Quid melius, quid consolabilius probis liberis promitti possit non video; si enim ultimus articulus à Deo benedicatur, certi pariter erunt de gloria æterna, accidat verò contrarium? amor in odium, respectus in despectum, reverentia in proterviam, obedientia in contumaciam degeneret: iterum intonabit Sirach: *maledictus à Deo, qui matrem exasperat*, seu quod idem, omnibus diris oppleatur, qui parentes abnegat, contemnit, destituit, dehonorat, & necessario subsidio privat. pœnis omnibus castigetur, qui non diligit parentes suos sicut seipsum &c. quas omnes pœnas nostris à capitibus clemens Deus avertat.

I. Maledictio reprobis.

Amen.

Concio

# CONCIO XLIII.

# DOMINICA XVIII. POST PENTEC.

*Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Matth. 9.*

## Stygia Cogitatio.

QUæ sit propriè officina illa, in qua tam varii cogitatus excoquuntur, non liquet AA. De loco ac nomine Officinæ hujus graviter scholæ digladiantur. Medici Caput vocant officinam, quod etiam digitô signatur, quoties seriis cogitatibus diem dicimus; hic inquiunt omnia cogitata sicut pulli in Ægyptiaca fornace excluduntur; hic in capite tanquam in nativa sede omnes cogitationes juxta medicos coacervantur; hic una super alteram emergit, donec quà data porta, in opus erumpat. Aristoteles contrà suis cum Sophistis rejecto capite, omnes cogitatus in pectore fundat, ubi omnes abundè possunt consistere quia Spiritus sunt. Cum his sentit Hier. & alii passim Doctores ac bibliographi, imò ipsa etiam Script. ac præsens Evangelium, in quo signatè Christus his verbis pravos cogitatus exprobrat Pharisæis: *quid cogitatis mala in cordibus vestris?* non dixit hic loci Christus: quid cogitatis mala in capite vestro, *sed in cordibus vestris;* ergò corda sunt cogitationum nostrarum officinæ, non capita nostra, plus fidei utique merebitur Spiritus Sanctus, qui nec falli nec fallere potest, quàm simplex *Medicus*, ubi verius per Anagramma dixeris *Decimus*, prout hæc fusiùs explico Dom. 10. post pent. Tub. Anagram. quasi vox ipsa *Medicus Decimus* fateatur, decem stare capitibus, ut undecimus salvetur aut servetur. Tueantur adeò Medici caput suum ut volunt, ego relictis Medicis, eam sectar sententiam, quam

A. Cogitatum nostrorum officina Cor est non Caput.

quam dictat Spiritus Sanctus, S. P. Hieronymus, & passim Theologi omnes, dicoque iterum, cor nostrum veram esse officinam, ubi omnes nostræ cogitationes concipiantur & excoquantur. Surgunt quidem ex corde in Caput tanquam fumus è terris in altum, neque tamen in capite progenerantur. Lustretur Script. non reperietur Caput pro cogitationibus nostris allegari. Nunquid apertè Jobus (1) meminit: *cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.* Nunquid adhuc clariùs Siracides (2) perorat: *cor tuum quasi parturiens phantasias patitur.* Quasi diceret Ecclesiasticus: vera & nativa domus, in qua cogitationes nostræ concipiuntur, & progignuntur, Cor est. Nunquid idem palàm tuetur (3) Zacharias: *malum vir fratri suo non cogitet in corde suo.* Idem candidè in faciem evolvit Christus (4) *de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ &c. hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* Ita quidem, ut Deus talem hominem verè fastidiat & abominetur, si præcisè hæc cogitata cum libero assensu ipsius humanæ voluntatis concipiantur, licet ipsum in opus non prodeant. Novit hoc apprimè publicanus ille, (5) qui hac una de causa pectus suum tundebat, ut palàm fateretur, hic anguem in herba latitare, *propitius esto mihi peccatori*, tu verò ô clemens DEUS hæc peccata solis cogitatibus concluſa benignus ignosce! curabo posthac, ut nulla unquam prava cogitatio meum in pectus irrepat, *tundebat pectus*, inquit (6) S. Cæsarius, *& peccata intus recondita quasi severissimus judex verberabat*, timebat enim, ne Deus scelerum vindex præcordia pravorum cogitatuum receptacula feriret, nisi luis tunsionibus Justitiam Divinam præoccuparet.

(1) Job. 17

(2) Eccli. 34.

(3) Zach. 7.

(4) Matth. 15.

(5) Luc. 18.

(6) S. Cæsar. in Luc.

An ergò Deus simplices etiam cogitatus ad pœnam trahit, licet nunquam opere consummentur? ergò liberi non sunt cogitatus nostri, nec exemti? sic arguebant pessimi Pharisæi, ideò à Christo correcti & probè castigati. Apud illos sola prava opera erant peccata, omnes autem cogitatus exleges erant: hæc fortè impia judicia de pravis cogitatibus judicant Chri-

stiani

ſtiani. Apud illos actuale homicidium, actuale adulterium, actuale furtum, actualis fornicatio erat peccatum, non item nuda & libera voluntas occidendi, adulterandi, furandi, fornicandi, aut beneplacitum de actibus illis conceptum. Nulla inter illos noxia erat cogitatio, modò non fuerit ipſomet actu & opere obſignata; At hæc ſententia grandem errorem involvit; quô pænè innumeri in æternitatis abyſſum præcipitantur, perſuaſi, pravos cogitatus nullis pœnis ſubjacere, qui vel ideò vilipenduntur & exploduntur.

B. Pravi cogitatus noſtri nec exemti ſunt nec privilegiati puniuntur æternùm.

Nunquid autem Deus etiam in Vet. Lege (7) æquè prohibuit impias cogitationes, quàm prava opera? nunquid poſt expreſſum hoc præceptum, *non furaberis, non occides, non mœchaberis;* quibus pravum opus comprehenditur, per aliud ſpeciale præceptum etiam reprobas cogitationes interdixit. Pari pœna cum operibus mulctanda, ſi noſtris in præcordiis ſedem figant? *non concupiſces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa, quæ illius ſunt;* ergo etiam prava cogitationum cupido culpabilis eſt, quæ opera impia nudè afficit, ea licet non efficiat. Talis cogitatus præmeditatè toleratus apud DEUM ipſo pro opere reputatur (8) *qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*: moriatur hac in concupiſcentia ſine pœnitentia, jam à DEO tanquam adulter aut virginum defloretor caſtigabitur, pœnâ utique non purgatoriâ, ſed æterna. Sic vult voces iſtas accipi Auguſt. (9) *etſi non impleatur foris negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus hoſtis eſt.* Sapiens hoc ipſum pridem ſua in lege promulgavit; audiatur quid proverbia (10) loquantur & Sapientiæ (11) libellus, ibi hæc Salomon enuntiat: *abominatio Domini cogitationes malæ*, ideò ſc. indignæ, quæ oculos ſubeant Divinos in gloria. Hic omnem prorſus ſalutem Sapiens derogat cogitatibus illis: *ſeparantur à Deo perverſæ cogitationes*, non tantùm ad tempus aliquod, ſed *in æternum & ultra*, ut loqui ſolet (12) Script.

C. Probatur ex Script.

(7) Deut. 5.

(8) Matth.

(9) S. Aug. ep. 144.

(10) Prov. 15.

(11) Sap. 1.

(12) Mich. 4.

Qui hactenus dicta necdum ritè apprehendit, is omnes averni diabolos interroget, quorum multa millia. Quid mali patrârunt orcini lemures iſti? quid illos ex Angelis fecit diabolos?

bolos? quibus modis Deum Creatorem suum violârunt? in illa generali Confessione vulgò *Confiteor* dicta, etiam miracul-
(13) S. Cæsar. l. 8. mir. c. 23. comprobata; cum enim ut (13) Cæsar. scribit, Villariensis Abbas Sacrum auspicaturus dictam Ecclesiæ Confessionem pro more recitaret, vox cœlô lapsa est dicens: *dimittuntur tibi peccata tua &c.* in hac inquam generali Confessione ter pectus contundimus, & coram Deo fatemur, per nos Divinam Majestatem graviter læsam esse *cogitatione, verbo, & opere*; ergò vi hujus Confessionis Deus tripliciter læditur, per impios cogitatus, per verba & voces scandalosas, & per opera scelesta. Quæratur ergò ex diabolis, quô modô meriti sint averni pœnas? cur à Deo æternùm cœlô sint proscripti & abyssô mersi? Id pridem damnatos spiritus interrogavit Isaias (14) *quomodo cecidisti de cœlo lucifer?* Cùm verò nullum ex orco responsum acciperet, ipse respondit Propheta his verbis, *dicebas in corde tuo, in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Hem *dicebas in corde &c.* in opere ipso contra Deum nihil proprie tentatum est. Hanc in corde superbissimam cogitationem fovit cum suis lucifer, hanc aluit & enutrivit, cogitans, meditans, quibus modis posset solium super astra Dei altari; & verò quâ Angeli, & puri spiritus non poterant alias peccare nisi pravis cogitationibus suis; cùm enim incorporei essent, nec verba formare poterant defectu sensuum, nec opus aliquod expedire, nisi corpus ex nubibus assumerent, quanquam hoc tantùm accidentarium fuisset & casuale, in substantia nihil. At quid Deus ad hos superbiæ cogitatus reposuit? *verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Hem sententiam quâ ipso à Deo fulminata est Angelica cogitatio. Quotquot ergò in inferno diaboli numerantur, tot testes habemus, pravos cogitatus apud Deum cordium inspectorem ex lege non dimitti, sed æternis ignibus castigari, cujus evidens specimen lucifer exhibet & assecla illius.
(14) Isa. 14.

Si neque his plena fides adstruatur, ad abundantiam ipse
(15) Jo. 10. co, quod Christus ipse (15) dixisse perhibetur: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Si credere renuitis, quæ Sacris è literis produxi, quæ ex Sanctis Patribus probavi, impios in cogi-

cogitatus etiam orci pœnis mulctari, operibus saltem credite, unde vocum veritas utraque manu palpetur. Credite historiis undique authenticis, non fictis, sed factis; exemplis credite undique tragicis, quibus hoc ipso prosequi voluit impios cogitatus Deus, ut vel sic malò alienò saperent reliqui, & sanctiùs sua præcordia custodirent, ne unquam prava cogitatio irrepat, in perniciem nostram nullò ævò reparandam. Factum hoc refert Phil. Dultrem. (16) Nobilis Hispanus è Soc. JESU in suo pædag. Christ. Quam pretiosus sit liber iste, inde ad oculum clarescit, quia jam quadraginta vicibus (17) Sotvello teste varisin locis prælò eductus est in publicam lucem, eo semper cum fructu, & publico legentium bono, ut hanc in horam ægerrimè possint plura illius exemplaria obtineri.

D. Et Exemplò Tragicò.

Hist. (16) Dultr. in pæd. Christ. p. 1. c. 4. n. 3. (17) Sotvel. in Bibl. lit. P.

Erat Comis in Italia prædives Civis, cui morte immatura uxorem rapuit Libitina. Inde pravis amoribus irretitus, cum focaria sua ceu turpi concubina, rem domesticam multo tempore curavit; eam rectè *focariam* dixeris, quia rogum ei ad orcum instruxit nequam femina. Hoc procax & efræni libidine infame commercium ultrà triennium extraxit, plus ultrà extracturus, si numerosum scelus ulterius justum Numen dissimulâsset. Lapso triennio, acriore febri tentari cepit, ita quidem, ut actum de vita Medici pronuntiarent, à quibus ex officio fidenter monitus est, ut rebus suis maturus prospiceret, & cùm vita temporalis esset undique conclamata, se cum Deo suo seria Confessione reconciliaret, & in id totis viribus incumberet, quibus modis Sacrorum usu vitam salvaret æternam. Probi nominis Medici fuerint, qui suæ obligationis memores ægro candidè ac sine omni fuco præsens periculum detegebant, eum insuper ad Sacrorum usum christianissimè hortati. Sic omnes Archiatri suis cum patientibus procedant. Norunt utique, quæ illis obligatio publicè sit imposita, cùm Doctorali pileo sua in Academia coronarentur. Nolunt illi suam conscientiam gravare? suæ obligationi exactè satisfacient, & tamdiu oportunè importunè instabunt, donec ultima Sacra ritè accipiat ægrotus; ita sanè vires suas totum in corpus Medicina difundet, si prius morbi primam radicem, intellige peccatum,

E. Crisis justissima in Medicos ultimum articulum celantes aut palliantes,

& medio sui proscripserit æger, juxta tritum illud Augustini & totius Ecclesiæ publicum effatum: *nulla nobis nocebit adversitas, si nulla nobis dominetur iniquitas.* Hæc autem obligatio à nonnullis modicè observatur; quid, inquiet nonnemo, ægro dicam veritatem? mihi ocius dies diceretur; actum iret de lucro; fata nuntient Confessarii, ego Hippocratem agam & Harpocratem silentiosum. At verò tibi ô Hippocras hoc in articulo tacendum non est. Adest periculum ultimum ut sit. Salus animæ percilitatur, periculum letale centies occinant Religiosi, ex musca facient elephantum. Non credetur assertum, nisi tua quoque authoritas accedat; lucrum tuum esto maximum, si animam serves ab interitu. *Omnia si perdas, animam servare memento.* Quamdiu non ex ore tuo idem prodiit oraculum, mortem magnis passibus approperare, tamdiu ægrotem seriò agi non credit, donec animam agat à morte præventus; moriatur ergò impœnitens? tu certè Hippocras, tu inquam Doctor Hippocras causa es mortis sine pœnitentia obtæ, tu tu animæ simul & corporis duplex latro es, ac de manibus tuis perdita salus requiretur. Adhuc crudiùs cum ægris illi medicastri procedunt, qui periculosè decumbentem aureis semper promissis lactant, eis certam & indubiam salutem, montes undique aureos adpromittunt, sola spe morbidum patientem lucri gratiâ in tumulum usque refocillantes, licet videant animam extimis jam labiis hærere proximè ad manes avolaturam. Guicciardinus (18) ait, hunc pessimum morem passim hodie sine ullo scrupulo Medicis receptum esse & chirurgis. Verba illius hæc sunt: *nunc proprium illis est, ægros consolari, ipsisq; revalescentiam, sive id verum sit, sive falsum, ad extremum usque spiritum promittere.* Si ægrô penitus extincto, larga promissa huic hominum generi objiciantur, jactant humeros, & suo se solenni diverbio contra quoscunque Momos tuentur: *Contra vim mortis non est medicamen in hortu.* Sic fata quæcunque palliantur, quocunque tandem animæ avolarint. At veniant illi ad Urnam Divinam, audient præ religiosis & conscientiarum Rectoribus Confessariis: *redderat rationem Hippocras!* feciſti officium hominis Christiani, aut neglexisti? monuisti de periculo ægros tuos? curâsti sacris antè animos expiari,

(18) Guicciard. in horis recr.

expiari, quàm corpus Medicinis purgaretur ? si partes omnes etiam monitoris medici explevit, salva res. Sin minus ? væ latroni medico ? In curando cive Comensi nullus talis defectus argui poterat, ut vidimus. Inculcatum fuit ægro multoties (19) illud Script. etiam per Medicos: *dispone domui tuæ*, (19) Isa. 38.
*morieris, & non vives ;* ultimam expedi voluntatem, ante omnia vero rationes ac debita cum DEO compone, moriendum est. Locum dedit monitis tam seriò iteratis ægrotus, iis maximè, quæ vidit etiam à Medicis proficisci, & ad se properè accersiit passim notum Patrem Societatis Operarium. Aderat è vestigio accitus, atque ægro peramicè salutato, sua largè obsequia obtulit; cùm autem apprimè sciret, quam vitam scandalis plenam multis jam annis cum laris alieni lupa vixisset, validis precibus instabat, ut seriam pœnitentiam apprehenderet, sed multò antè suis ex ædibus hanc lupam profligaret, teneri eum ad hoc lupæ hujus exterminium sub æternæ salutis jactura. Renuit æger nuntium scorto remittere, caussatus hâc femellâ hoc temporis in morbo sibi maximè opus esse, quæ hactenus totius domûs munia perquàm industriè semper expediisset. Primis hisce precibus constanter rejectis, etiam Pater re infecta, domum revertit, unà cum suis DEO supplex factus, pias fudit preces, ut obstinatæ mentis hominem ad frugem DEUS reduceret; inde ad ægrum regressus, flexis genibus miserum civem orare institit & obsecrare, hanc ut Penelopen ædibus suis proscribat, & ante ultimum è vivis abitum in tuto collocet salutem suam. His precibus id tandem felicissimè obtinuit Pater, quod votis adeò ardentibus jam toties efflagitavit; domo sua exesse jussit infame prostibulum, inde animâ Confessionis Sacramentô â pueris perpurgatâ, iratum sibi Numen sacro piamine seriò placare contendit, fusis uberrimis lacrimarum fluentis testatus, se anteactæ vitæ scelera funditus detestari, se unam tot flagitiis veniam inclamare, & tota mente ad Deum ac Superos converti. Lætus tam felici successu Pater, suos ad labores domi expediendos, domum revertit, atque ægrum solamine plenum circumstantibus vicinis commisit; postridie rediturus, cùm jejunus

nus primo manè Sacro esset Epulo refocillandus. At Deus multò antè concubia nocte vitam ægro truncare constituit,

*Quam Sol phœbeâ lustraret lampade terras,*
*Lurida, tetrica, pallida, squallida, terribilis nox,*

funus fecit Civem expiatum & postridie Sacro etiam Feretro & Ecclesiæ Oleo contra mortem & orcum ritè communiendum. Dolebant quidem tam citò è vivis abiisse, Sacris pluribus repentino à fato fraudatum, unà tamen gaudebant, saltem per S. Exhomologesin probè à peccatis expiatum, tam uberibus lacrimis perfusum, Deo meritum hinc migrâsse, nunc utique salutis portum aspirante Dei gratiâ attigisse. Erat hoc ipsum Patri quoque grandi solatio, tot inter pœnitentiæ signa & undantium lacrimarum fluenta purgata mente satis concessisse; si quid tamen purgantibus adhuc focis esset post fata piè obita diluendum, statuit ocius audita morte suppetias ferre & pro extincto Sacris operari; eum in finem jam petiit Sacristiam, hem occultâ quâdam remorâ pedem ultrà exporrigere, se sensit prohiberi, auditâ insuper tristi & tremula voce: filio, quo te pedes? abiit nihilominus & jam Sacrario propinquus, se denuò vi quadam occulta retrorsum agi advertit, neque tamen se prohiberi passus, sacra induit paramenta, & ad Aram usque progressus, jam publica Confessione animos eluit, ecce tibi, horrida se umbra ad Epistolæ cornu visendam obtulit Sacerdoti, quæ truci vultu Sacrificantem intuita, tandem etiam affari cepit Sacerdotem his verbis: desine sacris operari! frustra pro me Deo supplicas. Horruit pater ad monstrosam umbræ formam & terrificam vocem, & verò nunquid tu idem es, inquit, qui heri tantis cum lacrimis, tantis cum singultibus & animi verè contriti evidentibus signis tua mihi scelera detexisti? sum eheu, ait infelix spiritus, sum idem ipse; fuitque Deus ita mihi propitius, ut pœnitentiâ ritè factâ, mihi etiam omnis culpæ veniam largiretur, modò ille mansissem, qui fui te præsente; at te domum regressò, dæmonis ex instinctu procax femina iterum in ædes irrepsit; quam cùm oculis meis identidem diabolus obiecisset, subiit animum cypria cogitatio de

de præteritis lapsibus, ex cogitatione iterata de antiqua venere nata est delectatio, quam fovi, quam in tumulum retinui; sic benè præsens animo, amasiæ tamen illecebris de novo reaspxus, repentè animam egi & mortem obii cypria cogitatione & morosa delectatione contaminatam. Hinc justâ sententiâ à Deo fulminatus rectà in avernum defluxi. His dictis relicto ad Aras Sacerdote, umbra vanuit, eò abitura, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Quibus ergò Scripturæ exempla Patrumque oracula nimis esse antiqua creduntur, hic recens capiant & probè meditentur. Civis iste actu scelerum suorum plenariam veniam Virtute Confessionis exactè obitæ à Deo obtinuit; rectà ergò è tertis in cœlos avolare poterat. Una carnalis cogitatio ex aspectu lupæ suscitata, cui mixta fuit delectatio, sacrum iter turbavit & evertit, imò ex amico Dei hostem fecit acerrimum Dei, quem Deus æternis orci tenebris mulctaret. Ah nemo pravas cogitationes dicat privilegiô gaudere, & culpâ coram Deo vacare. De cogitatibus quidem non curat prætor aut judex terreus, nisi opus ipsum in judicio probetur; sed alia hominum, alia Dei sunt judicia. Deus cor nostrum intuetur, & æquè in numerato habet pravos cogitatus opera nefasta. Scirent hos cogitatus homines in terris, eos pariter pœnis subjicerent; at cùm nostra præcordia soli Deo patescant, soli Deo jus competit in cogitatus, non item homini. Accidat, ut DEUS etiam homini hominis alterius pravos referet cogitatus, hos etiam homo corripit; sic legitur eos palàm in altero castigâsse S. Cath. Senensis. S. Philippus Nereus. S. Franciscus Seraphicus. S. Xaverius & alii passim, divinitus edocti. Equitabat fortè Seraphicus Franciscus asinô sublimis, socio pedibus subsequente, qui olim in seculo nobilis erat. Medio in itinere hos secum cogitatus volvit frater: quàm paradoxa est hæc itineratio! ego tot ceris conspicuus vernæ instar pedi sequi pedibus binis viam emetior; nunquid plùs mihi equitatio competeret? quid respectu mei Franciscus vidit S.P. Deo animum referante, quid mente coqueret frater, mox itaq; asinô delapsus & ad fratrem conversus inquit, en frater tu jumentum conscende; tu enim antiquus Nobilis es, ergò me multò melior es. Tibi proin

F.
Sancti pravos aliorum cogitatus castigârunt, ipsis à Deo detectos.

proin equitatio competit, quia equestri ordine prognatus es, meum est post asinum currere vernam. Sic superbas cogitationes vir Sanctus vix in pectore vidit, mox eas contrivit. At dicet nonnemo, cur pravas cogitationes Deus punit averno? an hoc Bonitati congruum sit Divinæ? Ohe! AA. nemo tam periculosè de Deo loquatur; si etiam unum simplicem sed impium cogitatum Deus focis exurat sempiternis, locum semper habeat illud (19) Script. *justus es Domine & rectum judicium tuum.* Uni probo cogitatui & contritioni ultimo in articulo elicitis DEUS omnem gratiam largitur, peccatis & peccatorum pœnis omnibus remissis, cur non & omnibus pœnis iisq; sempiternis pravum excipiat cogitatum? Hoc vel maximè Justitiæ Dei competit, bonam cogitationem vitâ æternâ præmiari, pravam cogitationem focis multare nullo ævo sopiendis. Deus si unquam justus prædicatur, hîc sanè illius Justitia maximis laudibus extollatur, cum timore tamen & tremore, ut nempe nostra præcordia ritè semper obfirmemus, ut ne ultima nostra cogitatio ita enormiter a Deo deficiat, sicut scimus huic Comensi civi defeciſſe, unde à facie Dei æternum proscripti, in ardentes orci fæces detrudi cum omnibus diabolis nostras iracundiæ aut rancoris plenas, nostras livore ac invidiâ hirsutas, nostras lascivâ putidas cogitationes luere cogamur æternùm, quòd à nobis clemens Numen averruncet!

(19) Psal. 118.

Amen.

CON-

# CONCIO XLIV.

# DOMINICA XIX. POST PENTEC.

*Misit servos suos. Matth. 22.*

## Contemptibilis Legatus.

S. Nilus Abbas morti mirabilem titulum largitur Opt. AA. *verè terribile mysterium* (1) *mors est.* Quod & quale mysteriũ sub morte deliteſcit? si primam mortis originem juæras, eundum est in paradisum; hîc hominum Caput Adam mordet pomum, & simul mortem inobedientiæ pœnam deglutit; ita non tantùm se perdidit, sed unà omnes posteros destruxit, quibus mortis larvam appendit. Indè quisquis hominum fuerit, communi decreto fulminatur (2) quod Paulus intonat: *statutum est omnibus hominibus semel mori.* Lex verè horrida & tremenda, de qua jure (3) dixeris: *patres comederunt Uvam* (rectiùs pomum) *& filiorum dentes obstupescunt.* Si mortis prodromos accuratius explores, morbos millenos & propè innumeros, quorum arctè vestigia premit mors, fatendum est, verè Nilum exclamâsse: *verè verè terribile mysterium mors est.* Videat quis, quod olim uno in globo vidisse legitur S. Benedictus, ut se totum per orbem præ dolorum acrimonia suis in grabatis ægri volvant & revolvant? audiat insuper omnes illorum gemitus, ejulatus, singultus & suspiria, quæ jam per calculum & tormina, per podagram & pleuritidem, per dentium aut capitum dolores accumulantur? sursùm certè omnium capilli præ horrore arrigerentur. *Verè verè terribile mysterium mors est*, sub tot & tantis morborum cruciatibus reconditum. Cadant porrò unum sub aspectum tot fata, & miserabiles hominum obitus, tot lethiferi casus per gladios & arma, per fistulas æneas & tormenta, per cicútas & aconita, per stygiô spumantia pocula tabô, per latrocinantem violen-

(1) S. Nilus ep. ad Achat.

(2) Heb. 9. A.

(3) Terribile mysterium mors est. Quô sensu?

tiam, per funem & furcam, per belluas & quatuor elementa hominum vitæ infesta, imò etiam per grassabundam & funestam ebrietatem, (ut enim tritum volat proverbium, nos inter germanos plures in vitris pereunt, quàm in vastissimo mari) per bella & repentinam luem &c. in homines ubivis locorum devoluti? iterum exclamare cogimur: *verè terribile mysterium mors est.* Lustrentur unà omnes circumstantiæ hujus variegatæ mortis? fletus & lamenta, luctus & lacrimæ mulierum pro viris, filiorum pro parentibus, amicorum pro amicis largæ copiæ cornu profusæ? videatur eminus, ut viri toto corpore atrati & cucullati, fœminæ totaliter candidæ velut nocturni lemures, tardè ac pedetentim sua in tumulum funera deducant, tragicè vociferantibus campanis, *mors* iterum *terribile mysterium* dicetur. Uno possit obtutu spectari, ut per totum terrarum orbem etiam capita coronata, & Urbium Summates, Christi Vicarios & Pontifices, Cæsares, Imperatores, Reges, Principes & magnanimos heroës, bellorum fulmina &c. æquè ac lacteos infantes aut exiles lumbricos mors corripiat, eósque sine ullo mortalium respectu perdat, perimat, jure iterum *mors* tanquam *terribile mysterium* proclametur, quod nec ipsi Magnates per omnes casus ritè sciant declinare. Placeat nonnullis tempus, horam, locum rimari, ubi nos ictu fatali mors excipiat? ocilis audient, quod Jethro (4) dixit Moysi: *stulto labore consumeris.* Cur? quia *terribile*, imò etiam inscrutabile *mysterium mors* est. Tempus, hora, dies, locus & conditio soli Deo comperta sunt. (5) *De die illa aut hora nemo scit, neque Angeli cœlorum* (5) multò minùs ea nôrunt tartarei nebulones. Ideò sapientia intonat (6) Divina: *vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Manet proin *terribile mysterium mors*, quod hoc ipso se nec erui patitur nec explanari, ut interim omnis dies, omnis hora reddatur suspecta. Id certè ex dictis concludit (7) August. *latet ultimus dies, ut observentur omnes dies*; in quo quidem Deus nobis palmarem gratiam exhibuit, quòd ex ipsa mortis certitudine grande ac *terribile mysterium* educeret, nullis artibus, nullis unquam ingeniis sine revelatione Divina ad certam diem vel horam explicabile. Possit hoc *mysterium* ad certam diem vel horam divinari? numerus certè damnatorum lemurum nubes

(4) Exod. 18.

(5) Matth. 24.

(6) Matth. 25.

(7) S. Aug. de Discipl. Christ.

multis capitibus augeretur &c. Mittat nobis Deus etiam nuntios suos & internuntios, prout hodie legimus factitatum, *misit servos suos &c.* qui ad æternitatem obvios invitent? timendum sanè fuerit, ne fustibus & gladiis proscindantur, prout hodie factum legimus. Placeat ulteriùs mortem retrorsum arbitrari? ut nempe omnes hinc abeant, & nullus inde ad suos revertat; ut omnes etiam amici in longinquas demigrent regiones, interim à nullo mortalium resciatur, quorsum illi gressus suos & prolixam itinerationem direxerint? sursum? an deorsum? versus beatam an damnatam æternitatem? in cœlum? an in avernum? aut in mediatoriam ignis purgatorii sphæram? iterum cum Nilo exclametur: *verè mysterium terribile mors est*, quia ex ea nil certi potest deprehendi, quid ibi animæ agatur, suô corpusculô solutæ. Ah! quot diem obeunt supremum, hostibus suis ex integro reconciliati, Sacris omnibus ritu christiano muniti, cum suavi morum fragrantia, cum ambrosio virtutum odore, cum celebri fama probitatis, cum spe minimè dubia obtentæ Beatitudinis, ibi tamen suis cum operibus bilanci judiciariæ impositis pondus non habent ad perennem vitam omnis bôni feracem, omnibus gratiis affluentem, prout hactenus pluries audivimus. *Verè mysterium horribile mors est*, Nilo teste.

B. Id in morte maximum fuerit mysterium, tam multiplex mortis mysterium à tam paucis apprehendi.

At hæc omnia mysteria & mysteriorum prodigia multis gradibus transcendit ultimum illud mysterium, quod modò statui enucleare. Quod illud ordine maximum mortis mysterium? id grandibus viarum intervallis alia omnia post se relinquit, esse nempe hôc ævô homines ita cœcos, ita plumbeos; sciunt, sibi moriendum esse; sciunt, se singulis horis proximiùs æternitatem adire, his tamen insuper habitis, vivunt liberè, laxè, dissolutè, impiè, sceleratè, quasi nunquam morituri, quasi ab illa communi lege *statutum est omnibus hominibus semel mori*, penitus exemti, quasi omnis periculi de morte irruptura ubique securi, cùm tamen nec locus tam sanctus, nec Angulus ita obseptus, nec castellum tantoperè obvallatum sit, quò non momentaneo assultu mors irruat, si velit. Sciunt, nullum diem, nullam horam investigari posse, quâ dici certè valeat, jam seriò animam agi, jam hinc migrandum esse.

Sciunt, se nec unicô temporis momentô extra omnem tel jactum tutos consistere. Sciunt, ubique retia tendi, ubique laqueos & pedicas strui, quibus homo irretiatur & perimatur. *Senibus in januis, juvenibus in insidiis* prout loqui placet Guerrico (8) fata intentari millena. Vident, Viros etiam sanctissimos cum D. P. Hieronymo totis artubus contremiscere, si modò in memoriam revocent mortem aut judicium mortis pedisequum; verbô, sciunt, vidéntque homines ut brutum necari, lanionum officinæ illata; his tamen non obstantibus jubilant, saltitant, deliciantur instar luxuriantis juvenci macello proximæ. Hoc hoc est horribile mysterium, quod nullus capere vult, utut nostris quotidie oculis obversetur. Cœcis hisce ac plumbeis hominibus Deus identidem suos obsequiosi spiritus occlamant: (9) *stulte hac nocte repetent animam à te; hæc ergò, quæ paràsti, cujus erunt?* quorsum hæc vestium, servorum, vernarúmque pompa? cui bono tam enormis opum corrasarum copia? stulte, hæc nox ultima tibi nox erit, cras eris funus. Stulte, hac adhuc nocte, non primùm post mensem alterum, post duos, tres, quatuor, decem aut viginti annos, tua in phantasia decretos migrandum est. Fatô inopinatô ac repentino humi rues, & nunquam ultrà in vitam resurges; quæ per fas & nefas corrasisti, aliis relinques; tecumque nil auferes quàm opera tua seu bona seu mala; rebus tuis prospice; accinge te horrido & periculoso itineri in prolixam æternitatê adornando. Ne annis, ne viribus, ne firmæ valetudini fide! ne tibi annos promitte Nestoreos, Mathusalæos! *quanto minùs mors in prospectu est, tanto magis, si sapimus, suspecta est*, idem monet Guerricus (10) *stulte, hac nocte animam repetent à te*, hac, inquam, nocte, quâ totam rationem tuam amens ebrietas contumulat; quâ irâ & vindictâ tuum in vicinum exæstuas, quâ luxuriæ sordibus aurium tenus jaces immersus, & nullum uspiam periculum observas, anima tua jam fortè stygi transcripta, ad Summi Judicis infallibilem Ultionem deferetur &c. tu verò his omnibus in auram diflatis, græcari pergis & luxuriari, de vita ritu christiano ducenda nusquam solicitus, unde nec mori valeat ritu christiano. Nulla mortis cura pectus exstimulat, licet jam alteram manum extendat, & tua

8) Guerric. Abb. Serm. 1.

(9) Luc. 12.

(10) Guer. l. c.

& tuas tibi fauces constringat &c. hoc hoc ex omnibus mortis hujus mysteriis omnium maximum est & horridissimum, quòd nempe huic mysterio vita nostra tam modicè conformetur. Quæ per Deum immortalem, mali hujus & incuriæ causa est? quid hujus mysterii horrorem usque adeò extenuat, cùm tamen ex illius accurata meditatione tota pendeat æternitas? doctissimus Gretserus Marckdorfensis Aeronianus, cujus ultra centum libros luci datos Senatus ibidem bellè compactos tanquam nobilem thesaurum hanc in horam sua in Curia honorificè asservat, citat in tomo suo (11) de S. Cruce ignoti nominis Authorem græcum, qui rei hujus totam causam exponit his verbis è græco in latinum à Gretsero translatis: *dolosus inimicus noster diabolus continenter nos decipit voluptatibus vitæ, & tempus procrastinando suffuratur; mihi, inquit ille, diem da hodiernum, Deo crastinum; mihi tempus præsens, Deo futurum; quô consiliô hæc facit? ut ita tardantes ad pœnitentiam & emendationem superveniens abripiat mors, quando nemo est, qui redimat, neque qui salvum faciat.* Hæc græcus Author. Manet proin *horribile mysterium mors*, quia ex putida pomi origine prognata, per morbos hominem irruit innumeros, nullam hominum respicit personam, pariqúe protervia pauperum casas Regúmque quatit turres; quia certa simul & incerta est; quia unô momentô multa milliarium millia animas transportat in locum nulli compertum; tandem quia in his omnibus circumstantiis & casibus passim à nullo seria mente curatur aut observatur.

C. Causa incuriæ hujus quæ?

(11) Grets. tom. de S. Cruc. adorat.

Ah, dicet nonnemo utique mortem curo, timeo, horreo, & eminus nauseo, si vel obiter animo ac memoriæ meæ recurrat mors; non possum hoc ipso funus ullum ad tumulum suũ comitari, quia ex solo tumbæ aspectu horror immanis membra corripit, qui se multo tempore nec pelli patitur, nec sopiri; paro me etiam ad mortem piè obeundam, eúmque in finem singulis diebus lytanias recito Lauretanas, ut per intemeratæ Virginis opem ac patrocinium felicem articulum nanciscar; at si modò illam quoque gratiam participarem, cujus in Evangelio præsente fit mentio, & Deus ante obitum meum, ad me quoque servos suos mitteret, qui mihi mortis horam nuntiarent, sicut

hodie servos misit, ut ad nuptias agni obvios invitarent: tunc sanè diu noctúque precibus invigilarem; tunc has & has fundationes erigerem; tunc hæc & hæc pia legata expedirem; tunc ipse tot centurias pauperibus erogarem, cùm eleemosynas missellis decretas ab aliis toties videam enormiter decimari; cùm verò hoc horribile mortis mysterium exenterare non possim, nec quidquam de ultima hora mea valeam experiri, nesciam adeò, quantum mihi ad vitam in annos sequentes tuendam sit necesse, me sanè tam fervidè ad hanc mortem non possum præparare, sicut tamen me certò præpararem, si & me per servos suos de mortis approximatione modicùm erudiret.

Opt. AA. ita qui cogitant aut loquuntur, illam classem reddere videntur auctiorem, cui olim Christus primas sedes ambienti, criticum (12) dedit responsum: *nescitis, quid petatis.* Hæc petitio periculi plena est; hoc ipso enim fallacissima dæmon totis in id viribus incumberet, ut hos servos, hos internuncios aut legatos larvâ tegeret, ne pro legatis agnoscerentur. Id si obtineret, jam in lucrum talis anima orco cederet; sic enim semper antiqua crambe audiretur: mortis prodromi necdum videntur, ubi sæpè jam iterum ad propria remeârunt, perfecta legatione: opus adeò non esse tantâ sui castigatione, jejuniô, inediâ, victoriâ &c. necdum omnes horas diffluxisse. Verum si fuerit, quod præsens innuit Evangelium, *misit servos suos*, tunc totis viribus pœnitentia apprehendetur; tunc preces precibus accumulabuntur; interim cum mundo vivendum, neque tamen ideò toto pectore Deus excludetur. Hem! ita nos dolis & fraudibus suis centies cacodæmon deciperet, & in multiplex scelus præcipitaret, si etiam hi nuntii & mortis legati nobis promitterentur.

Hæc omnia ut fortiùs inculcem, nunc ea quoque tragicô quodam exemplô suffulciam; unde ad oculum patescat, nobis multò utilius esse, si hoc *horribile mortis mysterium* sic a Nilo nuncupatum, quoad horam aut ultimam diem nobis non detegatur. Quod suis Acroamatis inseruit Bidermannus (13) originaliter ex S. P. Antonino Archiep. Florentino (14) transumpsit, & sua nobili penna & vena insigniter collustravit.

(12) Matth. 20.

D. Prodest, passim ignorari mortis nostræ horam.

(13) Biderm l. 3. acroam 2.

(14) S. Antonin. 2. p. Sum. tit. 9.

Era

Erat nobilis adolescens, qui perenni parentum cura & industria in omnem pietatem adolevit. De illo rectè dixeris, quod Spiritus Sanctus Salomoni (15) aptavit: *sortitus est animam bonam*, docilem, flectiúque ceream & timoratam. Quid verò maximè timuit? ipsâm mortem; vidit nempe fatô extingui numerosos homines, prædominante ad tempus contagiosa lue. Tot inter funera jure horrorem aliquem adolescens iste concepit; variis inde phantasmatis distentus, varia secum animô coquebat; maximè tamen hic cogitatus animum pressit & occupavit: O utinam morti meæ ritè possem præparari! ne ita improvisò me hinc raperet libitina, sicut video hunc & illum miserè abreptum esse. O utinam hanc unam gratiam è cœlo captarem, ut monitus antè, insidiantem à tergô mortem, non quidem cavere aut subterfugere, sed paratus exspectare, ac promptus excipere possem! ita sanè non foret, cur mortem tantoperè timerem. Eam ob rem assiduas preces, & crebra fudit suspiria, quibus unum hunc favorem à Superis eblandiretur, ut de imminente fato paulò antè admonitus, se ritè posset ad piam mortem componere. Pro hac gratia periculi plena, tam ardentibus votis Deo supplicabat, ut eam tandem superis annuentibus impetraret. Dabat se ipsi spectandum Custos Angelus, qui ei fidenter asseruit & asseveravit, eum è vivis haud migraturum, quàm nuntiis à se præmissis monitus, supremo itineri plùs triduô posset accingi: videret solùm, ne commeatu tunc necessario per socordiam destituatur. Credi vix potest, quid adolescens nuntiô tam exoptato recreatus senserit, egeritque; qui enim nuper unius periculi metu acerrimè discruciabatur, hoc metu jam proscripto, quid nisi vitam beatam agitare se crederet, & gaudii sui magnitudinem, nullô posse morbô turbari, certô sibi persuaderet; struat, ut placet, (sic ille secum clam & palam) insidias suas mors callida, præceps, & intempestiva, me certè incautum nec irretiet, nec opprimet infida mors; aderunt multò antè legati, qui dormitantem exstimulent, dicántque, magnis passibus mortem approperare: Alium domûs ruina sepeliat, quàm terreat: alium nec sentientem letalis obruat somnus: alium dapes venenô illitæ conficiant:

(15) Sap. 8. E.

Probatur exemplô, tertium de morte moniti & damnati.

alios

alios ipsa voluptas sic securos perimat: multos alios ferox ebrietas è scalis præcipitet, & umbris misceat gula &c. mihi certè contra hæc omnia evidens scutum præstò est, fata insidiis nunquam obrépent: præmonebor. Ita sui securus paulatim in alium à se libertatis aucupem mutari, pravis sodalibus misceri, ludis & ludicris operam dare, precibus & literis nuntium remittere, in quævis probra præceps ire tanto impetu occepit, ut qui paulò antè fuit integerrimus, jam repentè omnium deterrimus audiret, qui ruptis omnibus habenis, divinas humanásque leges protervis pedibus conculcaret. Ab hac vitæ licentia filium suum nec pii parentes abducere poterant, nec propinqui; tentavit & aleam suam Magistratus, sed parens cum parentibus repulsam tulit. Quidquid ei de Deo scelerũ ultore, de orco sceleratis accenso etiam à Sacris occinebant, id totum sua solenni formula rejecit, elusit, præmonebor priùs inde, quàm mors occupet, seriò resipiscam, & adhuc vivus ultimò triduò multiplex flagitium expiabo. At vero quid ages, si prior mors irruat? non irruet; mittet antè ad me nuntios suos, legatos suos Custos meus, qui mihi ambas aures vellicent, ac mortem prænuntient: datum acceptumque pignus est: interposita est fides: id manu sua boni Cedites stipulati sunt, Angelus meus: præmonebor.

Hem! ut diabolus sub larva præmonitionis pectus irrepserit, idque pulsò Deò, sibi uni vendicârit. Sic vel hodie incautos orcus supplantat. Certissimus de articulo nostro curabit ociùs, ut pœnitentia ad ultimum usque spiritum extrahatur; interim ad quævis flagitia parabit viam; si autem se tandem præsentes sistant legati, ita eos larvabit, ut nemo illos sit agniturus aut recepturus, dum anima impœnitens corpore solvatur. Tenuit sat diu vitam insolentem, & in omne scelus projectam, Deo ad flagitiorum farraginem connivente, ut tamen annosam pravitatem vel reprimeret vel proscinderet, stabat verbis suis exactè Deus & Tutor Angelus. *Misit servos suos* paulatim Deus, qui eminus & cominus ei mortem ostenderent, & de fato imminente luridum sodem seriò præmonerent. Accidit fortè, ut vicinum in vicum eques abiret; hoc in itinere transeunda erat silva, latronibus infesta, quæ tamen

colle

tamen nullatenus extimuit, quia eum Tutor Angelus necdum prænonuit. Vix ſilvam ingreſſum, latronum manipulus equitem excepit, ſtrictóque ab omni parte ferrò, cùm effugium non pateret, parùm abfuit, quin ſua de vita deſperaret; mox tamen ſeipſum mortis prænuntiò ſolatus, mori non poſſe, quem nullus adhuc Angelus, nullus è cœlo legatus monuiſſet; inde capto impetu per micantes gladios erupit, datisque equò calcaribus, in tutum æſtuans evaſit, mox ſeipsò deterior futurus, qui jam prima vice monitus, ſe potiùs ad piam mortem in terris obeundam accingere debuiſſet. O cœcum adoleſcentem! qui monitorem ſuum in tanta mortis vicinia ne quidem oculò reſpexit! vix ſalvus lares attigit, ſuis cum græcantibus ſociis ad tabulam & amphoram omnem metum per latrones incuſſum funditus abſterſit, narrata tota velitatione, quâ unus contra omnes victor evaſerit, nempe, nullus adhuc fati prodromus præſtò fuit, qui martem digitò ſignaret; hinc vitæ certus, ſaucius quidem, vivus tamen domum revertit; cum his ſociis de victoria lætus altero die navem conſcendit, & alto ſe commiſit ridente cœlo; at cùm luſibus & poculis ſtrenuè indulgerent, en ſubitò nubes coire, reboare venti, tonare, fulgurare, ſuſque deque miſceri omnia. Surgebant in altum præliantibus ventis irritatæ undæ, & creberrimis fluctibus navim oppugnabant. Stupebant horrore rigidi nautæ, comæ ſociis rigebant: alii ſurſum manus attollere, alii vota votis accumulare, ſi portum ſalvi attingerent, vitæ ſuæ alii ſeriam ſpondere mutationem; hoc in articulo ſolus juvenis noſter, quem tanquam peſſimum procraſtinatorem cum græcis *Anabolium* nuncupamus, quia nullum ei proprium nomen aſſignatur; ſolus, inquam, Anabolius noſter licet vultu palleret, animò tamen obſtinatò nec ſalutis anxius, nec de venia cœlitùs obtinenda ſolicitus curas omnes proſcripſit, certus, ſe necdum ritè prænonitum, undis hiſce neutiquam hauriendum; Deſæviit interim tempeſtas, & hominem impium adhuc ſalvum in portum ejecit. Sic etiam alter iſte nuntius maris truculenti rabies in monendo ac movendo Anabolio actum egit. His monitis penitus eluſis, cepit tandem inexſpectato capitis dolore, unà viſcerum tormentis graviter vexari; ſinde acuta

febris juvenem adorta, paucis diebus ita confecit, ut pro depositò conclamaretur. Aderant maturè Medici, qui tum seriò monebant, ut de anima procuranda ritè cogitaret, artem corpori servando nihil promittere. Risit ad parentum monita, amicorum & medicorum hortamina etiam explosit. Fecit quoque loci Curio suum strenuè officium, mortem in limine grassari, palàm nuntians, & ad scelerum expiationem amicissimo ægrum invitans; sed & hic cum reliquis omnibus acrem tulit repulsam. Interim dum nuntios exspectat, nec ob oculos stare videt præsentes, artus extremos calor destituit, & a imos pectoris sinus se totum recepit; jam vigor membr cesserat, jam oculi vitrescebant, adhuc stolidus nuntium vit est opperiri, qui mortem jamjam in viscera grassantem nunti ret. Venit tandem ipse etiam cœlestis Tutor, ut seu viven seu morienti gravissimos errores exprobraret, eique in facie dixit, jam viventi tempus propè propiùs effluxisse, fini clepsydram exhibuit, in qua modicum restabat arenæ; pe turbatus hôc nuntiô juvenis, acriter cepit suo cum Angelo expostulare: hæccine fides, quam dedisti? hoccine triduum illud, quod condixisti? siccine Angeli quoque datam fallax fidem, & suos clientes perfidè decipiunt? audiit querelas ices impias animô tranquillô Tutor, & ductô ex imo pectore suspiri hunc in sensum blandè respondit: falleris Anaboli; pactis me steti abundè; monui te satis tempestivè, solicitè, sæpè, assidu legatorum fuit abundè; misi servos tibi & internuntios iterat vicibus; at tu eos nec agnoscere nec audire voluisti. Monui te meo ex instinctu latronum accursus, monuit te à me miss tempestas; monuit te ipse morbus, mortis ubique prænuntii vates; monuêre amici, parentes, medici: hortatus est t iteratò Venerabilis Curio, à me pariter subornatus, ut dice diceret morituro; tu verò hos omnes nuntios meos contempsisti; & adhuc fidem, quam fregerim, incusas, cui tota culpa tua unius culpa sit, qui omnes hos nuntios meos despexisti. His dictis, ex oculis vanuit Tutor Angelus, in felix verò Anabolius sine expiatis scelerum delictis animum exhalavit.

Hem juvenes! hem adolescentes! hem omnes ac singul

mortales! quò ſua hunc ſocordia & impia vitæ ſecuritas præcipitârit. Nemo dicat, quàm proficuum foret, ſi eſſent, qui nobis fata ultima nuntiarent. Hîc patet, quibus oculis hos nuntios exciperemus. Multi noſtrûm cum hoc Anabolio in utramque aurem dormirent, ad ravim uſque mortem inclamantibus legatis. Proſtant hi nuntii paſſim, ſed ad hos ſponte ſua cœcutiunt guloſi, luxurioſi, invidi, avari, & ſuperbi; quot funera exportantur, tot nuntii vicinam mortem vicino deſignant; quot campanæ reſonant, tot iterum legati mortem proximam inculcant. Idem intonant morbi & vulnera, pericula & naufragia, tempeſtates, & incendia, caſus tragici & varii generis oſtenta. Noſtrûm eſt ſingulos audire ac ſequi, prout nos ipſe Spiritus Sanctus hortatur (16) *hodie hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Nolite porrò ultimam horam curioſiùs rimari, ſed in timore ac tremore, in horribilis illius myſterii obſervatione, ita probè in conſpectu Dei ſemper vivite, ſicut viveretis, ſi evidenter ſciretis, hodie aut cras ultimum fore diem ut ſic, & tertium vobis haut ampliùs oriturum. Verbo: (16) Pſ. 94.

*Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.*
*Fac modò, quæ moriens facta fuiſſe voles &c.*

Et mortem tuam vita excipiet, mori neſcia, æternùm felix & beata. Amen.

# CONCIO XLV.

# DOMINICA XX. POST PENTEC.

*Rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus. Joan. 4.*

## Finis impœnitens.

VIr omnium horarum, vir omnibus numeris absolutus fuit Paulus Opt. AA. sic ipse de se (1) *omnibus omnia factus sum*, non more ac ritu ævi hujus politicis recepto, qui se aliis, seu fas seu nefas fuerit, prompti accommodant; cum probis probè, cum religiosis ascetícè, cum castis castè, cum luridis luridè, cum libertinis liberè, cum laxis fratribus vivunt dissolutè. Quomodo Paulus sit omnibus omnia factus, explicabit beatus (2) *non mentiendo sed compatiendo, non simulantis astu, sed commiserantis affectu omnibus omnia factus est Paulus.* Hic quidem non lucrum bursarum, sed animarum quæsivit Paulus *omnibus omnia*, ut homines ad Deum adduceret, & animas cœlo lucraretur. Hunc in finem cum Pharisæis Legisperiti personam Jerosolymæ sustinuit, cum Philosophis vocibus acriter digladiari visus, cum Poëtis poëticè loqui & versificando certare auditus, inter opifices se quoque opificem professus, ante scenofactoria duratas manus palàm exhibuit. Origenes (3) duplici eum titulô condecorat, jam cum *phrygionem* (Stadtsticker/ Pechwircker) jam *pellium sutorem* compellans. Græcos inter erat Græcanicus, Judæos inter Hebræus, Latinos inter Romanus, *omnibus omnia.* Flebat cum flentibus, gaudebat cum gaudentibus, & hæc omnia fecit Paulus ex pura charitate in proximum suum, ut blandis hisce moribus aliorum præ-

(1) 1. Cor. 9. A. Omnibus omnia Paulus.

(2) S. Aug. ep. 9.

(3) Orig. l. 4. cont. Cels. & hom. 17. in Num.

cordia

cordia sine peccato irreperet, & omnium animas ad cœlum promoveret. Sic pariter suo cum proximo cœteri omnes Apostoli agebant *omnibus omnia*. Eandem politiam strenuè tuentur, qui ad remota Indiarum regna, non aurum aut gemmas, sed nobiles animas quæsituri, hunc in diem maria transnavigant & acroceraunia ponti, hi jam pastores agunt avicularum, jam sedulos agricolas, mansuefaciendis barbaris etiam ad imas hominum fæces propensi; jam fabros obeunt lignarios, jam cæmentarios, sacris ædib9 erigendis intenti; jam se fabros etiam ferrarios conflandis instrumentis profitentur. Jam operam suam Indis elocant quà astronomi, quà servi & pedisequi, ut vel hôc mediô, quæ via sit ad cœlos tenenda, luculenter demonstrent; maximè tamen & omnium creberrimè curandis ægris medicos agunt & chirurgos, in id summè providi & intenti, ut per corpus anima curetur, & sempiternæ gloriæ aptetur. Nullam illi provinciam sæpiùs obeunt quàm medicam, quia nulla ex omnibus tanti lucri ferax est quàm medica; sic corpus ab interitu servando, unà illorum animas orco eripiunt, & eas in Regionem vivorum, DEI Regiam post fata transportant. At unde hanc universalem politiam Paulus & Apostoli, imò alii omnes Apostolorum æmuli Christicolæ didicerunt? præivit his omnibus exemplô suô ipse Christus, qui jam DEI formam exhibuit, jam servi formam induit, jam fabri forma factus, cùm *fabri filius* audiret, jam iterum obsequiosus verna factus, cùm esset *subditus illis*; jam inter Doctores adhuc duodennis egit Theologum, jam annos natus triginta scribas inter legisperitum, jam inter corporis ac mentis ægros potentem Medicum. Et quidem artis hujus Medicæ hac ipsa luce præclarum specimen dedit, cùm Reguli filium etiam absens sine ullo purgamine verbo duntaxat & voce curaret. Si quis prædicatorios sermones ejus exploret, fatendum erit, eum etiam loquendo, perorando, & concionando *omnibus omnia* factum esse; modò instar agricolæ semina terræ committit; modò ut vinitor vites plantat, scindit palmites, truncat stolones, & pampinos distringit; modò ut hortulanus arbores ponit fructiferas, & steriles exscindit; modò ut paterfamilias filios educat, colligit rationes, conducit servos, & operarios constituit *omnibus*

B. Paulum æmulantur Indiarum Apostoli.

C. Hi ut plurimùm Medicos agunt aut Chirurgos.

D. Omnibus omnia exemplum fuit Christus.

E. Hodie Nobilem egit Medicum.

*omnia.* Hoc in speculo vident omnes, quibus modis & ipsi exemplô illius puro Dei amore & animarum lucrô accensi, fieri debeant *omnibus omnia.* Hodie, ut patet, Medici partes exsequitur, qui prodigiô nunquam auditô integram salutem ægronuntiat, & simul ægrum curat; vix enim felix nuntium ore sacro emisit, *filius tuus vivit*, illô ipsô temporis momentô sanus è lecto surrexit æger, & Medico suo gratus cliens obviam cucurrit; quod licet signatè non memoret Scriptura, de eo tamen nullatenus dubitari potest. Nobilis sanè Medicus, qualem nunquam orbis habuit aut suspexit, à quo semper habent, quod abundè intumulum discant Medici tàm sacri quàm profani.

F. Bonus Medicus duo habet prædicata, scientiam & charitatem.

Medicum omni ex parte perfectum duo maximè prædicata constituunt, *perfecta scientia & flagrans charitas* omnibus ægris promptè succurrendi. Vi scientiæ medicæ nôsse debet omnes hominum indoles, genios, & naturas, pariter omnes morbos & morborum semina; unà variis remediis semper sit ex tempore instructus, quibus malo serpenti properè sciat mederi. Naturis hominum ritè penetrandis, & corporis humani membris probè inspiciendis ac dignoscendis jam pridem Herophilus, prout in terminis loquitur (4) Tertullianus, *Medicus, an lanio, exsecuit sexcentos, ut naturam scrutaretur.* Ipse autem Herophilus de seipso testatur, Antropographiæ concinnandæ facilè duo millia humanorum cadaverum à se uno dissecta esse. Si tanta est difficultas corporis dignoscendi & partium ejus, quantò major erit difficultas singulos morbos ritè dignoscendi, qui singulis membris propriis & vel maximè toti corpori sunt molesti. Sunt, qui dicant, unum oculum ducentis morbis infestari & ultrà, quæ omnia probè nemo nisi Medicus vivaci memoriâ comprehendat. Morborum causis naturâ, effectibus, & ægrotantium genio ritè perspectis, etiam Medico summè necessaria est varii generis remediorum accurata notitia, nempe herbarum & plantarum omnium cognitio, metallorum omnium & mineralium, aquarum omnium & vinorum, gemmarum, lapidum, & animalium unà cum virtutibus suis & effectis; nam in tota rerum natura vix aliquid datur utut vile ac inviale, quod non in usum veniat aut venire possit nobilis medicinæ, jam aliis sociatum, jam aliis permixtum, ut vel ideò dixerit Hippocrates, *ars longa, vita brevis est* Medicina, vita multò antè finienda,

(4) Tertul. l. de Anim.

nienda, quàm mediam tantùm Medicinæ partem apprehendas, utut studiosè hanc unam in scientiam incumbas.

At ponamus dari Medicum, qui prædicatis hactenus recensitis summo in gradu excellat & scientiam foveat numeris omnibus absolutam, si tamen *experientia* desit Medico, vim naturarum & remediorum frustra callebit. Ultimum complementum Scientiæ Medicæ est actualis *experientia*, & numerosa praxis Plinio (5) teste, *usus Medicinæ efficacissimus est magister*, & Ambrosio (6) Authore, *prima omnium & valida secta est Medicinæ, quam experientia firmat, non conjectura.* Illi omnium probatissimi erunt Medici, qui non ausu temerario sua promunt & tentant medicamina, sed qui ea multiplici experientiâ docti, ægris applicant. Dicuntur Medici graduati, seu veri nominis *Doctores Medici, Nobiles & Excellentissimi Domini*, Ihr *Excellenz* (qui titulus omnibus aliis aliarum Facultatum graduatis Doctoribus solis, unà cum annulo Doctorali competit, non item Licentiatis) prout in privilegiis Academicis apud Midendorp. (7) & Menzelium, ac passim alibi legi potest. Fulonius (8) Leodiensis Belga, Author undique Classicus, vult titulô illô *Excellentiæ* Ihr Excellenz, illos tantùm Medicos decorari, qui juvenes sunt, & nullum adhuc cæmeterium oppleverunt, seu quibus adhuc deest *Magister Usus*, aut qui nullam adhuc praxin & experientiam contraxerunt, qualis erat Diaulus apud (9) Martialem, de quo sequentia canit Poëta:

*Nuper erat Medicus, nunc est vespillo Diaulus,*
*Quod Vespillo facit, fecerat & Medicus.*

Qui verò sua in arte Medica perfecti sunt, & benè practicati Medici, illos dici vult Fulonius *Experientissimos Dominos*, Ihr *Experienz*, non item, Ihr *Excellenz*, hæc enim exacta Medicorum scientia unicè per praxin & experientiam conservatur & augmentatur; hîc primùm ritè addiscitur, quod in medendo summum est, cœlo, tempori, regioni, ætati, viribus & morbis se inter præliantibus remedia attemperare, ne pars syncera lædatur. Tempora mutantur, & homo pariter cum tempore deficit; quod ergò uni tempori pridem dilapso præsens fuit medicamen, alio tempore eidem morbo applicitum nil efficiet, vel potiùs morbum intendet. His omnibus malis experientia occurret.

G. In Medico nulla est scientia sine experientia.

(5) Plin. l. 23.

(6) S. Ambros. præf. ad Ps. 37.

(7) Midendorp. de privileg. Acad.

(8) Fulon. in 2. Mach. 5.

(9) Mart. l. 1.

At verò nec scientia, nec experientia Medicum faciunt perfectum. Ad verificandam *Medici perfecti* denominationem plus ultra requiritur, quid illud? prompta & indefessa charitas, qui instigante scientiam suam & experientiam ægris properè Medicus communicet, etiam ubi nulla spes lucri affulget. Hæc charitas dictat, ut suos patientes sine respectu omnes, solicito affectu, longanimi patientia, & suavi semper affabilitate etiam hispidos, discolos, immorigeros piè in Domino amplectatur, eos ad omnem patientiam extimulet, imò etiam ad animos ægro firmandos, & nauseam procul à medicamine removendam, acerbas potiones ipse vegetus ac valens Doctor in ægri sanitatem præbet. Hæc charitas dictat, ut spe quæstûs sepositâ, se quoque curandis pauperibus liberaliter impendat, & nullum ope sua destituat vocatus aut rogatus, ut & horum animæ corporibus suis ulteriùs conclusæ plus in horas mereri valeant patiendo in suam & Medicorum suorum salutem.

II. Christus solus ut Medicus habuit scientiam practicam & charitatem.

At ubi locorum talem Medicum inveniemus, qui scientiâ instructus sit perfectâ, qui praxin habeat absolutam, & insuper prompta charitate omnes ægros sine discrimine foveat, excitet, curet, erigat, soletur & medicetur? in terris certè actum est de illo; nisi cœlos ascendamus, nullis his prædicatis perfectum reperiemus. Christus Dominus Deus & Salvator noster pridem hinc ad cœlos regressus, solus talis Medicus est, qui non tantùm nova extima, oculis objecta, sed & imas viscerum fibras, omnes pectoris angulos habet exploratos, de quo pridem cecinit (10) psalmista: *sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*, de quo pridem meminit (11) Paulus: *omnia nuda & aperta sunt oculis ejus.* Ut adeò nullis ipsi opus sit dissectionibus vel anatomiis ad explorandas morbi radices, ad perspiciendas cogitationum & humanarum intentionum multiplices fibras. Pro abstergendis hisce malis & tollendis omnibus morbis medicamina præscribit omnium efficacissima, si modò per ægros ritè applicentur: jam utitur *simplicibus* medicamentis, aliquando etiam *compositis*, subinde *contrariis* etiam per *contraria* medicatur, ut per lutum cœci oculis inunctum: subinde in ictu oculi curat ægros, subinde pedetentim & tardiori effectu. Alios voce sanat unica; aliis curandis nec numerosæ conciones proficiunt; calidas febres novit etiam ustorio

(10) Psal. 138.
(11) Heb. 4.

Austrin

Austriæ vino extinguere, impetuosæ carnis incendia etiam frigido pœnarum metu profligat; non rarò calorem novis caloribus retundit, lascivum per divinum vel orcinum. Charitas ejus, quâ omnes ægros amplectitur, tanta est, ut major nec fingi possit, nec somniari. Non exspectat ille, donec ad ægrum vocetur; ultrò quæritat ægrotantes, *sanans omnem languorem, omnem infirmitatem in populo*, Matthæo (12) teste. Ut Chrysost. (13) perhibet; *ideò corporis etiam ægritudines medicatur, ut simul animis medeatur;* imò, quod amplius est, contentus non est, ægros quæsivisse, *etiam ad vulnera nostra descendit* juxta D. P. (14) Ambrosium, *ut usu quodam & copia suæ naturæ comparticipes nos faciat esse regni cœlestis.* Sic illum graviter saucium & semianimem viatorem ipse transiens purgavit & obligavit, erexit & refecit. Tandem, quod de nullo legeris Medico, nec carni parcit suæ nec sanguini, ut inde pro ægris conficiat panaceam & nobilem theriacam, quâ omnes morbi dissipentur, qua omnes dolores & corporis cruciatus sopiantur. Quærat nonnemo, quid sinu suo ac sensu recondat *Eucharistia?* literas misce, mox undecim literæ conclamabunt, *Vis theriaca*, unde ad oculum vis ac virtus cœlicæ hujus & angelicæ Medicinæ per absolutum anagramma eluceścat, prout fusiùs hoc ipsum anagramma in Anagrammatica Tuba mea Dle Jovis Sancto per totam Festi memorati concionem eviscero. Et hæc omnia quidem Divinissimus iste Medicus ægris suis sine temporaneo quæstu, sine opum lucro gratis communicat, imò illos etiam, qui se ab ipso gratis curari permittunt, largiter præmiatur ex innata charitate, prout de ipso splendidè perorat Aug. (15) his verbis: *Deus misit Medicum, misit Salvatorem, misit eum, qui gratis sanaret; parum est, qui gratis sanaret, qui sanatis etiam mercedem daret. Nihil addi ad hanc benevolentiam potest; quis enim est, qui dicat, sine, sanem te, & dabo tibi mercedem?* tuam ego patientiam coronabo, quam mihi in tortura, in sectione, in adustione constanter in salutem tuam exhibuisti. Si cum Anglicano Poëta Ovveno (16) loqui velimus, triplici facie constant Medici: *Divinâ* vel *Angelicâ*, cùm vocantur, & ægri morbum explorant, *humanâ*, cùm efficacem medicinam ægro porrigunt, unde in horas salus revivi-

(12) Matt. 4.
(13) S. Chrys. in l. c.
(14) S. Ambros. l. 5. in Luc.
(15) S. Aug. Ser. 13. de Verb. Apost.
16) Ovven. L. Epig.

viviscat, & tandem *diabolicâ*, cùm laboris exantlati justam petunt mercedem. Sic canit Poëta:

*Intrantis Medici facies tres esse videntur*
*Ægrotanti, hominis, dæmonis, atque Dei.*
*Quamprimum accessit Medicus, dixitq; salutem,*
*En Deus, aut Custos Angelus, æger ait.*
*Cùm morbum medicina fugaverit, Ecce homo, clamat;*
*Cùm poscit Medicus præmia, vade Sathan!*

Per hæc Ovvenus bellè ostendit, quantis gradibus honor & amor in auxiliatores Medicos inter homines deficiat. Et prima vice ægrum Medicus salutat, tanquam cœlo lapsus Can ab ægro & amicis ejus recipitur, & vix non basiatur, colitur adoratur. Spondentur ei mox aurei montes, præmia laboris decumana, modò nulli parcat industriæ, morbum simul ac mortem fortiter profliget, & felicibus medicamentis triumphet. passus singulos ægrotantis saluti factos philippeô, imò etiam aureô coronandos. Largis hisce promissis maturare cogitant sanitatem, quam tamen sua in potestate positam non habet. Ecchiater; si verò ægrum post aliquot soles fato subtrahat, aut pristino reddat vigori, jam Medici cultus cespitat, jam large promissa marcescunt; quem antè pro juvene DEO colebant, jam vix tanquam peritus artis suæ Galenus respicitur; fortunæ, non industriæ salus adscribitur; jubeantur tandem sanitati pristinæ restituti suis stare promissis, aurea gratitudine solutem Medicum remunerari, curas & labores, studia & cum fructu dictata medicamina præmiari, verbô tot itus ac reditus, prout scheda loquitur, exsolvere Medico jubeantur? eum in largæ remunerationis vicem mox diris obrui audias; hîc totum id, quod schedam premit, tanquam excedens & excessum explicitur; hîc laboriosus, sedulus, & industrius Machaon sub cum pharmacopæo duplicis cretæ redarguitur; hîc Medicus simul & pharmacopola sathanizatur; hîc uterque funditus ejuratur & anathematizatur.

Ah! Opt. AA. si & nos cum cœlesti nostro Medico, Deo ac Domino nostro, corporum & animorum diviniſſimo Archiatro, tam crudè, tam hiſpidè, tam ſordidè ac ſceleratè procedimus, timendum certè fuerit, ne potentiſſima illius medicina nobis fatum pro vita maturet, & diram mortem acceleret. Si cultus illi uni deferendus tantoperè etiam apud nos deficiat, iterum jure timendum fuerit, ne nobis æternum væ accreſcat, & dolor inexplicabilis vitæ perperàm concluſæ ſuccedat, nullô unquam remediô mitigandus. Expertus eſt hoc ipſum ille capitoſus & Medico ſuo impiè rebellis ægrotus, qui hunc amiciſſimum Archiatrum tam parum reſpexit, licet eum alteris vicibus reviſeret, & ad pœnitentiam paternis monitis invitaret. Joan. Euſeb. Nirnbergius Nobilis Hiſpanus (17) Soc. Jeſu Vitam S. Borgiæ paucis abhinc annis Divorum Cœlitum albo ſolenniter inſerti Principis fuſiùs deſcripſit. In hac deſcriptione producit virum nobilemque Hiſpanum, qui hunc cœleſtem medicum modicè reſpexiſſe legitur. Quò nobilior erat æris & antiquario ſtemmate, tantò ignobilior erat moribus & virtute. Sordebat grandibus flagitiis, quorum causâ ubique locorum à ſummis & ab imis digitô ſignabatur: en hic eſt ille jejunus & importunus euclio, ille immanis & ſui unius æſtimator thraſo, ille luxurians leno, ille civium ac ruſticorum crudus flagellio &c. erat quidem opibus ac fortunis prædives, ſed quem noctes atque dies fervens amor urſit habendi. Poterant de hoc, ut olim de Petro telonario, pauperes paciſci, quis ab eo vel unum eſſet obolum expreſſurus. Nummum ſi mendico dedit, eum duntaxat pauperi projecerit, ut vexam redimeret, prout olim Petrus naſſam panis in mendicabuli tergum fulminavit; ex pura charitate nulli certè ſtipem obtulit; hic centies tritum illud intonuit: ipſe ſum egentior Irô, ipſe neſcio, quid ſerus vehat veſper &c. te Deus adjuvet! vel ſæpiùs: hinc procul faceſſe ſtipes, ſtolprio, aut &c. licet ciſtæ interim ſub auri argentique grandi pondere fatiſcerent. Sic ſic inſatiabiles avari miſellos excipiunt, & vacuos à ſe iterum dimittunt.

(17) Euſ. Nirnb. in Vit. S. Borg.

I. Medici Divini prodigioſa charitas obſtinato peccatori exhibita incaſſum. Hiſt.

*Semper avarus eget, congeſto pauper in auro.*

Citiùs à pumice aquam hauseris, quàm ab insaturabili Mida nummum. Pactam mercedem suam servi exigunt & ancillæ? fabri & opifices? jam multiplex nodus in scirpo quæritur, unde modicum salarium mutiletur; jam verna dicitur hæc & illa fregisse, destruxisse, vel etiam piceis manibus sublegisse, quæ sæpiùs immorigeri & effrontes liberi perdiderunt, aut ipsa ædium mater distraxit; hîc cœcæ sæpiùs rationes formantur, quibus sua justissima mercede miser operarius fraudetur. Sanguinis pretium est, quod mercedi subtrahitur; extorta ea, & plùs quàm furtô sublata pecunia est, quæ mercenariis vernis decimatur, unde in cœlum clamans peccatum prosilit. Sunt, qui expungi urgeant debita? Nemo illorum domi esse perhibetur, etsi ædium dominus per fenestræ clatros prospiciat in subjacentem plateam. Urgeatur vel modicum quid ex currentibus debitis solvi seriò? sutores & sartores, laniones & pistores, hospites & praxatores antè solidum par calceorum currendo deterent, quàm nummum ab avaro recipiant. Et quis hoc hominum genus, maximè si Grandes fuerint, qualis hic erat Hispanus, debiti coarguet? medium hic aliud non sapetit, quàm id unum, quod à longanimi patientia hauritur. Jus utplurimùm vim patitur, & violenti rapiunt illud, *pauper Aristoteles cogitur ire pedes*, & aliam quercum excutere. Obeat talis avarus debitis erycium in morem hirsutus? quid pro quo debitum allegantibus per amicos refunditur, cetera hæreditario jure dividuntur. Hæc tamen omnia hic loci nondum pravitatis apicem visa sunt attigisse. Hoc in Nobili vitium erat palmare, opes tanta cum tenacitate detentas, pravis artibus ac mediis corrasas esse. Fas fuerit, an nefas, perinde fuit, modò lucrum inde accresceret; sic utique grandes thesauros coacervavit; ita tamen, ut ei longè consultius fuisset, si mendicabuli partes expleviset. Adhæc aliô etiam morbô laborabat Hispanus iste, quem passim dicunt *morbum gallicum*; damam ille adulteris amoribus deperibat; hanc unam in lupam largus erat & munificus, in alios omnes parcus & contractus. Visus subinde fuit etiam animos sacra exhomologesi expiare, sed more politico, pharisaico, pro forma ad fucum simplicioribus faciendum;

dum ; neque tamen opes peſſimè corraſas ſuos ad legitimos poſſeſſores devolvit, hoc ipſo juxta S. P. Aug. pœnitentia fuit ficta & ſimulata ; quoties enim malè parta reſtitui poſſunt & non reſtituuntur, *pœnitentia* (18) *non agitur, ſed ſimulatur.* Non deerant, qui hunc Nobilem ritè commonerent, minas etiam minis addenſarent, ſed ſaxo loquebantur. Unus DEUS, cujus manu omnium præcordia verſantur, poterat animos flecti, ferreos emollire, poterat durum pectus expugnare, at reliquit eum in ſua libertate arbitrii ; multis annis hiſpidam tulit pravitatem, cùm verò nulla morum emendatio ſequeretur, eum tandem gravi & letali ægritudine lecto affixit, ut ſibi redditus ſaniora conſilia æger captaret. Debebat utique Nobilis iſte morbum tam gravem tanquam mortis ſecuturæ prodromum excipere, ac ſe ad mortem componere vitæ melioris parentem ; atquí valens ac vegetus omnes à ſe monitores rejecit, etiam quà æger, nihil de reſtitutione, nihil de anima per Confeſſionem expianda audire voluit. Vidit quidem, ſe pravo in ſtatu verſari, vidit ad DEUM eſſe per pœnitentiam redeundum, at necdum omnes ſoles credidit occidiſſe, annos adhuc plures vitæ prorogandæ orituros perſuaſus : opes abdicare conſtituit, ſed cùm ipſi ultrà nulli eſſe uſui poſſent ; factô teſtamentô, cuique ſuum ſeriò tranſcribendum ; ætas ſi defecerit, etiam nativus carnis impetuoſæ calor ultrà remittet ; inde quidquid mali actum, una generalis confeſſio totum expediet. Crevit in horas morbus, ipſe tamen ſtolida ſpe priſtinam ſanitatem prenſabat ; quidquid ergo de pœnitentia occineretur, id unum ſemper repoſuit æger, necdum tempus eſt ; ſi videro periculum, reculis proſpiciam ; nunc rationes tam diſparatæ colligi non poſſunt : proximè ſanus ſi ſurrexero, ſeriò ſingula prehendam &c. ita licet ſummo in periculo verſaretur, maxima tamen obſtinatione ſuis in flagitiis perduravit. Venit tunc fortè illam in urbem Borgias Gandiæ Dux, poſteà tertius Soc. JESU Generalis, qui cognitô miſeri Nobilis periculô, juſtô zelô animam orco ſubtrahendi accenſus, ante CHRISTUM Cruci affixum in genua procidit,

18) S. Aug. ep. ad Maced.

orans, obsecrans, ut qui orbem universum sanguine suo ab interitu servâsset, huic etiam pertinaci animæ gratiam suam elargiretur. Hæc precanti è Cruce inquit DEUS: abi Francisce, & hunc ægrum invise, eumque totis viribus hortare, ut animos expiet, mox etiam ego, sicut olim formam servi, nunc formam medici assumam, & ægro assistam. Lætus hôc nuntiô Franciscus properè ad ægrum accurrit; at cùm lecti spondam attigisset, plenus admiratione, jam coràm videt Medici formâ vestitum Salvatorem amicè cum ægro sermocinantem, eique larga obsequia deferentem; hæc inter propria manu jam cervical, jam lecti stragulam aptabat DEUS, stupente Borgia, paternè semper ad pœnitentiam nobilem hortatus; at sicut nec ab hoc cœlesti Medico ad officium pœnitentis se passus est induci, ita multò minùs hæc intonanti Borgiæ aures præbuit ægrotus. Re itaque infecta, ex oculis vanuit Medicus, & cum parem operam perderet Franciscus, etiam hic domum revertit, ubi omnium Collegarum precibus emolliendum Nobilem commisit, ipse verò confectis properè negotiis DEO suo in Crucem acto iterum supplex factus, per Sacra illius Vulnera denuò cepit præsentem è trabe pendulum obtestari, misero velit potenti virtute sua succurrere. Resolvit denuò è Cruce sua prodigiosam vocem Servator, aitque abi ergò altera vice ad pertinacem ægrotum, meque è Cruce pendulum tecum defer, si fortè me conspecto convertatur & vivat. Sic Borgia ad ægrum reversus, omnes arbitros removit, ut liberiùs cum ægro agere posset; inde verbis ad omnem motum compositis, CHRISTUM Cruci affixum ægro exhibuit, per Passionem ejus & acerrimos dolores, per sacerrimas vulnerati JESU plagas, orans obsecrans, animæ suæ misereatur, & utramque pœnæ ac gloriæ æternitatem seria mente perpendat: nolle Deum mortem peccatoris, omnibus flagitiis majorem esse misericordiam ejus & alia &c. at visus est ad omnia miser Nobilis obsurdescere. Addidit & vocem suam ex cruce pendulus ipse JESUS, quâ ei gratiam & gloriam obtulit Servator, si modò

si modò resipiscat. Fecit hic JESUS etiam sanguinem suum vocalem, quem ex omnibus plagis ubertim visus est profundere; per hunc iterum iterumque Franciscus instabat; sed surdo fabulam. Frustra vocem in ægrum alteris vicibus Christus ipse devolvit, frustra Franciscus; cùm ergò conclamata esset salus, Salvator ipse revulsa è Cruce manu sua, sacerrimum cruorem ex latere haustum in faciem projecit obduratissimi peccatoris, & funus fecit obstinatum Nobilem, mox enim animam tradidit in manus non divinas, sed in acheronticos ungues & stygios harpagones.

Hinc exemplum capessant omnes peccatores avari & luxuriosi. Videant hic loci, quem vitæ exitum sortiantur, qui pœnitentiam in dies & annos procrastinant. Hic utraque manu Divinissimi Medici immensa charitas palpetur, quâ sursum in gloriam trahere satagat peccatorem, ut salute fruatur sempiterna. Quid potuit ultrà facere Vineæ huic & non fecit? interim tulit labruscas, & ipsius Dei operam procacissimè explosit. Hic unà notetur, quàm pius in omnes ac misericors DEUS sit, quàm unà justus vindex sit, si provocetur. Nos ex animo diligimus tam pium ac misericordem DEUM, unà ex animo justum ac scelerum ultorem DEUM extimescimus, humiliamus nos totos sub potenti manu Medici hujus, & quidquid nobis medicaminum præscripserit, promptô animô prensamus; curamus simul, ut noster amor semper respondeat Divino, quantum vires nostræ patiuntur. Grates inter millenas pro morte nostrô omnium bono exhausta, pro Eucharistica Theriaca, nobis relicta, corpus ei & animam transcribimus, uno ore cum August. clamantes: *hic ure, hic seca, modò in æternum parcas*; unô animô cum Theresia vociferantes; nolim vivere sine hac cruce, nisi dederis majorem; totis præcordiorum viribus cum Xaverio cantantes:

*I. O Deus,*

I.

*O Deus, haut ideò Sacris cor amoribus ardet,*
*Illa quod empyrei prœmia ſperet Amor.*

II.

*Nec quia perpetuo, qui non amat, igne crematur,*
*Urit amoriferis ignibus ille timor.*

III.

*Tu Deus es meus unus Amor, meus unus Amator,*
*Tartara cum cœlis aufer, amabo tamen.*

IV.

*Nil mihi dando, meos tamen es mercatus amores,*
*Non amo quòd ſperem; non amo, quòd timeam.*

V.

*Unus amor Deus eſt, ô Amor unice cordis!*
*Ah amo! amando volo vivere, amando mori!*

Amen.

CON-

# CONCIO XLVI.

# DOMINICA XXI. POST PENTECOST.

*Iratus tradidit eum tortoribus. Matth. 18.*

## Doctor Carthusianorum.

INter omnes mundi hujus sacras Religiones, vivendi austeritate omnes alias multis gradibus superat & transcendit, ætate sua jam annos sexcentos & octoginta quatuor egressa Carthusia Opt. AA. sic omnes fateri coguntur, qui alias omnes opponunt Carthusianæ. Rectè hunc Celeberrimum Ordinem *perenne Martyrium* dixit (1) Raynaudus, quia hîc loci sine intermissione sacris pœnitentiæ operibus & rerum cœlestium meditationibus vacatur. Quatuor maximè sunt, quæ hunc Ordinem ita reddunt austerum, & tria sunt, quæ dictum Ordinem in hanc diem suo in primo flore ac fervore Carthusiani spiritus conservant; unde nec opus habet ullâ reformatione, reductione, recollectione, aut renovatione &c. quod tamen tot aliis receptum. Sicut à Divo Brunone primitus erectus est, ita hanc in horam suis stat basibus undique firmus, adamántinus, flecti aut mutari ferreus, imò in nonnullis adhuc altiùs austeritatem extulit, quàm ab ipso sit fundatore dictata. Primum, quod tam austeram, reddit Religionem hanc, est *jejunium quasi continuum, & perennis à carnium esu abstinentia.* Possent quidem quà ægri, maximè si medici accedat imperium vel consilium, carnibus vesci; sed & ægri legem servant sanis sancitam, probatúmque est multiplici experientia, eos, qui licitè ac validè usi sunt privilegiô ægris indultô, fatis concessisse præ illis, qui legem etiam ægri tuebantur. Secundum austeritatis argumentum præbet *assidua solitudo & perenne silentium;* hinc Ordo iste legibus suis nullas patitur feminas concludi;

(1) Rayn. in Myst. Styl. A.

Quid Carthusia? Unde reliquis omnibus ordinibus sacris austerior?

quis enim silentium constans à natura garrulis feminis imponat? centies uno die hæc sancta tacendi lex discerperetur. Conveniunt tantùm festis Solibus & aliàs perrarò ad unam vel alteram horulam, ubi nihil eos loqui audias de mundo aut secularibus negotiis, sed de Sacris tantùm, de morte & plurimùm & optimâ methodo piè moriendi. Extra hæc tempora quod mutis proprium, signis loquuntur, quia linguis locus vetitum est; id tamen indultum est, ut binis hisce vocibus *memento mori*, obvios salutent. Tertia tantæ austeritatis causa est *cilicium perpetuum*, quod nunquam ponunt, nisi cum detrito novum substituunt; hac itaque cilicina veste super nudum corpus amicti omnes labores suos expediunt; cilicio suo induti etiam breves somnos capessunt: verbô, quod ex Verbo dicunt Divinô passim Theologi: *quod Verbum assumpsit nunquam dimisit*, id suo sensu etiam Carthusianis adscribunt, quod cilicium semel corpori suo induxit Carthusianus, id a se nunquam dimittit, id etiam tumulo suo inferet defunctus. Quartam austeritatem ceteris majorem constituit *horrida chorus*, quo ita tardè verbatim, syllabatim horas Breviarii & alia Officia decantant, ut multi totum antè Breviarium cantando expediant, quàm illi minorem horulam absolvant. Hinc totus orbis miratur, unde tot & tam grandes libros Surius elaborârit, & ne unâ quidem vice chorum neglexerit. Cùm ante annos circiter 30. prima vice Buxhemii in Suevia propè Memmingam hunc Chorum oculatus simul & auritus testis explorarem, candidè fateor tantus me horror corripuit, ut me pastæ curiositatis seriò pœniteret. *Obstupui, retroque pedem cum voce repressi.* Stabant utrinque Viri prægrandes, toti candidi, ultimô exceptô, qui ut Novitius nigro erat amictu obvelatus. Stabant hi penitus immoti statuæ instar ære fusæ, oculis humi abjectis aut præsenti libro defixis. Prominebant e cucullis velut ex trophonii antro vultus pallidi, emaciati, emedullati, cadaverosi, & vix ossibus suis hærentes, unde vox prodiit varia quidem & multiplex, sed unius toni tragici, lugubris, funesta, quæ unicum versiculum *Gloria Patri* tanta gravitate, tanta syllabarum productione evisceravit, ut me auscultandi tota patientia destitueret. Et hæc productio

diu noctúque continuatur, proscripta omni exemtione, omni jubilatura & dispensatione, quam illi non aliter fugiunt quàm Ordinis totius funestam dissipationem. Hanc vitæ austeritatem tot jam annorum centuriis continuatam adhuc hodie servant illibatam. Sic de illis loquitur Alanus (2) annis antè ducentis: *tuô dilecta Religio Carthusiana, à tempore Nativitatis tua nunquam maculam nosceris contraxisse! tibi è cella in cœlum facilis patebit ingressus.* Sic pariter ante ducentos annos de hoc Sacerrimo Carthusianorum Ordine Jodocus Marchio Brandeburgensis, cùm adhuc illæ regiones Catholicam fidem mordicùs tuerentur, Anno 1406. quo Carthusiam erexit & fundavit Olomucensem, literis publicis professus est, se omnes religiosos Ecclesiæ Ordines accuratè lustrâsse, mox sententiam promit sequentem: *inter hos verò Cœtus omnium devotissimum Cœtum, strictiorē vitam ducentes Carthusianos animadvertimus, quorum esui caro abominabilis, cogit singulos confessores mundi delicias cum corporeis voluptatibus ultra humanam patientiam (sicut opinamur) spe salvifica penitus refutare.* Sic de Carthusianis Sacri loquuntur, sic Profani. Joan. Mauburnus (3) miratur & obstupescit, tanta vivendi acrimonia tot seculis constringi posse humanam fragilitatem, signat tandem tria media, quibus primum vitæ vigorem & rigorem fortiter & constanter tueretur:

(2) Alan. de rup. in l. de utilit. Psalt.

(3) Jo. Mauburnus tit. 2. alph. 8. §. 1.

*Per tria, Si, So, Vi, Carthusia permanet in Vi.*

B. Tribus mediis Carthusiæ servantur.

Sensus est per *Si*, seu *Silentium*, per *So*, seu *Solitudinem*, per *Vi*, seu *Visitationem* assiduam in *Vi*, seu in Vigore primo durat Carthusia, ubi alii horum defectu primis à principiis pridem desciverunt.

Hæc si vera sunt AA. jure nunc quæratur: quæso, cur S. Bruno tam austerum Ordinem fundavit; ubi totus mundus perpetim conculcatur, & pœnitentia in tumulum extenditur! quid sanctum hunc Patriarcham eò induxit, ut vitæ leges scriberet tam acerbas, seque cum sociis suis in silvas & abstrusas solitudines, in montes & montium cavernas procul ab hominum commercio proriperent? Erat Bruno Parisiis in Gallia mundi strenuus assecla studiosus; ardebat quidem jura publica in

ſtois expedire; at in ictu oculi omne ſtudium & ultrà ſtudendi deſiderium evanuit. Mundus totus ita Brunoni deſipere cepit, ut vix hominem ultrà alloqui dignaretur. Malebat inter feras vivere quàm inter homines, plùs ſilvis addictus quàm urbibus & aulis. Cum Pſalte Regio identidem (4) exclamabat: *cor meum conturbatum eſt in me, formido mortis cecidit ſuper me; ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine*; at quid Brunonem ita conturbavit, ut in ſilvas & eremos excurreret? quis ei tantos metus incuſſit, ut totum hunc ſpectabilem mundum & mundi delicias tantoperè nauſearet? terruit eum præſens Evangelium; audiit hodiè cùm Rex à ſuis rationes exigeret, oblatum ei eſſe unum, qui inventus eſt minus habens: *iratus proin Dominus tradidit eum tortoribus*, ut memorat Evangeliſta; hæc non tantùm auritus teſtis ex Evangelio intellexit, ſed ſimile judicium etiam in nequam Regis cœlici ſervum vibrari vidit ex alto quà teſtis oculatus. Vidit Bruno cum ſociis actui præſens tragico, funeſto, rationes à Doctore Pariſiensi Deo illas ſubitò exigenti, penitùs rejectas eſſe & reprobatas, ipſum verò Doctorē orcinis tortoribus traditum eſſe æternis ſuppliciis excruciandum. Qualis Doctor fuerit, non omnes conveniunt. Raynaudus cum Petro Sutoris & Richelio faciunt eum Theologum, Plato contra & aliis fuiſſe videtur Jurium peritus Doctor, quod facilius crediderim ob numeroſum Mammonam plùs cauſis forenſibus quàm ſacris augmentatum. Judicium in hunc Doctorem fulminatum vidit propriis Bruno, & quod vidit, quod audivit, toto vitæ tempore ſuæ è memoria proſcribere non potuit, ævi hujus Principes & Summates, cùm ratio danda eſt, facilè poſſunt decipi & ſupplantari, hoc ipſo, quòd homines ſint; at quis Deum circumveniat omniſcium? Novi aulam percelebrem, ubi Princeps ipſe ſingulis ſeptimanis accurato examine ſingula officiorum protocolla & rationes publicas luſtravit, perſuaſus, nec denique falli poſſe tam vigilem tam induſtrium Viſitatorem. Sed clanculò ad hebdomadariam Principis induſtriam ſagax atque cal lidus Officialis, & ut Principi oſtenderet, ſtante hac induſtria, adhuc fraudes & technas dari quamplurimas, quibus ſi proprium in lucrum uti velint pravi & infidi Officiales, poſſint grandia

(4) Pſ. 54.

C. Doctor Pariſiensis damnatus prima fuit cauſa Carthuſiæ.

grandes thesauros ex malè partis corradi, Principe nihil horum advertente, hæc inquam ut ostenderet, ipse intra paucos annos Principi suo depeculatus est viginti millia florenorum, interim rationes datæ, ab ipso Principe lustratæ, semper sunt probatæ. Nihil ex hac summa sibi vendicavit depeculator, sed totam per tertium, suum ad Principem devolvi fecit, ut videret, omnem vigilantiam, omnem industriam esse irritam, si fixum sit, fraudibus & dolis peculium ampliare, Deo insuper habitô & conscientiæ remorsu. Deum bonum! si perpetuas inter lustrationes, tanta nihilominus summa ex obliquo per Officiales corraditur, quæ summa corradetur, ubi Principes ipsi & terrarum Summates causis pænè omnibus indormiunt, suis Officialibus & Vicariis Judicibus omnes causas committunt decidendas, nullam penitus ab ipsis rationem exigendo, vel datam obiter lustrando, quàm enormes opum acervi per summum nefas colligentur, si nullum sciant inspectorem, nullum qui aut velit aut possit ipsos judices cribrare & judicare. At habent illi suam strictissimam obligationem, jurârunt Principi suo fidelitatem, sinceritatem; *nocte dieq; suum gestant in pectore testem &c.* at quid si hunc privatum hunc invisibilem testem exploderent & fortiter reprimerent? quid si alid juramentũ orco fecissent, nullũ principi datum servandi? quin tales Judæ germani fratres adhuc hodie frequenter ad urnas sedeant judicarias, dubitari non potest, qui suas rationes annuas ita subdolè sciunt exponere, ut nec umbra fraudis appareat. Sic homo hominem ludit, decipit, fallit, ac centies circumvenit, quàm vel una vice fraus subdola notetur. At similem ludum etiam cum Deo lude? hic brevi larvam detrahet effero nebuloni; hic ocius omnem versutiam cribrabit & exterminabit. Sic factum legimus memorato Doctori, qui tantam mundi totius nauseam peperit Brunoni & Sociis ejus. Doctor iste dicebatur Raymundus Diocres. Decantabatur Viri hujus splendida virtus totam per urbem, eoque in pretio erat passim, ut à pluribus in cœlos usque crebris laudibus extolleretur, ab aliis etiam aris digna proclamaretur; at sicut non omne id quod splendet aurum est, ita nec omnis pietas ad lydium veritatis lapidem probata veri nominis pietas est; Hieronymo etiam *impia* datur *pietas* (r)

(r) S. Hier. ep. 38. ad

*fallit enim vitium specie virtutis & umbrâ*, vulgi rumor fut per mendacia crescit, natus ab aura, in auram creberrima resolvitur. *Vox populi vox Dei* falsum est proverbium, quia centies fallit. Rumores hosce pridem obtrivit (6) Isaias: *Populi meus, qui te beatum dicunt, & viam gressuum tuorum dissipant: stat ad judicandum Dominus*; alia nempe judicia in reprobos judicaturus, quàm cœcutiens mundus judicet, cui lumen rationis ademptum. Alius longè coram Deo stetit Raymundus, quàm foris hominibus appareret. Raymundus tanquam impius Jurista & mammonista (prout rectius Plato, de quo supra memini, (7) ratiocinatur) multas impias & iniquas actiones suscepit & extorsit; multos bonis exuit & fortunis; multum & numerosum iniquitatis mammonam sa juris fecit protrito jure, nec quidquam ex malè partis à se removit, exceptis eleemosynis, quas sine ullu fructu non ex proprio in pauperes erogavit, sed ex alieno, unde vota precesque pauperum multiplicavit. At cùm hanc pharisaicam pietatem, hanc hypocrisin & iniquitates ad supremi Judicis urnam detulisset, aliud longè judicium tulit, quàm latum sit Parisiis, Obiit quidem in speciem piè sacris omnibus rite communitus; at cùm publicè in æde sacra prostante cadavere solennes exequiæ celebrarentur, hem tertia vice è feretro Caput funus sustulit, ac stupentibus & horrentibus universis tanto spectaculo affusis, primò *accusatus sum*, secundò *judicatus sum*, tertiò *damnatus sum* horrida voce auditus est proclamare. Adfuit horrifico huic spectaculo cum Socio Bruno, & soluto linguæ membrorúmque omnium stupore, quem tam insolitus eventus injecerat, vitæ hujus lubricum & salutis æternæ incertum statum pectore versans, Socios persuasit, calcibus mundo illisis eò secedere, ubi æternam salutem, quâ infelicissimus Doctor exciderat, in tuto locarent. Hic patet vera & fundamentalis causa, cur Bruno Carthusias tanta vivendi austeritate obvallaret. Sumpsit secum senos in solitudinem pari cum ipso ex damnato Doctore metu ac horrore perculsos.

(6) Isa. 3.

(7) Hier. Plat. l. 2. de bon. stat. Rel. c. 22.

Hanc horroris plenam tragœdiam nemo disputet, nemo in dubium revocet; licet enim sub Urbano VIII. in Brevi

Breviariô excluſa, veritati tamen ejus nihil inde detractum eſſe patebit ex dicendis. Teſtatur apertè Raynaudus (8) Sacram Rituum Congregationem, cujus proprium eſt ſacris officiis & librorum Ritualium recognitioni operam impendere & curam, publicis litteris profeſſam eſſe ſequentia: *mens nunquam fuit Congregationis vel improbare, vel in dubium trahere propoſitæ narrationis veritatem; de hiſtoriæ illius depretianda veritate nec ſomniavit Congregatio.* Cur ergò expunxit? quia lectiones nimis erant prolixæ. Mos iſte antiquus eſt Eccleſiæ, in ſacris Officiis Sanctorum, qui Religioſas familias inſtituerint, recenſere vitam eorum, non verò cauſas, ex quibus ad inſtituendum Ordinem ſint impulſi. Ceterum ſtant pro hac tragœdia mordicus defendenda Claſſici Authores minimùm 60. qui omnes pro primo fundamine & angulari lapide Ordinis Carthuſiani præſentem tragœdiam allegant. Hæc tot authoribus ſuffulta hiſtoria non ſit authentica? multò minus authentica dixeris quæ ſcripſit Metaphraſtes, Lippomanus, Surius, Rosweidus aut Bolandus. Raynautus tanti facit hanc hiſtoriam, ut poſt Canonicos Scripturæ libros, facti hujus veritatem primo ſtatim loco proponat his verbis: *ſi hæc narrationis ſtabilitio non ſit idonea, contende, nulla deinceps fore Sanctorum acta extra Scripturam Canonicam, quorum Veritas non vacillet.* Mart. Delrio (9) vocat hunc Doctorem *ter mortuum*; ut enim hiſtoria meminit, ſurrexit è tumba ſingulis diebus per triduum, cùm vigiliæ canerentur, & illa lectio, *Reſponde mihi*: primo quidem die exclamâſſe dicitur *accuſatus ſum*: alterò *judicatus ſum* & tertiò tandem *damnatus ſum*, ut adeò hæc tragœdia primùm fuerit 3tio die expedita, ut ſciri poſſet, quorſum Doctor iſte delatus.

Sed hæc ipſa ratio erat Theologica, quæ difficilem fecit & dubiam reddidit hiſtoriæ hujus narrationem. Nata eſt hæc difficultas ex eo, quòd judicium particulare, quo quivis homo malus damnatur, mox poſt hominis obitum peragatur, quod tanquam veritatem Catholicam ſtatuit & proclamat (10) Suarez, multas hanc in rem Scripturas producens & SS. Patres. Suffragatur huic ſenſui proportio ad eos ducta, qui omninò nitidi hinc excedunt; de fide enim eſt, eos mox gloriam aſſequi, quod

(8) Rayn. t. 9. in Hagiol. Exot. D. Hiſtoria de Paris. Doct. certa eſt, licet ſit Breviariô excluſa.

(9) Delr. Diſquis. l. 2. q. 26. Sect. 5.

10) Suarez. t. 2. p. 3. d. 52. Sect. 2.

quod utique sine judicio particulari prævio fieri non potest; pariter ergò malus, in ipso puncto animæ à corpore suo avulsæ, suum judicium excipit juxta illud (11) Eccli. *in fine hominis denudatio operum ejus.* Tunc sicut cessat tempus merendi, sic etiam tempus cessat demerendi. Meritò itaque tunc reprobus, jacente adhuc in lecto corpore, sententiam suam excipit, & ex illo ipso momento pœnas subit decretas. Quomodo ergò in tragœdiæ hujus narratione signatè dicitur, hunc reprobum Doctorem primo *die accusatum*, secundò *judicatum*, & tertiò primùm *damnatum* esse? Suarez paulò antè citatus Hispaniæ Doctor, agnoscit in hoc ipso exemplo, nullam temporis prorogationem inter mortem Doctoris hujus, & inter particulare judicium illius interceßisse, rem tamen & historiam præsentem nobis sine ulla falsitate modo nobis aut nostris hominum judiciis accommodato exhibitam esse, etsi non eo modo & ordine, quo actu contigit. Sic plus horroris incussum est spectatoribus animis; sic altius hæsit memoriâ reconditum, quod per solitum triduum tardè ac nervosè singulis fuit inculcatum. Nihil adeò per hanc judicii distinctionem ad captum plebis productam, detractum est primis Theologiæ principiis, ut fusius probat (12) Thyræus. Nunc ad historiam revertimur, cujus veritas priùs suis ritè testimoniis debuit obfirmari.

(11) Eccli. 11.

(12) Thyræus tract. de appar. c. 13. n. 43.

E. Documenta huic tragœdiæ suffixa.

Quid ergò mei Auditores ex hoc tragico damnati Doctoris exemplo, qui primum lapidem Carthusiis posuit, domum nobiscum deportemus? sufficit AA. si duas duntaxat voculas illas, quibus nos obvios Carthusiani salutarent, nobiscum deferamus, *memento mori*, & nos adeò eminùs ad mortem præparemus, sed melius, sed sanctiùs quàm Doctor iste, pessimè persuasus, se etiam Numen in cœlis excœcaturum, sicut homines in terris decepit. Ah nemo sit, qui Doctoris hujus vestigia premat sequendo, & cum illo fucatam pietatem præseferat, eleemosynas ex alieno in pauperes dispertiat, a nominis famam in terris, non item in cœlis aucupandam. Larvam huic hypocritæ justum Numen abripuit, eúmque orco adjudicavit, ut omnes alii damnò saperent damnati Raymundi. Ah nemo sit, qui cum hoc legista mori præsumat, qui non miselle

misellos ad incitas redegit, tot impias causas suô patrociniô firmavit, tot pravas actiones in longum & in latum protraxit, donec ab utraque parte pinguibus oblatis ungeretur, & quod uno poterat triduô expediri, totum in triennium protelavit, donec alterutra factio fatis concederet; quibus modis ac versutiis tot iniquitates Raymundus commisit, ut Deus ultrà nollet tantum scelus terras obambulare.

Singuli potiùs serio cogitatu mortem revolvant, quæ vel æternùm beatæ, aut æternùm damnatæ perennitatis prima ponat principia fine fine. Hieronymo (13) teste, *quisquis castigat esse moriturum, contemnit facilè præsentia, & ad futura festinat.* Qui cogitat se moriturum, at unà nescit, quando, quomodo & ubi locorum sit moriturus, omnibus horis, omnibus locis diffidet. Omnes dies reddet suspectas, quid si hodierna, quid si crastina esset ultima? an hæc & hæc tunc etiam attentarem, quæ modò temerariis ausibus attrecto? an hodierna an crastinâ quoque tam luridè victitarem, prout lapsis diebus vixi? nunquid potiùs in tuto salutem meam collocarem, ut possem fausto subsidere diem supremum obire? nunquid adhuc ante solis occubitum cum hostibus meis pristinam in gratiam redirem, omni rancore procul è præcordiis profligato, ut ego quoque scelerum meorum veniam summo à Deo reciperem? an etiamnum lucro impio per summum nefas inhiarem? nunquid potiùs quidquid alienum bursam irrepsit, procul à me removerem? nunquid cum Deo agerem candidè, & meo solius peculiô mihi amicos conciliarem, quorum preces pro me affatim fundendæ cœlos penetrent. Doctor iste largas quidem suppetias pauperibus tulit, at Deus oblata furtô alteri ablata nec recipit nec respicit, nec pauperum sic lactatorum preces exaudit. Eleemosynis hisce nemo cœlos mercatur, sed orcum potiùs. Nunquid tandem totis viribus pœnitentiam apprehenderem, animos candida exhomologesi purgarem, méque Sacris omnibus ritè præmunitum morti aptarem & judicio, quod presso pede mortem sectatur? Cùm ergò nesciam, quando mihi sit prolixa æternitas adeunda; quando mihi coram Judice standum sit omniscio,

(13) S. Hier ep. ad Paulinum.

omnis hypocriticæ falsitatis, omnis iniquitatis acerrimo ultore, vivam hodie, quasi crastinam non sim visurus, *memento mori*; hodie adhuc elaboro, quod moriens optarem elaboratum esse juxta tritum illud Poëtæ, & jam sæpius obtrusum lemma:

*Omnem crede diem tibi diluxisse supremum,*
*Fac modò, quæ moriens facta fuisse voles.*

Prout nuper monuimus; sic nostra ex funerali tumbâ melioris notæ oracula speramus proditura, si & nobis datum esset ex feretro caput levare, quàm visa sint ex Raymundi tumba prodiisse. Diceretur quidem primitus, *accusatus sum* à diabolis; at quia singula factæ accusationis capita & puncta sacris pœnitentiæ operibus, malè partarum candida restitutione, ardenti charitate in Deum & in proximum meum tunditus expiavi, fui quidem à justo Judice *etiam judicatus*, sed à morte ad vitam omnibus gratiis, omnibus deliciis affluentem, quam mihi clementissimè largiri digneturPater Filius & Spiritus S.

Amen.

CONC.

# CONCIO XLVII.
# DOMINICA XXII. POST PENTEC.

*Cujus est hæc imago? Matth. 22.*

## Pravi Pictores.

OPt. AA. nemo mihi hodie vel obmurmuret, vel obloquatur. Cogor justam crisin in nonnullos ævi nostri pictores exonerare, & in asseclas eorum, qui quidem pictores non sunt, pravos tamen pictores subinde grandibus elogiis exornent, ubi potiùs in eos tota oris cacochymi vomica totis esset viribus eructanda. Non ego hic loci de grandi abusu eorum loqui cogito, quô multa sæpè sub aspectum ponunt, non prout historiæ aut facti veritas requirit, sed prout illis hæc & hæc propria dictat phantasia. Credunt fortè illis licitum esse, quod omnibus aliis severa lege prohibitum est, juxta tritum illud: *fingere concessum est pictoribus atque poëtis.* Si fictio ingeniosa non abludat ab historia, nec inde damnum aliquod ad scandalum emergat, fictio non improbatur; secus? mutum est mendacium. Maximè tamen hic loci curandum est, ut ne quid Sacris affingatur, quod vel sanctæ Veritati reclamet, vel sacris modestiæ legibus contradicat, vel cultum Deo & Sanctis ejus debitum mutilet, succidat aut penitus evertat. Explicemus nonnullos vel inepti, vel idiotici, vel etiam scandalosi penicilli exempla. S. Patri Hieronymo jubatum leonem appingunt, nec malè, nec inconcinnè; ut enim Paulinus (1) testatur, ad Bethleemitas olim venit horridus leo; quô viso cùm omnes aufugerent, abjecit se publicè ad S. Hieronymi pedes humilis leo,

A. Acerba crisis jure in pravos pictores exonerata.

(1) Paulin. in Vit. S. Ambros.

B. Errant multoties in pingendis Sanctis maximè S. Hier.

eique pedem obtulit dextrum, quasi diceret, en spinam Pater sanctissime, juva me & pedem libera paliurô, spinam extrahe, tenuit ociùs porrectum pedem Hieronymus, & spinam extraxit, salvumque à se leonem dimisit; qui tamen, ut suo Sospitatori se gratum exhiberet, multo tempore agasonem egit leo, asinos tutatus canis instar, medico suo identidem ablandiens, ut ostenderet, beneficium ingrato collatum non esse. Leo inquam iste rectè Hieronymo appingitur, sed cui bono ibi etiam expressus jacet purpureus Cardinalis pileus? Fuit Hieronymus tantùm Presbyter & Parochus in Bethleem, prout passim nuncupatur, Cardinalis nunquam fuit Hieronymus. Vixit Hieronymus Annô Christi 390. pileum autem Cardinalitium primùm introduxit Innocentius quartus Summus Pontifex Anno Christi 1244. ut quid ergò Hieronymo aptatur, qui annis antè vixit octingentis, quàm pileus ille ruber erigeretur. Non est de subjecto supponente pileus ille.

C. S. Josepho.

S. Josephum Virginis Sponsum exhibent non juvenem, sed devexâ jam ætate, planè canum, annis gravem, incanum, suffultum & quasi octagenariô majorem, cùm tamen

(2) Isa. 42.

de illo præsagiret (2) Isaias: *juvenuscum Virgine habitabit*, quod Isaias juxta Lyranum & Cornelium à Lap. de Josepho non Deipara intellexit. Si ergò juvenis Conjugem duxit Mariam, dic, unde tam repentè incanuit? & verò, quæ solatia, quæ vitæ subsidia, quæ peregrinationum levamenta à capulari sene vel accipere vel exspectare potuisset Maria? nugæ, & non nisi pictorum rudes gerræ!

D. S. Joannes Evang.

S. Joannem contrà Apostolum & Evangelistam totum senem pingunt, qui potius annis canuit. Obiit annô ætatis suæ nonagesimô nonô. Hunc quis floridæ mentis dicat senem, cui unus deest annus, ut totam annorum expleat

(3) Marc. 14.

centuriam? Quod Marcus (3) de adolescente memorat, qui Christô captô dicitur aufugisse, *adolescens amictus sindone super nudo*, id nullô modô ad Joannem devolvatur; quicunq; is fuerit adolescens, Joannes certè non fuit, qui Christi ferè coætaneus fuit, uno vel altero anno minor Christô aut junior Christô. Ut quid ergò

ergò velut *adoleſcens* traducitur ? dicitur adoleſcens ab anno 12. usque ad 21. cum quo anno incipit juventus; Joannes autem tunc temporis jam egreſſus eſt annum trigeſimum. Patet adeò toties pictores grandem ſolœciſmum committere, quoties Joannem ita juvenem producunt, qui annum propè attigit centeſimum.

E. S. Andreæ

S. Andreæ crucem in manus dant oblongam; malè iterum & peccaminosè. Maſſiliæ Crux ejus honorificè aſſervatur & colitur, at illa tota quanta ſimilis eſt Cruci, ex qua Chriſtus pependit, ut Robertus teſtatur (4) Cenalis, ergò &c.

(4) Rob. Cenalis in op. de re Gall.

F. S. Martino.

S. Martino Turonenſium Epiſcopo paſſim anſerem affingunt ſine ulla ratione, ſine ullo fundamine. In vita ejus à Sulpit. à Greg. à Surio & aliis conſcripta nec pluma, nec litera de anſere reperitur. Si pro anſere Sancto huic lepus appingeretur, vitio dari non poſſet pictura, quia in vita ejus expreſsè legitur, leporem à canibus exagitatum ſub togam S. Martini tanquam ad aſylum confugiſſe. Plurà de hoc anſere perperam Sancto huic appicto dixi ex inſtituto in Analog. Tub. p. 1. feſtò S. Martini.

G. SS. 12. Apoſtolis.

Jubentur penicillò ſuò 12. Apoſtolos deſcribere? deſcribunt illos quidem, ſed peccaminosè; vel enim ex duodecim Apoſtolis faciunt tredecim, vel ſi duodecim proponant, unus Apoſtolorum per illos excluditur, & ordinariè hæc etiam ſors cadit ſuper Matthiam ultimum, in Judæ ſtationem ſubrogatum. At quid peccavit Sanctus iſte, ut ſuam nequeat ſtationem in Apoſtolorum Collegio tueri, locum nempe duodecimum? hinc totus error prognaſcitur, quia huic Apoſtolorum duodecadi etiam S. Paulum intrudunt, qui tamen Collegii hujus membrum non eſt, duodecim Chriſtus in vivis vocavit, quibus etiam annumerari debet S. Matthias in locum Judæ poſt aſcenſionem Chriſti primùm ſuffectus. Paulus adhuc ſeriùs per vocem è cœlo tonantem converſus eſt, ut Acta loquuntur Apoſtolica. Duodecim Apoſtoli duodecim fidei articulos compoſuerunt, ubi tamen S. Paulus nihil penitus collaboravit, quia tunc adhuc Saulus erat Eccleſiæ perſecutor. Curent adeò locorum Parochi, ne in ipſorum Eccleſia tam ineptæ Apoſtolorum picturæ irrepant, intruſo Paulo, & excluſo Matthia.

H. Augustissima Dei-Parente Maria.

Porrò graviter penicillô suô impingunt pictores, cùm Augustissimam Deiparam repræsentant. Hic quidquid artis ei, expromant, ut Deus ac Deipara omnium cultui splendidè proponatur. At sæpenumerò contrarium experimur. Quàm quàm ineptè Salutationem Angelicam describunt? quàm fœdidè Nativitatem in stabulo Bethlemitico efformant? infulti quidam pictores Divam Virginem, cùm ab Angelo salutaretur distentam exhibent rosariô recitandô. Ridete, quidquid domi est cachinnorum, ludicram insulsitatem! quomodo enim tum fuderit Orationem Dominicam, quæ necdum erat composita idem liquet de Angelica Salutatione. An seipsam implorans? Cùm Maria suam voluntatem Divinæ illigâsset dicens, *ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, illo ipso momentô in Utero Virginis Deus Homo factus est, qui ut alii infantes in Utero gradatim crevit, donec orbis nasceretur. Hoc ut pictores exprimant, pingunt in nubibus SS. Trinitatem, & inde per radios defluum nudum infantem, qui rectà Uterum petat Virginis introire. At quis non videt, per hunc carneum infantem cœlo defluum Valentinis, Apollinaristis & Gnosticis hæreticis latè fores reserari, qui dicunt Deum è cœlo secum jam corpus tulisse cœlicum & divinum in Virginis uterum, ut narrant Epiphanius (5) Irenæus (6) & (7) Justinus. At quomodo sic Mater erit Dei Maria, si carnem & sanguinem non hausit à Maria, sed etiam secum Deus jam è cœlo detulit. Porrò hac ineptissima & fidei nostræ palàm reclamante pictura ex umbris in lucem eruitur, & quasi ex orco resuscitatur Apelles illius jam tempore S. Aug. damnata secta, qui ausus est palàm effutire, Christi Corpus non ex carne & sanguine Mariæ, sed ex elementis compactum esse, unde corpus ejus plùs dici mereretur phantasticum quàm verum corpus. Interim adhuc hodie in grandibus aris similes prostant picturæ, etiam apud illos quod jure mireris, qui omnium artium & scientiarum coli volunt idola & pænè adorari, quasi omnes scientiæ cum illis solis natæ essent, & cum illis essent morituræ.

(5) S. Epiphan. hæresi. 31.
(6) Irenæus l. 3. c. 11.
(7) Justin. Apolog. 2.

Cùm Deipara in stabulo mundi Salvatorem peperisse, credunt aliqui rudes & in Sacris hebetes idiotæ idem Deiparæ hoc in partu & puerperio accidisse, quod suis vident puerperis accidere

accidere pictores ; ubi tamen iterum enormibus modis errant peccantque. Quæ benedicta est in mulieribus, plùs quàm omnes aliæ benedicta, imò gratiis omnibus, plena & superplena, non debet trivialium feminarum choro inseri, multò minus cum illis comparari, quæ est supra omnes etiam Angelorum choros sublimata, Deo proxima. Aliæ omnes feminæ cum enormi dolore filios pariunt, inde horridas corporis sordes, inter sanguinis & aquæ copiosa profluvia, clamores inter & ejulatus, cum enormi virium humanarum detritione. Filii eorum utplurimùm turpi illuvie fœdati in lucem veniunt, balneis primùm & repetitis lotionibus purificandi. Nihil horum affingi debet Virgini Matri puerperæ. Peperit filium suum Deipara sine ullo dolore, summo cum gaudio, sine ullo cruciatu. Sublatâ causâ tollitur affectus, ubi ergò conceptus fuit sine culpa, ibi etiam dari debuit partus sine pœna. Hanc rationem duo maximè Patres cum aliis omnibus fusè allegant, ex quibus modicam plagulam produco. Richardus Victorinus (8) sic loquitur: *sicut absque libidine concepit, sic absque dolore peperit.* Amedeus hæc (9) habet : mulieribus in peccati *pœnam dictum est in dolore paries &c. cùm autem Virgo ceteris naturâ communicaret, non culpâ, & ab illuvie peccati originalis penitus munda esset, non sustinuit Justitia Divina innoxiam doloribus subjacere, quos peccatum parit.* Hinc à Virgineo partu isto procul etiam ablegari debent omnis sordium illuvies, omnia lavacra. Sordeant alia omnia puerperia, & fœtus è maternorum locorum sentina prodeuntes, densis fæcibus scateant, sibique junctas habeant grandes spurcitias &c. hic tamen nihil horum somniatur. Prodiit ex Virgine Divinus Infans totus nitens, totus illimis, nullis sordibus delibutus. Matri Virgini nulla adhibita sunt fomenta; his enim nec opus habuit, nec ullo potuit titulo indigere, quæ meruit in uterum accipere, & nunc ex purissimo sanguine matris fotum & augmentatum luci dare meruit omnium Salvatorem. Hunc Salvatorem, & hanc integerrimam Salvatoris Matrem talis partus talis decuit ortus, qui & in se haberet humanæ substantiæ naturam & humanæ carnis inquinamenta nesciret. Audiatur hic loci unus adhuc Pater Chrysologus his jure suo in rudem antagonistam (10) invectus: *stulte, unde*

(8) Rich. Vict. l. 1. de Emman. c. 10.

(9) S. Amedeus hom. 4.

(10) S. Pet. Chrysol. orat. de 5. hæret. c. 5.

*unde sordes in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine patre? stulte, unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo perpessa est dolorem?* Ipsa hæc mater, ut expressè memorat Evangelista, (11) filium suum pannis involvit & in præsepe seu rurales cunas reclinavit: ipsa cum Sanctissimo Josepho & præsentibus Angelis Jesulum curavit, ipsa Parens purissimo lacte suo suum filium lactavit, sine adjutrice, sine auxiliatrice femina. Sic passim SS. PP. loquuntur (12) S. Cypr. S. P. (13) Hier. S. P. (14) Athan. & alii sine numero. Ut quid ergò hic iterum crudi pictores Deiparam in lecto collocant, quasi enixu suo oppidò esset gravata, exhausta & detrita? quid decumbenti oppingunt obstetricem jam capiti cervical supponentem, jam ad vires fessæ ac defatigatæ reparandas, & juscula & sorbitiunculas parrigentem? quid opus hic neis & operosis lotionibus? ubi nullus est in matre dolor, ut nullæ sordes unquam locum habent tam in puero quàm in matre illius? apage has feminas a Virgineo partu? ignorant Sancti hujus Puerperii decora, qui penicillô tam insulso Nativitatem Domini depingunt; se ergò ritè instrui patiantur & erudiri, ne cum volunt Deiparam extollere, eam potiùs deprimant, ac probrosa lue aspergant. Ad hunc partum nemo trahi debet nisi ipsa Deipara, Josephus & administratorii Spiritus Angeli hi soli DEO recens nato serviunt, alii omnes digni non sunt, qui hunc Diviniſſimum Infantem manibus suis attrectent. Sic iterum expressè loquitur. Athanasius: *non permisit Deipara quemquam impuris manibus attrectare partum ab omni labe purum.* Puræ manus erant, quas habuit ipsa Virgo, Nutritius Joseph, ac Deo dilectus Senex Simeon, nec non Angeli præsentes corpus ex nubibus conglobatum induti.

(11) Luc. 2.

12) S. Cypr. Ser. de nativ.

13) S. Hier. l. cont. Helvid.

(14) S. Athanas. Ser. de Nativ.

Unum adhuc restat supinæ asinitatis palpabile argumentum, quod sicut pravis pictoribus non possum condonare, ita dissimulare non ausim, quia id in probrum cedere video Augustissimæ Virginis ac Dei-Parentis Mariæ. Arguitur per illos Regina Martyrum peccaminosæ pusillanimitatis, quasi suam Voluntatem Divinæ nunquam didicisset conformare, quod utique grande dedecus est, si Deiparæ per ripaldos pictores affingatur. En ut pingunt crucifixionem CHRISTI? juxta illorum penicillo

penicilla modicum sanè ex ea crucifixione honorem reportat Deipara. In Maria nihil unquam molle fuit aut femininum, nihil ita varium & mutabile, nihil ita timidum & propè desperabundum. Nullâ fortunâ se passa est fascinari, nullô infortuniô perturbari. Suam voluntatem Divinæ modô semper omnium perfectissimô copulavit & innodavit. In ea nihil erat inordinatum, nihil flecti cereum, nihil fractum aut emarcidum. Ut quid ergò hic denuò luridi pictores tam impetuosè in Deiparam suum evibrant penicillum, cum Filium ejus in crucem actum repræsentant? Cur Deiparam pingunt ex deliquio & animi pusillanimitate humi defluam, quam aliæ mulieres balsamô inunctam erigant & corroborent? quantos hic loci tumultus excitant imperiti pictores ut summum in Deipara dolorem foris exprimant? An tanta Virgineæ mentis abjectio Cœli deceat Reginam & ejus fortitudinem invictam, hæc forma indigna est cœlesti robore virginei pectoris, & voluntatis perennibus clavis Divinæ Voluntati affixæ. Audiant fucati nominis pictores, quid Psellus doctiori penicillo suo Deiparæ (15) adscribat: *Verbi Mater Animatum illud Virtutum omnium exemplar, indolet quidem supra quàm dici potest, simulq; eodem tempore contabuit & tantùm non vitam deposuit; retinet tamen gravitatem in ærumnis, anhelat sed remisse; suspirat sed intimè, & ita, ut nec auribus audiatur. Stat nihilominus concinnè seipsam componens, & in animæ intima mentem dirigens, neque ad filium oculos erigit, neque oculos aliò avertit &c.* En ideam, en formam Virginis sub Cruce stantis, cùm in Crucem Christus ageretur; stantem sub cruce Deiparam exhibet Scriptura; eam qui sedentem repræsentat vel jacentem, Spiritui Sancto in faciem contradicit, qui de Sponsa sua Virgine intemerata expresè (16) meminit: *stetit juxta Crucem Maria*, tota fortis, & magnanima in Dei Voluntatem perfectissimè resoluta, non sedit, non jacuit, quasi mente mota, & doloribus oppressa. Absit hæc figura procul à Deipara, Deiparæ tantoperè injuriosa, & probrosa figura. Quidquid etiam ex Palæstina producitur, ubi casus hujus & spasmi memoria recolitur, nugis & fucis cassa fictio annumeretur. De hac Matris heroica statione rectè in Lucam meminit (17) Ambros. *stabat*

(15) Mich. Psellus Orat. de pass. Dom.

(16) Luc. 2.

(17) S. Ambros. in

Luc. & in Orat. de obitu Valentiniani, ac de instit. Virg. c. 7.

*bat Sancta Mater juxta Crucem filii & spectabat unigeniti passionem, stantem lego, flentem non lego. Viris fugientibus stabat intrepida, quæ peremptorem non timebat, pendebat in Cruce Filius, Mater plùs quàm Martyr prompta stabat pati & mori.* Stabat sub Cruce velut altera illa Machabæorum Mater, & oculis irretortis, animò tamen acerrimè vulnerata, morientem filium spectabat, in omnibus Deo & Divinæ illius voluntati addictissima, cùm sciret, è Christi Cruce Deo summam gloriam, toti hominum generi æviternam salutem progna scituram. Stabat contra omnes Judæos, contra omnes pharisæos, imò contra omnes orci diabolos inexpugnabili fortitudine, infracta, imperterrita, inconcussa, quia novit, hanc esse Supremi Numinis Voluntatem, cùm nostra salus aliter reparabilis non esset, nisi ut homo Deus pro homine reprobo moreretur, & fato suo nos ad vitam revocaret cœlestem. Res sunt mira & prodigiosa! cœlorum axes contremiscunt, metu concussa tremiscit terra, totus orbis tremula vertigine convolvitur, nutant petræ, & dum Crucis vexillum in altum sustollitur, stellis etiam splendor obnubilatur, densæ cadunt tenebræ, ac terram pulla veste obvelant, fatiscunt creaturæ valido dolore percussæ &c. sola Virgo Mater stat immobilis, stat imperterrita, stat omnis casus expers, semper ad DEUM, semper ad cœlum erecta. Cùm Ethnici olim Constantiam pingerent, Virginem pinxerunt supra rupem stantem, undique maris fluctibus allisam cum hac epigraphe: *eadem sum semper.* Stat Maria in Calvariæ monte undique doloribus cincta, sed insultantibus dolorum fluctibus *illa semper eadem*: filius ejus tanquam seductor comprehenditur, & arctè vinculatur, flagellatur; *& illa semper eadem*, coronâ ex paliuris contextâ redimitur, latro Barrabas liber dimittitur, Christus innocens cruci affigitur, *& illa semper eadem*, juxta Crucem stat heroina; dirâ lanceâ in Cruce transverberatur, *& illa semper eadem* stat interrita, prompta filio vitâ exturbato oculos claudere, sanguinem extergere, plagas purgare, corpus inungere, ut inquit (18) Birgitta. Ah! quam longè à nobis hæc exulat tolerantia! nos vel levis pulvisculus in oculo mi dejicit! nos amariusculum verbum exacerbat! nos vel obliquus oculorum aspectus excruciat! nos quævis puncti-

18) S. Birg. l. 4. revel. c. 70.

ra irritat! nos quilibet labor territat,& ad multiplices quærelas instigat! nos omnis acerbus casus & tristior fortuna enervat! O vel umbram fortitudinis suæ sub Cruce stans Deipara in nos molles & delicatos homunciones devolvat!

At nostros ad pictores revertimur, cum quibus hodie totum nobis negotium est. Dicant *cujus est imago hæc?* quâ SS. Cœlites depingunt? Volunt horum cultum & gloriam promovere? pingant illos prout ratio exigit, Veritas & Scriptura; prout pingi eos volunt Sancti Patres, sine probro, sine veri dispendio, sine scandalo. Illos ego pictores intelligo, quibus Deus sæpe graviter lædit; quibus Sancti Cœlites injuriantur; quibus imperitæ plebi ac cereæ juventuti grande scandalum præbetur, unde numerô pænè innumerô in orcum deturbentur. *Cujus est hæc imago*, cujus ex aspectu tot cœlô suô exciderunt? horrenda res, dolenda res, pictorũ pravitatem hôc ævô tam enormiter auctã esse, ut ne quidẽ stygiô penicillô suô Deiparæ parcant & Virginum cœlestium Choro. Hé quàm luridè, quàm liberè ac dissolutè, quàm scandalosè ibi est depicta Maria! quàm luxurioso ritu illa in ara prostant Virgines pro fide, pro virginitate gladiô cæsæ Martyres Catharina, Agnes, Barbara, Margaretha &c. nunc velut infames lupæ, putentes lamiæ, ad luxum & luxuriam comptæ pellices, quas nullus castior oculus intueatur, publico cultui proponuntur, pfui propudium vel ab ipsis olim Ethnicis reprobatum; hoc sub titulo has tabulas pridem removit & ignibus exussit Michaël Merspurgensis Episcopus. Audiatur quid de his tabulis suo in Catech. (19) loquatur: *plus quàm ethnicum est, in Ecclesiis Christianis Divorum Cœlitum imagines tanta cum lascivia, tanta cum petulantia, tanta cum vanitate depingi, haud secus, quàm si publicæ turpitudinis scortafuissent.* Ipsi gentiles execrati sunt tabulas hasce, & illas prensent Christiani. Sic Propertius (20) *illa tabella rudes juvenum corrupit ocellos.* Aristoteles hæc suis in politicis (21) præscripsit: *cùm dicere quidquam turpe interdiximus, clarum est, quòd etiam aspicere turpes picturas prohibemus. Sit ergò cura Magistratibus* (pergit Arist.) *nullam nec picturam, nec statuam esse, talium rerum imitatricem.* Hæc ex orco clamant ethnici; sed quis audit hos clamores? summi & ad urnam versandam promoti Grandes ipsi sæpè ambulacra & cubicula sua his tabulis opplent. At

I. SS. Virginibus.

(19) Mich. Ep. Constant. in Catech.

(20) Propert. l. 2. eleg. 6.

(21) Arist. 7. polit. c. 17.

K. Pravæ picturæ proscribantur.

L. Causant damnationem. Probatur. Hist.

cur sæpè Sacri Sanctos Cœlites suis in Ecclesiis turpibus penicillis prostitui patiuntur? cur non ex oculis removent patens scandalum? Possem ego tales Ecclesias signare, quos hircini adeunt leones, ut pravâ Cœlitum malè pictorum formâ se oblectent; sed famæ parco, licet & hanc possem prostituere, sicut ipsi Sanctas prostitui ferunt, reboante conscientia. Quæ oratio fuerit, quam coram ita impudicis Virginum formis expediunt peregrini? hic nempe totam pietatem orcus ridet, cui apprimè suis cum tabulis hisce serviunt iascivi pictores. Ah quam rationem dabunt Deo, qui has icones ita petulanter vel penicillo effigiant, vel in cera, saxo, aut ligno eformant, aut imperant efformare; tales etiam artifices suo in districtu fovent, amant, tolerant! O scimus! Deo lascivam cogitationem focis puniri sempiternis; at ubi plures hujusmodi cogitationes excoquuntur quàm coram tabulis illis? *segniùs irritant animos demissa per aures, quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus &c.* volat verbum sed manet alta mente repostum, quod per oculos in præcordia penetravit. Hæc imaginum colluvies rectè à Vega (22) *reti stygio* comparatur, quo innumeri orco transmittantur. Si *stygium rete* talis est pictura, rectè hujusmodi pravos pictores *stygios pellicum aucupes* nuncupabis? unà illos, qui tabulas tanti scandali feraces palàm suspendunt. Hæc causa est cur talium iconum pictores, & earum suspensores, fautores, productores, promotores *peccati mortalis Scholæ arguant theologicæ, quia sic proxima occasio pluribus in peccatum & in orcum prolabendi offertur.* Sic in terminis loquuntur Sanchez. (23) & (24) Azor. Arias. (25) & (26) Sayrus. Bonacina. (27) & (28) Possevinus. Olaus (29) & (30) Beyerlin. Bernardinus (31) Villegas. Theophilus (32) Rayn. Christoph. (33) Vega & (34) Roa. Hem totam duodecadem doctissimorum Virorum & Doctorum, qui harum turpium imaginum patrônos cœlô excludunt, quia eos peccati mortalis redarguunt. An num etiam hactenus dicta pabili exemplo suffulciam? votis pareo. Audiatur proin ad abundantiam paucis, quod suis Dom. Englgrav. (35) inseruit.

Fuit vir magna religione & vitæ sanctimoniâ conspicuus, qui cùm grandem dæmonum turbam in ædes Magni alicujus Domini penetrâsse vidisset, mox & ipse insecutus, vidit eminus, eas nudæ

(22) Vega. palæst. 17. Cert. 18. 23) Thom. Sanch. l. 9. de matr. disp. 46. (24) Azor. t. 2. l. 12. c. ult. q. 9. (25) Arias. de mort. (26) Sayr. clav. reg. l. 8. c. 7. dub. 11. n. 30. 27) Bonac. de Matr. q. 4. 28) Possev. de pict. c. 25. (29) Olaus. l. 15. c. 11. 30) Beierl. t. 9. theat. (31) Villeg. in S. Lutgard. (32) Rayn. in Erotem. (33) Veg. pal. 17. Cert. 18.

(34) Roa. in lib. statuum. (35) Englgrav. dom. 4. quadrag. t. 1.

nudæ cuidam tabulæ muro appensæ incensum offerre. Sacris exorcismis adjurati fassi sunt, ab hac una tabula se plus lucri recipere, quàm tota ex urbe dispersim sumpta. Territus hôc nuntiô, exposita rei serie, domûs illius Summatem monuit patronum, rogans obsecrans, ut picturam illam focis committeret, cujus causa tot in orcô arderent. Risit more politicis recepto hæc monita Grandis & visionem somnio adscripsit. Redibant altero die magnô numerô diaboli; at cùm eos iterum pius explorator vir ascetа sequeretur, ecce vidit Grandem illum ante nudæ Veneris imaginem prius thure cultam à dæmonibus in frusta discerpi, eumque cum anima & corpore per fenestram ad orcum raptari.

En pictores hactenus signati, & turpium picturarum fautores patroni, quid mali pariant icones scandalosæ! en ut in ædes diaboli provocentur, & Deus ipse pravitatem ulciscatur, quâ tot animæ seducuntur. Singuli tabulas & icones suas domi explorent, & ex singulis quærant *cujus est hæc imago?* & hæc & illa statua, icon & pictura? hanc quæstionem non tantùm forment pictores, sed & calcographi, ossigraphi, statuarii, latomi, murarii, gypsarii, figuli, cerographi, sculptores, figuli, aurifabri & phrygiones. Si eorum picturæ aut cœlaturæ illam, quam animo circumferimus, maginem extinguant, væ illis imaginum fabris, emptoribus aut patronis! quotquot ex harum pravo aspectu prava concipiunt desideria & graviter peccant, audient illud (36) *sanguis ejus de manu tua requiretur*, qui has icones elaborâsti, vel aliorum oculis obtrusisti, pari pœna cum damnato multaberis &c. quod à singulis pium Numen avertat!

Amen.

36) Ezech 3.

# CONCIO XLVIII.

# DOMINICA XXIII. POST PENTEC.

*Domine, filia mea modò defuncta est. Matth. 9.*

## Funus bufonianum.

A. Vita nostra Comœdia est seu spectaculum.

REctè vita nostra Comœdiæ comparatur AA. Ha varii generis personæ dantur, Reges, Principes, cives, ruricolæ, mendici, apparitores, scriba lictores, viri, feminæ, juvenes, puellæ &c. Singu suam personam bellè agere tenentur; eam si ma sustineat Mopsus, sartor aut mendicus, facilè accidet, u talis è trivio summam laudem reportet, & adhuc probè Grandibus spectaculo affusis dotatus, domum cum pa glorioſus ex theatro revertat. Novi nobilem Actorem paucis abhinc annis tumulo illatum, cujus collo aureum torquem Augustissimus Imperator Leopoldus injecit, quia rusticam illam mulierem ad vivum expressit, quæ ex pia simplicitate liquam adipe ac butyro totam Judicis conjugem inunxit, sic ab alia persuasa, si causam velit maturè per Dominum Judicem in suum favorem & lucrum sententiari, probè Judicis Bertam inungat. S. Paulus (1) hanc ipsam similitudinem Corinthiis proponit: *spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Hieronymus (2) legit: *theatrum facti sumus* in quo eam ludere personam debemus, quam nobis Deus distribuit. Et quis est spectaculi hujus spectator? Paulus angelos & homines allégat, imò & ipsum Deum, qui, prout vult, personas distribuit, & probos actores magnificè remunerat tur. Hoc in spectaculo, hac in Comœdia plerumque accidit, ut simplex rusticus, sutor, sartor, ludimagister, mendicabulum vel claudicans lictor Magnis terrarum Capitibus palmam prær-

(1) 1. Cor. 4.

(2) S. Hier. in Epitaph. Paulæ.

præripiat. Hoc sanè nihil novum est, nihil paradoxum, cùm Rex Hispan. Philippus II. fatis concessisset, illô ipsô momentô etiam placida & pia morte quievit ignobilis sartor; hic autem cum Philippo cœlis illatus tantô intervallô altiùs ad gloriam ascendit, quantô in terris à Summa Regis Majestate sartor distabat. Hîc non attenditur, quàm nobilem personam expleveris, sed quàm benè tuam egeris, seu summa fuerit seu infima. Finitô spectaculô, cuivis sua crisis proponitur, ut Sirach meminit (3) *in fine hominis denudatio operum illius.* Quod bonum est, laudatur, quod malum est, cribratur & castigatur. Ante hanc cribrationem, perennis lusus luditur, quô centies homines falluntur, qui jam illum, jam alterum extollunt. Sed ante omnia talis actor Deo debet probari; laus altera sordet. *Ante obitum nemo, supremáque fata beatus dici jure potest.* Multi se ab initio gerunt splendidè, sed in fine totam actionem præteritam corrumpunt. Hieronymo teste (4) *non quæruntur in Christianis initia sed fines; cepisse multorum est, ad culmen pervenisse, paucorum.* Paulus se ab initio hoc in spectaculo pessimè gessit, sed plùs ultrà progressus, quidquid antè perperam actum est, bellissimè resarsit. Judas contrà optimè cepit actionem suam, sed finis pessimus omnia destruxit. Sic hanc in horam agitur. Personam, quam Deus dat, multi obeunt præclarè sed ab ea tandem turpibus ausis deficiunt. Primus fervor vanescit; oresçit in dies pravitas, donec etiam pravus finis actorem excipiat. Hinc omnium auribus intonat (5) Joannes: *esto fidelis usque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.* Huic spectaculo, cui vita nostra comparatur, non cupio immorari AA. scio, ex hac similitudine totam concionem Dom. 3. post Pasch. doctissimum Englgrav elaborâsse, quam hic loci penitus intactam relinquo. In accurata vitæ nostræ observatione hoc præcisè votum formo dicóque: O utinam obitus etiam noster tale spectaculum, talis fieret comœdia, qualis est vita! cur hæc exopto? nemo credo fuerit, qui vitio mihi sit hoc votum daturus; quid enim melius exoptem, quàm ut mors nostra etiam fieret comœdia sicut vita. Hoc si concederetur, possem obitum ac mortem meam multò ante repetitis vicibus probare, donec tandem de actione

(3) Eccli. 11.

(4) S. Hier. ep. ad fur. & l. 1. cont. Jovin.

(5) Apoc. 2.

B. Utinam & mors nostra esset comœdia! ut sic posset in vestibus probari, & emendari vice altera

tandem de actione mea certus mihimetipsi satisfaciam. Datum mihi sit, mortem, ut ajunt, in vestibus probare, prout vita probatur, de prava morte nulla unquam solicitudo animos irreperet. Prima mors malè si succesisset, posset ea vicibus alteris seriò emendari; hæc sanè fortuna esset omnium maxima. Favit hæc fortuna filiæ hodiernæ, *Domine filia mea modò defuncta est;* at Deus eam ad vitam reduxit; ab umbris revixit, & diu supervixit; tum primùm piè, & sine dubio melius quàm prima vice diem obiit supremum. Mansisset funus? Deus scit, quorsum migratura fuisset! sursum? an deorsum? erat ætatis teneræ & periculosæ annorum quatuordecim, ubi jam poterat mundum sectari & tam pravis animi desideriis quàm operibus mentem contaminare; suam adeò personam in vestibus probavit, & quia primâ vice haut adeò feliciter vitæ actus succesisset, nævos omnes altera vice diluit & expunxit. Ornavit Virginitatem suam splendidis virtutibus, quas etiam tumulo intulit. Juxta Salmeronem (6) *Behora* dicebatur, & parens ejus *Jairus*, quod idē fuerit ac *illuminans, illuminatus.* Illuminavit utique patrem suum à mortuis resuscitata filia, quæ vitam alteram in continuo pœnitentiæ actu usque ad finem & secundum obitum protraxit. Sic agunt omnes illi, quibus à Deo indultum est, ut possent altera vice mori, occumbere. S. Maurilius Ep. (7) Andegavensis neglectō pueri baptismō, qui sine Sacris exspiravit, ita doluit, ut Ecclesiam suam clanculò relinqueret, & 7. annis servum ageret olitorem. Lapsō septenniō ad Episcopatum reductus, ad pueri sine baptismo extincti urnam prostratus ardentissimas preces effudit, & ecce à morte ad vitam puer reversus, à Maurilio Renatus est baptizatus, qui eidem posteà in Episcopatu successit. S. Patricius ad vitam revocat Regem Hiberniæ Echu nomine, quòd antequam moreretur baptismum peteret. Vivit inde alteram vitam pius & misericors, donec post plures annos alteram mortem obiret. Berchtoldus Ord. S. Francisci ferventissimus Verbi Divini præco prædicat Ratisbonæ, & peccatricem feminam tanta contritione inflammat, ut præ animi contriti vehementia humi funus flueret, repentinō fatō extincta. Orat Berchtoldus, & precibus suis in pedes erigit.

(6) Salmer. to. 6. tr. 16.

C. Beati resuscitati, ut melius possent mori.

(7) Bagat. p. 2. f. 533. n. 24.

erigit defunctam, ut animam posset perfecta exhomologesi coràm expiare, quô factô mira ex altero orbe palàm recensuit, & multos centenos ad pœnitentiam convertit, ut Platus (8) memorat. Ah quàm piè, quàm austerè septem adhuc dies illa vixit femina, quæ sine Confessione obiit, quia Severus Presbyter eam non amplius in vivis deprehendit, à quo tamen iterum ad vitam suscitata est, ut ritè posset confiteri, teste (9) Marulo. Quàm sanctè vixit Lapa, S. Cathar. Senens. Mater pariter sine sacris extincta. Noluit filia ejus ab exanimi cadavere pedem movere, donec videret matrem suam vitæ redditam. Sic viva & vegeta resurrexit, & sua cum filia inassiduis precibus & jejuniis plures annos vivendo transegit.

(8) Hier. Platus de bon. Relig. l. 1. c. 5.

(9) M. Marulus l. 4. c. 11.

D.

Actum est de simili Privilegio. Moriendum est semel pro semper.

Opt. AA. si nos quoque pari gratiâ bis moriendi clemens Deus donaret, ritè se ad mortẽ piè obeundam accingere possent singuli. Ita centies alteris posset vicibus reparari, quod prima vice actum fuit pessimè. O quàm multis salus in ævum firmaretur, qui eam modò perditam vident & damnatam! ô quàm piè viverent in tumulum usque plures alii denuò ad vitam revocandi! ô quàm multi propero pede Carthusias involarent, ut alteram mortem sanctius possent expedire. Quantis ardoribus, precibus & jejuniis, Sacris & eleemosynis vacarent, ut tuto in portu vitam suam post alteram mortem locarent! quàm promptè omnes malè partas opes ad obolum usque suis dominis restituerent, licet etiam ad incitas redigerentur, quia sciunt experti Roberti quantum animæ exitium pareret mammona. Nihil resuscitatis grave accideret, nihil difficile respectu gehennæ. At hæc omnia vota nostra sunt cassa & irrita. Factum infectum fieri nequit. *Fluit irrevocabilis hora.* Lata est in omnes sententia. *Statutum est omnibus hominibus semel mori*, sacer inquit textus (10) *semel* non bis, una, non altera vice, ut probari posset, sicut spectaculum in vestibus probatur, ut nævi omnes maturè corrigantur, & actio tandem prodeat illimis. Quæ gratia pluribus aliis concessa est, ut mortui reviviscerent, non trahi debet in sequelam. Est hæc gratia de rarissimè contingentibus. Decretum universale unam mortem imperat: *statutum est omnibus hominibus semel mori.*

(10) Heb. 9

De reditu ad vitam actum est. Mors semel obita, pro tota æternitate obita est.

E. Jairus hodie duos graves commisit errores.

Curet ergò quivis homo, ita vivat, ut sibi possit piam mortem, beatam mortem promittere. Nemo suam salutem prostituat. Nemo seipsum negligat. Error hic commissus nullô ævô se patitur eradi. Hodie duos errores grandes commisit Jairus, quos modò singulis vitandos expono. Primò cucurrit primùm ad Christum, filiâ jam defunctâ. Cur non antè? pedes suos se erexit & properè ad Christum avolavit, cui anima sua adhuc corporis ergastulô concluderetur? hoc est stabulum claudere vaccâ per abigeos jam ablatâ; hoc est cavea oppilare, aviculâ jam patulum aërem pervolitante; hoc est urbem obfirmare, & urbis ostia oppessulare, cùm jam undique audias: *hostis habet muros.* Hic Deo primùm supplicatur, ut miraculum prehendat, & vitam pristinam Behoræ instillet. Sic vel hodie ad ultimum ut sic magnô numerô improvidi homines exspectant, dum labris anima hæreat, ad obitum proximè accincta; hic primùm ad Sacros curritur Curiones, hîc volare non currere jubentur. Sic Sacra omnia ocius deproperanda, ne sine Sacris moribundus decedat. Et vero sunt, qui credant, posse sine paramentis sacris bursæ aut sacco sacrum Aræ ferculum, Eucharisticum Epulum committi, frustum sacco suo fructum panis mopsus inserit? Veniadetur crassa similitudini, quam multorum fidelium crassities extorsit. Sanctius Sacra nostra à fidei nostræ domesticis æstimentur, & parcius loquar ex pulpito. Dari tales Sacrorum incuriosos Christicolas, experto credatur Roberto. Non potest Deus Eucharisticus publico cultu suo destitui, non possunt ægri non orantium suffragiis defraudari. Non possunt fidei nostræ suprema mysteria ita obiter & perfunctoriè celebrari. Properent ultrò, ut possunt, Ecclesiastici Curiones, ut ex parte illorum nulla prorsùs anima negligatur, quia nôrunt, quô pretio sit à Deo redempta; sed quid tanti momenti negotium ad ultimam usque lineam protrahitur? *ante languorem adhibe medicinam* monet (11) Sapiens. *Serò medicina paratur, mala per longas invaluêre moras.* Antequam letalis sudor vultum expleat, animæ Medicum voca- *Pulsat Dominus*

(11) Eccli. 18.

verba sunt Greg. (12) Magni, *cùm per ægritudinis molestias mortem esse vicinam designat.* Hos ergò pulsus promti audiant morbò perculsi & amici ejus. Prima cura sit ægri, pulsanti Deo quantocius aperire, hostibus veniam dare, Mammonam iniquitatis ex animis, ex oculis, ex cistis, & bursis proscribere, Sacris omnibus se adhuc integra ratione contra iminens fatum præmunire; sic etiam secularis medicina plus virtutis in fractum corpus difundet, pectore ritè prius omnibus à peccatis expiato, juxta tritum illud, jam sæpiùs inculcatum: *nulla nobis nocebit adversitas, si nulla nobis dominetur iniquitas*, quod effatum S.P. Aug. tanti fecit Ecclesia, ut illud etiam Missali Romano inseri præciperet. (12) S. Greg hom. 13. in Evang.

Secundò voluit Jairus, ut Christus ipse descenderet, & manuum impositione filiam resuscitaret. Habuit aliquam fidem in Christum, sed oppidò imperfectam. An ergò Christus non possit eminus ad vitam funus revocare? an idem nec per alios præstare possit? ut piè descendere cogeretur & manus imponere filiæ jam defunctæ? quasi nullis aliis mediis aut modis revocari posset vita, quàm quos Jairus præscripsit? claudicabat enormiter fides ista, altius utique sublimanda, ut apicem consequatur. Ægri sibimetipsis probè consulant & prospiciant, si Sacra vel non recipere vel exspectare non possunt. Hic Deo verè contriti se totos ex asse committant, rogéntque piam voluntatem operis locò recipere dignetur. Obeat æger perfecta contritione instructus? in gratia obibit Divina. Sic Ezechiel vaticinatur (13) *quacunque horâ averterit se peccator ab iniquitate sua, exaudiam eum.* Sic ergò omni ope & auxilio, omni sacrorum adjutoriò destitutus æger, seipsum in gloriam libret æternantem. (13) Ezech. 18.

Ah! observâsset hæc ille dives Euclio Lugdunensis ante annos circiter octoginta, tam misera morte defunctus non esset. Erat Lugduni, ut annuæ memorant Soc. (14) An. Domini 1604. prædives lucrio, qui illicito fœnore atque aliis mille pravis artibus & technis grandem pecuniæ summam corraserat. Ardebat ipse Deus salutem ejus tuto in portu locari, ad quod autem summè necessarium erat, ut multiplex nefas peccator agnosceret, alteri, quod suum erat, transcriberet, animos (14) An. Soc. ad an. 1604.

F. Mortem seria pœnitentia præoccupet.

ab omni noxa expiaret, & secularibus curis ita se impenderet, ut ne hæreditatis in cœlo adeundæ perennem jacturam incurreret. Hunc in finem pulsat animos ejus, vivumque ac vegetum gravi ac periculosa lue opprimi permittit, quæ ipsum etiam fatum maturabat. Debebat quidem attenta secum mente rimari statum morbô perculsum; debebat ipse mortis prodromum observare, & vitam suam quasi comœdiam brevi finiendam arbitrari. Deficiebant in dies validæ vires; malum in horas augebatur; at quid non agit versutus dæmon, ut spiritum turbet ultimum & in orcum devolvat impœnitentem? Si unquam vires suas, quibus pollet, in hominem exserit, ut sanè tunc omnes colligit, cùm videt spiritum agi supremum, ut ultimum halitum, ultimum cogitatum orco vendicet. Hunc in finem dæmon hic loci duos coadjutores assumpsit, quos diu noctúque extimulavit, ut ægro persuaderent leviusculum esse morbum ac levidensem catarrhum, ubi migraturum, si modò se lectulô suô probè reconderet; id nempe neglecta gravi lue sine pœnitentia obiturum. Primus diaboli coadjutor erat Viri hujus uxor propria unà cum amicis & lectulo affusis consanguineis; hos cùm dæmon gratâ argentinâ laborare sciret, avidè tantùm pingui hæreditati nôsset inhiare, unicus enim infans à moribundo relictus brevi credebatur ad Superos evolaturus, spasmô gravi nullo non die correptus; uxorem & amicos stygius lurco subornabat, ut proprium in lucrum luem licet periculosam ægro attenuarent; sic nihil ex opibus mutilandum. Advertat æger periculum adesse? Sacros ocius Curiones acciret, qui eum compellerent, ut malè parta dimitteret; unde tota hæreditas in partes abiret; quod tunc à fortiori timendum, si testamentum erigeret, ubi multiplex bolus vel in Ecclesias, vel in hospitalia vel in cœnobia, vel in anniversarium devolveretur. Ad hæc & similia plura pii nominis legata maturè præcavenda, apud medium non occurrit, quàm ut per proximo sanguine junctos omnis suspicio approximantis fati ægro tolleretur; hoc enim tantò certius obtinerent, pro forma medicum vocabant, qui ocius pecuniis per amicos corruptus alterum egit dæmonis coadjutorem; hic lucri gratiâ morbum omnem eludere, prope-

G. Id qui negligit, damnatur. Hist.

properam ſanitatem ægro promittere, vitam in novas olympiades protelare, qui paucis poſt horis erat funus. En ut amici amicos ad tumulum uſque proſequantur! en ſanguinariam charitatem! quis fidem habeat amicis tam ſordidis, tam impiis, unô pecuniarum lucrô abſorptis, quidquid animæ accidat ſine Sacris abituræ. Rectè dixit Philoſophus ille: *O amici! nemo amicus!* an amicos dixeris, qui amicum morientem Sacris defraudant, ut anima cum corpore in orcum defluat? à tam crudis & craſſis, à tam barbaris & truculentis, à tam avaris & auri ſitientibus amicis nos Clemens Deus cuſtodiat! nulli vitio detur, ſi nactus amicos hujus furfuris ſanguiſugas, carni & ſanguini ſuo validos calces illidat. Sic ergô hic loci alterius omini coadjutoris perſonam medicus ſuſtinuit. Medicus ut nuper primùm ex inſtituto probatum eſt, ſua ex conſcientia tenetur ægrum candidè de periculo admonere, eique tamdiu opem medicam ſubtrahere, donec ritè Deo reconciliatus & Sacris Eccleſiæ ritu munitus, officium fecerit hominis chriſtiani. Etſi hoc ipſum periculum Confeſſarii detegant, caret tamen hæc detectio emphaſi ſua, niſi etiam medici ſuffragium accedat. Hanc ſuam obligationem ducere debebat conſcientiæ præſens Podalirius, quia ocius vidit, in procinctu ſtare apoplexiam, quæ uno ictu ægrum conficiat; ſed *Auri ſacra fames quid non mortalia cogis pectora?* Alexander Magnus Rex Macedoniæ dicere auditus eſt, ſe arcem quamcunque inexpugnabilem capturum & ſui juris facturum, modò poſſet per oſtium aurô gravem aſellum intromittere, quo arcis præfecti probè inungantur. Experientia his annis nimis ſæpè dicti hujus veritatem firmavit, maximè cùm rudis aſinus ſtigma ferret liliatum. Ut hunc medicaſtrum expugnarent, grandibus unguentis opus haud fuit. *Græculus eſuriens in cœlum juſſeris ibit.* Modicô prœmiolô faſcinatus quaſi alter Judas animam orco tradidit, fruſtra reclamante conſcientia. Sic probè aurô ſubornatus ægrum acceſſit, eôque peramicè ſalutato, venam & fontem exploravit, ab hoc & ab hac, hæc & illa percontatus; tandem in amicorum latrocinantium favorum favorabilem ſententiam tulit dixitque: Bono ſit animô Dominus! curas omnes toto ex animo profliget, & mihi uni

H. Technæ diabolicæ in amovenda mortis cura.

I. Medicus diabolicus.

fragile ac fessum corpus suum committat; læsus est nonnihil stomachus, quem si refecero, salva res. Deo dante intra paucos dies lecto nuntium remittet, si meis velit à consiliis pendere. Morbus tam periculosus non est. Vires adhuc, Deo sint laudes, suo stant robore firmæ, licet aliquantùm dispersæ. Vincent & superabunt feliciter præsentem luem, sæpius hoc malò afflictus semper hactenus felici medicamine luem abstersit medicum utique neque hac vice ars sua destituet. Si etiam crescat malum, ne terreatur; tantò citius deficiet, quanto impetuosius imas corporis fibras affliget. Ea interea pharmaca præscribam, quæ dolorem mitigent, suavem somnum conducant. Animos Dominus serenet & in spem erigat propere sanitatis. Infirmitas hæc non est ad mortem. Sordibus ejectis & stomachô ritè purgatô novum hominem reinduet & vitam firmabit in ævum. *Hespero surgente migrabunt dolores cum rapidum fugiente solem* ut canit Poëta. Aliam longè faciem nobis Dominus exhibebit cras aut supercras. Hæc Hippocrates ad ægrotum, quibus omnem vim morbi ita eluisit, ut nihil de fato ulterius æger somniaret, licet jam à tergo instaret, ultimum telum in euclionem evibratura. Ambo itaque ex instinctu diaboli montes aureos ægro promittebant, tam medicus quàm novercantes amici; at his omnibus plùs sapere debebat ægrotus, sensit utique vires in horas deficere; vidit & notavit spiritum sæpiùs intercipi; cogitare proin debuit, quidsi medicus ægrum falleret? Surrexit jam sæpius hoc ipso ex morbo. Quid tum?

(15) Sen. ad Lucil. (15) *quem sæpè transit casus, aliquando invenit* Seneca teste. Annosæ quercus jam pluribus annis ventos inter tumultuantes firmæ stabant & erectæ, at tandem toties eventilatas levis aliquis flatus radicitus evertit, citius cæsura, si truncus jam gravi plaga imum ad pedem saucius fuit. Sauciamur homines

(16) Marc. 8. quos cœcus ille vidit *tanquam arbores ambulantes* (16) per morbos, qui cùm corpus impetunt, jam unà exclames: *secum*

(17) Luc. 3. *ad radicem arboris posita* (17) est. Rebus tuis consule, & prospice, quò sit eundum. Ah nemo est ab irruente fato securus, nec valens, nec vegetus, quantò minus corpore infirmus. Plùs Deo debebat credere Dominus iste clamans:

(18) Matth. 25. *vigilate, quia nescitis* (18) *diem neque horam*, quàm perfidus amicus

amicis & pecunioso agyrtæ. Tutiora sequi debuit æger iste, ne à fato præventus pessimo sub sidere hinc impœnitens umbris misceretur, nullo unquam sole illustrandis. At sicut benè advertit (19) Hier. *Nihil ita homines decipit, quàm quòd, cùm spatia vitæ suæ ignorent, longiorem sibi sæculi hujus possessionem repromittant.* Tot ergò stygiis & serpentibus linguis se decipi passus est æger iste. Amabat vitam, suis à bursis ægerrimè migrabat, vitam fusiorem amici spondebant, & mendacibus oraculis sordidus archiater. Promisit hic alia inter figmenta etiam dulces somnos, quos etiam illâ nocte captabat, ita tamen, ut nunquam ultra expergefactus, vitæ residuæ signum præberet. Apoplectico tactus lethargô ante funus erat, quàm alteram naufragii tabulam, salutarem pœnitentiam prensaret.

(19) S. Hier. ep. ad Cyprian.

Opt. AA. hic totius Comœdiæ hujus tristis & tragicus finis est. At quomodo suam egit in hac comœdia personam? quomodo actor iste coram Deo stetit? pessimè, miserrimè. Cùm funus grandi pompa ad tumulum duceretur, octo funeris bajuli fortes ac vegeti vix tumbæ ferendæ pares erant, ita plumbea undique visa est sandapila. Spirabant & sudabant immani pondere pressi & propè oppressi. Ventum est tandem ad tumulum, ubi omnes grandis stupor & admiratio incessit; una omnium vox erat: unde quæso tam horridum pondus? nunquid toto corpore exhaustus & emaciatus fuit masculus vix ossibus hærens, phtysi extenuatus? *vix habuit tenuem quæ tegat ossa cutem*, unde ergò tam intolerabile pondus? unde tam onerosa moles validos virorum humeros oppressit? nolebant tumulo funus immittere, antequâ præsentem tumbam lustrâssent. Reseratur ergò sandapila, & ecce, nec ulla depositi cadaveris vestigia aut signa exhibet sandapila. Solum cervical, cui caput erat impositum, loco suo jacebat, quod cùm remotum esset, ecce etiam tanti ponderis causâ prosiluit bufo igneos oculos in affusos spectatores ejaculatus. Incussit omnibus tantum horrorem hoc stygium animal, ut quà data porta omnes aufugerent, vacuâ tumbâ propè tumulum relictâ. Ad hæc quid amici? sapiebant illi damnô alienô, & nihil ultrà ex residua pecunia tanquam iniquitatis mamona attrectârunt, sed negotiô

K. Vacua tumba enormiter ponderosa.

aliis

aliis commissô, sua singulis reddi fecerunt, quibus erant subtracta, residua pars pauperculis cessit, unde tamen defunctus nullum ultrà solatium, nullum refrigerium in focis hausit sine fine arsuris. Ajunt annales totam urbem hoc ex spectaculo tantos horrores concepisse, ut illâ ipsâ quadragesimâ per Confessarios ad id rogatos, ultra viginti millia ducatorum suis sint legitimis possessoribus restituta; noluit enim quisquam mori suo cum mammona, quem hic viderant animam cum corpore ad stygem depressisse. *Mortuus est dives iste & sepultus in inferno*, ideò vix tumbæ illatum corpus à stygiis vespillonibus subtractum est, rectius in orco igneos inter bufones tumulandum.

L. Amici pessimi.

En iterum graves pœnas Mammoniſtis à Deo decretas. Multi tamen neque his auditis resipiscunt, aut desinunt malignari, donec similes avaritiæ pœnas orcô merſi experiantur. En porrò quæ fides sit amicis habenda. O quàm verè dixit (20) Michéas: *inimici hominis domestici ejus.* Hostilius hi amici non poterant amicum excipere, quàm ut vitam sponderent, instante fato. Prô quàm suos modò hic damnatus execrabitur & auro fascinatum medicastrum! Sunt nobis ipsi amici tam infideles, quis non jure omni hominum commercio diffidat, eique soli fixus ac firmus adhæreſcat, qui pro nobis non tantum vitæ prodigus mori voluit, sed adhuc se mori pronum Carpo exhibuit. Hunc unum amemus omnes; huic soli serviamus omnes, qui minima nostra obsequia præmiari statuit immortali coronâ.

(20) Mich. 7.

Amen.

CONC.

# CONCIO XLIX.
# DOMINICA XXIV. POST PENTEC.

*Videbant Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & majestate. Matth. 24.*

## Judicium inauditum.

TOto omni tempore Ecclesiastico è pulpito tam horridum Evangelium non proclamatur, quàm hac ipsa ultimâ post Pent. Dominicâ AA. & sequenti seu primâ Dom. Adventus. Metiri tamen si velis utriusque Evangelii horrorem, præsentis Evangelii horror multis gradibus horrori præponderabit, quem suo in Evangelio prima Adventûs Dominica repræsentat. In hodierno nihil audias, quàm *abominationem desolationis generis humani.* In hodierno horrisonum *væ* resonat: *væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*! annuntiatur inaudita tribulatio: *erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet*, prædicitur luctus universalis: *tunc plangent omnes tribus terræ.* Hic nil videas, nil audias, quàm cœli terræque ruinam, fulgura, tonitrua & quasi totam orbis machinam casui proximam. *Sicut fulgur exit ab oriente &c. sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, stellæ cadent de cœlo.* Venti quatuor à plagis in interitum mundi conspirant. Nihil ex omni parte auditur, quàm *fuga, fuga*, quàm *abominatio* & *desolatio*, quàm *tribulatio* & *dierum breviatio*, quàm *signa* & *prodigia*, *tubæ* atque tragici clangores. At quid volunt sibi hæc prodigia? in procinctu est filius hominis totum orbem judicaturus. Universale judicium pro foribus est, quod ipse Christus expediet. Hoc judicium ita horribile est, ut ipsa etiam elementa contremiscant. Censuit olim Aristoteles, nihil hor-

ribilius esse morte : *terribilium omnium terribilissimum mors est*; sed graviter erravit Aristoteles. Nemo nostrum horridam mortem timeret, nisi mortem judicium exciperet. Hic autem tritum illud Caroli Cæsaris omnium aures pullat, *plus ultra*, prout hoc ipsum Prima Dom. Adventus Tub. Symbol. fusius exenterabo, *plùs ultra* æternitas introspiciatur. De hoc nihil scivit Aristoteles, quod nobis hodie ita tragicè proponit Evangelista. Habuisset rerum harum notitiam Aristoteles, nobiscum sensisset, *terribilium omnium terribilissimum* esse non *mortem* sed *judicium*, quod mortem sequitur immediatè & hodie in Evangelio describitur. Ad hujus judicii nudam commemorationem tremebant etiam Sancti, qui tamen ad mortem contremiscere visi non sunt. Rogâsses olim S. Agathonem (1) cur tantos metus animô conciperet? cur tot gemitus imis è præcordiis educeret? non ille mortem allegâsset, sed judicium; *alia sunt judicia Dei, alia hominum.* Idem S. Arsenius cogitavit, qui hac una ex causa toti aulæ valedixit, ut se ritè ad hoc judicium præpararet. S. Patri Hieronymo nec esus saporis nec potus, imò nec somnus, quia semper tubam intonantem *venite ad judicium* audire videbatur. Si sola judicii memoria Sanctos etiam Viros tantis horroribus opplevit, majores utique peccaminosi homines concipiant. Hoc ergò judicio Divino, quod hodie prima Veritas describit, redditur ita horribile præsens Evangelium, ut totô annô horribilius Evangelium in Ecclesia non recitetur quàm hodiernum.

(1) in vit. pf.

A. Horrido Evangelio horrida tragœdia respondeat.

Huic itaque terribili Evangelio suam hodie terrificam tragœdiam accommodo, prout hanc in diem currentis anni tragica extendi. Horroris plenum est præsens Evangelion, ut nullum cum eo valeat comparari; sit ergò pariter horroris plena tragœdia huic ultimæ Dominicæ decreta, ut cum ea nulla possit conferri. Non credo ego aliquid terribilius accidisse, dum vasti stat machina mundi, quàm modò recensere statuerim. De facti veritate nemo dubitet, quia illius vestigia tot seculis restant integra. Tragœdiam hanc studiosè conscripsit Joan. (2) Trithemius Abbas Spanhaimensis Vir doctissimus, & ut creditur, largis scientiis è cœlo instructus. Adiit Ordinem S. Benedict. in quo post exactam professionem octavo mense annum vix 22. egressus

(2) Joh. Trith. in Chron. Hirsang.

egressus privilegiatus Abbas creatus est, à Paulo 3. Summo Pontifice, quà Pontificius Legatus ad S. Trident. Synodum missus Pater. Eandem libris suis inseruerunt (3) Fulgosus, Joannes (4) Nauclerus. Petrus (5) Canisius. Martinus (6) Delrio. & (7) Beierlink. Historia quidem tangit immediatè Personam Ecclesiasticam, & quidem Episcopum; hîc tamen omnes ac singuli sat abundè reperient, quod discant. Accidit An. Christi 985. in Saxonia tunc adhuc purè Catholica.

(3) Fulgos. l. 9. Exemp. c. 12.
(4) Naucl. Vol. 2. gen. 37.
(5) Canis. l. 5. de Deip. c. 29.
(6) Delr. Disq. Mag. l. 2. q. 26. Sect. 5.
(7) Beierl. in I. & L. Hist.

Magdeburgi Saxoniæ Metropoli puer erat, cui nomen Udo, humili genere prognatus & plumbei intellectus; totis tamen viribus litteras prensabat puer, opibus & ingeniô pauper. Omnem quidem lapidem movit, ut proficeret, at irrito propè conatu. Multum temporis perdidit, donec victum corraderet & vestitum. Ubi ingenium deest, & unà deficit industria, rectiùs omnibus literis nuntius remitteretur. Tales potiùs opificio quàm scholis aptentur, ne tota communitas tandem otiosis hominibus oppleatur. Udo autem grandi desiderio scholas adeundi ardebat, licet ingenii defectu parùm proficeret; nulli quidem industriæ pepercit & labori, vix tamen cepit biennio mediam partem, cujus totam alii passim sibi vendicabant dimidiô. Cùm verò juxta commune diverbium, *labor impiger omnia vincat*, aliquid saltem post lapsum temporis hæsit memoriæ, tantò fortius, quantò fuit operosiùs prehensum. Seriò litteras Udonem tractâsse, binis ex capitibus claresçit. Primò impigrè literis & libellis insudabat, nihil unquam de solita industria remittendo. Secundò *Sedem Sapientiæ* prout in Lytaniis Lauretanis Deipara colitur, intemeratam Dei Matrem assiduis precib9 implorabat &c. Ah durâsset Udo in his optimè ceptis, & ab obsequiis Marianis nunquam deflexisset! hîc unâ horâ plus scientiæ hausisset, quàm si annis triginta proprio marte scientias prensâsset. Experti sunt potens Virginis hujus patrocinium & opem Marianam Albertus Magnus, qui suis pro votis unico momentô omnia philosophiæ naturalis arcana comprehendit, illis iterum unicô momentô in pœnam, quod tam frivolas artes expetiisset, privatus. Hermannus Contractus, qui maluit membris captus vivere, quàm vivus ac vegetus scientiis destitui à Deipara oblatis, ut Platus (8) narrat. Rupertus Abbas Tuitiensis, qui una nocte

(8) Hier. Plat. de bon. stat. Rel. l. 2. c. 52.

sic in eluditatione S. Script. instructus est ab Augustissima Dei parente, ut hoc in negotio sibi parem ævô suô non haberet, Trithemio (9) teste. Id tandem etiam Udo noster expertus est abundè, qui post fusas ubertim preces tandem à Deipara vera scientiarum claves obtinuit. Ipsa Deipara se aspectabilem præbuit Udoni, eique prædixit, jam non tantùm omnes scientias cœlitus hausturum, sed post aliquot annos etiam Episcopali mitra Magdeburgi coronandum; monuit unà Udonem, ne donis ne abuteretur, aliàs à Deo inusitato pœnarum genere puniendum. Sic Udo brevi tempore omnes alios ingenii felicitate multis gradibus transcendit. Qui hactenus à singulis veluti hebes idiota palàm fuit explosus, nunc omnium factus est magister. Obstupuere omnes plumbeæ indolis repentinam agilitatem, & scientiarum apparatum, quo intellectus ejus deinceps illustratus prodigiosè radiabat. Prodigium erat recens, quòd à scientiis & artibus cœlô affusis se nullatenus inflari pateretur. Idem erat doctus & divino scientiarum affluxu beatus, qui olim erat rudis idiota, pius, humilis, modestus, obsequiosus tiro, licet ipsos posset Magistros erudire. Superatis cum laude summa inferioribus scholis, academiam adiit Magdeburgensem, eratque quà Academicus, æquè pius, diligens, precabundus & Divæ Virginis juratus Cliens undique Marianus, ac olim erat, trivialibus scholis distentus; quod sanè iterum poterat prodigiis accenseri, quia hôc ævô iterum iterumque contrarium experimur. Ah quot hodie à mitioribus ad severiores musas digressi Universitates petunt Angeli, inde ad propria remeant diaboli, secumque trahunt codicem vitiosum probrosum? Udo rarô exemplô pius mansit inter improbos, assiduus ac diligens inter otiosos, licet studio peculiari opus non esset, ad altiores scientias ritè capiendas, quos vidit è cœlo largo copiæ cornu affundi, ut passim etiam in sublimioribus tanquam artium omnium vivax idolum coleretur, passim digitô signatus in elogio Tostati proprio: *hic stupor est mundi, qui scibile dissecuit omne.* Tot prodigiis à Deo ac Deipara liberaliter instructus ad ipsas Academiæ Cathedras imis à subselliis emersit, à cathedris tanquam scientiarum omnium recens portentum etiam Cathedrali Capitulo insertus; unde tandem ut vaticinium expleretur

(9) Trithem. in Chron. an. 1124.

B. Sedes Sapientiæ Deipara.

tur Marianum, ad ipsam Episcopi Sedem tanquam pietate ac scientiis illustrissimus Canonicus, tota Urbe doctrinæ pietati junctæ Nobilem mitram aggratulante Deo dante, & patrocinante Deipara evectus, summæ per Saxoniam dignitatis apicem conscendit. Egit officium probi & providi Pastoris sat multo tempore, donec tandem duplici Spiritu superbiæ ac lasciviæ miserabiliter infestus, carni locum daret & peccaminoso tumori, paulatim precandi studium & frequens meditatio cœlestium gratiarum Udoni desipuit; paulatim jejuniis & orationibus satur liberiorem auram captavit, mensam largiorem & principe dignam instruxit, carni & abdomini famulatus; sic suum in palatium & Episcopalem aulam non tantùm fastu & ambitione turgentem luciferum, sed ejus quoque individuum comitem ac fratrem germanum, luxuriantem Asmodæum accivit; hi duo brevi tempore Udonem bonis pænè omnibus gratiæ & gloriæ spoliârunt, ut quò altiùs ascendit, tantò profundiùs in lutosas sordes ipsamque barathri voraginem delaberetur. Nihil ulterius tanto tumori & pompæ, nihil grassanti luxuriæ sufficerat. Nihil ita pestilens est, quàm si duo hi dæmones Ecclesiasticam irruant personam, lucifer & Asmodæus: ille tumidæ mentis fastu electus, hic impura libidine succensus. Accedat etiam tertius, cui nomen Plutus, auri amore rabidus? funditus actum est. Non sine causa omnibus Ecclesiastica dignitate conspicuis occlamat (10) Isaias: *mundamini, qui fertis vasa Domini!* mundamini à fastu & superbia, à gula & luxuria, à cupedia & avaritia, qui Calicem Domini toties immolatis. S. Franciscus voluit, ut earum puritas instar crystalli ubivis locorum traluceret. S. Marcus seipsum pollice suo truncabat, quia tantæ puritati diffidebat. De hoc sublimi statu bellè scripsit (11) Biel: *qui creavit me sine me, nunc creatur mandante me. O Sacerdos, intuere altitudinem cœli quâ altior es! respice sublimitatem Angelorum, quibus sublimior es! solo Creatore tuo inferior es; Beatus ergò venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti, si tamen vixisti, ut vivere debuisti.* Aliàs væ tibi & quidem æternum væ! quid autem tam sublimi Ecclesiastico, quid tanti nominis Presbytero, Parocho, Episcopo maximè fuerit observandum, si statui suo conformem ducere vitam constituat?

(10) Isa. 52.

(11) Biel. de Sacerdot.

Id maximè quod singulis ita seriò inculcatum voluit (12) Sti-
(12) S. Hier. ep. 39. ad Nepot. donensis: *hospitiolum tuum vel nunquam vel rarò admoniam mulierum pedes terant! ne in præterita castitate confidas! non Davide sanctior, nec Samsone fortior, nec Sapientior es Salomone.* Hi tamen omnes ceciderunt per feminas eversi. Quid
(13) idem. ep. 46. ad Pamach. ergò est femina? hîc promptus iterum Hieronymus (13) respondet: *janua diaboli, via iniquitatis, fornax malitiæ; cum proximat stipula, succendit ignem, ferreas mentes libido domat.* Quantum mali una femina in paradiso creârit, idem hanc horam procreat. Adam ob Evam ejectus est paradisô, & cum ipso. Angelus rebellem ferrô flameô toto ex viridario proscripsit. Sola Eva malum momordisset, sola Eva peremalo correpta fuisset; cùm autem ab ea se Adam quoque duci pateretur, Adæ ac Evæ culpam hanc in horam luimus mnes. S. Agatho, de quô suprà, ante obitum suum suis à discipulis rogatus est, dignetur illis monumenti loco salutarem doctrinam elargiri. Quid creditis Agathonem dixisse, jam morti proximum? audite doctrinam prodigiô plenam & admirationi: *fratres mei, melius est videre dæmonem, quàm mulierem comptam.* Ah simile quid cordi habuisset Udo noster, nulla unquam Asmodæus, lucifer aut plutus ejus poterat præcordia expugnare. Juxta Chrys. quivis Sacerdos tantò esse deberet sanctior, quàm laicus, quantò quivis homo pecude irrationali nobilior est. Hic autem crebrò prô dolor contrarium audias! *sacer in pecudem degeneravit homo!* patet id in Udone, ut alios taceam, qui tandem instar efrænis equi in omne scelus grassabatur, Dei ac Deiparæ suæq; pastoritiæ functionis totaliter oblitus. Non potuit ultrà multiplex scelus Deus dissimulare. Admonerant magnô numerô, qui sui Muneris Episcopum admonerent,
(14) Isa. 42. sed & hic locum habuit illud (14) Prophetæ: *quis surdus nisi ad quem nuntios misi?* Deus ipse sic monuit peccantes, ut moneri volunt leges Canonicæ, ternis vicibus, missa è cælo tremenda voce hac, quæ utique animum debuit expugnare: *Cessa de ludo, quia lusisti satis* Udo! Sicut verò ipsi Regulares & Ecclesiastici Monitores suis cum monitis nihil profecerunt, ita suum quoque triplex monitum vidit incassum abire ter pium Numen. Ad abundantiam novum arietem expugnandum Udo-

Udonis pectori Deipara admovit; hæc iterum se visendam exhibuit, exprobravit & multiplex scelus, & larga promissa cœlo facta, eum inde ad seriam pœnitentiam hortata, simul atroces pœnas intentabat, in eum à filio fulminandas, nisi monitis maternis locum daret. En quàm piè quàm candidè & peramanter hispidum clientem suum mater misericordiæ, gratiarum omnium thesauraria excepit? quamdiu hoc scandalosum Ecclesiæ Caput Clemens Deus sustinuit? quàm paternè ad pœnitentiam invitavit? quàm benignè à peccandi pravitate abstraxit Udonem! jam hos subornavit, jam illos, qui eum saniora edocerent; jam Correctoris officiô fungi debuit Rev. Capitulum; jam alteram, jam tertiam è cœlo vocem detonuit justum Numen, tandem aleam quoque suam ipsa coram spectabilis Deipara tentavit, sed irrito fructu. Callum pravitas obduxit, quem neque mite cœlum dissolveret. *quid potuit ultrà facere vineæ huic & non fecit* (15) ter clemens Deus! *exspectavit ut faceret uvas, & tulit labruscas.* Ut quid ergò terram occupat? exscindatur. Hæc tandem sententia ex alto prodiit. Justam iram in Udonem vindex scelerum Deus concepit tritum illud intonans (16) Ezechielis: *mucro, mucro, evagina te, ad occidendum, lima te, ut interficias.* Hunc mucronem in manus dare visus est Deus Sancto Martyri Mauritio Cathedralis Ecclesiæ Magdeburgensis Patrono, prout mox audietur. *Judicium durissimum his, qui præsunt.* Sapientia intonat (17) Divina. Veritatem effati probabit Udo, in quem tandem ex alto sententiam Deus detonuit, eamque explendam Mauritio commisit. Trithemius in narratione hujus tragœdiæ his utitur (18) memorabilibus terminis: *mira dicam sed vera; quæ si Saxones tacerent, saxa clamarent.* Venit adeò ineluctabile tempus Vindictæ; his tamen omnibus monitis impiè in auram diflatis, adhuc Deus trium mensium spatiô iram cohibuit, quò minùs eam in Udonem effunderet; lapso trimestri scelerum quoque impleta fuit mensura; dictum proin (19) factumque, quòd pridem antè innuit Psalmista: *exsurgat Deus & dissipentur inimici ejus!* prout eos extirpari exigit Justitia Divina. Nunc ergò veri nominis tragœdia inchoatur, ad quam Sacris atque laicis ambæ aures tinniant, & pili omnes sursum exurgant.

(15) Isa. 5.

(16) Ezech. 21.

(17) Sap. 6.

(18) Trith. l. c.

(19) Ps. 67.

Cum

Cum post Christum natum annus ageretur nongentesimus octogesimus quintus, more suo post pulsum Angelicum Fridericus pietate illustris Canonicus Ecclesiam subiit Cathedralem ibique supra chorum instar Wenceslai Bohemiæ Regis in serenam noctem flammeis precibus operam dedit, alia inter Deum precatus, quod alii passim & Religiosi & Clerici, Sacri & profani precabantur, dignetur Deus Episcopum suum vel tollere vel corrigere. Hæc inter jam adulta nocte grandis horror irruit Fridericum, ut totis artubus tremisceret, & causam tanti horroris ignoraret; Paulò post vidit impetuosi venti afflatu subito lampades omnes per Ecclesiam extingui, reserari ostia templi, per apertas Ecclesiæ fores subintrare duos ephæbos ardentes tædas manu præferentes, subsequi verò Christum ipsum cum Deiparente & duodecim Apostolis. Christus in choro sedem auream occupabat, alteram minus splendidam & aureâ minorem, primæ tamen proximam tenebat Mater ejus, Apostoli utraque ex parte subsidia captabant, cum omnibus illis Sanctis, quorum sacra ossa & Corpora hac in Ecclesia, vel publico cultui prostabant, vel adhuc in terris humata latitabant. Hos inter Sanctos primas habuit Mauritius Ecclesiæ princeps Patronus, qui coram toto sacerrimo Consessu in medium chori progressus, coram Deo, Deipara & cœlesti Curia Udonem Episcopum suum solenniter accusabat. Nolam sententiam in reum vibrare Deus, sed causâ prius ad integeremam Matrem devoluta, inde ad Apostolos & Ecclesiæ Sanctos recta, singulorum vota & sententias collegit; qui tamen omnes unâ voce clamabant: *moriatur moriatur, reus est mortis!* Sic mortis sententiâ toto â Senatu fulminatus, tandem etiam à supremo Judice Christo damnationis sententiam recepit. Inde ejus in chorum allatus est Udo per ephæbos cælites; ab his antè in renibus graviter ictus & pugno validè percussus, Hostias Sacras sacrilegè sumptas in sacrum Calicem reposuit, quem Apostolus suum in Sacrarium reportavit. Sic fato tremendo accitus traditus est Mauritio, â quo etiam in patente choro gladio percussus est Udo. Vix caput â Cervice resectum est, tota simul vis evanuit. Territus hoc spectaculo Fridericus, lampadibus ultro reaccensis, ad chorum tandem resumptis animis Fridericus descendit, & ecce utrumque reperit, hostias in Sacrario, & Episcopi

capitis

capite plexi humi fusum corpus, choro largo sanguine oppleto. Primo manè exciti ocius ad horribile spectaculum Concanonici & Religiosi, ablatum occisi corpus extra urbem in adjacente agro tumulârunt. Ait Fulgosus, locum illum, ubi letalem ictum accepit Udo, clatrô esse concluſum, nunquam apertum, nisi cùm recèns electo Episcopo, & in chorum deducto palàm monstraretur. Qui scire gestit, quid actum sit Udoni altero in orbe, audiat paucis, quid hanc in rem Cornelius (20) producat. AS. Mauritio demesso capite, mox visio vanuit, & corpore in Ecclesia relicto, animam in tartara dæmones rapuerunt, eamq; ludibundi suo principi lucifero præsentârunt, qui mox assurgens, eamque verbis dolosis amicè salutans, benè inquit veneritis princeps inclyte, fautor & dilatator regni nostri! hem parati sumus tibi pro meritis tuis reddere talionem. Fatigatus erit dilectus noster prolixo ex itinere, eum ergò quantocius cibis reficite; illo autem renuente & caput avertente, crudeles ministri ejus bufones & serpentes ingesserunt, & sulphureum liquorem ori ejus infuderunt. Suspirante adhæc Udone, præcepit Satan, ut ad balneum ducatur & post horam reducatur: Et ecce non procul erat puteus cooperculum habens; quô ablatô vorax flamma erupit, quæ aquam juxtà manantem, & adsita saxa velut stipulam absumpsit; in hunc puteum infelicem ejus animam præcipitârunt, quæ cum in modum candentis ferri tota ignescceret, & sic ignita lucifero offerretur, subrisit Lucifer dixitque, nunquid suave balneum princeps habuisti. Obmutuit hucusque Udo, nunc autem ore in blasphemias resoluto, cepit Deum & luciferum execrari: maledictus Satan, tu & omnis familia tua, & totum imperium tuum! maledictus Deus, qui me creavit! maledicta terra, quæ me portavit! maledicti parentes, qui me genuerunt! maledicta omnis creatura in cœlo & in terra! Tunc omnes dæmones unà cum principe suo ceperunt manibus plaudere & clamare: verè dignus est iste manere nobiscum, quia tam bellè scit officium nostrum. Mittatur ergò nunc ad principem damnatorum scholam, ut videat, audiat, sentiat, & amplius discat, indeq; non exeat in secula seculorum. His dictis unà omnes in damnatam hanc creaturam irruerunt, eamq; tam impetuosè in tartareum illud barathrum jactando immerserunt, ac si cœlum & terra & omnes mundi hujus montes colliderentur. Hæc Cornelius l. c.

(20) Cornel. in Eccli. c. 12. sub finem.

C.

Documenta hinc educta.

Hîc habent AA. ultimam anni hujus in Dominicas tragœdiam, quâ omnes alias haêtenus recensitas concludo. Constat ex illis ni fallor sole lucidiùs, quàm acribus pœnis duros peccatores hic & ibi justus Judex proscindat. Passim id quod *ultimum* est, etiam quà *optimum* extollitur. Non adstruo hunc terminum præsenti tragœdiæ; id tamen certum est, hanc ultimam tragœdiam omnium esse terribilissimam, quæ productæ sunt hôc annô. Ex ea tamen sequentia domum referamus documenta.

Primò, qui literis vacant, vident hinc, quo fonte omnium promptissimè artes hauriantur & scientiæ, nempe Marianô. Quamdiu Udonem sequuntur studiosum seu imis ab summis Stois intentum, undique Marianum, à nullo perversum, à nullo seductum, Dei semper ac Deiparæ obsequiis addictum, candido calculo apud Superos nomen eorum scribitur. Desciscant verò à ceptis suis, Deo ac Superis refractarii & in omnem audaciam projecti, vident, quas pœnas rebellibus & improbis justus Deus decernat.

Secundò, Parentes & ludimagistri vident, quâ industriâ & sedulitate semper urgeri debeat in filiis & discipulis constans pietas, constans Dei timor, & innocuæ conscientiæ constans cura, ne à bono deficiant adulti.

Tertiò, sacra dignitate conspicui & pastorali animarum curâ gravati, vident hinc, quàm tragicum finem sortiantur, sui muneris immemores, plùs carni, mundo, & pluto, plus propriæ cuticulæ, gulæ, luxuriæ, superbiæ, avaritiæ serviant, quàm Deo & animabus, pretioso Dominici sanguinis lytro redemptis. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* (21) quid verò lucri refert, qui plures alias quoque animas pravô exemplo aut quocunque scandalô in orcum præcipitavit. Ah melius foret tali animarum pastori si subulcum egisset.

(21) Matt. 16.

Quartò, Principes & terrarum Summates vident hinc nullius personam à Deo respici, pro meritis hos æquè ac alios (22) castigari, imò gravius magnos præ minimis juxta illud (22) *potentes potenter tormenta patientur.*

(22) Sap. 6.

Quintò peccatores vident hîc loci, quàm paternè suos moneat,

moneat, & moneri curet Deus, ut pœnitentiam maturè apprehendant, monet per Sacros Præcones, per Confessarios, per viros religiosos, per virôs seculares, per Angelos tutelares, per Sanctos Cœlites, per aliorum tragicos casus, per Deiparam, per seipsum. Væ illi, qui tot monita pessumdat!

Sextò, omnes ac singuli vident, quo in pretio haberi debeat Deipara & SS. Cœlites, quos hac in tragœdia pro ferenda in Udonem sententia honoris ergò DEUS ipse visus est consulere, non quòd opus haberet consiliô alienô, sed ut Matris ac Cœlitum solennem cultum firmaret. Et credo ego, si vel unus ex SS. fuisset, qui pro salute Udoni proroganda rogâsset, DEUM his precibus locum fuisse daturum. Cur ergò non colamus, quos DEUS palam coluit?

Tandem coronidis locô Deum precor, sicut precatus est (23) David: *confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Fac, ut his ex tragœdiis omnes ac singuli saluberrimum horrorem concipiant, & votum, omne id, quod peccaminosum est, seriò evitandi, imò citius moriendi, quàm per ipsos Deus unis tantùm vicibus graviter offendatur; omnia porrò Dei judicia in nos decreta, per candidam cordis emundationem, per seriam malè partarum restitutionem, per integerrimam cum DEO in vivis factam reconciliationem feliciter prævertendi, & avertendi.

Amen.

(23) Psal. 118.

# INDEX RERUM IN DOMINICAS TUBÆ TRAGICÆ.

*Nota Amice Lector: Numerus non paginam signat sed Concionem. Litera numero adjecta literam denotat marginalem. Numerus solitariè positus, signum esto, materiam fusiùs per plures literas marginales explicari.*

## A.

ADulteram in flagitio deprehensam non potest occidere maritus; veri nominis homicidium est, licet in foro externo non punitur. Conc. 22. d.
Adulterantium pœnæ. 22. c. f.
B. Amadeus per pauperes quasi venaticos canes cœlum ac Deum venatur. 31. e.
Amici pessimi. 48. l.
Amicitia ultra mortem exporrigitur. 32. i.
Amor venereus suos verè dementat. 15. d.
S. Andreæ malè appingitur Crux oblonga. 47. e.
Anima navis. 8.
Annæ & Caiphæ præconia. 4. h.
Annonæ flagellatores divinitus puniuntur. 17. d. f.
Annulus ab avicula raptus horridam parit tragœdiam. 27. i.
S. Anselmus vota peregrinandi ante aditam religionem tollit, non ipsam substantiam. 24. g.
S. Anton. reprobat peregrinationem ex curiositate factam. 24. e.
Arca Dei non patitur sibi sociari Dagonem. 39. d.
Arma realia in templis tolerari possunt, non item moralia. 30. c.
Attributum Dei primarium est Misericordia. Probatur. 19. a. b. c. 31. a. b.
Attributum Justitiæ Divinæ totô annô expenditur. 1. d.
Avari malè, Eleemosynarii benè moriuntur. 17. e.
Avaritia domum evertit. 28. a.

Funera funeribus addenſat. 28. e.
Auditio Verbi Divini eſt Signum Prædeſtinationis. Probatur. 18. c. d.
Aulicum Deogratias. 26. c.
Auſtera pœnitentia Sanctorum. 10. d.

## B.

Bacchanalia diabolo auctore inventa ſunt. 13. d.
Bacchanaliorum tituli. 13. a.
Bacchus & Venus individui comites. 13. c.
Beati â mortuis ſuſcitati. 48. c.
Belluina bacchantium pravitas acerrimè â Deo Waldenburgæ proſcinditur. 13. g.
SS. Bened. & Bern. Nonnis & laxis fratribus peregrinationes interdicunt. 24. f.
Bonus Medicus duo habeat prædicata, ſcientiam & charitatem. 45. f.
Buſo ſpeculum juventutis. 42. g.

## C.

Campana ex malè partis infideliter fuſa corruit, & fuſorem mactat. 33. c.
Canum fautor nobilis canino capite mulctatur. 17. g.
Capucinus levi ex cauſâ purgantibus focis aſſatur. 10. f.
Carthuſiæ quid? unde ortæ ſunt? quibus mediis ſervantur? 46.
Catharina Inda ſacrilegè confeſſa & damnata fuſiùs deſcribitur. 16. d.
Catholici cum apibus ex Script. fugunt optimos liquores, toxicum cum araneis hæretici. 18. a. b.
Ceſſio bonorum â parentibus facta periculi plena eſt. 42. e.
Chriſtiani malitiâ ſuâ ſuperant Judæos. 20. c.
graviter puniuntur. 20. f.
Chriſtò natô, totus mundus erat in malîgno poſitus. 4. a.
Tantæ pravitatis cauſa erant pravi populorum rectores, 4. b. c. d. e. f. g. h.
Chriſtus in glorioſo Corpore ſuo 5. vulnera retinuit. Cur? 20.
Optimus eſt Medicus. 45. d. e. f. i.
Circe triveneficia homines beſtificat. 3. a.
Civis â pio dæmone Monachii graviſſimè deceptus. 5. h.
Cœli juxta Philoſophos ſunt ſolidi, juxta Germanos ſunt liquidi. 8. e.

Cogitatuum officina Cor est, non caput. 43. a.
Cogitatus pravi non sunt privilegiati. 42. b.
Compendium malorum ex ira profluentium. 12. e.
Compotatio salutis pœnâ plectitur temporaneâ & sempiternâ. 6. i
Concio funebris. 18. f.
Conciones ne deproperentur. 9. c.
Concio stygia. 9.
32. l.
Confessarius suo cum pœnitente damnatur, 38. m.
Confessionem auricularem Christus præcipit. 38. a.
Firmatur ejus necessitas ex August. & exemplo. 38. d. e.
Cor nostrum mari comparatur. 8.
Cor ut templum sibi totum Deus vendicat. 39. b. c.
Crux politici, 34. g.
Cura pedum moraliter explicata. 7. c.
Cur aurum palleat, ratio prima & ultima. 29. c.
Cur dæmon Christum tentando, nullam fœminæ formam assumpsit? 10. f.
Curionum Sacrorum grandis obligatio periculi plena. 2.
Væ illis, si munus suum obeant luridè, scandalosè, 2. f.
Cur totiès spiritus tumultuosi per ædes & arces grassantur?
Rei hujus causæ dantur duodenæ. 12. f
Cyrillus Hipponensis civis pessimè dilexit filium suum. 5. e.

## D.

Dantur viva cadavera per peccatum. 40. c.
*Date*, *Dabitur* fratres sunt à se mutuò inseparabiles. 26. a.
Definitio compotationis, quâ salus bibitur aliena, & propria exterminatur. 6. h.
Deipara sedes Sapientiæ, rudium magistra. 49, b.
Descriptio orci. 9. e.
Desperandum non est, licet tibi facta sit revelatio damnationis. 39.
Detractio *scelus* dicitur *caudatum*, ob famæ restitutionem huic sceleri annexam. 36. e.
Deus Justitiam vindicativam perenni bono nostro exercet. 1. b.
Ejus promissa sunt verissima, hominum falsa. 26. b.

Ex eo idolum faciunt, qui eum tantùm ut Bonum Salvatorem, non item ut juſtum Judicem ac ſcelerum vindicem Deum ſuſpiciunt. 1. a.
In paradiſo ſartorem egit aut pellionem. 3. b.
Ludit cum ſuis comœdias, mundus tragœdias. 22. a.
Suos in terris flagellat. 25. g.
Optimum agit medicum. 45. f.
Diaboli maximè tres mundum infeſtant lucrô omnium maximô. 16. b
Diabolus pauper eſt tam quoad opes quàm vires. 40. a.
poteſt movere cadaver aſſiſtendo, non item informando. 40. b.
ſæpiùs auditus eſt concionari. 9.
obſequia ejus ſemper ſint ſuſpecta. 15. g.
ſuis pro molli lecto patibulum parat. 14. g.
DEI ſimia eſt. 15. a. 29. a.
habet ſuos Prophetas, Apoſtolos, Martyres, & ficta miracula. 15. a. b. c. d. e. f.
piſcatorem agit animarum. 29. a.
transfigurat ſe millies in angelum lucis, 15. f.
eleemoſynis ad animas perdendas abutitur. 15. k.
per gulæ bellaria totum ſubruere cogitat monaſterium. 15. l.
explicat retia in capturam animarum. 29. a.
fovet pietatem. 29. f.
agit advocatum, ut animam perjuri cauponis lucretur. 15. m.
eſt falſiſſimus Propheta, cui nec vera loquenti credatur. 32. a. b.
Diogenes homines quærit in patente foro. 3. c.
Diſcrimen grande inter Sacerdotes veteris teſtamenti & novi. 38. b.
Diſpenſationes rectiùs dicuntur diſſipationes. 11. f.
Diſputandum non eſt cum dæmone. 32. g.
Doctor Pariſienſis damnatus, Auctor primus Carthuſiæ. 45. c. d. e.
Cur hæc veri nominis hiſtoria ex Breviario proſcripta? l. c.

## E.

Ebrietas non curatur, quia toties à Clericis & à Religioſis practicatur. 11. i.
Ebrietas porcos nutrit. 3. g.
Ebrietatis probra. 13. c.

Ecclesia ex malè partis corrasa, corruit. 33. c.
Ecclesia ruralis Templo prævalet Jerosolymitano. 34. b.
Ecclesiastici Præcones S. Joannem studeant æmulari. 2. b.
S. Eduardus Angliæ Rex, pauperum pater. 31. e.
Eleemosyna veri nominis Pandora est, omnibus gratiis instructa. 26. d.
fugat dæmones. 26. f.
Angelos allicit. 26. g.
optimè negotiatur. 26. h.
eam etiam pauperes dare possunt pauperibus. 33. i.
ex alieno nulla est. 39. h.
Eleemosynaria manus non putrescit. 31. e.
Eleemosynarii optimè moriuntur. 17. c.
26. e.
Elisabetha Thuringa pauperum mater. 33. h.
Elogium Eusebii Nirnbergii. 33. d.
Gabr. Vegæ. 30. i.
Lorini. 38. d.
Tolenarii. 15. d.
Ethnici docent Christianos iram domandi modum ac methodum. 12. i.
Ex decem millibus hodie vix unus salvatur. 11. i.
Ex iniquitatis mammona nec coli vult Deus, nec placari. 33. a.
Euclio immanis parricida. 28. d.
sui fit carnifex. 29. c.

## F.

Femina hypocrita & avara æternùm damnata. 31. k.
Fidem carbonarii assumant etiam docti. 32. o.
Florentius duplex producitur, pius, impius. 41. m.
Formâ muliebri homines cœcos multoties Sathan decipit. 14. e.
Fructus & effectus harum vocum, *misereor super turbam.* 31. d.

## G.

Gaudium honestum non prohibet Ecclesia Bacchanaliorum tridui modò ritè jejunia serventur. 13. f.

Gentiles

Gentiles, & quidam hæretici omnem eleemosynam proscribunt, repelluntur. 17. a. b.
Gentiles Evangelicam Veritatem illustrant. 39. a.
D. Greg. Nyss. illas peregrinationes proscribit, quæ gulæ gratiâ eum in locum instituuntur, ubi novis hospitibus mensa instruitur sybaritica. 24. h.
Gulosi sunt atheistæ idololatræ. 13. b.

## H.

Hæretici Sanctos Patres contra peregrinationes falsissimè allégant. 24. c.
Helianus pater gravissimè à DEO punitur. 5. h.
Heri sui atroces injurias acerrimè servus vindicat. 7. g.
Herodis encomia. 4. f.
S. Hieronymo ineptissimè pileus appingitur Cardinalitius. 47. b.
Hispanus post mortem ter caput extollit, & fatetur, se graviter deceptum esse. 1. f.
Hominum malitia ultimum ut sic attigisse videtur. 11. h. i.
Homo homini DEUS est, homo homini lupus est: id per misericordiam, hoc per avaritiam. 31. c.

## I.

Jairus duos graves commisit errores. 48. e.
Jejunandi fervor olim germanis receptus, & mirabili decreto firmatus. 13. e.
Immisericordia pessimam mortem conciliat, fugat Angelos, allicit diabolos, & orcum lucratur. 26. i.
Imperare possumus ventis & mari, si animi passiones domentur. 8.
Impii parentes in porcos mutati. 3. e. f.
Imprecationes pauperum audit DEUS. 39. k.
Infelix felicitas. 25. h.
Inimici hominis domestici ejus. 28. g.
Innoc. Tertius Episcopum exauctoravit, quòd Verbum DEI proprio marte non prædicaret. Quid de socordibus Parochis statuisset? 2.
Invidiæ natura explanatur. 41. d.

Invidiæ mortiferum ſcelus eſt. 41. g.
diabolicum ſcelus eſt. 41. h.
ſanguinolentum, & omni ſcelere deterius ſcelus eſt. 41. i. k.
interim ubique graſſatur, etiam in Sanctuario. 41. l, m.
S. Joannes in Nuptiis Can. Gal. non fuit ſponſus. 6. b.
S. Joſeph ſenex non fuit, qualem paſſim exhibeat pictores. 47. c.
nec Joannes Evangeliſta. l. c.
Ira datur duplex, laudabilis, culpabilis. 12. b.
Iræ & impatientiæ funeſti fructus, 12. c, d.
27. a.
Ira militaris. 12. h.
Irato nec loquendum aliquid nec agendum. 12. i.
Irreverentia Chriſtianorum in templis punita. 34. f. i.
Judæorum fæx malè toleratur infantibus ac puellis infeſta. 20. c.
Judæorum pœnæ. 20. d.
S. Judas Thadæus non debet omitti, ſi 12. Apoſtolos velis penicil
deſcribi.
Locum illius malè ſupplet S. Paulus. 47. g.
Judicia DEI longè alia quàm homium. 32. k.
Judicium duriſſimum his, qui præſunt. 4. k.
Jugum connubiale eſt omnium graviſſimum. 27. a.
Juridici advocati catervatim in orcum ruunt. 11. i.
Juſtitia malè ordinata, gravis injuſtitia eſt. 23. d.

## L.

Lacrimas provocat ſinapi. 10. b.
Latrones morales dantur quamplurimi, ſc. luſores, combibon
feminæ luxuriantes, & falſi amici. 37.
Latro parens. 37. e.
Laus Centurionis. 7. d.
Laus Roſarum. 35. a.
Laus Urbis Antiochenæ. 11. i.
Licitum eſt, peccatoribus properam & piam mortem impreca
41. f.
Lingua detractoris tres necat uno morſu. 26. d.
Lingua manualis quæ? 36. b.
Linguam habent lethalem blaſphemi & imprecatores. 36. i.

Lingua mortis & vitæ parens. 36. a.
Ludov. Bavari ſera pœnitudo. 27. g.
S. Ludov. Rex. Galliæ pater pauperum. 17. h.
*Lupæ* dicuntur meretrices duplici ex cauſa. 21. b.
Lupam grandem produxit Herbipolis. 21. c.
Luridus animarum paſtor, ab orcino hirco mactatur. 35. f.
Luſores judaizant. 20. h.
Luſoribus & procis nullæ opes ſufficiunt. 38. h.
Luſus grandibus malis obſeptus. 20. g.
Luſus maximè Clericos dedecet. 20. i.
Luxuria piceum ſcelus eſt. 19. l.
glutit grandes theſauros. 21. b.
Lyſaniæ décora. 4. g.

## M.

Magi & Sagæ difficillimè convertuntur. 21. c.
Magnis peccatoribus ſuam in terris felicitatem nemo invideat. 25. h.
Mailotius ungues ſtygios feliciter eludit. 29. f.
Maledictus, qui Miſericordiâ DEI abutitur. 19. g.
Malè in totum Religionis corpus refunditur, quod ab uno vel altero peccatur. 8. e.
11. c.
Malè parta malè dilabuntur. 29. d.
38. k.
Malè partis DEUS nec colitur, nec placatur. 33. a.
rejiciuntur ab Auguſtino, Liberio Pap. & PP. Franciſcanis. 33. b.
Mammonæ lucrum gehenna. 31. l.
Mammoniſmus ubique graſſatur. 33. f.
Mammoniſta vivus tumulatur. 33. e.
Mammoniſtarum grandis error, quòd credant, omnia per nudam Confeſſionem expediri ſine reſtitutione. 38. l.
Manichæi in Chriſti Evangelium blaſphemi. 18. b.
S. Maria Magdalena in Cana Galil. non fuit ſponſa. 6. d.
S. Maria Mater DEI à pictoribus perperam exhibetur. 47. h.
S. Martino malè anſer appingitur. 47. f.
Martinus Guttierez novæ tragœdiæ ſpectator. 2. f.
Matrimonio plures abutuntur. 11. i.

Medici triplicem vultum repræsentant. 45. h. i.
Medicorum scientia per experientiam perficitur. 45. g.
Membrum nullum in humano corpore impunè despicitur. 7. a. b.
Mendaci etiam vera loquenti credendum non est, multò minùs diabolo. 32. e.
Mensa sybaritica quam suis dæmon adornat. 14. h.
Moriendum est semel pro semper. 48. d.
Mors inaudita hominis avari. 28. i.
Mors mysterium terribile. 44.
Mortem seriam pœnitentia præoccupet. 48. f.
Mortis horam ignorari proficuum est. 44. d.
Multi hodie plùs minis ac pœnis moventur, quàm præmiis. 1. e.
Mundus hodie in maligno positus est. 11. h. i.
Mutius perjurus à proprio filio ex patibulo suspenditur. 23. e.

## N.

Nec DEO, nec parentibus reddi potest æquivalens. 42. a. b.
Non secundum faciem judicandum. 39. g.
Notæ in avaros. 1. g.
in bibaces germanos. 6. g.
37.
in biboſos parentes. 3. h.
37.
in conjugatos. 1. f.
in ebrios. 1. i.
37.
in hypocritas. 3. f.
in laxos fratres, Clericos & Religioſos. 1. l.
in Legistas, Procuratores, Advocatos. 26. l.
in lurcones studioſos. 5. g.
in luridum animarum Curionem. 2. f.
in luſores. 20. h.
37.
in luxurioſos. 1. h.
37.
in Medicos ultimum articulum ægris palliantes. 43. e.
in mutos & divitum palpones Confeſſarios. 30. k.
38. m.

Notæ in pravos pictores. 47.
in precatrices Bertas, & earum rudes patronos. 23. c.
in procraſtinatores. 1. m.
in quodlibeticos & omnihorarios Verbi Divini Verberones. 9. d.
in vanæ Nobilitatis thraſonicos præcones. 42. f.
in venereas icones. 4. d.
Novem gratiæ probis & morigeris filiis à DEO decretæ. 42. h.
Nulli de miſericordia DEI deſperandum, ſed nec de illa ulli hominum temerè præſumendum. 19. d. e.
Nullum vitium tot tragœdias ludit quàm libido. 22. b.
Nuptiæ in Cana Galil. omnium celeberrimæ. 6. a.

## O.

Odium nos DEO reddit exoſos. 30. e. k.
Olim Templa non adire poterant armati. 30. a.
Orat, qui benè laborat. 23. c. Notent hanc phraſin Oratrices Bertæ, quæ totam vitæ ſanctimoniam certis precibus concludunt &c. l. c.
Orentium dæmon excoriat. 34. i.

## P.

Paduanus Doctor in articulo mortis à diabolo inſaccatur, moritur, damnatur. 32. g. h.
Parentibus moralis doctrina proponitur. 5. b.
Par pari nubat. 42. d.
Pater latrocinans. 37. e.
Patientiæ fructus magni ſunt & multi. 12. e.
Patientia læſa fit furor. 7. f.
S. Paulus omnibus omnia. 45. a.
Peccans in miſericordiam DEI, fit præda diaboli. 35. f.
Peccatum velut altera Circe homines beſtificat. 3.
Peccatur in juſtitiam per exceſſum & defectum. 23. h.
Perdita proles peſſimè imputatur Deiparæ. 5. a.
Peregrinari non omnibus eſt conſultum: enumerantur. 24. h.
Peregrinationes ex Script. probantur. 24.
Peregrinationes DEI & SS. exemplis firmantur. l. c.
Non debent explodi. Punitur contemtus. 24. i.

Pharisæi erant Christi hostes omnium acerrimi. 41. a.
Philippus Gall. Rex Justitiæ cultor eximius 33. e.
Picturæ pravæ orcum provocant. 47. l.
& causant damnationem. l. c.
Pilati elogia. 4. e.
Placilla Theodosii Conjux pauperum Mater. 31. d.
Pœna horrida pravi Judicis & hypocritici Mammonistæ. 39. k.
Pravi parentes pravos liberos educant. 28. f.
Precatrix Berta horribiliter ab orco decepta. 15. i.
Probra templis illata dicuntur peccatilla. 34. h.
Procrastinatorum impia phantasmata. 19. f.
Talis erat Julius Patric. Rom. à DEO damnatus. 19. h.
Procis lusoribus nullæ opes sufficiunt. 38. h.
Procus anagrammaticè porcus. 3. e.
Proximi nostri sunt parentes nostri. 42. a.
Purgatorii acerbitas probatur. 10. c.

## Q.

Quæ pueri discimus, etiam viri practicamus. 38. g.
Quâ formâ Christum tentavit Satan? eremitæ, angeli & regis. 14. a. b.
Quæstio, an nostrûm plures salventur aut damnentur, resolvitur.
in statu Sacro Ecclesiastico plures damnari. 11.
inde linea duci potest ad alios &c. l. c.
Quæstio, cur per iniquitatis mammonam vult DEUS amicos conciliari
elucidatur. 33. g.
Qualis Rex, talis grex. 4. c.
Quid importat vox *Regulus*? 15. k.
Quid signat orci galea? 16. a.

## R.

Rancor inveteratus damnat. 8. d. e.
Religiosis probis per improbos nihil detrahitur. 11. f.
Reputatio propria multos damnat. 36. g.
Restitutionem urgeant Confessarii & probè inculcent, illius defectu
nullam esse pœnitentiam. 38. m.
Rete stygium pecunia est. 29. b. c. d.
Venerea voluptas. 29. e.
Rikberger nobilis Suevus & pauperum tyrannus miserè perit. 17. d.

Romulum & Remum à lupa nutritos esse, fabula est, ad Urbis Romanæ gloriam per orbem tuendam conficta. 21. a.
Rosæ utut pretiosæ non omnibus sapiunt. 35. b.
Rosa est Symbolum Eucharistiæ & Misericordiæ divinæ. 35. c. d.
Rusticus iratus 4. funerum causa. 12. d.

## S.

Sacrificium odiô contaminatum à DEO rejicitur. 30. h.
Saltus diabolicus. 13. h.
Salus diabolica. 30. g.
Sancti pravos aliorum cogitatus castigârunt, à DEO detectos. 43. f.
Scandalum est duplex, datum & acceptum. 25. a. b. c. d.
Scandalum pharisaicum, seu acceptum, expenditur. 25. e.
Scarabæum necat rosa. 35. b.
Scintilla parva magnum excitat incendium. 27. d.
Senecio parcus & avarus, Martyr diaboli. 15. d.
S. Severinus ob horas canonicas uno tractu negotiorum causâ primo manè recitatas, purgatorio adjudicatur. 10. g.
Simius amor parentum in filios. 38. f.
S. Simon Apost. in Cana Galil. verus fuit sponsus, & sponsa fuit Anachita. 6. c. d. e.
Sinapi suas habet virtutes & vitia. 10. a. b.
Sortitio prava periculi plena est. 32. d.
Spectaculum Neapolitanum horroris plenum. 11. f.
Speculum Norinbergense diabolicum. 32. c.
Spiritus orcinus per ædes tumultuans. 16. e.
Superba & temeraria præsumptio Doctoris punitur. 32.
Surgit ex sandapila mortuus Officialis. 4. k.
Syllogismum undique cornutum formant Judices. 37. e.

## T.

Technæ diabolicæ in amovenda mortis obeundæ cura. 48. h.
Templa Christi exemplô purgentur. 34. a.
Teridates Armenorum Rex in suem mutatur. 3. c.
Theodosius tragœdiam ludit lamentabilem Thessalonicæ. 12. e. f.
Tiberii Cæsaris infamis vita. 4. d.
Toga & Kappa non faciunt Monachum, sed vita. 11. d.
Tragœdia Claustri Neapolitani. 11. f.
Tumba mortui enormiter ponderosa, etiam vacua. 48. k.

## U.

Væ immiſericordibus avaris & pravis ſuperioribus. 4. i. k.
Væ, qui parentes ſuos deſpiciunt. 42. c.
Valentem aſcetam dæmon ſub angeli & ipſius Chriſti ſchemate ſupplantat. 15. f.
S. Udalricus ob Adalberonem cognatum ad mitram promotum purgatoriô cruciatur. 10. g.
Udo Magdeburg. Epiſc. inauditô judiciô damnatus, & à S. Mauritio capite plexus. 49.
Veneris internuntii (Kuppler) viri ac feminæ ubique exterminentur. 22. e.
Veneris procus ab orcinis moloſſis dilaniatus. 40. e.
Venti paſſiones animi. 8.
Venus ſuis pravitatibus tragicam coronidem imponit. 5. g.
Veritas odium parit. 36. c.
Vini defectus in Cana Galilæa non conjici debet in compotationes. 41.
Virgines pro fidei puritate Martyriô affectæ, nunc tanquam nuda meretrices pinguntur. 47. c.
Vis & virtus imprecationum, quas pauperes funduntin avaros, 17. Et in Advocatos Legiſtas, 26. m.
Vis & virtus vindictæ. 8. f.
S. Vitaliana ob caput die veneris ablutum, in purgantes focos ſtruditur. 10. g.
Vita noſtra comœdia ſeu ſpectaculum. 48. a.
Vivicomburia bacchi. 13. h.
Ultimum articulum jure omnes perhorreſcunt. 32. n.
Ulyſſis ſocii in ſues mutati. 3. a.
Voluptas carnea rectè *latro* dicitur. 22. g.

## Z.

Zelat Eccleſiam ſuam DEUS. 34. d.
Zelotypia eſt ilias malorum. 27. c.
probatur per Ludov. Bavarum. l. c.
vitanda eſt tanquam peſtis. 27. l, m.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Errorum Tabula in Dominicas Tubæ Tragicæ.

## *Benevolo Lectori.*

NEmo miretur, plures nævos in præsentem *Tubam*, stylô latinô redanimatam irrepsisse. Quidquid librorum typicô prelô educitur, secumtrahit ex natura rei suliginem. Nullum hôc ævô librum ostendes, qui ab omni errorum labe sit immunis, si quidem volupe fuerit, literarum entia scrutari. Habent nævos suos schedæ Curiales; quid levius? errant in substantialibus Tabulæ Canonicæ; quid brevius? sordent typographicis erroribus etiam Sacra Biblia & Missalia; quid sanctius? Nos saltem *majoris notæ* nævos, qui sensum turbant ob oculos locamus, reliquos *minoris entitatis* nævulos, Lectoris benevolentiæ limandos committimus.

Menda itaque primi generis sic emenda.

*Primô locô ponitur folium, alterô error, cui immediatè annectitur correctura.*

6. *affatus.* affusus.
9. *Concionibus.* Curionibus.
35. *at non.* at nos.
38. *irruitur.* utitur.
41. 42. 46. *Rei. reo. Reo.* Dei. Deo.
64. 65. *Reo.* Deo.
70. *subivit.* subjicit.
78. *effundar-&.* affundar. at.
81. *hic morbus.* his moribus.
86. *S. Nort.* S. Pat.
96. *ut.* ubi.
107. *& etiam.* & jam.
117. *excuti ei, qui.* excuti ei dentes, qui.
123. *minis.* mimis.
125. *aprobrabit.* exprobrabit.
Item *unus.* usque.
Item *parvæ.* pravæ.
126. *magnum* magum.
127. *furatos.* fucatos.
142. *ausim affirmare.* non ausim affirmare.
145. *in orcum.* si orcum.
151. *orcio pœnis silentium dici.* orci pœnis silentium addici.
161. *in virtis.* in vivis.
171. *lucem.* luem.
173. *ures suas.* aures suas.
177. *moris.* mors.
180. *patrios.* patrias.
Item *centoribus.* centonibus.
181. *sed.* se.

186. *non patiantur.* non patiuntur.
Item, *maliferi.* mali feci.
188. *mendicari.* medicari.
191. *ucius.* cujus.
197. *jeus.* ejus.
206. *filio.* filo.
227. *mortem.* montem.
228. *manco ſenſe.* manco ſenſu.
228. *ne ſe.* ne ſc.
229. *hac rationem fide.* hac ratione fidem.
234. *novit.* movit.
245. *des.* dies.
253. *rape* ſape.
258. *expoſceret.* excreſceret.
258. *quia.* quid.
260. *accedit.* accidit.
268. *fore.* ſorte.
278. *in ſeculo.* in ſpeculo.
297. *exſexerit.* exſuxerit.
299. *at ſint.* at ſicut.
303. *venit.* vendit.
310. *partem.* patrem.
312. *rer.* per.
313. *inge.* inde.
328. *poſta.* hara.
342. *attingant.* affingant.
351. *quondam.* quosdam.
390. *creeptum.* conceptum.
400. *in oculis.* in aulis.
418. *ex lege.* exleges.
443. *aris.* ceris.
449. Sic legi debet penultimus verſus:
*Unus Amor Deus eſt! Amor! ô Amor unice cordis!*
457. *caſtigat.* cogitat.
463. *aſſectus.* effectus

# TUBA TRAGICA

*seu*

# HISTORIÆ, HORRORIS PLENÆ,

## FESTIS PER ANNUM

CONCIONATORIO RITU

APTATÆ,

*Quibus ad oculum ostenditur,*

quàm acribus pœnis flagitia profcindat

scelerum Ultor DEUS.

# OPUS RECENS

*Ad saluberrimos timores Peccatorum animis incutiendos, luci datum,*

*AUCTORE*

CHRISTOPH. SELHAMER,

SS. Theol. Doct.

Celsmi ac Revmi Principis & Archiep. Salisburg. Cap. Civ. Animarum Curione ibidem.

*Anno Gratiæ* M. DC. XCIX.

---

*NORINBERGÆ,*

Sumptibus JOHANNIS LEONHARDI BUGGEL, Bibliopolæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# INDEX THEMATVM.

quæ

in hoc Opere per Anni Festa tractantur.

*S. Andreas.*
Piscatio diabolica.

*S. Nicolaus.*
Virga Nicolaitica.

*Immaculata Conceptio B. V.*
Liber Vitæ.

*S. Thomas.*
Increduli Thomæ.

*Nativitas D. N. J. C.*
Crassi Bethlehemitæ.

*S. Stephanus.*
Numinis defertores.
*S. Joannes Evang.*
Scelerum menfura.
*Circumcifio D. N. J. C.*
Stygis Invocatio.
*Epiphania.*
Herodiana Politia.
*S. Sebaftianus.*
Blafphemiæ Spiritus.
*Purificatio B. V.*
Revelatio fpuria.
*S. Matthias.*
Lufus Orcinus.
*S. Jofephus.*
Ilias liberorum.

*Annuntiatio B. V.*

Salutatio Angelica, Execratio diabolica.

*Paſcha.*

Damnoſa Relapſio.

*Feria II. Paſchæ.*

Caro Aſmodæa.

*S. Georgius.*

Equus Sejanus.

*SS. Philipp. & Jacob.*

Mendax Orcus.

*Inventio S. Crucis.*

Crux Dominica.

*Aſcenſio D. N. J. C.*

Deſcenſus Aſcenſus, & Aſcenſus Deſcenſus.

*Pentecoſte.*
Primitiæ Jeroſolimitanæ.
*Feria II. Pentecoſtes.*
Spiritus Charitativus.
*S. Joannes Baptiſta.*
Mirabilis & miſerabilis Ternio.
*SS. Petrus & Paulus.*
Clavium Jura.
*Viſitatio B. V.*
Benedictio Mariana.
*S. Maria Magdalena.*
Color optimus.
*S. Jacobus.*
Ebrietatis probra.
*S. Anna.*
Lætitiæ Partus.

S. Lau.

*S. Laurentius.*
Novus Phœnix.
*Assumptio B. V.*
Castellum Marianum.
*S. Bartholomæus.*
Horrida excoriatio.
*Nativitas B. V.*
Nomen Vivificum.
*S. Matthæus.*
Opes Stygiæ.
*S. Michaël.*
Væ scandalosum.
*SS. Simon & Judas.*
Lex Charitatis.
*OO. SS.*
Filiationis Divinæ Characteristica.

*S. Mar-*

*S. Martinus.*
Cœcitas, miseriarum Ilias.
*Præsentatio B. V.*
Templi Encænia.
*S. Catharina.*
Vigiliæ perennes.
*Dedicatio Ecclesiæ.*
Divitum Idéa.

# CONCIO I.

## FESTUM S. ANDREÆ, Apoſt. & Mart.

*Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Matth. 4.

## Piſcatio diabolica.

DEI Simium eſſe dæmonem, alibi demonſtravimus AA. Audit hodie piſcatores hominum prædicatores Apoſtolos conſtitui, *faciam vos fieri piſcatores hominum*, mox ergò & ipſe retibus & hamis Orci lucrum ampliare contendit. *Dolus an virtus quis in hoſte requirat?* Ambroſius S. Maximi diſcipulus vidit tartareum Alaſtorem è ſumma etiam quercu hamô ſuô humanos piſces capientem, cui cùm proteriam exprobrâſſet, Orci genius abiit, exceſſit Nadaſi (1) teſte. Quantis ardoribus ſuam pariter piſcationem urgeat, & in horas per totum mundi hujus tractum proſequatur, paucis explicuit Huſſæus (2) Vates his verbis: *Ecce abſorbebit fluvium, & habet fiduciam, quòd influat Jordanes in os ejus.* Loci hujus Interpretes per vocem *fluvium* intelligi volunt omnium totius mundi maximum fluvium, antonomaſticè ſeu cum præeminentia ſumptum fluvium, in ſeptem alveos ſeu totidem oſtia, quibus ſe tandem in mare exonerat, diviſum Nilum, Ægypti fluvium. Numerat quidem Plinius (3) quindecim oſtia Nili, annumeratis etiam minoris notæ alveîs, quos alii paſſim nolunt memorari; at veri nominis Oſtia & à Poëtis & ab Hiſtoricis duntaxat *ſeptem* prædicantur, quorum hæc ſunt nomina: Oſtium Canopicum, Bolbiticum, Sebenniticum, Pharniticum, Mendeſicum, Taniticum, Peluſiacum. De his Poëta cecinit (4) binis in locis:

(1) Nadaſ. 2. Jan.

(2) Job. 40.

A. Dei Simius dæmon agit piſcatorem.

(3) Plin. l. 5. c. 9.

(4) Virg. 6. Æneid.

*Et ſeptem - gemini turbant trepida oſtia Nili*

(5) Idem 4. Georg.

Item (5)

*Ægyptum viridem nigrâ fœcundat arenâ,*
*Et diversa ruens septem discurrit in ora.*

Sicut ergò omnes reliquos orbis totius fluvios fertilitate Nilus transcendit, sic etiam piscium ubertate & copia ceteras omnes magnis post se passibus relinquit Nilus. De hoc Nilo Jobus loquitur: *Ecce absorbebit fluvium* omnium maximum, omnium fertilissimum Nilum; ex quo hic ridam ingluviem piscantis Diaboli colligas, qui ut omnes pisces simul sumptos possit captare, ipsum fluvium gestit haurire, ut nullus piscis valeat dilabi. Septem alveos Nilus repræsentat, ut ostendat, per septem Vitia, quæ passim capitalia dicuntur, Nilum cum piscibus in Averni barathrum exonerari. Ut ergò Nilus ille septem ostia numerat, jam memorata, sic pariter septem aliis utitur diabolus, ut pisces evangelicos in phlegetontæos lacus devolvat. Ostiorum nomina æquè septena Catechismus designat, *Superbia*, *Avaritia*, *Luxuria*, *Invidia*, *Gula*, *Ira*, *Acedia*. Lustremus singula & ejuremus.

B. Per 7. Ostia Nili seu totidem peccata capitalia.

Deum immortalem! quis ad numerum vocet pisces rationales, quos hæc flagitiorum ostia diabolico reti conclusos, non ut vitam vivant, sed ut in stagno picis & sulphuris pleno morte pereant nunquam morituri. Pili surgant vel legenti vel audienti, quæ palam ei palpito igneus Ecclesiastes Vincentius (6) asseruit. Erat Lugduni Archidiaconus, qui resignatis omnibus beneficiis, toti mundo validos calces illisit, & nudus in eremo annis quadraginta perenni pœnitentia corpus emaciavit. Obiit tandem non sine magna raræ sanctimoniæ fama, & post mortem Lugdunensi Episcopo familiarius noto apparuit, à quo cùm rogatus esset, si sibi aliquid altero de mundo recenseret, signatè retulit, quæ sequuntur. Illo die, quô ipse mortem oppetii, mecum toto in mundo mortui sunt hominum triginta millia: ex his tantùm quinque salvati sunt, ego nempe, mellifluus Pater Bernardus, qui mecum rectà cœlos sine purgatorio conscendit, tres verò ad purgantem focum defluxêre, ubi hanc in tertiam ad ultimum dodrantem expiantur: reliqui omnes rectà in tartarum præcipitati sunt. Horribilius est, quod Platus (7) recitat de Berchtoldo Franciscanorum zelota, sub cujus ardentissima concione femina repentè humi corruit & exspiravit: prodigiosè in vitam revocata, palàm retulit, quid tragœdiæ ad Divinum Tribunal abrepta vidisset; alia multa etiam hæc scrutanti fassa est Berchtoldo, obiisse illo die, quô ipsa in publico in templo fatis concessit, totum per orbem sexaginta hominum millia, & ex tanto numero tres tantùm ad fumantes purgatorii lacus [illegible]

(6) S. Vincent. Dom. Sept. Ser. 6.

C. His animas piscatur innumeras.

(7) Hier. Plat. de Rel. Stat. l. 1, c. 5.

defluxisse, reliquos omnes pœnis mulctatos esse sempiternis. Hem diabolicæ piscationis enormem successum? En ut fluvium cum numerosissimis piscibus absorbet Orcus! en quot piscium millia uno die acherontico reti concludit, mactandos ocius & flagrantibus focis assandos.

At, inquiet nonnemo, alia nunc tempora vivimus, quàm ævo Vincentii, ævô Berchtoldi vixerint mortales. Ita sanè aliam hodie ducimus ætatem, alios hodie mores exhibemus, quam ævô sint exhibiti memoratô, sed vereor, ne ætas posthuma longè sit flagitiosior antiquâ, metuo sanè ne hodierni mores sint veteribus multoties deteriores. In vitam Archidiaconus revertatur, femina de tumulo resurgat, ex tot millibus vix unum aut alterum piscem reti diabolico subtractum & Apostolico conclusum audiamus; quæ enim, per Deum immortalem, vita hodie etiam inter Christianos, inter Catholicos vivitur? Mentis oculos latè per orbem circumferamus, *vix tot de millibus unum* reperias, qui cum salmonibus contra torrentem fortibus ausibus sursum contendat ad astra. Quocunque aspicias, per omne nefas gens ruit in barathrum profundi; quæ enim in juvenibus malitia? quæ protervia in ætate cerea? quæ audacia in senescente vita? quæ & quanta in omni sexu lascivia? quæ & quanta in feminis superbia? quæ & quanta in viris perfidia? quæ & quanta inter ipsos, ardens perfectionis studium professos avaritia, ingluvies, superbia & jactantia, acedia & negligentia? quæ & quanta ubivis locorum scandala, quæ & quanta inexplebilis gulæ vesania summos infimos, sacros rapit & profanos? quàm levis divinarum legum reverentia? quàm modica conscientiæ cura? quàm nullus justitiæ cultus? quàm exiguus Dei ac Divinorum respectus? quàm levidensus gehennæ metus? nunquid *omnes avaritiæ student à minimo usque ad maximum* tesse (8) Isaia? nunquid *omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt JESU Christi*, Paulo (9) teste? nunquid omnes facto agmine rete involant orcinum, experientia teste pænè quotidiana, & per septem ostia Nili se ultrò in abyssum præcipitari patiuntur?

D. Miser status mundi hujus.

(8) Isa. 56.
(9) Phil. 2.

Primum Ostium, quô pisces in mare mortuum stygius Piscator exonerat, diximus *Superbiam*, qua currentem in horam, suam in nassam trahit innumeros. Stylus iste passim hodie totum hunc spectabilem mundum pererrat, Deô insuper habitô, seu fas fuerit seu nefas, suam incrumenam ludere, & licet Cœlum ruat, vel Ecclesia pereat, eminere velle. Multi ut cum epulone fulgeant, ruricolarum sanguine inundant, multæ ut in orci retia viros proliciant, auri alieni coloribus se inumbrant. Multi alii tantâ insolentiâ tumescunt, ut credant se ab omnibus

E. Primum ostium Nili, quô animas numerô innumerô prædatur, est *Superbia*.

bus coli debere, & velut Jovem aut Dianam adorari; hi primas ubique partes exambiunt, & si laudum suarum nullos habeant præcones, ipsi factorum suorum strenui buccinatores esse satagunt clamantes & barbantes: *nos poma natamus*: quid ille respectu nostri? quid illa? fungus iners, pepo, stipes, cucurbita, & edentula Xantippe &c. sic ex proximi contemptu in majorem despicationem labuntur, & tandem ipsius etiam Dei spretores & spretrices evadunt; Cùm verò hâc superbiâ semper fortiùs præ viris feminæ premantur, fumosi generis caminevtæ, fruges consumere natæ Junones, *gloriæ animalia*, *stercora involuta*, (quò titulo S. Bernardi frater suam sororem superbè comtam decoravit) statui ocius, antequam hinc moveam, Virginem Spoletanam exhibere, si tamen virgo fuit & non pellex, corporis sui superbo cultui nimiùm quàm addicta. Accidit fortè, prout Robertus de Licio memorat (10) ut lethifera febri pulsata extremùm decumberet, fastu & cultu corporis turgida domicella; hîc cùm tandem de vita penitus actum esse medici enunciâssent, monita est ægra, & identidem rogata, ut animæ suæ saluti hoc in articulo maturè consuleret; at preces surdæ cantatas esse docent quæ sequuntur. Cùm actum agi cerneret & ipsa conclamatam salutem haberet, jussit sibi pretiosam vestium suppellectilem afferri, quibus jam jam moritura se palàm induit, quasi Paridi cuidam nuptura, inde hinc in sacrilegas voces linguam & spiritum resolvit: ficcine ego verna artis meæ rosula, (ambubeiam intellige) ad tumulum abitura, has delitiarum & juventutis cupedias, has gloriæ auxeses relinquam? age Acheron, age Phlegeton, sponte veni Diabole, ac me tuam modò amasiam ad tartareas paludes abrepta! hæc hæc erant suprema Proserpinæ hujus filiæ spiria, quæ vestium luxu abstracta, nunquam inferis excipietur. Hinc tandem duce diabolo aguntur, qui verbis & factis superbiam prosequuntur. Ostium est nempe, quod in Ægyptiacum mare Superbiæ immortuos pisces devolvat.

(10) Rob. de Lic. in Quadragesimal.

Hist.

F. Secundum Ostium est *Avaritia*.

Ostium secundum *Avaritia* est, vi cujus homo avarus opes ambiens seu fas fuerit seu nefas; vel eas retineat, seu propriæ sint & probis actibus obtentæ, seu alterius, & mille fraudibus ac imposturis corrasæ. Hinc sciant mortales, quantum lucri orco accrescat ex inordinata lucrandi voluntate, centies opibus tritum illud Philosophi occinerent, *mergite vos ne mergar à vobis* nullum vitium ita piceum, ita fascinosum ac quàm auri argentiq; malitiosa cupido. Non sine causa Baruch (11) quæsiit, *ubi sunt qui argentum thesaurizant & aurum, in quo confidunt homines? exterminati sunt & ad inferos descenderunt*; horum plerique rei-

(11) Bar. 3.

dit-

diabolico implicantur & damnantur. Hæc si credere renuat, æquis saltem auribus excipias, quæ in rei hujus firmamentum S. P. Bernardinus Senis oriundus producit (12) his verbis: erat quidem dives mammonista, qui plurium hæreditates sibi uni vel alteri lucri causâ per suum nefas adscripsit, & multos pauperes vel bonis suis turpiter spoliavit, vel sub prætextu nescio quo impiè mutilavit. Jacebat hic fortè sua cum uxore in connubiali lecto, ex quo tamen subitò expergefactus, facto impetu prosiluit; rogatus à conjuge, quid rerum ageret, concubia nocte, tremens, ejulans reposuit: raptus sum modò ad judicium Dei, ubi tot & tanta mihi sunt exprobrata, ut ad tot accusationis capita nullum mihi responsum occurreret. Alia inter & hanc crisin excepi: exspectatum me diu fuisse ad pœnitentiam, hactenus tamen nec monitis nec præceptis & inspirationibus divinis ullum dedisse locum; audivi adeò judicem contra me actu sententiam protulisse, meque datum esse dæmonum potestati, adhuc hodie ad æterna orci supplicia devolvendum. His dictis, è pertica vili veste assumpta, rabido cursu nocte intempesta abiit, excessit; quæsitus undique tandem in cœnobio repertus est totis artubus tremiscens; re cognita totis viribus ad pœnitentiam urgebatur, at cùm nihil profuerant hortando, ad sextam usque seriò custoditus est. Primo manè aderant consanguinei, ut domum reducerent errabundum; at cùm fluvio impositum pontem transirent, navem eminus spectabant, rapido cursu propriis viribus adverso flumine ascendentem; nemo navim dirigebat, spectatorum oculis claro die conclusis, ne veri nauta nominis exciperent, ipse verò dives euclio eminus vidit totam navem dæmonibus obsessam, huc tantô numerô adventare, ut ipsum ad æterna supplicia exportes asportent. Vix hæc palàm edixit, ocyus consanguineorum ex manibus per dæmones violenter abreptus, & in navem projectus est, inde in ictu oculi cursu rapido retracta navi, suo cum Euclione à Dœmonibus rapto disparuit. Ita Plutoni cessit præda, qui dum viveret, Pluto tanquam Deo suo serviit servitutem, reti diabolico per avaritiæ ostium implicatus. Idem avaritiæ mancipia olim sentient, nisi quæ Cæsaris sunt Cæsari dederint, quæ Dei Deo, facta plenariæ corrasi Mammonæ in vivis restitutione. Oraculum Numinis est (13) *qui volunt divites fieri incidunt in laqueos*, & in retia diaboli, unde nullô unquam ævô extricentur.

(12) S. Bernard. Ser. 43. a. 3. c. 3.

(13) 1. Timoth. 6.

G. Tertium Ostium *Luxuria* est.

Tertium Ostium sanè amplissimum, piscationi diabolicæ undique apertum. Nullum scelus est, ubi citiùs, ubi gravius peccetur, quàm libido. Nullum scelus prodigalius est quàm libido: opes devorat Salomonæas, & divites Cræsos facit Iros libido. Si cor tuum meretri occupat, etiam loculos expilat; hinc ille dixit:

*tanti pœnitere non emo.* Lupæ corpus traditur, dæmoni anima transcribitur. Quantô numerô per hoc ostium stygius Piscator animas prædet, palàm ex pulpito Monacensi p. m. Drexelius explicuit, dixitque, facce tum juvenes æterni orci retibus involvi & damnari, ex centenis cen nonaginta novem propter vitium carnis peribunt, ultimus alio ex fo lere &c. prô Deum immortalem, nunquid hoc est, fluvium cum pis bus absorbere? maledictum Ostium, quô tot animæ in abyssum præc tantur, depereunt & pereunt eâ copiâ, ut pænè numerum transcendat Olim lupanaria privatæ erant domus, nunc urbes integræ; erigatur i gulis foribus, ubi venalis prostat pudor, majalis arbor, nec sylva Hi cynia, nec sylva Bohemica truncis sufficiet. Prô enormem piscium pturam, quam sibi hoc unum per ostium Stix vendicat! procul ab ostio pisces aufugiant, ne vel per nutus & alloquia, per oculorum ha munera tanquam reti diabolica capiantur & perdantur. Non fine c per Medicos tunica retina oculos circumdat; nôrunt oculis ut plurim veluti retibus mortales capi & mactari. Omnium auribus nænia obl

(14) Virg. Eclog. 8. pat (14) Poëtæ:

*Vt vidi! ut perii! Vt me malus abstulit error!*

(15) Prop. l. 1. El. 1. Et (15) alterius:

*Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.*

Sic capti sunt ab orco & hanc in horum capiuntur non tan Holofernes, sed etiam Davides, non improbi tantùm & fruges con mere nati lurcones, sed & aris proximi Herones & Pambones &c.

H. Quartum ostium *Invidia* est.

Sed quartum Ostium lustremus, quod *Invidia* nuncupatur. H ostium tectum est & quasi subaqueum, subterraneum, hoc ipso tamen ex natura summè damnosum. Ruunt hoc ex alvo in acheronticum non plebei tantùm sed ipsi etiam sublimem vivendi artem professi cl strales. Juxta commune diverbium figulus odit figulum, faber fabrum tor sutorem, sartor sartorem, magister cujuscunq; artis corrivalem ma strum oculis obit minùs æquis, quia ipsis decedere creditur gloriæ pecuniæ lucellum, quod alteri accedere notatur; fortuna vicino faven promptu est æmulatio. Superbiæ laqueos pia humilitas disrumpit, ritiæ retia avitæ paupertatis fervens cultus dilacerat; luxuriæ tenel las grandis murus asceteriis obductus amputat, averruncat, quô com commercium cum altero sexu tollitur, profligatur. At quis obi ponit quis remoram objicit serpentis Invidiæ malo, quò minus omnibus transcensis, fractis omnibus repagulis in imos sacrorum adi fibras grassetur. *Fratrum quoq; gratia rara est*, occinit Poëta, & exp rientia docet, etiam per hoc ostium ipso è Sacrario magnô numero

rete diabolicum pisces ruere focis æternantibus assandos. Quæratur ex Marcantio, unde à fide Catholica, lapsô seculô Germania nostra cum pluribus aliis regnis ac regionibus defecerit? Causam principalem ab Invidia cœnobitarum desumet. Non tulit invidia, per alios Indulgentias contra Turcam promulgari ex cathedris; hinc ipsis tandem Indulgentiis totique fidei dicta est dies. Lustretur ipse Marcantius (16) & patebit veritas. Sic alterum Jobi assertum verificatur: *& habet fiduciam, quòd Jordanes influat in os ejus.* Religione insignis fluvius est Jordanes, à lavacro Christi nobilitatus, quem tanquam toti SS. Trinitati acceptum fluvium multis prædicat (17) Bern. Hinc iterum ingluvies tartarei piscatoris. Non contentus est Nilum & Nilicolas absorpsisse, laicos pisces captasse, nisi etiam per hunc invidiæ alveum reti suo Clerum immolet & avitam Religionem. *Cibus ejus electus est*, inquit (18) Habac. nam & Jordanis pisces prædari satagit Lavernio, quibus lavacri & baptismi vicem subit professio quo jure? ipsi viderint.

(16) Marcant. tr. 4. lect. 5. n. 7.

(17) S. Bernard. ad templ. milit.

(18) Hab. 1.

I.

Quintum ostium *Gula* est.

Quintum Ostium *Gula* constituit; Hoc si *germanum* dixeris Ostium, vitium haud dari poterit nomenclaturæ. Nulla natio sub cœlo est, quæ usque adeò sit gulæ dedita & ebrietati, quàm Natio germana; hic *vivere* ac *bibere* pœne sunt synonyma; unde trivialis paræmia profluxit, plures illorum vitrô perire quàm mari Lucrosa est piscatio, quæ aquâ turbidâ tentatur. Novit id apprimè Stygifax, qui hoc ex capite palpitanti piscium gregi, ratione vinô sepulta, totum rete stygium oppandit, ut in bonis ducant dies suos, & in ebrietatis puncto vel equîs vel scalîs delapsi ad inferna descendant Propheta teste. Aliquis ad numerum revocet in crapula formali *sine lux & crux* profundô haustos syphones! antè dies, imò anni me deficiant, quàm eorum numerum ac speciem definiam; & verò soli si perirent, nulli alteri pernicies accresceret; at trahunt ut plurimum grandem secum in barathrum appendicem biboni gulones, socios fratres, mensæ asseclas, gulæ ac ebrietatis protervos sodales, imò conjuges & liberos. Factum lugubre Jo. Bened. (19) recitat ex priore seculo, quod fide quâ accepi, hic refero. Vir erat immanis helluo, perpetim popinæ affixus & luxui. Indulsit fortè ardentiùs poculis & fritillis in taberna festo die: en uxor ejus popinam involat, orat, obsecrat, saltem liberis parcat, qui græcante patre domi cum fame luctentur. Accensus helluo conjugem suam ita fustibus & palmis excepit, ut se humô attollere vix posset; satur adeò tot pugnis, domum esuriens, quam ocyus exangues liberi adoriuntur panem panem inclamitantes. Vidit mater emaciata corpuscula, & tot malis finem factura, facinus tentat impium execrandum; rapit cultrum & ad liberos conversa, adeste, inquit, filioli mei,

(19) Jo. Benod. l. 3. Sum. c. 7. Hist.

mei, faciam ego, ut nulla porrò vos fames excruciet, simulque ferrum a utriusque guttur demergens, utramque mactat prolem, inde tanta o de ferocior facta ebrium è popina maritum intrepida operitur; vix pe dem ædibus intulit, paratâ ocius sicâ, adesdum, inquit, lurco perfi filiorum latro, infamis bibo! socius esto funerum natorum quos fe necasti; simul adacto in ebrii siphonis collum rubente ferro, ei gul abscidit, & funus fecit lurconem. Non laudo fœminæ hujus ter facinus, absit! id unum moneo, quòd sæpè fato tragico non unum plures reti suo per ostium gulæ, per alveum ebrietatis stygius pisc concludat; hic certe virùm in ebrietate mactatum, inde uxorem qu sui factam carnificem perdidit, & in acheronticas orci paludes demer Discant inde gulam frænare, & hunc ebrietatis alveum fugere & exec quibus cordi est salus corporis temporanea, & salus animæ sempiterna

K. Sextum Ostium pisces fovet in tauri felle natantes, sepiæ cruori taliter immersos, omine sanè pessimo, damnosissimo; quisquis enim fervet & rancore in alterum, hoc ipso credi debet reti stygio conclud *Furor, iraq; mentem præcipitant*, Poëta (20) teste; quorsum? in mare mo tuum, & in mephiticam paludem Averni. Pleni sunt omnes libri vet tibus exemplis illorum, qui cum inveterato rancore, odio, & ira in cinum, rectà hinc prolapsi sunt in Phlegetontem. Tu cave, ne Sol quam occidat super iracundiam tuam, ut laqueos & retia declines tartar

Sextum *Iræ* est.

(20) Virg. 2. Æncid.

L. Ultimum actum *Acediam* comprehendit & noxium torporem, q frigidus Christianus eò tandem devolvitur, ut Deo insuper habitô ad trema scelerum volutabra se projiciat. Capiuntur eô ut plurimùm nostri pseudopolitici, mangones & alii passim gelido tepiditatis spiritu sessi mortales, qui in utramque aurem otiosi dormiunt, procrastin identidem virtutis ac pœnitentiæ studio. Nollent quidem beatitu ne sua, ad quam se conditos sciunt, penitus excidere, unà tamen fa no lunt, quæ ad beatitudinem assequendam necessariò sunt requisita. N runt, regnum cœlorum vim pati, & violentos rapere illud, sibi tam & genio suo per omnia indulgent, omnem vim ac violentiam deli corporis trunco irrogandam totis viribus aversantur; ita molli cubi suffulti, vel essedo concluſi, certò sibi sidera spondent; donec spe deluſi, se antè videant tartarô mersos, quàm ritè sciant, se vitâ esse turbatos. Vetus Germanorum adagium est, laborandum est nobis quam æternum victuris, & ita probè vivendum nobis est, quasi adhuc die morituris. Id nisi fiat, & probè observetur, rete diabolicum accubi refertum, etiam ex nobis implebitur, quod omnium à cervicibus clemens Deus avertat, Amen!

Septimum *Acedia*.

CON

# CONCIO II.

# FESTUM S. NICOLAI, Ep.

*Post multum verò temporis venit Dominus servorum illorum.* Matth. 15.

## Virga Nicolaitica.

EX omnibus bonis ac donis, quæ magnus ille ac diviniſſimus miſericordiarum Pater Nicolaus variis mortalibus imponit, mihi hodie præ omnibus aliis Virga placet & probatas AA. quam ſuis donis inſerit, ut eâ veluti frænô pravi reprimantur, ne cœleſtibus donis in propriam perniciem peſſimè abutântur. Hâc Virgâ in officio continet probos, hâc virgâ diſcolos ab exitio revocat ſempiterno juxta tritum illud: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Sic, Deo ſolenni more miſericordiam juſtitiæ innectit, juſtitiam miſericordiæ committit Deus. Sic bona omnia & dona cœlitus homini clementiſſimè diſpenſando, unà juſtitiæ ſuæ rigorem in Virga exhibet ſpectandum, cujus formidine homines in malum proni, à malo & à peccandi conſuetudine abſtineant, caveant diſcrimina, prava fugiant commercia, & bonis ſine ulla Dei largitoris offenſa pacificè perfruantur. Novit Deus apprimè hominum genium & naturam; pauci ſunt, & *vix numerô tot, quot Thebarum portæ*, qui ſe nudo Dei ac Virtutis amore ſurſum trahi patiantur. Animæ dantur utplurimùm ſerviles, quæ ſcuticâ tremefactæ Deo ſerviant Conditori, non ſervituræ, ſi virgâ qui oculis remotâ Deum ſuum ita bonum eſſe ſcirent, ut nullum unquam puniret, ſed ad omnia conniveret. Dixerit olim Poëta:

*Non benè conveniant, nec in una ſede morantur*
*Majeſtas & amor &c.*

Nunc certè belliſſimè conveniunt Juſtitia & Clementia, timor & amor: ille pro fræno eſt, iſte pro ſtimulo ſervit & calcari. Amabilis & deſiderabilis eſt bonorum omnium largitor Deus, qui manu ſua virgam rotat, ut immorigeros, ingratos & rebelles pueros plectat, puniat, ac ſimul alios ſaluberrimo timore, qui omne peccatum animô propulſet, fortiter conſtringat. Nempe, amari vult tanquam in omnes beneficus Pater, timeri

A. Virgam donis ſuis ad nos dirigendis Deus immiſcet, ut ne donis cœleſtibus abutamur.

meri vult tanquam vivorum ac mortuorum æquissimus Judex. Virgas paterna manu concutit, non ut puniat, sed ut ab omni pœna suos protegat. *Corroboravit misericordiam suam super timentes se*, Psaltes inquit (1) Ps. 102. (1) regius; imò eodem ex oraculo bona omnia pariter timori compa- (2) Ps. 24. mittit. *Nihil deest timentibus eum.* Sic item (2) Psalmista. Vates ma- (3) Ps. 100. gius utrumque in Deo expertus iterum iterumq; (3) exclamat: *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Judicium, inquit, laudabo quia semper est æquissimum, semper optimum, & omni encomio dignissimum, priùs tamen, ut signatè meminit, suas Misericordiæ propo laudes concinam, quia hæc non tantùm potiori apud Deum loco sed etiam à Deo libentius & frequentius exeritur; quod ipsum etiam (4) Exod. 15. in Cantico (4) directè Moyses expressit, his verbis ad Deum direct *Dux fuisti in misericordia populo tuo, quem redemisti:* Ubi tamen per B. Interpretes in græco textu expresè sic legitur: *Dux fuisti in justitia* Justitiam stipat Misericordia, & vicissim. *pulo tuo, quem redemisti*, quæ lectio fidem meretur? qui textus hab primas? an primus de Misericordia? an secundus de justitia? vana quæsitum expedio: utraque lectio vera est, utraque lectio sancta est, probatur ex Script. à Spiritu S. profecta: *Dux fuisti in misericordia, Dux fuisti in jus* Eluxit quidem hoc in Ducatu Dei Summi Justitia, quia ibi plures Ægyptiorum plagas spectamus, quarum undecima omnium maxima exci vi cujus altò haustus esse novimus cruentos hostes, & eorum, qui sitis litici populi sanguinem sitiebant, impia cadavera, Mari legimus reno innatâsse; in hoc ipso tamen perquam tragico & funesto actu plus Misericordia eluxit quàm Justitia, quia ter clemens Deus ne illos quidem miseros nisi multò antè sæpius ac seriò præmonitos, virgâ oculis eorum aliquoties obtrusâ, visus est punire; præmisit adeò minora mala, majora damna majoribus, & à sanguinolentis aquis per ranas & cynipes per muscas & pustulas, per grandinem & locustas, per animalium pecturam & tenebras, ad omnium primogenitorum horridam cædem tandem ad totius gentis refluente freto absorpti exitium & excidium justus & misericors Deus gradatim ascendit; patet adeò, quàm nimius efferos peccatores Deus puniat, qui hunc in finem potenti dextra virgam vibrat & eminùs gladium intentat, ut, qui reprobus est, malum desinat malignari, propere secundam post naufragium tabulam apprehendat, & celeri pœnitentia fatalem virgæ ictum avertat. Ita sanè (5) S. Aug. Serm. 109. de temp. terminis (5) S. P. Aug. perorat: *Propterea se Judicem venturum minatur, ut cùm venerit, non inveniat quem puniat.* Hoc autem aliud non est, quàm virgam eminus intentari, gladium vindictæ à longè ostendi, ut maturè possit pœna sceleri decreta evitari. Quidquid ergò nobis de virgâ

virga & gladio spiritus procul Deus exhibeat; quidquid nobis Sacer Evangeliorum Codex de comminationibus referat; quidquid de inferorum pœnis commemoret scriptura, quidquid de severitate Supremi Judicis Oracula prædicent divina, id totum eò spectat, ut homo cùm prospicit virgam, seriò sibi procuret gratiam, & cùm timet, ne sententiâ damnationis fulminetur, omnem conatum adhibeat, ut Deo suo per veri nominis pœnitentiam reconcilietur; imò quod amplius, tam bonus, tam clemens & misericors Deus est, ut, quos virgâ proscindi centies meritos propter pœnitentiam longanimis exspectat, ante virgarum illapsum letales ictus prænuntiet, & venturas calamitates signatè prophetizet. Si ergò nec virgam intentanti, nec ictus gravissimos vaticinanti fides habetur, rectè tandem pertinacibus occinetur: *Perditio tuaq; ex te Israel* (6) Sistamus nonnihil hac in thesi AA. & dispiciamus, quàm paternè insipidis & rebellibus filiis suis virgam eminus ostendat Servator, eamque etiam auribus intonet, quorum tandem exitio decreta est virga, ut totum hominem proscindat, & in Orco plagas plagis accumulet. (6) Osc. 13.

Alia judicia, alia consilia cudunt homines, alia Deus format. Qui avem captat aut feram, omnia signa removet, ex quibus possit periculum aut fatalem ictum augurari; voci silentium, pedibus imperat quietem auceps & venator, ut nec minimo strepitu aut murmure territa præda ictum eludat. Ah non ita Deus, centies imò millies nostris flagitiis provocatus, ad pœnam reos quæritat, ad vindictam peccatores explorat. Non struit insidias reprobis, ut fraudibus & cuniculis aditum præparet; sed optat potius virgâ eminus ostensâ, & clade ventura paternè prænuntiata, ut omnem ictum tandem in refractarios fulminandum maturè declinemus. Sicut ergò Ægyptios & Pharaonem, prout antè diximus, multis plagis, multis virgis per Moysen intentatis Deus præmonuit, antequam omnes simul mari rubro haurirentur, ita pariter virgam furoris sui in Sodomæos antè non exoneravit, quàm multoties deflagrantis virgæ tetro illapsu admonerentur. Aderant Angeli monitores, aderat Loth & generi ejus, quin ipsi cives vim foribus intentantes modicè virgâ contacti, & ocius cæcitate percussi, tam serios hortatores suspicere debebant & revereri; id cùm factum non sit, jure in eos Ira divina tetros ignes evomuit. Feliciùs Jonas vindicem Dei virgam Ninivitis exhibuit & prænuntiavit, cùm eorum urbem obiret, & alta voce intonaret (7) *adhuc 40. dies, & Ninive subvertetur.* Audiebant vaticinantem Ninivitæ, & ocius, ut ait (8) Aug. *saccis vestiti & cinere conspersi pœnitentiam captabant, fugientes à facie irati ad faciem placati Dei.* Sic post 40. dies juxta Jonæ vaticinium verissimè fuit eversa Ninive, licet

C. Virgam reis eminus intentat, non ut feriat, sed Orco subtrahat peccantes.

D. Probatur.

(7) Jon. 3.
(8) S. Aug. in Ps. 138.

cet nec lapis tota sit in urbe locô suô dimotus. Vera fuisse Jonæ verba bellè probat (9) Aug. *Eversa fuit in malo, ædificata fuit in bono prout dixit Jeremias* (10) *ecce dabo tibi eradicare, suffodere, evertere, & rursus ædificare &c. Non murorum sed morum munimenta ceciderunt.* Sic Aug.

(9) Idem in Ps. 50.
(10) Jer. 1.

E.

Hunc in finem pœnas nuntiat culpis decretas.

Antequam Jerosolima per Tit. Vespas. solo æquaretur, iteratis vicibus virgam vidit toti urbi quidem minitantem Jerosolima; sed fructu sed per irrito. Ostendit è cœlo Deus perfidis civibus virgatum cometam vates insuper misit quamplurimos, qui venturam cladem obstinatis pr dicerent, sed nullo iterum effectu, lucro penitus nullo; hoc inter va ultimus erat ex infima ruricolarum fæce agrestis homo, qui multò an obsidionem, cladis nuncium egit publicum, voce per urbem altiss insonans & exclamans: *Vox ab oriente, vox ab occidente, vox à 4. ve tis, væ væ Jerosolimis!* Clamoris præsagium truculenta fuit mors. D esset vaticinio fides & locus clamori, pœnitentiæ beneficiô tota potu Jerosolima servari; ideò enim tot vicibus monstrata fuit omnium te imminens virga, ut maturè pectora sua percuterent, & iratum Deu cordiali pœnitentia placarent Jerosolimitæ. Sed quid nimia vetustà obsoleta exempla producimus, ubi nova suppetunt in cõpia.

F.

Probatur etiam recentibus historiis.

Prandebat lapsô seculô, annô nempe 1526. omnis periculi securus Budensi arce Ludovicus Hungariæ Rex; clausis ex more foribus, vas ad Regiæ portam humanæ quidem formæ sed fœdum distortæ inte gnitus homo: erat claudus & instar mendicabuli vix honestè amictu qui acri & elata voce ad alloquium Regis properè cuperet admitti. Ir plosit hominem ex trivio Aula, at is tantò acriùs Regis alloquium urg bat, quò fortiùs à Regia repelleretur; re per jocum Regi patefacta ocius Aulæ Primas & Regiæ Palatinus suo cum famulitio ad portam d scendit, qui se Regem fingeret, & arcani summam ex præsenti mo

Hist.

dicabulo exploraret. At hic virô satrapâ, licet de arcano iteratis v cibus rogatus, mox palàm edixit, hunc Regem non esse, se Re alloquium urgere, sed quia Rex vester Irum vaticinantem propriis p ribus audire non dignatur, abi denuò & Regi tuo nuntia, eum cu Buda sua (Ofen) brevi periturum. His dictis disparuit. Hem! s quid hoc est virgam Hungaris & Hungariæ Capiti cominùs ob dere? auditus esset hic è cœlo missus tabellio, ab Hungaris nibus procul virga, omnis calamitas & turcarum illuvio exu set. Veram fuisse comminationem docuit miserabilis eventus. Iru eôdem adhuc annô Hungariam Turca cum centum millibus ad Mohac prælio utrimque dimicatum est cruentô; tandem Rex ipse prælio victu à Solimanno, proximas in paludes aufugit, ubi ab equo super gr con

corruente prorritus est. Sic Budam & potiorem Hungariam jam tunc sui juris fecit Turcarum Imperator Solimannus, strage horrida peccatoribus Christianis illata. Ostendit similes virgas cominus eminus ter Clemens Deus etiam privatis hominibus, avaris Euclionibus, & multo ære alieno gravatis pauperum Sanguisugis, eum maximè in finem, ut maturè sapiant, & peculium, ex obliquo per fas & nefas corrasum, ante ultimum vitæ articulum heris suis restituant, nisi malint virgâ proscindi, & fumantem in orcum suo cum iniquitatis mammone profligari.

Refert simile quid de nobili Alsata Masenius (10) quod etiam speculo suo inservit. Dabo breviter ea fide quâ accepi. Solebat ille probè cuticulam curare, alterâ post prandium horâ somnos captare, & ut nihil ad voluptatem deesset, unà scyphum rubrô vinô plenum mensulæ imponere, ea maximè de causa, ut excusô somnô se ociùs hausto refrigeraret. Accidit fortè, ut ipsâ horâ, quâ se ad somnum componebat, merô plenus calix vitreus, nemine impellente, velut ab altero ictus sonum ederet, sponte sua in frusta disrumperetur, vinô in patentem mensam effusô; quis ictu tam forti calicem evertit? manus cælica, divina, virgam evibrans in prostantem scyphum, ut medius dissiliret; Sed more, huic hominum generi recepto, totum id, quod genium abdomini natum turbare poterat, elisit & explosit, causatus, in scypho vitium fuisse, casu proin inopinato crepuisse. Substitutus alius fuit disrupto, Bacchi sanguine oppletus, ac mensæ impositus, herus interim se liberè in thorum recepit, Morpheo litaturus. Nec dum in dulcem somnum oculos resolvit, en alter etiam calix velut occulta manu pulsatus ultrò rumpitur, totumq; vinum in mensam effunditur. Horruit ad alterum virgæ ictum dormienti fortiter intentatum; sed cum uxor tristiores cogitatus constanter proscriberet, & marito suo facilè persuaderet, nihil mali ominis obvio casu portendi, mox tertius in mensam repositus est calix, & herus tanquam cœcus & surdus Euclio, se denuò ad somnum composuit. At non ita Deus, in cujus manu se *virgam* spectâsse *vigilantem*, disertè fatetur (11) Jeremias. Vigilabat hæc Nobili dormitante, & mox tertio ictu calici allisо tertium frangit scyphum, & vinum per mensam dispergitur; hîc quidem visus est oculos reserare, quos tamen brevi jussus est in æternam claudere mortem. Deum Bonum! quàm ægrè proxima etiam pericula credunt opulenti! mittebatur quidem equô sublimis famulus ad hunc tertium eumque fatalem ictum, qui Bruntruto in vicinam arcem Confessarium acciret, at sicut judicia Dei sunt occulta antè mors irruit, & funus fecit herum, quàm famulus Bruntrutum

(10) Masen in Speculo Veritatis Hist.

(11) Jer. 1.

attingeret. Ita ferò nimis adductus Confeſſarius mortuum inveni, quem vivum optâſſet, ſatis in eo diſtentus, ut mœſtiſſimam conjugem & liberos ſolaretur, quorum operâ tamdiu fuit Sacrorum uſus vel eluſus vel impiè protelatus; abiit adeò herus iſte inexpiatus; ſurſum an deorſum, Deus novit. De ſalute illius non auſim penitus deſperare, quia virtus eſt confeſſionem inclamare; ſed quid juvat animos expiare ſacra in homologeſi, niſi unà nuntius remittatur iniquitatis Mammonæ. Hoc opus, hic labor eſt, qui plurimos mergit abyſsô, quia nolunt ſuo quique quam aut ſuorum genio in annos ſequentes detractum, etſi ſciant Gehennam & Superbiam per iniquitatis Mammonam expleri. O verè cæci Andabatas, qui virgam minitantem toties oculis videant obtrusam, neque tamen ſoliciti ſunt, quibus modis à ſe ac ſuis ſcelerum ultricem virgam avertant. Hanc Virgam ſanctius agnovit & extimuit, qui (12) Pſ. 59. 9. dixit: *dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus, & liberentur dilecti tui.* Non ceſſat clemens Deus etiam nobis ſuam ſcelerum caſtigatricem virgam exhibere, at ſurdis fabulam. Paucis abhinc annis grandem Orbi virgam è cœlo Deus produxit & omnium oculis ſpectandam dedit; at quis hodie virgâ illâ vel flectitur, vel terretur, vel animô ad pœnitentiam maturandam commovetur? vidimus ex alto calamitatum prænuntium Cometam, virgatum ſidus. Præmonuit criminum causâ grandibus ſuppliciis deſtinatum in procinctu eſſe pœnam, niſi fatales ictus per pœnitentiam declinemus; at verò ex oculis, ex animo. Ardeat proximus Ucalegon, modò tecta noſtra nullus irruat Vulcanus, ſalva res; pergimus cœptis, Dei actis lutis noſtræ immemores, flagitia flagitiis accumulamus, donec hinc & hinc duplex virga opprimat incautos, & per criſtatos hoſtes medium plex ſcelus proſcindat; ita bonum Deum providè monentem perpetuo ludimus, & manum paternam virgas rotantem explodimus, ridemus, donec tanta pravitatis contumacia irritatus, in furore ſuo mundum evertat, tot minis & monitis recalcitrantem. Dedit ſanè juſtiſſimi furoris hujus evidens ſpecimen ſcelerum vindex Deus hôc etiam ſeculô, anno nempe milleſimô ſexcenteſimô decimô octavô, prout fuſius ex hiſt. Indiæ noſtri memorat (13) Geloſus. Thama urbs erat Orientalis Indiæ, quam juſtus Judex Deus poſt eluſas virgæ intentatæ minas totam ſuam exoneravit. Sicut hæc Urbs frequentiſſimô erat emporio nobilis, ita etiam omni vitiorum genere, luxuriæ inprimis & vindictæ deſidiæ ac vivendi licentiâ infamis fuit, quibus tamen cùm nullum finem, ſummo cum nominis Chriſtiani opprobrio, fidei noſtræ domeſtici, ſæpius admoniti ponere vellent, ecce ultimum ad eos monitorium pleno de clemen-

G. Virga eminus oſtenſa urget pœnitentiam; hâc poſitâ, ſalva res; hâc detrectata, multiplex væ!

(13) Joſeph. Geloſus Domin. Paſſ. ex An. Ind. Hiſt.

clemens Deus direxit. Sub meridiem coram omnium oculis proximo in aëre grandi statura Crucifixi species apparuit, trucibus oculis, & digitô minas intentante; hoc quid aliud erat, quàm virgam valida manu rotare, & fata ultima discolis civibus comminari? horrebant cuncti ad tam asperos Crucifixi vultus & atroces minas saluberrimo timore correpti, modò ex metu saltem pœnitentiam captâssent. Vix Dei Summi misericordiam inclamabant, Deoque aureos montes promiserant, en irati Numinis effigies ex astantium se conspectu paulatim proripuit, omnibus ad rei tam insolitæ prodigium trepidantibus; sed quousque tremor iste duravit? vix unum & alterum diem. Lapsô biduô itum est in antiquam scelerum silvam: Crucifixô nusquam visô, resumtæ sunt libidines, vindictæ veteres è tumulis enatæ, gulæ iterum diu noctuque litatum, quasi extra omnem teli jactum essent cives. Adoretur hic loci Dei Summi Clementia verè infinita, quæ tantis pravitatibus divinissimi Judicis decumano contemtu, se necdum ad feriendum passus est irritari. Tertium diem, imò tertiam hebdomadem patiens & longaminis perditos homunciones sustinuit. Post tantum tempus immanibus flagitiis indultum, necdum in eos virgam detonuit; misit novum mali approperantis vatem, qui erat avis magna & mira, Indis certè nunquam visa; hæc avis suo ex rostro à summis ædium tectis in subjectos cives hæc verba jactavit: *ergò Dei vindicis iram sentietis;* quasi diceret, toties moniti nec resipiscitis, nec pravos mores seriò corrigitis, virgam toties intentatam risu tantùm excipitis, monita toties data sonante cachinno allatratis, mali imminentis prænuntios vates nasô suspenditis aduncô, & quotquot vobis flagitiorum vindices virgas Superi ostentant, illis invicem medium digitum reostenditis, sed numerosæ proterviæ pœnas dabitis vindicis Deo easque acerrimas. Ferrea sint pectora, quæ ad tam horribiles pœnas nec flecti velint nec moveri, ære fusa sint præcordia quæ ad tam enormes assultus, nullos exprimant singultus, nec in uberes lacrimas animi ac corporis oculos resolvant. Avis hæc jocis tantùm excepta & mordacibus sarcasmis, imò etiam præstigiis adscripta totum cœlum, terram & pontum efferavit, & ad celerem vindictam excivit; licet enim adhuc solidum diem pœnitentiam exspectaret mitis Deus, callum tamen visa est civium pravitas obfirmâsse, unde salus omnium acta est & conclamata. Lapso itaque hoc etiam die reos in flagranti deprehensos hunc in morem vindicta corripuit divina. Aures arrigite protervi peccatores, quibus ludo sunt oracula divina simul & humana: Primo mane tetra caligine passim cœlum inhorruit, inde mugiebant tonitrua, micabant fulmina

venti

venti carcere suo soluti omni ex parte fremebant turbulenti; hi tam impetu in ædes & ædium tecta, in obvios cives grassabantur, ut ædium ac turrium summitates tectis ac tegulis orbarent, homines ex patentibus plateis in sublime abriperent, & vel lapidum acervo allliderent, vel in proximum mare præcipitarent. Ventis hisce foris grassantibus enormes terræmotus succedebant, quibus jam terra findi, jam vastis hiatibus tecta cum incolis visa sunt absorberi. Neque tamen hic finis erat horribilium pœnarum. Tot malis saxea grando accessit, quæ calamitatem ex miter adauxit; hac enim plurima pars hominum & animalium ob ter motum, sub dio excubantium, percussa est, & peremta, cùm fugæ loc pateſceret. His omnibus malis se novum ex mari junxit, quod bem alluit; surgebat in altum ferociens pontus & latè omnia ad 4. liaria inundabat; stabant in portu 70. naves orientalibus mercibus on stæ; hæ inter se mutuo collisæ ad unam absorptæ sunt omnes. Dec manum est, quod sequitur: visebantur antè variis in locis Crucifix Crucis Dominicæ imagines passim Catholicis receptæ; at cùm ex tantisque flagitiorum portentis multum fuliginis contraxissent, dein etiam cultu passim essent destitutæ, omnes in ictu oculi hominum o lis ereptæ evanuerunt, earumque in vicem totidem patibula subitò v sunt vel ex undis vel è terris protrusa, quibus tristissima mortis imag adhuc residuis ex urbe civibus intentabatur. Sic sic reliqui peccatores irato Deo ad misericordiæ Patrem, per seriam pœnitentiam reducti, c pas proprias & alienas lacrimantibus oculis expiantes, Deoq; genib affusi vitam porrò vivere ceperunt Deô dignam & homine Christiano.

O! ut tantam tempestatem nostris à cervicibus pius ac misericor Deus avertat, hodie tam mitem simul & clementem Deum; tam j stum scelerum ultorem Deum, amore simul ac filiali timore amplect mur. Hodie cum infantibus, pueris ac puellis suo Nicolao affusis, v gam paternam eminùs ostensam demississimè exosculamur; illud iden dem cum magno Patre Augustino inclamantes: Domine, hic ure, hic seca, hic castiga, hic flagella, modò in æternum parcas; sed unà qu que ex oculis, ex animo dirum scelus, Deique tam boni offensam viribus dimovemus, unà culpam omnem maturâ pœnitentiâ in v expiare satagimus, ut abolitâ culpâ, etiam virga, culpæ in- tentata felicissimè post fata vanescat.

Amen!

# CONCIO III.

## Festum Immac. Concept. B. V. M.

*Liber Generationis &c.* Matth. 1.

## Liber Vitæ.

DAri *Librum vitæ* seu Catalogum, in quo justorum omnium, qui in gratia Dei diem obeunt, nomina conscripsit Deus, coronam illis largiturus æternam, certum est ex Script. AA. Primus, qui Libri hujus meminit, Moyses (1) fuit, *aut* inquiens, *dimitte illis hanc noxam*, (vituli sc. sacrilegè adorati) *aut, si non facis, dele me de Libro tuo, quem scripsisti.* Alter erat regius Propheta (2) David: *Deleantur de libro viventium.* In nova lege Christus ipse omnium primus mentionem fecit Libri (3) hujus, cùm discipulis suis veri nominis gaudium explicaret: *in hoc nolite gaudere*, (quòd sc. vobis dæmonia subjiciantur) *gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Christi Ducis & Magistri sui sententiam mordicus tenuit & defendit Doctor gentium (4) Paulus, qui signatè commendat Evodiam, Syntichen, Clementem & alios Evangelii Coadjutores hac cum appendice, *quorum nomina* (scripta) *sunt in libro vitæ.* Idem dilectus Deo Joannes sua in Apoc. (5) visus est propugnare. Verba sic sonant: *Qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Explico nonnihil præsentem materiam, in quo tantum, ad erigendos in spem vitæ homines momentum reperitur, dicoque, duplici modo ac ratione homines hoc in vitæ libro describi, *absolutè* nimirum seu *completè* ac *perfectè*, atque iterum *incboativè* tantùm, seu, quòd idem fuerit, *conditionatè.* Omnes illi & quidem soli *absolutè* libro vitæ inscripti sunt, qui in gratia moriuntur, electi proin sunt ad vitam æternam. *Incboativè* tantùm & *incompletè* omnes justi libro vitæ inscripti sunt, qui tamen adhuc in vivis cum mundo, carne ac dæmone perpetim luctantur; hi etiam *completè & absolutè* libro vitæ inseruntur, si sua in justitia ad ultimum vitæ præsentis articulum perdurent; Hatus adeò vitæ nullum reddit *absolutè* certum de nomine suo in vitæ librum translato (secluſa revelatione, quam habuit D. Franc. Seraph. & alii) sed tantùm *incompletè* & *conditionatè*

A. Dari Librum vitæ, probatur ex Scriptura.

(1) Exod. 32.
(2) Ps. 68.
(3) Luc. 10.
(4) Phil. 4.
(5) Apoc. 20.

*natè* seu *inchoativè*, multi enim, plurimos annos justi, probi, & prodigiosa sanctitate conspicui, tandem ultimis vitæ annis, diebus, aut horis à Justitia excidunt, malè adeò moriuntur, à Deo reprobantur & damnantur. Cùm ergò Paulus ad Ephesios (6) dixit, eos esse à Deo electos etiam ad gloriam, intelligi debet cùm memorata conditione, si scil. in Christi fide & gratia Dei ad ultimum usque spiritum perseverent. Cùm porrò ad Ephes. ait, *vos estis cives SS. & domestici Dei*, intelligi debet per gratiam Dei, si quidem hac in gratia etiam decedant, futuri aliquando cives prænominati per gloriam. Sic ipsa quoque Ecclesia, Mater nostra orat in secreta Collecta Missæ per Quadragesimam, *ut omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber adscripta retineat.* Possunt hi fideles à sua prædestinatione iterum excidere, proin *absolutè* prædestinati non sunt sed tantùm *conditionatè*, si nempe in fide & vitæ sanctimonia usque ad finem vitæ perdurent. Noluit ipse etiam Christus 70. Discipulos suos, de quibus paulò ante ex Luca meminimus *absolutè* certos reddere de sua undique efficaci electione ad gloriam, hinc etiam illis metum damnationis injecit, citatô hunc in finem Lucifero: *Videbam Satanam sicut fulgur è cœlo cadentem*, quasi diceret, videte unà & cavete, ne vos similiter cœlô seu gratiâ simul & gloriâ excidatis. Ita sanè Cornel. (7) teste, omnes Apostoli ad Apostolatum sunt à Christo electi, ex illis tamen unus erat reprobus & damnatus juxta illud (8) Christi: *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est.* Pari modo 70. Discipulis Christi septem primi erant Diaconi, ex quibus unus fuit Nicolaus, qui, ut S. Hier. (9) meminit, omnium immunditiarum & Nicolaitarum hæreseos author dicitur extitisse. Quod ergò 12. Apostolis & eorum sequacibus spopondit Christus (10) *vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes 12. judicantes 12. tribus Israel &c.* iterum non absolutè sumi debet, sed conditionatè, si nempe in mei sequela usque ad mortem perstiteritis. Hoc sensu sumi debent alia passim Oracula nonnullis religione conspicuis decantata, nullum scil. ex Sociorum numero sacra veste amictum æternis Erebi tenebris damnandum. Sensus est sicut toga monachum non facit sed vita sacris legibus conformis, sic multò minus toga solitariè sumpta, reddere poterit beatum togæ hujus, sed vita Regulis cœlô lapsis ad literam correspondens, ad literam velut amussim punctualiter composita. Effatum est Spiritus (11) Sancti: *Pax super illos, qui hanc regulam secuti fuerint*, non qui eam multis vocibus jactant, prædicant, secumque gestant, aut quocunque amictu forinsecus repræsentant. Quid gratiæ vestis conferet? *Venient*, inquam

(6) Eph. 2.

(7) Cornel. in Luc. 10.

(8) Joan. 6.

(9) S. Hier. ep. 48.

(10) Matt. 19.

B. Toga nullum libro vitæ inscrit.

(11) Gal. 6.

Deus

Deus (12) *ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Nimis apertè delirant, qui dicunt, eum, qui semel hanc vel illam sacram vestem induerit, tulerit scapulare &c. ne quidem in hæresin labi posse: fuci! quisquiliæ! unde ergò tot Buceri, Palæologi, Agarni, Lampetii, Golterii, Borbonii, Permilii, Præpositi, Ochini, Knoxii, Rabelesii, Balæi, Martinengi, Wigandi &c. unde tot Musculi & Minsteri? In apertam hæresin prolapsi, eique miserè immortui? unde porrò Provincialis ille, qui Raynaudo (13) teste, sub ultimum vitæ articulum vocato ad se fratrum cœtu, jussit vasi undis oppleto silicem immergi, & eductum forinsecus madentem malleô fortiter impactô findi, facta ad suos lecto affusos fratres hac allocutione: Silex iste exterius undâ perfusus, intus tamen siccus est & aridus, ita pariter ego visus vobis fui aquâ baptismatis perfundi, intus tamen, tanquam natus Hebræus mansi siccus, & nullo humore imbutus, & in tali statu nunc ad patres meos Hebræos apponor, valete &c. His ructibus fœtentem spiritum exspuit, sub toga sua non tantùm hæreticus sed etiam recutitus verpa. Sed apage fucos & inanes gerras! ad Librum vitæ regredimur, cui singuli nomina suainscribi optant, & nunquam inde deleri.

(12) Matt. 7.

(13) Rayn. in Apopomp.

Per se loquendo, omnes ac singulos suæ vitæ Libro inseri vult Servator; omnes enim vult salvos fieri, omnes vult ad gloriam elevari; at non omnes capiunt verbum hoc; non omnes legibus divinis vitam accommodant humanam, non omnes conditionem explent *sine qua non*, non omnes in Christi sequela ad mortem usque perseverant, & ideò vel inscripti iterum delentur, vel, ob grandes scelerum acervos ne quidem inscribi merentur. Finalis in bono perseverantia, gratia Dei in articulum mortis exporrecta, nos pariter certos redderet de nomine nostro Libro vitæ commisso; at quis vel signum exhibeat, ex quo spes aliqua formari valeat, nomen nostrum huic Libro insertum esse? *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit*, Oraculum est (14) divinum; unde ergò resciam me in gratia moriturum, ad gloriam electum, civem post fata piè obita futurum cœlestis Jerosolimæ? hoc opus hic labor est Opt. AA. Ego neutrum horreo, quia confido, me ex *Signo Magno* (quod Deiparæ adscribit Bernardus) hujus occultæ veritatis in apricum extrahendæ plùs quàm probabile signum hodie inventurum.

C.
Deus omnes vult salvos fieri, ita tamen ut in Dei gratia perseverent.

(14) Eccle. 9.

D.
Nescimus actu, an nomina nostra sint inscripta.

Nolim multis ambagibus uti, verbô rem expediat Deô plenus Pater Anselmus (15) *si portum salutis apprehendere velimus, Dei Genitricis Conceptionem* (puram intellige & immaculatam) *dignis obsequiis celebremus.* Ille de libro vitæ moraliter certus est, qui Deiparam suis obsequiis

(15) S. Anselm. l. de Conc. Virg.

colere ſtuduerit, & peculiari quodam affectu eam fuerit in tumulum usque proſecutus. Hauſit hoc ipſum ex Virgine Mariana Senenſi Catharina, Villega (16) teſte, nullum nempe, quantacunq; ſcelerum mole oppreſſum, ſi ſub Virginis Matris patrocinio delituerit, peſſum iri poſſe. Quæ cauſa fuit, cur plures Patres Deiparam cum Arca Noëtica compararent, ſicut enim illi ſoli, qui Arcâ ſunt Noëtica incluſi, ab universali cataclismo liberi & immunes extitere, ita qui ſub Mariano patrocinio victitant, reliquis pereuntibus ſalvantur, hoc tamen cum diſcrimine, quòd animalia ex Arca prodierint ſua in ſpecie, in qua erant ingreſſa; taurus Arcam ſubiit & inde prodiit taurus, leo incluſus ibi leo revertit, & ſic de aliis; quotquot autem hanc Virginalem Arcam ſubeunt, ferinos mores ſuos utplurimùm exuunt, & qui hactenus animantium naturam referebant, abjecta ferocitate, vel humanam vel prorſus Angelicam naturam repræſentant. Rei hujus fidejuſſorem unum vel alterum Patrem ſi adduxero, totam theſin factô etiam hominis ſimul & placidô, more nobis hunc per Annum recepto, fidenter obſignabo, ex quo ſole clariùs pateſcat, Libro vitæ cultores Deiparæ inſeri, hoc cultu deſtitutos ex eo deleri, & in patentem Orcum juſtô Dei judicio detrudi.

(16) Villegas in favor. Virg. c. 4.

E. Signum tamen affectæ inſcriptionis Cultus eſt Marianus.

F. Primus Pater ſit Anſelmus paulò antè citatus, cujus hæc ſunt verba: *Sicut impoſſibile eſt, ut illi, à quibus oculos miſericordiæ Mater avertit, ventur, ita neceſſarium eſt, quòd hi, ad quos illa oculos pro eis adconvertit, juſtificentur & glorificentur.* Huc certè reſpicit Deipara, quicunque ſe ipſi obſequioſum præbet filium, illius nomen Libro vitæ inſeri procuret, & inſcriptum tueatur, ne iterum deleatur, aut delentis loco ſuo reponatur. Hanc pereundi impoſſibilitatem Deiparæ cultoribus tres alii Patres in terminis terminantibus adſcribunt, quos juvat audiviſſe. S. Ignatius apud Celadam (17) ſic loquitur: *Impoſſibile eſt aliquem ſalvari niſi per tuum, ô Virgo patrocinium & favorem, quia quos ſalvat Dei juſtitia, ſua interceſſione ſalvat Mariæ Miſericordia.* S. Bernard. (18) ſuper Miſſus eſt, hæc habet: *Sicut à te deſpectus & averſus eſt quòd pereat, ſic ad te reverſus, & à te reſpectus, impoſſibile eſt quòd pereat.* Rationem moralis hujus impoſſibilitatis veram promit & genuinam Bonav. (19) his verbis: *Qui gratiam Mariæ acquirit, agnoſcitur à civibus paradiſi, & qui habuerit characterem ejus, annotabitur in libro vitæ.* Hem *Characterem* vocat devotionem Marianam, eum à Cœlicolis vibus tanquam concivem coli, ac nomen ejus in libro vitæ annotari. Gaudeant ergò Virginis intemeratæ famuli, ac Deiparæ conſtanter de-

Probatur ex SS. PP. Anſelm. Ignat. Bernard. Bonavent.

(17) Apud Celad. de fig. Judith.

(18) S. Bernard. ſup. Miſſ.

(19) S. Bonav. in Pſalt.

voti clientes, quia nomina eorum scripta sunt in libro vitæ. Nunc promissis stemus, & hactenus asserta Exemplo fide suâ dignissimô obsirmemus.

Inter 26. Urbes, quæ Brabantiam coronant, antiquissima est Lovanium (Löven) ubi toto terrarum orbe celeberrimam Academiam (sic Beierl. 20. loqui solet) An. 1425. Brabantiæ Dux Joan. IV. cognomento *Bonus* erexit, Justo Lipsio, Johanne Molano, Cornelio Jansenio, Thoma Stapletono, Leonardo Lessio, Joanne Lindano, Joanne Esthio &c. Viris undique maximis tanquam Professoribus illustratam. Est hic loci tanto in cultu ac veneratione Rector Magnificus Academiæ, ut ex Cæsareo jure nullus etiam Principum eidem ausit primas disputare. Cùm ibi subsisteret Carolus V. gloriosissimæ memoriæ Imperator, ipse Cæsar loco cessit Magnifico Rectori, eique primas dedit in publico. Scio, testis oculatus, alicubi hodiè jura Rectorum & præeminentias, etiam per mucidos Nobiles & illiteratos thrasones disputari, everti. O tempora! ô mores! ad hanc ergò tot nominibus celebrem Academiam duo certi & avito stemmate præclari juvenes magnis itineribus contendebant; nomen utriusque supprimit (21) Liræus, ut illustri familiæ parcat; nos tamen, ut hic ab illo certius possit distingui, utrumque baptizemus, dicamusque *Phlegontium*, quem orcus rapuit, *Servatium*, quem Dei Matris misericordia Erebo subtraxit. Alibi locorum humanioribus literis & Philosophiæ studiis laudabiliter emensis, Jurisprudentiæ tot inter Doctorum lumina vacaturi, hanc unam sibi sedem ex consilio parentum delegerant. Quamdiu domi vel mitioribus Musis vel Aristotelicis physicabilitudinationibus sub parentum & didascalorum cura strenuam operam navabant, neuter illorum vel in potu vel in lusu vel in quocunque pravo commercio exorbitabat; erat potius uterque summis, infimis illustri speculo, & quidem Archimedeo, quô plures alios ad omnem pietatem, eam maximè quæ dicitur Mariana, visi sunt fortiter accendere, potenter inflammare. Tenuit hæc devotio domi hausta etiam Lovanii alterum in mensem; hôc dilapsô alea utrique ita versa est, ut hîc etiam illud Christi vaticinium (22) expleretur: *erunt duo in lecto uno: unus illorum assumetur, alter relinquetur*, seu quod idem, unus illorum Orco cedet victima, alterum orco subtrahet Deipara. Nulla pestis tam horridas edit strages, quantas clades, etiam probis parit Societas stygia, & pravorum sodalium consors amor; halitu suo justos inficiunt scelerati, si justorum consortio approximent. Porrò certum est, nullibi dari plures ripaldos in omnem proterviam

(20) Beierl. in Theat. l. a.

G. Et horribili simul exemplo.

(21) Lyræus in Trisag. mar.

Hist.

(22) Matt. 24.

dissolutos, in omnem audaciam abjectos, in omne scelus ac flagitium effusos lurcones, quàm in majoribus Stois. Dicuntur artium Universitates, quas rectius subinde mille pravitatum & horribilium flagitiorum dixeris Officinas. Huc trahit nimis privilegiata vivendi libertas ... cereos juvenes, & extra omnem teli jactum positos adolescentes ... ti ex patria & inferioribus pulpitis in Academicas Vniversitates morib... Angelum asportant, sed domum regressi vivacem Diabolum repræsentat... Unde tam misera morum mutatio, & vitæ in pejus actæ turpissima ... tamorphosis? noxia libertas & avernalis societas hos simul atque ... perdidit, & propè in abyssum præcipitem dedit utrumque. Ader... mox socii ad speciem probi, reverà grandibus flagitiis cooperti, qu... quævis probra novos hospites impellerent. Invitabantur modò ad ... tos suburbanos, modò ad frequentiores hausius, inde chartarum ... do implicati etiam ad luxuriantes choreas sensim sine sensu trahebantur; sic factum, ut eis paulatim Sacra desiperent & scholæ; inde ... pius lectionibus abesse, sæpè morbos prætexere, sæpè mille alias ... pationes causari, res divinas penitus negligere, solis ludicris & ... negotioso se totos impendere, cultiùs incedere, & in nympharum ... didos cultus & cyprias affabilitates pecunias prodigere, nec quidquam ... pensi Academica scripta habere; verbô, totis viribus in pejus ruere, ... ad Orcum magnis passibus properare. Non latuit hæc mutatio parentum vigilantiam, qui mirari satis non poterant, sumtus prioribus ... pensis duplô auctiores necdum sufficere, domum rarius à filiis ... expediri, peti identidem subsidiariam pecuniarum opem, unà ... undique monitiones, suspiciones, querelas in horas prognasci; rati ... plùs ultrà non dormiendum, alias in Athenas lapsô annô dirigere ... tabant dissolutos fratres; at multiplex scelus ad usque finem ... passa est protelari Justitia divina. Aderant omnibus conviviis & ... palibus mensis, omnibus aleis & fritillis, omnibus conventiculis & ... Nihil illos jactura temporis, nihil pecuniarum misera profusio, nihil ... tis destructio, nihil malum nomen aut infamia movebat; perinde ... & malos esse, & malos palàm prædicari. Improba Venus, verticordia ... pro summo numine utrique colebatur. Annus agebatur seculi ... quartus supra millesimum sexcentesimum, qui sicut Phlegontio ... extitit, ita Servatio vitalis fuit. Laxabant more suo cupidini ... franos, lautè & opiparè in condicta popina socii fratre, græcabantur ... Aderant omne genus cupediæ, aderant risus & jocus, aderant ... nasci & choraulæ: nullus nec poculis nec epulis erat modus.

tâ mensâ ibi lusibus & aleis, alibi choreis & tripudiis affatim certatum est. Tot cupediis cùm dies non sufficeret, in seram noctem extracta est ludendi & helluandi, saltandi & procandi insana libido. Hæc inter tripudia & probra se nullus mortalem credidit, multò minùs adhuc nocte illa moriturum. Sed ô mentes verè cæcas, futuri improvidas, mali jàm approperantis incauta! subtraxit se tam enormibus spurcitiis malorum satur Servatius, & foràs digressus, sudores, non Deo sed Diabolo sudatos absterfit, postliminio ad suos rediturus, ut primùm aura frigidiore calentes animos refocillârit. Hoc inter cùm solus procul à sociorum contubernio remotus foris ageret & respiraret, en morsicans conscientia tot nequitias solitario exprobrare, pœnas tantæ impietati admensas intentare, sedentem tristitia & terrore, metu & intemperie velut ace ô perfundere, quibus tandem ita compunctus est, ut nuntium contubernio remittere statueret quæsito prætextu, se stomachô male affectum, domi solitam quietem captaturum. Sic abiit, excessit, & saluti fuit abitum maturâsse, quàm Orcus irrueret, & prædam unguibus prensaret. Pergebant reliqui ceptam interdiu telam ad usque noctis medium pertexere ludicris intenti & amoribus fescenninis; quos inter cùm aliis omnibus palmam præriperet Phlegontius, primus omnium etiam pœnas dedit tot scelerum Nemesi divinæ. Ibat & ipse domum suam concubia nocte, grandi scelerum contractorum acervô depressus; sed domum ne quidem attigit, fatô præventus amarô, Angiportum cum transiret & Cynthiam caneret, hem bini dæmones ex insidiis præsentem adorti, unguibus orcinis animam è corpore harpagabant, secumq; per auram nobilem prædam raptabant, corpore vacuo humi relicto. En qualem exitum gulæ ac Veneris studium sortiatur. *Tevent tympanum Scythâram, & in puncto ad infernum (23) descendunt.* Phlegontius in flagranti comprehensus, ab orco in orcum raptus est, ut malô illius sempiternô posteri saperent, & maturè desisterent malignari. At quid Servatio actum? hic ut flagitiorum satur, somno & crapulâ plenus domum revertit, se ociùs ad quietem composuit; cùm autem vitiis & scyphis crapulato occurreret, se illo die Rosarii mariani pensum non exsolvisse, pia consuetudine domi contracta, & nunquam hactenus medios inter pravitates neglecta, in manus sumpsit corollam, eamque Deiparæ semisopitus cespitante lingua evolvit; qualis hæc oratio fuerit, crapula, somno, & prævia libidine contaminata, pronum est conjicere; utut verò lurida & pluribus spurcitiis oblita fuerit oratio, visa tamen fuit fructu suo non caruisse. Audiisti illam Misercordiæ Mater, neque eam

passa

passa est irritari. Jam aures arrigite Mariani Clientes & obstupescite, quàm uberes gratias etiam scelerato peccatori grātiarum Mater contulerit; inde argumentum ducatur à minori, ut ajunt, ad majus: tanta fructus vitiis ebria oratio si parit, quantos pariet in Dei summi grati pientissimè profusa? Necdum Rosarii sui pensum exsolvit, circa nocti̇s duodecimam musæi sui januam audit fortiter pulsari; quærit cons tè ebrius orator, quis fores intempesta nocte lacessat? cui mox fo Phlegontius reponit, ego sum; risit ad notam vocem Servatius, & joc pulsum elusit, fores tamen non aperuit, sed socio reserandas commi nec mora: stridenti se pandit cardine porta, & ante oculos stat ori ctima Phlegontius, quem cùm adhuc vivum esse crederet, inscius, qu actum esset in plateis, joco ulteriore reducem socium Servatius exce & cur tu præter morem tam maturè ex popina? ubi reliqui comilitone Sic nempe etiam tu malorum satur quietem captas, ut ceptam hodie relat pertexas crastinâ; his dictis, inexspectato nuntiô Servatium perculit Phl gontius hunc in morem sermocinari auditus: ita est ut ais Servati: fa sum malorum sed audi porrò: tuum postabitum se alia scena aperuit: no nos inter contentione, sublata est omnis compotatio, & luxuriandi pe lantia: quilibet suas in ædes se recepit, ipsis tamen quid actum sit in via scio mihi quid acciderit, jam refero, recens ad te ex plateis translatus Cu solus per illum angiportum titubantem transitum tentarem, & Cynthu lupam meam popinariam voce canerem venerea, en ocius duo in me boli flammeis unguibus irruere, qui corpore terris allisô, animam me in orci barathrum raptabant; tecum adeò funus loquor & quidem i mnatum. Non aliter stupuit, quàm si Jovis ignibus ictus esset Serv tius; gelidus per ossa excurrit tremor, qui tantus fuit, ut vix hoc corpore fœtentem animam retineret; sibi nonnihil redditum, his ul rius verbis præsens spectrum compellavit: ne timeas, Servati; nihil ma ex me patieris, repeto quod dixi: in reditu à popina binis a Diabol oppugnatus, vitam posui, & animam in avernum transmisi, truncô co poris animâ vacuô, adhuc in angiportu jacente, quod tibi fimo humo dum committitur; tecum adeò damnatus loquor; at scias velim, alter codæmon tuum in exitium destinatus, tibi pariter gulam fregisset, nisi maturè pravo consortio subtraxisses, & domi Virginis gratiam Rosa captâsses; vitam tuam ab exitio servatam esse, uni debes Deiparæ, per ebrioso in strepitu salutatæ; hoc ni feciſſes, de tua pariter salute actum isset sicut modo actum est de mea; ut verò dictis meis fidem adhibeas dubiam, en nunc tuum aspice Phlegontium; hic unà rejectis vestibus

tum execrabile corpus Servatio exhibuit: ardebat caput ferrei instar globi, undiq; igniti: flammæ grandes ex oculis prosultabant: pectus & ventrem angues rodebant & serpentes: lumbos viperæ dilacerabant & bufones. Exhibitâ hâc etiam tragœdiâ, his ultimum affatus est Servatium præsens Spiritus: disce nunc damnô meô sapere, & te seriò emendare Servati; hæc ego ad te, Altissimi ex imperio, & tuæ Virginis potenti patrocinio coactus. Sic primùm ex oculis Spectrum evanuit, relicto grandi equuleô in Servatii mente. Dedit locum monitis Servatius ex orco profectis; & nec ad Solis reditum moras protraxit. Nocte adhuc media ad RR. PP. Capucinos Matutinô distentos excurrit, totamque rei transactæ seriem supremo ascesos Capiti recensuit, à quo etiam antè non abscessit, quàm binis Patribus comitatus, in plateis ab Orco peremtum corpus inquireret, & proxima palude cœnobio contermina tumularet; regressus inde ad Asceterium, Guardiani pedibus affusus per sacra omnia sacro Cœtui accenseri petiit. Voti damnatus cellam obtinuit, ex qua semper, proxima in palude Socii sui depositum funus ob oculos haberet, fræno futurum, si quo casu ab Orco tentaretur. Ita Deo pluribus annis vitam vixit pœnitentem quam etiam sancto fine, hinc, ut sperare licet, ad Superos digressus coronavit.

Videbis hinc Opt. AA. quod maximè Signum sit illud, unde colligi valeat nomina nostra esse Vitæ libro inserta. Signum hoc actu exhibet Virginis Matris constans Cultus. Evolvisset domum ex popina redux Phlegontius rosarium, utut ebriosus esset, ac pro Cynthia Deiparam madida voce cantâsset, nullus dubito, violentos Orci ungues Phlegontius evasisset. Felices ego dixerim ac fortunatos, qui cultui Mariano etiam modico sed continuo & quotidiano addicti, sub tantæ Matris patrocinio commorantur; hi enim sicut à se procul omnem dæmonis assultum profligant, ita fidenter se illa spe refocillant, futurum tandem, ut ope ac patrocinio Matris Dei ante obitum tantam desuper gratiam recipiant, quâ Deô suo reconciliati, in gratia Dei moriantur. Id ergò totis viribus agatur hodie, ut juxta D. Bernardi monitum, non recedat ab ore, non recedat à corde Cultus Deiparæ.

Amen.

# CONCIO IV.

## FESTUM S. THOMÆ, Apoſt. & Mart.

*Noli eſſe incredulus ſed fidelis.* Joan. 20.

## Increduli Thomæ.

A. Ubique mirabilis fuit Thomas, tam ob incredulitatem quàm fidem.

VErè dixerim, admirabilem Apoſtolum præſentem, ſeu ea ſp
ctemus, quæ in vivis geſſit, ſeu ea penſemus, quæ poſt
ta multiplici martyrio coronata expedivit AA. Admira
dum ſe fecit, cùm à fide tot teſtibus firmata recederet; a
mirandum ſe denuò exhibuit, cùm palinodiam cantan
regrederetur; Nempe, ſicut inſignis fuit Thomæ incredulitas, ita pa
ter inſignis extitit Thomæ fides & fidelitas. Incredulitas eousq; exu
vit, ut Chriſti Domini miraculoſam Reſurrectionem, Apoſtolis pala
nuntiantibus ſe Dominum vidiſſe, omnem fidem abnegaret, palam pr
feſſus, ſe nunquam Magiſtri ſui prodigioſam anaſtaſin crediturum, ni
coràm præſens oculis ſuis ſpectaret fixuram clavorum, & digitum ſum
mitteret in locum clavorum manumque ſuam in apertum latus inferret
At verò quæ & quanta hæc audacia? quæ temeritas? divinæ Sapientiæ
modum præſcribere Deumque ad hunc unum ſe manifeſtandi modum
obligare, ut tangi patiatur cicatrices ſuas, ſine quibus nec credere vo
let Chriſtum verè à morte ad vitam remeâſſe. Nôſſe debuit ex Apoſto
lorum relatione, corpus ejus cicatrices retinuiſſe; ſcire debuit Oracu
lum Divinum de Reſurrectione datum nec falli poſſe nec everti; ut quid
ergò tactui tot modis fallaci plus tribuit quàm Verbo Dei ſolidiſſimo
& fallere neſcio? ut quid in dubium traxit Apoſtolorum aſſerta? ut quæ
ea, quæ ſunt ſupra naturam, per argumenta prorſus naturalia, qua
tactus eſt, inveſtigare præſumpſit, cùm tamen oculi noſtri multoties
cipiantur. Oculos falli, experientiâ probatur quotidianâ. Quærat
ex plebejo, quantæ magnitudinis ſol exiſtat, dices, eam vix orbis
majorem. Remum aquis immerge tralucidis, fractum dices teſtis oc
latus, naturæ ludentis ignarus. Tactu Jacob, pellibus hœdinis hirſutu
oculis caligantem Iſaacum decepit ut benedictionem fratri Eſau ſumpe
ret.

ret. Quæ porrò & quanta hæc superbia fuit, tot se testibus opponere, & dicere: *nisi videro &c.* in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, ut probè expendit (1) Cyrillus, hic autem plùs quàm decem erant ejusdem rei contestes, ut mulieres conticescam, & testes quidem oculati; hos omnes falsi redarguere, admirabilem genium importat, quô sibi uni plus arrogat, quàm denis aliis. Rectè eum de hac incredulitate Christus redarguit, in qua non unum tantummodò vel alterum diem sed octo continuos dies perduravit, nunquam fortè locum daturus assertæ veritati, nisi Dominus octavo post Resurrectionem suam die rursus Apostolos suos resalutâsset, ubi tum actu præsens erat Thomas; tum primùm firmiter credidit, & palàm professus aliud, quàm oculis fuerit conspicatus, cùm digitô plagas attrectaret & manum in latus mitteret. *Tangebat hominem*, ait Aug. (2) *& Deum confitebatur*; aptè Theophyl. (3) *qui prius erat infidelis, post lateris tactum optimum se theologum ostendit, duplicem naturam & unam hypostasin Christi edisserens; dicens enim Dominum, Naturam humanam, dicens Deum, Divinam confessus est in uno & eodem.* In hac fidei professione retinenda & prædicanda tam firmus tam constans postea fuit Thomas, ut præ aliis omnibus creduli Thomæ exemplum nobis proponatur. Fidei zelus ita Thomam corripuit, ut, quod de nullo legitur, solus Thomas fidei zelô factitâsse legatur, quo ex capite jure dici possit Apostolus verè admirandus & prodigiosus. Ex lapsu fortior surrexit, post lapsum vehementius cucurrit Thomas; ex culpa prævia insigniter profecit Thomas, ex vulnere novam hausit virtutem, eum in modum, quô fractum & sanatum membrum utplurimùm majus robur colligit, quàm nullô unquam vitiô luxatum, gratia nempe divina reduci Apostolo cooperante juxta Pauli (4) effatum: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Thomas Stapletonus Patroni sui assiduus encomiastes (5) fusè ostendit, eum in Evangelio disseminando, & fide Christi in terris amplianda plùs omnibus aliis laborâsse, prædicando totum pænè terrarum orbem excurrisse, & usque ad extremos Garamantas atque Indos penetrâsse, nec tantùm Parthis, Medis, Persis, Carmanis, Hyrcanis, Bactris; sed & Abyssinis ipsisque Sinis evangelizâsse, in novum orbem, in Americam usque progressum, ut ubique gentium Christi fide cœcos infidelium animos illustraret, tandem pro fide orthodoxa glorioſa morte confectum, lancea confossum, martyrii palmâ conspicuum ad superos migrâsse. Reddunt hæc simul sumpta admirabilem Apostolum, sed multò magis admirandum exhibent fidei prodigia post glorioſissimam mortem è cœlo dispensata. Refert Nauclerus

(1) B. Cyrill. l. 12. in Joan. c. 17.

(2) S. Aug. in oct. Pasch.

(3) Theophyl. in Joan.

B. Zelotes pro fide.

(4) Rom. 5.

(5) Thom. Stapler. l. de 3. Thom.

(6) Naucl. vol. 2. gen. 38. an. 1121.

(6) Joannem Indorum Patriarcham Romam veniſſe, & Calliſto Summo Pontifici ac purpuratis Patribus palàm in Conſiſtorio ſumma cum fide enarrâſſe, ſuo tempore S. Thomam Apoſtolum cœlô lapſum quotannis populum in Indiis propria manu communicâſſe, & dignis quidem promptè Sacramentum porrexiſſe, ab indignis verò manum retraxiſſe. Damus huic prodigio totum ſermonem præſentis feſti in Anagram. Tibi unde ſatis fuerit digitô ſignâſſe, mirabilem fidei zelum, quô adhuc cœlis in terras D. Thomas exardeſcit. Qui de admirandis Palæſtinæ ſc bunt, affirmant, ædes S. Thomæ adhuc perſtare, ſed eô eſſe ingeniô, nullos ferat habitatores niſi fideles Catholicos; ſi verò alieni ritûs h mines quicunque non probè Catholici degere ibidem præſumant, ocu experiuntur, atroci fato facinus puniri. Hem ardentiſſimum fidei ca perditæ & dilapidatæ zelotem Thomam, poſt fata multiplici martyr coronata, ut ſuperius monuimus! toties enim martyrem colimus, qu ties mortem debuit naturæ curſum ſpectando, grandibus ex torment obire, niſi ea diviniſſima virtute ab Apoſtoli corpore repulſa eſſet, d nec tandem lanceis confoſſus proprio ſanguine ſuo fidem Eucharistiæ obſignaret. O utinam noſtros quoque fidei ſpiritus usq; adeò ſopor novis vigoribus è cœlo transmiſſis zelotes Thomas reaccenderet & n ſuſcitaret? *Laudamus veteres, & noſtris utimur annis.* Fidei Thomæ cæ perennem zelum etiam poſt fata, tepenti mundo exhibitum pa prædicamus, nos interim ore fidem crepamus, factô ipsô negamus dem & ejuramus. Credulum Thomam colimus & veneramur, nos terim toti ſumus increduli, & ne Deo quidem affirmanti fidem cam deferimus. Verbo: pauci hôc ævô dantur, qui cùm incredu Thomam ſectantur, adeo pariter ad frugem revertant, fidemque datam in tumulum usq; tueantur. Quocunque oculos evolvas, niſi incredulos & infideles Thomas etiam inter Thomæ cultores Chriſtianos oberrare videas, qui Deum ac divinisſimam ejus fidem ore tulo deprædicent, factô negent. Ait Speculi Exempl. ſolers collector fuiſſe duos tanto familiaritatis nexu ſibi mutuò illigatos, ut unus

C. Nos Thomam colimus credulum, & unà incredulî manemus.

Hiſt.

altero etiam mori exoptaret. Rapuit unum properè Libitina, ſed paulò antè, hanc utrimque legem firmâſſent, ut ille, qui prior in tumulum cecidiſſet, poſt fata Deo dante ad vivum regrederetur, eique alterius ſtatum fidenter explanaret. Indulſit Deus, ut pactô conſtô, ſtaret extinctus. Aſtitit Oreſti ſuo adhuc vivo vegeto, lethoſtatus Pylades, eique paucis ævi ſimul alterius ſtatum & moderna conditionem his verbis detexit: *Nemo credit, nemo credit, nemo credit.*

*credit*, quàm districtè Deus judicet, & quàm acerbè puniat scelestos. Paucis hisce palàm innuit, totum orbem Christianum & Catholicum hanc in horam infidelibus Thomis inundare, qui nec Deo credant, palàm vociferanti, nec in Deum ac Dominum suum viva & integra fide ferantur.

Dixit palàm Deus-Homo beatos, qui cum pauperie (7) luctantur, qui esuriunt & corpus inediâ enervant, qui lacrimarum flumina mittunt, & oculos in uberes fletus resolvunt &c. at quotus hodie credit, hæc vera esse Oracula à Deo-Homine prolata? si enim hæc verè crederent, dicite, cur passim tanto est horrori mucida paupertas? cur tantis sudoribus *corraduntur opes, irritamenta malorum!* nunquid omnes ad beatitudinem aspirant naturæ instinctu? hanc prima Veritas paupertati adscripsit, in opulentos contrà multiplex *væ* detonuit: *Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram! væ vobis, qui saturati estis! væ vobis, qui ridetis &c.* his tamen omnibus insuper habitis passim hodie paupertas ejuratur & vitatur, quia nullus esse vult miser; contrà, vix ullus est qui non dives fieri exambiat, non sanè alia ex causa, quàm quòd ubivis credatur, divites verè beatos esse, miseros esse pauperes, at nunquid hoc est manifestè fidem Christo abrogare contrarium proclamanti?

(7) Luc. 6. C. Beatitudinem prædicanti Deo non creditur.

Dixit palàm Deus-Homo: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis* (8) *est.* Per has voces etiam præceptum nobis imposuit, ut communis habet Patrum Chrys. Hier. Aug. Paschasii, Concil. Carthag. quarti (9) & Interpretum sententia. Maldonatus & Sylveira explicatiùs tradunt, ex vi præcepti hujus teneri nos signa generalia Christiani amoris erga inimicos exhibere, ajuntque grande peccatum peccari, si à communibus beneficiis, precibus & benevolentiæ signis inimicus excludatur; talis enim exclusio signum esset odii latentis, quod omnia bona opera intoxicaret, ut irrito labore preces funderentur & eleemosynæ in pauperes sine lucro ad eleemosynarium redundante erogarentur; occluderet adeò odium & rancor, quô proximos infectamur, ipsos etiam cœlos; & sicut amor proximi & benevolentia hostibus exhibita nos filios reddit Patris, qui in cœlis est, sic aversio & bilis in vicinum concepta, nos filios reddit diaboli, eique immortuos recto tramite in Orcum præcipitat. Damus rei hujus exempla plura hôc annô Dom. . . post Epiph. Dom. Sexagesi. Paschat. & Pentecost. unde ad oculum patescat, non credi hæc oracula etiam Deo, Orci æternales pœnas fatali alterius odio infectis palàm intentanti

(8) Matt. 5.

(9) Conc. Carthag. 4. c. 97.

D. Per rancores cælum occludi, non creditur, donec & rancor in Orcum profligetur.

tanti, donec in Orcum detrusi, seriùs infidelitatis suæ pertinax scelus ejurent. Hæc & alia centies occinant Ecclesiastæ, actum esse de salute, dum rancor corda pererrat, non desunt tamen, qui vel umbraticè latis, mox lapides, cultros, pugnos & enses circumspiciunt, totique ex cœtice crepant, donec uberem vindictam ex hoste referant. Alii ob unicam suspicionis notam totam ocius charitatem ex choro & foro profligant. Alii cum ævi hujus pseudopoliticis Machiavelli assectis, omnem amicitiam suos erga inimicos mendacissimè simulant, ut sic tutius incautos proscindant. Poëta teste,

*Trita, frequensq; via est per amici fallere nomen;*

at verò sicut nullæ sunt graviores insidiæ, quàm quæ sub officii simulatione tanquam sub cinere delitescunt, ita nullæ creduntur esse nocentiores; hæc interim odia palliô amicitiæ obvelata, in dies & menses, annos & annorum lustra prorogantur, unà mille occasiones vindictæ investigantur, unà cœlorum ostia in odio & rancore morituris obserantur; quod ipsum tamen nemo credit, licet ipsi ex Orco lemures damnationis causam in odium conjiciant decumanum.

(10) Sen. l. 3. de benef. c. 14.

*Æquissima vox est*, inquit (10) Seneca, *& jus gentium præ se ferens redde quod debes.* Jure Divino idem cœlitus urgetur, *redde quod debes*, ablata suis dominis restitue. Hæc restitutio ita necessaria est ad salutem, ut contrarius error, posse aliquem non facta restitutione salvum, manifestam hæresin importet, ut fusè probat (11) Molina. Nimis evidens est Augustini assertum (12) *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; porrò si res aliena propter quam peccatum est, reddi potest & non redditur, pœnitentia non agitur sed simulatur.* Frustra ergo quotidie Sacro assistis, frustra corpus pane & aqua emacias, frustra cum Carthusianis perenne cilicium circumgestas, frustra singulis Dominicis S. Synaxin frequentas, frustra in pauperes uberem eleemosinam dispensas, frustra Romam usq; nudis pedibus proreptas, frustra illuc ponderosa Crucis truncum bajulas; frustra summo à Pontifice absolutionem reportas, nisi malè ablata restituas. Hæc omnia simul sumpta nihil proderunt, nisi ablata Dominis suis reddantur. Martyres sunt diaboli, qui aliis eleemosinis ac pœnitentiæ operibus eradere gestiunt pravitatem ære alieno contractam. *Lucrum in arca, damnum grande in conscientia: tenent & tenentur*, iterum inquit (13) Aug. tenent opes alienas, & quamdiu has tenent, laqueis quoque laqueis tenentur orcinis, & suffocantur. Horum exempla pleni sunt omnes libri & Ordinum Annales. Damus & nos in hoc strategico Tract. plura hujus veritatis evidentia specimina Dom. 1. Adven-

(11) Molin. de Just. tr. de restit.

(12) S. August. ep. ad Maced.

E. Restitutionis necessitas non creditur.

(13) Idem in Ps. 61.

Dom-

Dom. 4. Quadrag. Dom. 4. post Pasch. Dom. 1. post Pent. Dom. 3. post Pent. Dom. 6. post Pent. Dom. 8. post Pent. Dom. 9. post Pent. Dom. 12. post Pent. Dom. 13. post Pent. Dom. 14 post Pent. Festô S. Andreæ. Festô Assumpt. B. V. Festô S. Matthæi. Festô Dedicat. Eccles. &c.

Quærat nonnemo, cur toties una eademque Materia tot fuerit Tragœdiis suffulta? dico, quia nudis Assertis & Patrum sententiis utut è cœlo deciduis *nemo credit*, nisi signa & prodigia videant, quibus simile scelus justus scelerum vindex eradicare constituit. At si hominum modernorum studia per totum hunc spectabilem mundum observes, etiam signa & prodigia ævi nostri mammonistas nec hilum terrefaciunt, multi ad aniles fabulas & poparum figmenta, historias horroris plenas ablegant, ut se omni restitutionis onere promptiùs expediant, donec tandem tristem næriam illam patulis auribus excipiant: *pecunia tua tecum sit in* (14) *perditionem!* verbô: *nemo credit*, restitutionem de necessitate salutis esse; si enim crederent, non tot fraudibus & dolis, non tot usuris & iniquis contractibus, non tot mendaciis & periuriis opes corraderent cæci eucliones, de restitutione nunquam anxii, nunquam soliciti, ut malè ablata suos ad legitimos possessores revertant. (14) Act. 8.

Nôrunt porrò grandibus flagitiis obsessi, se certam fore Orci victimam, nisi in vivis integra Confessione multiplex scelus eluant. Sciunt, huc tendere Oracula divina, quibus auricularis confessio urgetur: *ite, ostendite vos Sacerdotibus* (15) omnium auribus intonat Servator. Ostendite vos non in umbris verborum, sed in aprico. Ostendite vos non dimidios sed totos, nec tantùm mentis peccaminosæ superficiem, sed ipsum etiam fundum, circumstantias aggravantes & numerum, si grave sit delictum. Nôrunt quanta sit necessitas peragendæ Confessionis, ut inde salus pendeat æviterna. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, Paulo (16) teste. Idem Deus ex Veteri lege (17) inculcat: *non confundaris confiteri peccata tua.* Et mox iterum: *pro anima tua ne confundaris dicere verum*; cujus mox ratio subnectitur; *est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam.* Fac linguam stringat pudor & ruralis confusio, ut grande peccatum resorbeas & conticescas; certa tibi mors est; fac te coram homine confundas & nihil reticeas, certa tibi est vita, quam integræ confessioni tanquam conditioni sine qua non, Deus appendit. At verò quis hodiè his oraculis fidem habet? centies hæc sacro ex pulpito repetantur, semper erit verum dicere, *nemo credit, nemo credit, nemo credit.* Ita sanè plerosque hujus infidelitatis redarguit (18) Tertul. suis verbis: *plerosq; hoc opus & publi-* (15) Luc. 17. (16) Rom. 10. (17) Eccl. 4. F. Necessitas Confessionis integræ, non creditur. (18) Tertull. l. de pœnit.

*& publicationem ſui aut diffugere, aut de die in diem differre video, poteris magis memores, quàm ſalutis.* Item terminò utitur perquàm [illegible] *plerosq; video*, ait Tertul. qui peccata ſua ſacro in tribunali perpetra occultent, & ſalubriter confiteri erubeſcant; hoc ipſe omnem admi ſibi ad gratiam & gloriam Dei ſtolidiſſimè occludant. Cenſet ad Tertul. plerosque hoc ex damnoſæ taciturnitatis vitio damnari, quia p det plerosque coram homine palàm dicere, quod non erubuerunt ram Deo perpetrare, imò quæ ſubinde per avernalem jactantiam ciis in ebrietate propalantur, unde graviter difamentur. Si juxta T tul. plerique hominum ex hoc ſummè lethifero pudore cœlò excid & in orcum præcipitentur, operæ pretium fuerit in praxi oſtende

(19) S. Auguſtin. in Pſ. 68.

*omiſſa confeſſione*, ut magnus inquit (19) Aug. *locum non dari miſeri diæ divinæ.* Qui ergò hactenus verbis & oraculis divinis fidem abro runt, fidem factis exhibeant, quibus ad oculum clareſcat, orcò plecti tumax ſilentium, pœnis æternantibus ſtygium pudorem profcindi.

Ut plurimùm quidem feminis à natura pudoratis contra hanc centiam pugnandum eſt in S. tribunali, ne ab Orco ſibi linguam ſtringi patiantur, ut muta & mutila reddatur confeſſio prout ex Ca rina patet Peruana, de qua fusè actum, eſt Dom. 3. Quadrag. præ tis Tubæ & Dom. 18. poſt Pent. item Feſtò S. Magdal. & S. Annæ at verò ſcimus hôc malò æquè viros ac feminas premi, opprimi. S mus hôc uncò etiam in æternæ damnationis barathrum tractos eſſe ligioſos famâ ſanctimoniæ, dum viverent, illuſtres. Horum è num

(20) Chriſtoph. Vega de Confeſſ. auricul.

Pelagius fuit, Vega (20) teſte, qui totum, quod ſequitur ex Annuis hu avitæ religionis. Cujus Ordinis fuerit Pelagius, non ediſſero; eam mus ætatem hodie quâ nihil trivialius eſt, quàm ut totum corpus unius membri vitium condemnetur. Magnorum virorum cafus novi ſunt in Eccleſia, nec quemquam concutere debent, ſuis damnò ſapiat alienò. *In omni cœtu, in omni congregatione*, Petrus

(21) Petr. Dorland. in Chron. Carthuſ.

(21) Dorlandus, *ſemper bonos cum malis, triticum cum paleis*

(22) Pel. Bleſ. Ep. 45.

vel ut inquit (22) Bleſenſis: *ad extremum usq; ſeculi diem cum Jeb mitis habitabunt Jebuſæi, eodem in horto myrtus proſillet & urtica, ter ſpinas excreſcent;* neque tamen urbem profcindes, quæ ſimu concludit Jebuſæos, neque ideò hortum deſpicies, ubi ſimul gra ſubinde videas media inter lilia lolia & urticas, ſpinas & ambu

G. Exploſa hæc neceſſitas Pelagium damnat.

Ruri nactus eſt optimos parentes Pelagius, qui eum prævio exem ad omnem Dei cultum extimulabant. Adultior factus paſcendo p cori pios per parentes admotus, nihil foris omiſit, quæ domi

addidicit. Volvit opilio rosarium Dei sui æquè sub dio, ac sub tecto obsequiosus verna. Coluit viciniam pientissimus Asceta; hic cùm Sacerdos esset, nullum diem sine sacro domi lecto passus est abire. Adstitit Sacro quotidie Pelagius, & familiaritate cum hoc eremi cultore contracta, tantos inde pietatis stimulos collegit, ut vitam duceret, quam alii passim à raro virtutum omnium cultu suspicerent & honorarent. Mortuis parentibus tantos in virtutum stadio progressus fecit, ut toti mundo calces illideret, eum in finem domum paternam, agros & pecus divendidit, & opes hinc lectas in pauperes distribuit, factus pariter eremicola tam famosæ sanctitatis, ut à summis & infimis sua in solitudine pro solatio, morumq; documento salutaretur. Invidit dæmon virtutem ita celebrem juveni Pelagio, à stiva in Sacrarium illato; hinc totis eum viribus adortus, omnem movit lapidem, ut rudem & illiteratum Pelagium everteret, & è cœlo in cœnum, imò etiam in Orcum præcipitaret. Primus aries, quoque pugnatum ivit Pelagium Cacodæmon. Veneris fuit probrosa voluptas, quâ phantasiam solitarii usque adeò corrupit, ut solitas preces multoties turbaret. Restitit quidem strenuè assultibus orcinis Pelagius; ad preces confugit tentatus Orci victor inclytus; sæpius fortem repulsam passus Acheron, sæpius ad cellam revertit, & ut ait Evangelista, secum alios septem ipsô nequiores spiritus assumpsit, qui ut olim Hieronymo, prostituti pudoris lenas objicerent, & lascivis motibus Pelagium titillarent; fractus tandem, seu tot insolentis Orci accessibus defatigatus, nullum actu stuprum commisit, neque ulla se fœditate contaminavit, sed nudo Venerum aspectu delectatus locum duntaxat Veneris cogitatibus indulsit, iisque moroso cum beneplacito, & in scelus committendum, siquidem occasio foret, pleno assensu aliquantum inhæsit; mox tamen inde gravi mœrore correptus ad se revertit, his seipsum affatus: ehodum Pelagi, quid egisti? quid perperam cogitasti? Siccine Orci victor jam victus es ab Orco? siccine potuit tibi cogitatio placere, quæ focum accendit æternantem! Paulò antè eras Dei filius per gratiam, tot precibus ac jejuniis coëmtam, nunc verò dæmonis victima, Orci præda factus es per luxuriantem cogitatum animô receptum, assensu firmatum! hoc scelus ut expungas, opus erit propera confessione ac pœnitentia omnibus numeris absoluta; at verò cui scelus animo commissum confiteberis? pateat, te locum dedisse carneæ pravitati, te motus venereos animô tenus captâsse, unà probi nominis fama corruet. Hem artem & industriam diabolicam! sic mille respectibus ora nititur peccantium tetra Styx obserare. His fluctibus cùm

Hist.

Pelagius volveretur, commodùm cellam Deo dante peregrinus eremi cola transgressus, foris vidit Pelagium mœrore absorptum obambulantem, qui mox ad eum amico vultu conversus, his eum vocibus compellabat; & quid tibi triste accidit Pelagi, ut tantus mœror vultum occupet? frontem explica, animos serena; neque enim decet, ut servus Dei tam immodicis mœroribus mentem obruat; Deum si gravi pecca læsisti, pœnitentiam ociùs capesse, candida exhomologesi animos e pia, & Deum habebis causæ tuæ nunc perditæ patronum. Stupuit novam eamque vatidicam salutem Pelagius, & mox in vicem repo dic amice, unde Pelagium nôsti peregrinus? cui iterum novus hosp novi te apprimè Pelagi, quem tota latè vicinia tanquam vitæ sanctæ niâ clarum colit Ascetam; vis tetris mœroribus liberari, integram c fessionem matura; hâc expeditâ, pax, animi quies, & tam oris qu cordis serenitas extemplo revertent. His dictis disparuit. Agnovit dum è cœlis Monitorem pœnitens, & ocius constituit Deo redden gnos pœnitentiæ fructus; hos ut tantò certiùs exhiberet, in mona rium à fervido disciplinæ studio passim celebratum recipi exarsit. Ir illicò in suffragia, & nemo fuit toto è cœtu, qui non sibi de tam mosæ sanctitatis eremicola cœtui aggregando applauderet, persuas monastico Corpori suo cœlô lapsum fratrem coaptâsse, unde tota religio nova frugum & virtutum caperet incrementa. Explevit omn partes religiosi mundo mortui Pelagius, omnibus omnia, regulæ etiam levidensium ad literam & literæ apicem continuus cultor, in duis quoque promptè ac hilariter obedire doctus, humilitatis contra assertor, corporis sui plagiarius, omnis voluptatis, omnis gulæ ac corp ralis solatii juratus hostis. Tenuit hanc vitæ austeritatem annos octonos; his dilapsis, lue obrutus animadvertit, hanc primam & u mam fore luem, quâ confectus Deo Judici sisteretur. Vidit comm præsentaneam mortem, conscientiam lascivæ cogitationis ream affec motibus clemens Deus irritabat; inquietum scelus perpetim anim pungebat, & sui urgebat expiationem, ne confessionis defectu homo pravo ex cogitatu periret. At timor & pudor ac vanus hom respectus ita morientis pectus obsedit, ut nil inde de lascivo cogit aures Confessarii diffluerent. Debuit nunc saltem tot annis pressu cus Medico detegere, ut plenam salutem reciperet, debuit hoc in arc Oraculis fidem habere divinis, & per integram confessionem animam lis transcribere. Credere debuit moriturus, se inexpiatum justo à judi æternis ignibus fulminandum; sed prævaluit pudor; timor stygius, quo homines

homines dicent &c. tot oraculis divinis prævaluit. Abiit quidem, sed non in cœlum è cella sua contendit, ut loqui placet Bernardo; abiit quidem pro forma expiatus & Eucharisticô Viaticô refectus, sed lascivo cogitatui nullis unquam Sacramenti clavibus per Confessionem subjecto, miserrimè immortuus, in eam persuasionem pessimè per Stygem abreptus, elui posse clanculò per pœnitentiæ opera sine confessione Gaudebant Cœnobitæ, se tam sancti corporis exuvias nactos, aris dignas, & cultu fortè publico post aliquot Olympiades honorandas. Omnium vota sursum ibant: O utinam cum Pelagio mihi quoque datum esset hinc migrare! agebantur exequiæ summa cum pompa & populi affluxu; Pelagio tanquam Cœliti se ac sua singuli commendabant, palàm in preces effusi, ut è cœlo terricolis benediceret. Antequam hic loci edisseram, quid porrò post hæc fata piè ad speciem obita contigerit, probè velim sententiam librari, quam protulit (23) Isaias: ***Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.*** Verbis his illi propriè Sacerdotes tanguntur, qui vulgò *laxi fratres* audiunt, & viam in cœlos obviis peccatoribus adpromittunt, non ut animas cœlo lucrentur, sed ut commodis suis studeant, ut bursas expleant, ut gulæ ac genio suo largius indulgeant, ut mensas præparent adipales, & vina coronent &c. Non omni spiritui credi potest; probari debent, num ex Deo sint divini. Divini si fuerint, arctam potiùs viam in cœlum prædicabunt, non laxam. Divini si fuerint, carni erunt & mundo mortui, ac unà quidquid gulam sapit, quidquid juratæ humilitati pauperum propriæ reclamat, etiam oblatum, etiam obtrusum rejicient, evertent, vel ad mundi hujus discolos asseclas remittent. At vero quis prohibet has voces sensu accommodatitio hic Pelagio adscribere: Pelagi Pelagi, qui te beatum dicunt, seipsos graviter decipiunt, & viam gressuum suorum dissipant, si quidem tua velint vestigia sectari. Quid ergò triste ac tragicum accidit extincto? ea quæ sequuntur, veri nominis Tragœdiam repræsentant, omnibus etiam religiosis cum horrore spectandam. Prima post exequias nocte, more solito ad campanile cœnobii frater properabat, signum daturus ex officio ad matutinas laudes Deo palàm in Ecclesia, non primo manè contra leges & statuta, sed media nocte juxta veterem disciplinam & strictiorem observantiam decantandas. At ecce, cùm ad Pelagii tumulum accederet, vidit extra tumulum sepulti corpus jacere. Horruit primitus, & cùm nihil mali occurreret, tacito labore corpus in tumulum solus reposuit & abscessit. Altera nocte cùm idem corpus foràs projectum spectâsset, id properè Præsuli re-

(23) Isa. 3.

tulit, addita etiam, quid heri actum esset, fida relatione; sic ocius ex imperio Cœnobiarchæ media nocte in templum evocati sunt cœnobitæ, persuasi, digniorem fortè tumulum Viro tam sancto cœlitus destinatum esse. Fusis precibus Cœnobiarcha se ad præsens funus convertit, dixitque: age sis Pelagi, dum viveres, promptam semper obedientiam Superioribus tuis detulisti, hanc neque mortuus negabis; tua ex parendi promptitudine fretus, præsens impero, quid hoc insolito corporis tui motu exambias, palàm exponas. An fortè Deus vult corpus tuum aliò transferri, & nobiliore tumulo tuis virtutibus commensurato recondi? responde, Deique voluntatem obedientiæ fili explica. Ad hæc imperia horridum in morem funus ingemuit, & sic loqui cœpit: væ misero Pelagio, qui pravæ cogitationis motum animo meo cum delectatione & assensu in eremo receptum, & nulla unquam confessione tot annis expiatum, æternum damnatus luo. Flammis cruciór non pungentibus sed acheronticis, cruciandus æternùm. Jussus præsens coram cominus intueri Cœnobiarcha, vidit, totum instar ferri candentis ignitum, jamque tremulo pede abitum parabat, en jussus fuit denuò ad vice propiùs accedere, & S. Hostiam adhuc integram ore maledico commere. His factis, iterum locutus Pelagius, fimo jussit damnati corporis exuvias recondi. Sic quem omnes pro sancto Cœlite colebant, sulphureâ mersus est abysso, fidei defectu, quia credere noluit, licet non esset oraculis, tot exemplis & monitis ad credendum exstimulatus, necessariò ad salutem requiri confessionem, eamque integram & modis omnibus perfectam. Fuerunt hactenus etiam hoc in puncto plures creduli Thomæ, contra fidem catholicam persuasi, scelus elui posse ne plenaria exhomologesi. Fuerunt, qui se stygio pudore vinci patiebantur, ut mutilam redderent confessionem, & palmare scelus silentio gerent, credant vel hodiè, cœlitus inculcari quod Thomam monuit Salvator, ***noli esse incredulus sed fidelis.*** Noli tot S. Spiritus Oracula eludere, noli tot Superûm monita exsuflare, noli fidem abjicere, quia auricularem feraris confessionem. Cum Pelagio hactenus peccatum damnô illius resipisce, & fidem tot argumentis firmatam in tumulum usque propugna, certus, hoc medio te ad perennem vitam è tumulo resurrecturum.

Amen.

✠

CON-

# CONCIO V.

## Festum Nativitatis D. N. J. C.

*Non erat ei locus in diversorio.* Luc. 2.

## Crasſi Bethleemitæ.

LUpos in lupos graſſari, in ſummi prodigii parte locatus AA. ſicut enim communis fert paræmia, grandis hiems ſæviat neceſſe eſt, ſi lupinam ingluviem lupi lupis exſaturent. A Seculo auditum non eſt, lupos tanta rabie agitari, ut ſibi ſimiles feras irruant & trucident lupi; juvant potiùs ſe mutuò, & opem ferunt, fatô urgentur quocunque. Quid ſi verò hac ipſa die noſtris ſe obtutibus majus monſtrum objiciat, quod ſi lupino furori opponas, fatendum fuerit, hunc nonniſi brutorum eſſe crepundia, monſtroſis unguibus collata. Hodie hodie ſi unquam aliàs ad oculum patuit, homini hominem lupum eſſe, hodie per Bethlæos vicos ſpectare licuit inambulantem innocentiam, ſed lectis omnibus rejectam, cunctis laribus proſcriptam, urbis populoſæ mœnibus excluſam pecoris præſepia implorâſſe, ſtabuli fætentis rudera ſubintrâſſe. Quæ, prô Deûm hominumque fidem major barbaries excogitetur? quæ inhumanior cruditas fingatur? hic hic ſi uſpiam rabientium luporum datur patria, unde mites agni exturbantur, & innocuæ oves proſcribuntur. Tota nempe Bethleem in lupos creditur abiiſſe; quotquot cives intra muros recenſeas, tot pariter lupos videas graſſari; os certè atque efferi dentes, habitus, vultus & ungues lupis cognata, à lupina ingluvie & cruditate nec hilum abludunt. Neurios Scythiæ Europeæ homines fuiſſe omnem ſupra cruditatem immanes, Author eſt (1) Herodotus; hi ſicut æſtivo tempore in lupos migrabant, ut ſilvas colerent, & per armenta diu noctuque agerent prædas; ita cœlo hibernante ad priſtinam humanitatis formam redibant; Ab hac Scythica gente ac barbara progenie ſi Bethlæos hodie exempla prædicem cepiſſe, nihil ſanè peccavero. Neurii per æſtatem lupos induebant, Bethlæi per hiemem omnem exuunt humanitatem; errabant illi per dumoſos ſaltus, per ſilvarum ferarumque luſtra; hi à populi frequentia ipſam vitæ Sanctimoniam

A. Bethlemitæ in lupos degenerant.

(1) Herod. l. 4.

moniam profligant ; illi pecorum greges infestabant, homines cum lapsos efferi Bethleemitæ ; illi horrida ex ingluvie humanis carnibus vescebantur , hi pauperum inopia & miserorum fame pascuntur. Quid ad tam truculentam cruditatem ita flecti ferreus est, ut teneat se, quo minùs in homunciones ita barbaros totam oris & stomachi vomicam exoneret ? quis vestrûm de me inclementiùs sentiat aut loquatur, hanc immanitatem modiô salis perfricuero ? utinam omnes Theo Satyræ os & linguam influerent ! utinam toto in pectore Vesuvius raret ! ita sanè spe fretus viverem, hanc à me Scythiam plecti pro me tis posse, quod dum totis modò viribus ad gloriam recens nati Num attento, una æquos & patientes auditorum animos fidenter exspecta

Ut plus quàm lupina Bethleemitarum barbaries clarescat, tota rei seriem obiter libemus , & explanemus. *Jam nigro rutilans* ... *surgebat ab ortu*, urbem subibant advenæ Josephus & Virgo, prægna Sponsa , *Authorem paritura suum*, *paritura parentem*. Cœlum pro a more horridum , pluviis tempestuosum , ita novos hospites excep ut propè ambos conficeret Viatores ; inde la[illegible]uidior gressus & ma bundi pedes, dejecta membra, & defluentes artus , anima deficien ægrè anhelans spiritus, vultus cadens & sparsus per ora pallor, tota que pœnè corpus ex diutina lassitudine difractum. Sitis fauces, i mes viscera, membra lutô ac cœnô propedita largus calor urebat ; à sudore madebant , foris à deciduo imbre. Nocte magnis pass approperante , animus curis anxius premebatur , quia necdum locum captabant, ubi concubia nocte fessum caput reclinarent. Virgo partui vicinam puerperium urgebat , & in oculis erat mutua affli rum miseria. Spei parum allucebat , opis nihil. Errabat quidem p urbem , Luca teste , Josephus hospitii incertus , gravida Virgine Sp sum comitante , neq; tamen vel angulum intra urbis mœnia nacta quô una nocte tegerentur. Appellabant hos , precabantur illos , ... versis cassô molimine supplicabant. Omnis humanitas totam pe bem eviguit, omnis charitas hispidos inter cives refrixit. Accessit sephus ceteris omnibus mitiorem patronum sibi sanguine junctum, missô vultu, leni alloquio de hospitii usu præsentem obtestatus. diamus ipsum Josephum amici fores pulsantem, & voce tremula v gulum parituræ Virgini solicitantem : Vides amicorum optime in articulo nos casus & frigidæ noctis intempesta caligo deprehendet nisi tu vadum portumque aperueris, jacta est alea, tabulam non niamus. Age proin tuisque ædibus admitte tuos, Abrahæ in hospitio

ardens studium æmulare, quos non tantùm benevolè, invitavit, sed & blandissima violentia sua sub tecta pertraxit. Ne quæso tuis à foribus tuos ex asse amicos repelle, qui te germanum Jesseæ stirpis nepotem veneramus. Si alienæ sortis, si peregrinæ plebis homines essemus, certi confidimus, nos à te neutiquam repudiandos; nunc verò tantò largiores animos de te nobis fidenter adpromittimus, quanto arctiùs nos tibi natura mater adstrinxit; tibi adeò peramicè supplicamus ne patiaris ab aliena gratia exspectare, quòd à te flagrantibus votis exoramus. Non est, Cognatorum amantissime, quod tibi graves credas exstituros, si nobis modicum domitiæ angulum, si ultimum nobis conclave recluseris, in maximi beneficii parte ponemus, si à te non simus exclusi quare te iterum iterumque infimis precibus exoremus, unam noctem nobis tuo sub tecto indulgeas, nec vasto itinere fractos affines à tua benevolentia repellas; erit hoc perenne nobis votum, ut nunquam ope indigeas aliena, sed domi perpetim opibus affluas & fortunis, unde pluribus aliis succurras &c. Quid boni sperant ex tam mellea oratione, Auditores? nunquid placidos vultus suada pariat Josephina? nunquid serenam frontem ad preces tam amicas exporrigat affinis? nunquid ad verba tam civilia & submissa, salvos esse jubeat peregrinos Bethlæus? nunquid tectis ocius succedere jubeat lassitudine exhaustos? nihil horum, Auditores: nullus miserationi locus fuit, nullus humanitati; meras cautes, meros scopulos precibus & votis pulsabant peregrinis; totus Caucasus præcordia obstruxit; tota Taurica frontem obsedit; quid verò sit Barbaro ab ore ructatum, ipsi audite: quid? egóne amicus vester & cognatus? procul hæc fucorum ludibria! hinc facessite obsoleta mendicabula, pigri ventres, & laborem exosi paniperdæ! dum egetis, amicitiam fingitis, ut larga hinc munera captetis; his abundè dotati, terga vertitis & Mæcenates vestros proscinditis. Nil protervius vidi muribus istis, qui alienum rodant panem. Dum ope opus est aliena, striatis nos blanditiis affatim invadunt, adulantur, lenocinantur, & nobis grandes mathusalæos stentoreis vocibus apprecantur; omnia in vicem obsequia crepant, votisque nos obruunt millenis, at verò operam eorum cùm desideres, & mutuos exigas labores, nihil illis fugacius, nihil illis inhumanius. Apagite nefasti lemures! hinc facessite mortalium fæces! hinc meis ab ostiis vos ocius auferte, invisa capita, vel agam ego in puncto ut hospitum vobis publicitùs assignetur! his vocum rhamnis, his scommatum paliuris Josephum, Deique bajulam Virginem ædibus & urbe tota truculentus Geta profligavit. Quam repulsam ab hoc amicorum ripal-

ripaldo passi sunt peregrini, eam quoq; reliquis à civibus referebant, quorum fores solicitabant, nempe; quocunq; locorum fractos pedes expergerent, truculenti Thraces, barbari Sarmatæ, & inexorabiles Tartari occurrebant, quibus vota precesq; gorgonea erant aconita; quibus omnis modestia & humilitas invisum erat spinetum, quibus omnis virtus mera erat absynthium. Plures licet civium centurias sinu suo urbs concludens, nullus tamen fuit, quem mitior genius ad locum aliquem miseris indulgendum moveret; omnes ac singuli urbis hujus inquilini immisericordes erant Nauplii, qui in scopulos & abominandas syrtes agerent miseros. Erant omnes Atridæ duro de marmore nati Petrones qui circa præcordia meros silices aut rigidos chalybes gestabant. At verò hæcine Jessæa posteritas? Abrahæ posthumi? Soboles Davidica? hos? lios dixeris non Abrahæ sed Belial, non Bethlæam gentem sed spuria Babyloniæ vitulamina, non Davidis sed Diomedis germina, non Israelitas sed Gabaonitas, viperarum non hominum genimina. Dicite, per & bestiis deteriores Bethlemitæ, ubi lex Mosaica tot prodigiis inculcat: *Advenam non contristabis, &c) nec affliges eum; advenæ enim & ipsi fuistis in terra Ægypti.* Accepistis adeò peregrini beneficia? vicem redite peregrinis, ne vos tetra ingratitudo comprehendat. Si cuivis alienæ, seu Geta fuerit seu Persa, seu Parthus fuerit, seu Idumæus, charitas ex lege debetur, quantò amplioribus obsequiis fovendi erant populares, cives & contribules, noti ac necessarii, propinqui & affines? Et verò quô meritô, quâ noxâ insontes tota urbe profligantur? si vel modica charitatis scintilla suppeteret, tectum negari non debet supplicibus peregrinis. Canis latrator nullis foribus arcetur, & per amicus in fœtentem haram detrudatur? homines tam inhumanos in hominum censu collocet? indignum genus, cui vel eminus lucescat! *Virtus & in hoste probatur*; neque ulla gens, ulla natio cœlo est tam barbara, quæ non ipsam Sanctitatem veneretur? quæ virtutem labis puram colat & exosculetur? Soli Bethlemitæ sunt, qui Sanctimoniam fastidiunt, qui oculis arcent virtutem, eam laribus excludunt, eam tota urbe profligant, Bœotis crassiores, Mysis crudeliores, brutis brutiores. In tauris certè tantam ferociam non videas videre, fronte licet torvi, oculis minaces, cornibus metuendi, spumas fremant, mugiant, baubentur, & pedibus spargant arenas; utpriùm lauro alligantur, defervescit rabies, mitescit furor, omnis iræ impetus vanescit; sed taurica Bethlemitarum ferocia nullis verbis mollitur, nullis precibus flectitur. Loqueris placidè? irritatur. Rogas impensè? accenditur, inflammatur. Placare satagis turbulentum? igni oleum ad-

B. Exprobratur hæc rabies lupinaris.

(c) Exod. 22.

funditur, frons læta exasperatur. Quid his facias Nabalitis, quernis stipitibus? digni profectò sunt, quos cœlum odiô proscindat Vatinianô, quos è gremio suo totus hic spectabilis mundus projiciat, orbis vomicas, terrarum carcinomata, hominum propudia! ite! facessite ex hominum cœtu, caucaseæ pecudes! ite, ac nulla vos unquam quies refocillet! nullus unquam vos paries propugnet! nulla unquam vos lætitiæ ferenet! nulla unquam vobis mollior aura aspiret! nullum unquam sidus ex alto suam vobis lucem dispensetⁱ! digni tenebris, digni cimmeriis noctibus, omnium odio & execratione digni Bethlemitæ!

Hactenus AA. justa crisis barbaros Verpas exagitavit. Sed quid si nunc verso temone in Christianos, pari barbarie infectos, in nostræ fidei domesticos æquissima crisis devolvatur? Revertat hodie cum Virgine Deô fœta Josephus, & ostia pulset nostra, putátne fidem inveniat aut locum? *Carpimus antiquos, & nostris utimur annis.* Bethlæos Scythas ejuramus, & Deum ostia nostra pulsantem hanc in horam rejicicimus. *Ego*, inquit (3) ille, *sto ad ostium & pulso.* At quotus aperit pulsanti? Virgo Mater fora, compita obambulat, & diversorium quærit; hic tamen iterum iterúmq; verificari audias, quod præsens Evangelion commemorat: *Non erat ei locus in diversorio.* Quidquid ergò de crassis hactenus Bethlemitis produximus, rectius detorqueas in pravi nominis Christianos. *Mutato nomine de te fabula narratur*, imò historia, qui Deum ac Deiparam hunc in diem tuo ex domicilio proscribis. Dari tales Christianos nunc, realiter simul & moraliter faciam testatum ex literis Atlanti (4) Mar. insertis. Fuit talis Bethlemita Albertus Visecrot Parochus Lerayscensis in Polonia, graviter à justo Deo fulminatus, quòd à diversorio creatam Triadem repelleret, Deum, Deiparam & Josephum. De ipso fusè scripsit Urbanus Ubaldici Soc. Jesu Polonus, cujus literas in synopsin contraho. Lerayscum oppidum est Poloniæ quinque leucis Jaroslaviâ distinctum; est autem Jaroslavia 20. leucis Cracoviâ Poloniæ Metropoli dissita urbs, totius Russiæ propugnaculum; illo in oppido civis vixit, cui nomen Thomas Michaëlis; vir mirifícæ pietatis: hic quoties in sylvas abiit lignatum; nec manum antè securi suæ, nec securim arbori applicuit, quàm fusis precibus labores suos Deo ac Deiparæ initiaret. Hunc pientissimum morem mechanici opifices si captarent, omnia sanè manuum opera deaurarent, lucro immani ex adiáphoris laboribus collecto. Cessit optimè laboris per preces facta initiatio Thomæ. Anno 1590. cùm in sylva globos adhuc precatorios more suo evolveret, lucem primò insolitam, tum aliquot distincta luminaria

(3) Apoc. 3.

(4) Atl. Mar. n. 491. C.

Bethlemitica eruditas adhuc hodie grassatur.

Probatur memorabili exemplô.

minaria eminus conſpexit. Acceſſit locum venerabundus Thomas: ecce, grandi lumine circumfuſam cum Joſepho ſtantem Deiparam conſpexit, quæ ocius præſentem Thomam affata palàm dixit, ſe hunc cum præ aliis elegiſſe, ubi certum eſſe vellet refugium peccatorum; ſit unà hunc Thomam ad urbis magiſtratum, & per eum hic loci cilium extrui petiit. Multa Thomam præpediebant, quò minus impleret Mariana; novit proceres, hominum ad urnam ſedentium Hiſt. nium novit & naturam, qui cùm aliquoties ſacra & divina ludo ant, hæc inter etiam apparitiones tanquam fabulas exſufflant. altero die ad ſolitos labores anxius civis, & cùm eodem in loco viſa & imperia oculis ſimul & auribus hauſiſſet, de Superûm voluntate ac nutu nullatenus dubitavit, optâſſet tamen ut alteri cunque hæc Sparta urbis proceres adeundi committeretur, minime ignarus, quæ injuriarum exantlanda eſſent portenta omnibus illis hujusmodi nova urbis primoribus proponerent; ut ut enim Virginis tris Marianum favorem adpromitterent; cùm tamen inde plus lucri nerabili Sacerdotio & Gazophylacio Chriſti quàm ſecularibus ſplendamanthis reſultet, eam facilè in ſententiam conceſſit, ex hac re ne ſe modicam gratiam reportaturum. Nempe! hic quoq; paſſim graſſante peſtilentiâ prima urbis capita laborabant, quam paucis dexit Poëta:

*Jura dabant populis quarum præcordia cepit*
*Auri dira fames, & opum furioſa cupido.*

Hac impetigine accenſi cauſas ex cauſis lucri gratia protelabant, identidem ſi non verbô, ſaltem factô ex gentili Horatio civibus clamantes:

*O cives, cives, quærenda pecunia primùm eſt,*
*Virtus poſt nummos, pietas poſt æris acervos,*
*Religionis amor poſt fulvi ponderis hamos;*

Hos niſi Curialibus ſanguiſugis objicias, cancrina erit piſcatio ævi: Erat quidem civis ſed pauperculus, operâ & manuali labore ctum ſolitus corrogare, cui ſimiles alios magnô numerô ſuburbium prehendit, operarios, fœni ac ligni ſectores, tabellarios, corbium varii generis circumcelliones; horruit adeò nudus apparere in ctu Magnatum, iisque nova ſine novo lucro denuntiare; ita vel potius in dies protelata locum eundem tertiò adiit lignator, ſuo cum Joſepho etiam tertiò Deipara excepit, rogans obſecrans,

filio suo domicilium extrui maturet. Prædixit quidem, eum hoc ex capite multa passurum, donec assensum extorqueat, præsenti signatè vaticinata, ipsum arctè vinculis constringendum, tetro carcere & inedia mulctandum; at sciat unà, se à Deo ac Deipara fortiter adjuvandum & beandum; simul totam Templi erigendi molem chartæ inscriptam exhibuit, & PP. Franciscanos novi templi custodes delegit, larga ope incolis, accolis & unde unde venturis peregrinis adpromissa, si modò creatæ Triadi, JESU, Mariæ ac Josepho collatis in unum sumptibus domicilium erigant Leraycenses. Hem tertia vice sibi urbis fores reserari, & parari domicilium cum Virgine Matre obsecrat Josephus; jam tertiùm ostia pulsat, nec auditur. Hausit ex hoc tertio Virginis Matris affatu eas vires timidus Thomas, ut procul acto metu & respectu, pœnâ & supplicio, rectà Curiam adiret, & civico Magistratui totam rei seriem exponeret. Sedebat tunc temporis ad pulpitum urbis Consul Georgius Strickhovius, Vir octogenariô major, ex paucis æqui justique amans, & cultûs Mariani reliquis omnibus fervidior zelótes; hic unus fidem habuit relatæ apparitioni, & mox Civi operario adpromisit, se in vestigio Virginis, Christi crucifixi effigiem locaturum, donec novæ Basilicæ primus lapis poneretur; cùm autem reliqui omnes Thomæ dicta rudibus fabulis accenserent & riderent, ultrà nil concluſum est. Interim cùm ad tot pulsus & monita suo cum Parocho Primores dormirent, & ne quidem foràs ex urbe prodirent, ut locum coràm inspicerent; en bruta ipsa & sylvestres feræ locum coluêre, pro domicilio electum Mariano; illa cùm transirent, adorantium ritu in genua prolapsæ stupentibus accolis & vicinæ urbis eruditatem execrantibus peregrinis. Fidem ac pietatem auxerant lumina illo in loco numerosè visa, & campanæ aliquoties auditæ, actí templum suo cum campanili omnibus numeris esset absolutum, dictóque in loco Pietas floreret Mariana. Ita populus magnô numerô accitus, Deum, Deiparam & Josephum oblatis numerosè votis salutabant, in id unum soliciti, ut per ipsos etiam aliquod caperet incrementum pietas Mariana. Prævidit Orcus, quanta cum clade sua hic loci Basilica extrueretur; plures prædas hic loci Orco subtrahendas præsensit Acheron, quia se hoc in loco propitiam fore, certúmque peccatoribus refugium Virgo mater civi adpromisit; hinc omnem lapidem movit, ut consilium toti Orco damnosum everteret, conculcaret. Usus est hactenus urbis Primoribus Phlegeton, quorum singulos (unum si consulem recens memoratum excipias) suam in nassam traxit cacodæmon, ut se totis viribus novæ opponerent structuræ; cùm verò res sacra fori esset

ecclesiastici, & per laicos solidè repelli non posset, Parochum Lexoviensem, lucris & lusibus impensè addictum Curionem usque adeò irritavit, ut totis viribus civi legato & seniculo Consuli obniteretur. Ibant, redibant peregrini tota pænè ex Russia ad locum apparitione celebrem, ringente præ ira, fremente præ invidia Alberto Visecrot; id nomini erat rudi ac cœlestium inani Parocho. Non tulit ultrà instigante diabolo, tantum populi affluxum sodes hispidus; conscendit bucephalum, & peregrinantium ordines intentatis etiam verberibus dispersit, dissipavit; quod crudius est, peregrinos scipiones, quos fugibundi adveniens abjecerant, ne infestum sacrificulum acrius irritarent, nec non grabatos & fulcra loco sacro per claudos prodigiosè curatos appensa, unum in cumulum collegit, & igne concremavit, ipse focis dignior æternatus. Fateor, grandia sunt hæc & enormiter impia, tantò fortiùs execranda, qui contra Superos tentata sunt per illum, qui ex officio veri pastoris (non mercenarii, qualis erat Curio iste) omnem Dei ac Deiparæ cultum promovere debuit, & totis conatibus ampliare. Grande scandalum edit summis, infimis, cùm tanta barbarie in Dei ac Deiparæ cultores sæviret & procul ex vicinia Josephum cum Virginea Conjuge profligaret, profligaret.

Nemo ex hoc crudissimo actu de venerabili Sacerdotio pejora præsumat. Ab uno & plures prohibitum est argumentari. Sicut unus corrundo ver non facit, ita nec unius luridi Curionis pravitas totum Clerum condemnat. Probè hic notetur, quod pridem aureus Orator Chrys. (5) præmonuit his verbis: *Si videris Sacerdotem indignum, non ob id etiam calumniari debes Sacerdotium. Absit! res ipsa calumniari non est, sed ille solus convitiis onerari meretur, qui tantò bonò abutitur. Judas proditor si fuit, crimen hoc Apostolicæ professionis non fuit, sed tantùm viri improba mens. Sic Medici benè multi carnifices sunt, qui medelis venena propinant, néq; tamen artem medicam vituperes, sed duntaxat, qui arte sua malè abutitur; & nautæ complures navigio perierunt, (vinò maximè adustò temulenti) neq; tamen ars navigandi subversa eorum voluntas ejuratur.* Similia idem Pater (6) in Genes. rat, ubi labem infidelibus & hæreticis propriam condemnat, unius Christiani (dicamus hodie ex unius discoli Parochi) qualicumque culpa & scandalosa pravitate, totum christianum Nomen, tot venerabilem Clerum turpi infamia conspurcant; fuerit ergò hic cujusloci reprobus & scandalis hirsutus animarum Curio, non ideò tot probi, tot pravitas pluribus aliis affricetur; non ideò tot probi, tot

(5) S Chrysost. de virt. & vit.

(6) Idem in Gen. hom. 7.

ac zelosissimi Curiones ob unicum reprobum rejici debent vel contemni. Non stetit memoratas inter impietates Albertus : plùs ultrà progressus, etiam urbis primores Consules, Prætores, suos ad mentam germanos & chartaceos fratres in erroris sui pertinacia ita obfirmavit, ut unus illorum, cui nomen erat Caspar Gotuckhovius, homo vafer, durus & asper, ira & rancore per Parochum succensus, clavam ferrô armatam, in caput Thomæ civis Mariani jam altùm sublata manu expediret; at verò cùm ocius brachium rigesceret, & sanari antè non posset, quàm votum emitteret largam stipem pauperi Thomæ dilargiendi, novam hinc ansam hausit Curio proscindendi Thomam. Debebant hæc prodigia æris avidum lucrionem movere, ut pulsanti Deo & acres pœnas intentanti omnia ædium, omnia urbis ac viciniæ ostia reseraret; timere debuit vindicem Dei ultoris manum, si ulteriùs cum enormi contumacia decumanum errorem tueretur. At nil horum in mentem præcipitio proximam & abyssо. Non satis erat Ripaldo Thomam innocuum civem, Virginis legatum ob propalatam veritatem injus traxisse, eúmque de impostura compellâsse, nunc ob brachium divina ex vindicta rigefactum, etiam magiæ Thomam redarguit, tantúmque apud reprobos judices Parochi combibones evicit, ut jam antè tanquam impostor vinculis constrictus, nunc etiam subterraneo carcere tanquam triveneficus concluderetur. Prô cæcas mentes! itane semper fata ultima, cædes, fulmina sceleratus homuncio exspectet? ficcine pravitas humana nullum finem faciat, nullum terminum figat peccatis, donec ultrice pœna multiplex scelus ex alto Numen proscindat? Hæc dum irarum & minarum spirans Curio in Dei ac Deiparæ servum Thomam molitur, ecce Clienti suo placidò vultu adstat Virgo, totum simul carcerem illustrat, solvit vincula, sanat vulnera Virgo Deipara; at simul eadem nocte crudus Curio vitæ periodum abrumpit, & funus fit repentinum, nocte media, ut fama fert, à tumultuosis Orci satrapis oppugnatus & trucidatus. Cadaver in lecto relictum, & animâ suâ vacuum, tetro nigrius carbone, obversis faucibus, & capite horridum in morem depilato, satis innuit, hospites orcinos Deo ultore nocte illa cubiculum irruisse, qui gulam frangerent perfido Curioni, Superis rebelli Parocho, lusibus & poculis impensè addicto, probris & scandalis hirsuto Sacerdoti. Terruit hæc mors omnes illos, qui hactenus passi sunt per hunc Parochum se turpiter implanari & irritari; mox itaque malô sapere docti alienô palinodiam cantabant, & primis honoribus decorabant Thomam, etiam Curiæ adscriptum. Ita tandem se

motis omnibus remoris ex pia offerentium liberalitate magnificum Domicilium surrexit Dei, Deiparæ ac Josephi gloriæ dicatum, quod hanc in horam magno cum populi accursu PP. Franciscani tuentur. Ait Ubaldini Annô 1592. lapsi seculi novæ Basilicæ creatæ Triadis seu JESV Mariæ ac Josephi imaginem solenni pompa illatam esse, ocius binis miraculis prodigiosam, quorum primum erat oculorum restitutio pio sacerdoti facta postquam strophiolum tactu imaginis sacrum oculis admovit. Alterum erat cùm muta puella sub sacrificio Missæ loqui cœpit, has in voces palàm effusa: *Ave Maria !* Necdum hodie desinit hic loci, Deus ac Deipara clientes suos exaudire, modò non desistant orare. Patet hinc, quanto cum damno & fati præsentis periculo nostris à foribus Deus ac Deipara suo cum Josepho repellatur. Dicet nonnemo pauci sunt, quos tanta pravitas infestat, ut Deo pulsanti omnia ædium ostia occludant, & à tectis supplices advenas repellant; ego certè Deo pulsanti ædes ac fortunas meas promptè reserarem. Crederem hæc asserta, nisi contrarium experientia firmaret quotidiana.

D. Notæ in Bethlemitarum sequaces Ripaldos.

Crudus erat Parochus iste, precibus divinis tam fortiter obstrepens ausus. Pœnam sceleris dedit utinam non æternam ! æquè tamen crudi sunt & crassi, qui hôc etiam ævô pulsanti Deo dant repulsam. Non loquor hic loci de illis, qui Deiparæ locum solitarium & ruralem pulsanti invident domicilium instigante mammonâ, opere tumultuario erectum etiam Vulcano immolant, ipsi potiùs flammis suffocandi ardentes. Nimis aperta hæc invidia est, nimis horrida hæc avaritia est, nimis palpabilis & execrabilis hæc protervia est, quam scimus pluries omnium illorum repentinô & immaturô fatô mactatam esse, quotquot Deo & Deiparæ debitos honores lucri unius gratiâ mutilârunt, gloriam Superi depeculati, unde lumen gloriæ in vivis & post fata reis extingueretur.

Non loquor hic loci de illis proximo sanguine junctis, spe amplæ hæreditatis captandæ lactatis, qui, ut factum memini, etiam Medicos larga stipe subornant, ut morbum extenuent, & certam salutem ægrotanti promittant, cum in finem, ut nullus Sacerdos subeat penates, qui restitutionem Mammonæ aut pia urgeat legata, unde pinguis bursa enormiter mutiletur, Deóque eucharistico ad ægrum ritè priùs expertum deportanda fores omnes occludantur. Hæc hæc decumanâ major impietas est; hæc veri nominis inimicitia est, moribundum Stygi devovere, ut arcas & bursas iniquitatis Mammonâ expleas, & ex bonis tuis dies vivas adipales, altero interim cum Hecate apud inferos ejulante & ejulante.

Non

Non loquor hic loci de sordidis illis ædium patronis, turpibus œconomis, & Sacrorum injuriis euclionibus, qui suos vernas, famulos, ancillas festo die ægerrimè ad sacrum audiendum dimittant, iisque rarò admodum tempus indulgent, quô & ipsi animos valeant Sacramentaliter expiare & mensam Eucharisticam adire. Ita sanè sibi aliisque viam obstruunt, quâ famulantium pectora Deus ac Deipara recto tramite subintrâssent. Ita propriis laribus omnem fortunam proscribunt, quam affatim Deo reconciliati vernæ secum è templo ædibus intulissent. Hæc iterum nimis crassa, & heris summè damnosa est iniquitas Dom. 3. post Epiph. cribrata.

Illos illos ego his loci monitos velim, qui toties Deum audiunt præcordia pulsantem & clamantem: *aperi soror!* & in imo pectore Deo tuo Deiparæ ac Josepho angulum indulge; pulsum tamen hunc centies iteratum, centies eludunt, centies explodunt. Orbem nostrum hanc in horam creata hæc Trinitas, Deus, Deipara & Josephus obambulant: petunt laribus nostris recipi & imis præcordiorum fibris concludi: *fili præbe mihi cor tuum*, (7) Deus intonat, & *habitabo in eo. Ego sto ad ostium* (8) *& pulso.* Quale ostium Deus pulsat? cordis ostium, pectoris ostium. Sed quotus audit pulsantem? quotus Hospitem divinum meditulliô cordis excipit & adorat? fores alterius ut plurimum tribus solemus digitis pulsare, secundô, tertiô & quartô. Digitus secundus *Index* dicitur; hoc indice signamus abdita, & discolis minas intentamus. Hôc Digitô nostra pulsat præcordia clemens Deus, quoties nobis ob oculos ponit nostra flagitia necdum expiata, & in memoriam revocat densas pravitates nullis unquam Ecclesiæ clavibus subjectas. Hôc Digitô pœnas sceleratis millies intentat, nisi maturè fructus pœnitentiæ apprehendant. *Væ vobis* (9) *qui saturati estis*, in crapula & ebrietate, in cubilibus & impudicitiis dies & annos extrahitis impœnitentes! *Væ vobis* (10) *divitibus*, qui per fas & nefas mammonam corraditis, & nulli ultra restituitis ablata! Ne simus ad hos pulsus surdi, ne â præcordiis nostris repellamus Deum, indice digito pectora pulsantem, ut hîc per gratiam nostra inter præcordia possit habitare, ibi verò totum hominem valeat per gratiam simul & per gloriam beatificare.

(7) Prov. 23.
(8) Apoc. 3.

E. Tribus digitis præcordia pulsat Deus.

(9) Luc. 6.
(10) Luc. l. c.

Tertius digitus *Medius* est & omnium longissimus, hoc pulsat quoties per infinitam, quâ pollet, Clementiam omnes reos ad gratiam & gloriam suam per vivacem pœnitentiam invitat. Scripsit hôc digitô Legem Gratiæ non in tabulis lapideis sed in carneis. Digitus est omnium longissimus, quia teste Regio Psalte (11) *miserationes ejus super omnia opera*

(11) Ps. 144.

(12) Psal. 103. *opera ejus; est* enim, ut idem canit (12) Propheta, *longanimis & multum misericors Deus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus &c.* Cujus exempla magnô numerô repræsentat Tuba Clementina. Hôc digitô scripsit JESVS in terra adulteræ

(13) Joan. 8. illius (13) absolutionem & unà illius flagitia extinxit, quod unicè à Davide (14) expetiit: *& secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.*

(14) Ps. 50. Vt primùm digitus iste præcordiorum ostia foris attrectat, ociùs totum pectus Deo patescat, Numine simul ac lumine plendum, neque ullus sit tam crudus & asper, qui pati nolit, ut ostia pulsanti properè referentur.

Quartus digitus dicitur *Medicus*, quia hoc ut plurimùm per Pharmacopæos medicinæ miscentur, & salus temporaria promovetur. Pulsat ut ajunt Medicastri, virtute sanativa; hinc omnibus illis qui dentibus dolent, suadetur, ut primò manè singulis diebus os ac dentes hoc digito sæpius refricent & expurgent. Pulsat hôc digitô animos mortales Deus quoties per pharmaca pristinam sanitatem procurat. Hôc digitô varia miscet pharmaca Numen medicum; ea sicut varii sunt generis in corpore, ita variæ sunt virtutis in anima. Inclyta sunt pharmaca animæ saluti nostræ decreta Ecclesiæ Sacramenta, ipsa etiam miracula, bona aliorum exempla, concio Evangelica, quin ipsæ etiam calamitates digitis contagia morbi. Sic de ultimo saltem, in terminis Greg. Pp.

15) S. Gregor. hom. 13. in Evang. (15) *pulsat Dominus, cùm jam per ægritudinis molestias mortem vicinam esse designat, cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus.* Pulsat adeò Deus medicô digitô fores nostras, quoties nobis exhibet miserias prodigiosam virtutem, bonum alterius exemplum, fervidam compunctionem, inspirationes varias, & pia hortamenta, imò etiam varii generis ærumnas & graves morbos, quibus omnibus veluti pharmacis, digito pulsantis Dei compositis, ad benè vivendum hominem exstimulat. Ita

(16) Jac. Billius in Antol. in rem canit (16) Poëta:

*Quis bona commemoret, pariat quæ commoda morbus?*
*Pharmaca firmandæ mille salutis habet.*
*Fastus abit, cadit ambitio, fugit ardor habendi.*
*Cum ludis fugiunt turpia verba procul.*
*Angitur ob noxas mens irrequieta priores,*
*Nec liber sceleri cursus, ut antè, datur.*
*Omnia dic verbô: Sic sano corpore vive;*
*Victurum ut spondes, cùm malè corpus habet.*

En quid pulsus iste divinus per morbos operetur. Nemo proin Deum hodiè quocunque modo animi nostri fores cum Deipara & Josepho pulsantem suis ab ostiis repellat. Obvenient nobis omnia bona pariter cum Hospitibus istis nostros intra lares receptis. Totam domum salus beabit, à tam sanctis capitibus profecta. Curramus potius in occursum Hospitum illorum, hoc maximè sacerrimo tempore, quô per gratiam etiamnum imas inter pectoris fibras erigi domicilium exambiunt. Quibus rebus esse debeat instructum hoc pectoris nostri diversorium, ut possit ab hac creata Triade habitari, in Tub. diximus Anal. p. 1. Dom. 4. Advent. ubi unà modum ostendimus, quô his Hospitibus dignum exstrui possit habitaculum. Ea nobis curæ si fuerint, spondeo, adhuc hodie proni prompti ad nostros præcordiorum penates contendent, & pulsu sanctissimo se nobis reddent manifestos, intraturi ocius penetralia, ut primùm fuerint Deo reserata. Nostrum proin munus erit & princeps officium, ita totum pectus divinis hisce Hospitibus transcribere, ut nunquam ultrà nostris è laribus pedem efferant, donec anima corpore suo soluta, nubes transvolet, & sedes penetret æthereas, Regna beata poli. Amen.

# CONCIO VI.

# FESTVM S. STEPHANI,

## Proto-Mart.

*Ecce domus vestra relinquetur vobis deserta.*

Matth. 23.

## Numinis desertores.

NIhil tam charum, tam rarum est hodie quàm fidelis amicus in adversis AA. Hic sicut difficilis est inventu, ita oppidò pretiosus est, si inventus est in quem tutò possit dolor & anxietas, afflictio & calamitas exonerari. Sed ubi locorum tam fidelis invenietur? hanc quæstionem quasi insolubilem pridem posuit Petrarcha:

A. Charus & rarus est amicus etiam in adversis.

*Verus amicitiæ cultor pretiosior auro est,*
*Et gemmîs; sed eum dic ubi repperîas?*

Hunc si Diogenes clarum sub meridiem fumante laterna inquirat, commendum fuerit, ne oleum & operam perdat; plura nempe, ut hoclajus (1) argutatur, ad amicitiæ Aram donaria pendent aurea votanuncupantium quàm exsolventium. Solo turbine & tragico casu vel lydio lapide amicitia (2) probatur, ut Ovid. canit:

(1) Barcl. in Satyr.

(2) Ovid. 1. trist.

*Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,*
*Tempore sic duro est inspicienda fides.*

(3) Lips. ep. 43.

Juxta Lipsium (3) illa una veri nominis Amicitia est, quæ nunquam desinit. Verus amicus nullô ævo, nulla tempestate amatum deserquit; Verus amicus cum Paulino (4) canet fidenter:

*Non dirimar, toto licet abstrahar orbe vel ævo,*
*Non animô divisus agam, priùs ipsa recedet*
*Corpore vita meo, quàm fratris pectore vultus*
*Si videam patriâ damnatum excedere terrâ*
*Per freta, per scopulos, per inhospita rura Canopi*
*Exulis ibo comes cineres intérque favillas*
*Stabo & durabo vivax tibi semper Amicus.*

Hæc hæc amicitia solidam lætitiam parit & solamen in quibuscunque adversis, nactum esse amicum, qui miseriis fractum erigat, roboret, confirmet ut ne malis cedat, sed contrà audentior eat. Nota est parœmia passim recepta: Amicus in fato, amicus in articulo, amicus à tempontem sternunt Rhodano, quô non tantum Rhodanus superetur Acroceraunia ponti. At verò redit antiqua quæstiô:

*Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,*
*Tam pius & constans, tam firmus prostat amicus?*

(4) Cæsar. l. 3. de Bel. Gal.

Ait quidem Cæsar (4) olim genus aliquod Amicorum extitisse, quos *devotos durios* appellabant, hos inter ea conditione fœdus Amicitiæ contrahi ut cum illis, quorum amicitiæ se consecrabant, omnibus in vita commodis simul & incommodis fruerentur. Si quid illis per vim accidisset vel eundem casum unà ferebant omnes, vel alterô extinctô sibi mortem consciscebant. Addit Cæsar, ab hominum memoria repertum neminem qui eô, cujus se amicitiæ devovisset, morte sublatô, mori recusaret. Ast ubi nunc tales Soldurii? Hoc opus, hic labor est. Ubi sunt Amicones & Sinejæ, quorum etiam ipse Tyrannus Dionisius se tertium optabat amicum, cùm alter pro altero mortem oppetere gestiret. Ubi nunc Pomponii & Volumnii, quibus eadem fides & fidelitas famam peperit

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

immortalem? ubi nunc Lucilii & Bruti, quos par amicitia commendat? ubi nunc Pylades & Orestes, de quibus ita Ovid. (5) cecinit:

(5) Ovid. de Pont.

*Ire jubet Pyladem charum periturus Orestem,*
*Hic negat, inque vicem pugnat uterq; mori,*
*Extitit hoc unum, quòd non convenerit illis,*
*Cætera pars concors & sine lite fuit.*

B. Veri nominis amicitia extendit se in mortem & ultra.

Jurisperitorum axioma est, Amicitiam morte dissolvi. At dixerim ego, hoc ipso ex capite Amicitiam dici haud posse, qui morte dissipatur. Veri nominis amicitia in ipsam quoque se mortem extendit, imò ultra mortem excurrit; hinc actum esse credo de tali amico nos inter terrarum accolas investigando. Exeat orbe, qui talem amicum quæritat, cœlos ipsos penetret, ut reperiat numeris omnibus absolutum, à quo nec in morte deseratur, modò non ipse fœdus amicitiæ turpibus ausis disrumpat, suumque deserat Amicum. Talis est, ut verbô dicam omnia, Deus ipse Dominus noster & Salvator; hic hic nullum unquam ipsi per gratiam puro amore unitum hominem deserit, nisi antè per hominem Superis rebellem clemens Deus explodatur. Hanc thesin dum ex officio fusiùs exentero, solitam Auditorum patientiam imploro.

C. Probatur ex Script.

Consolamini pusillanimes, morbis fracti graves animi luctus compescite; fatis obruti mœstos timores proscribite; ærumnis exhausti aures atque animos in spem vitæ melioris ex Sacro erigite quotidiano, ubi toties Sacerdos intonat, *Dominus vobiscum.* Dogma est, non tantùm S. Patri Augustino (6) receptum, sed passim aliis etiam Patribus usitatum, *Dominus vobiscum, siquidem vos cum Domino estis;* hunc sensum binæ voces pariunt, ut certus sit homo, se à Deo suo neutiquam deseri, si modò ipse Deum suum non deseruit. *Adhoc*, verba iterum recito Magni Patris (7) Aug. *ut nunquam à te Deus tuus recedat, opus est, ut tu non a Deo tuo recedas. Noli cadere, & nunquam tibi occidet Sol* Justitiæ, Sol Misericordiæ divinæ. Idem cum Aug. intonat (8) Bernardus: *Fidelis Socius Deus est; non deserit sperantes in se, nisi prior ipse deseratur.* Binis hisce Oraculis etiam Conc. Trid. decretoria verba (9) socientur: *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Hoc tam certum est ex scripturis, ut nihil ferè sit, quod pluribus Oraculis cœlo lapsis firmetur quàm præsens assertum. In Historia Regum id pridem Azarias propheta populo inculcavit (10) Israëlitico: *Si quæsieritis eum, invenietis eum; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Eadem vox fuit Zachariæ palàm Regi Joas exprobrantis (11) *quare Dominum dereli-*

(6) S. August. l. de Nat. & Grat. c. 26.
(7) Idem tr. 2. in Joan.
(8) S. Bern. l. de An.
(9) Conc. Trid. Sess. 6. c. 11.
(10) 2. Paral. 15.
(11) 2. Paral. 24.

*dereliquistis ? nempe ut derelinquat vos ?* Idem professus est plurib
locis, Job (12) *tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Sem
est : fac omnes pauperculos ab euclionibus deseri, tu certè solus & unu
omnium eris providus parens, tutor & patronus, si modò tuo à lare
ne latum quidem unguem pauperie pressi recedant. Testatum id re
dunt tot millia, imò milliones Religiosorum, qui relictis omnibus pa
perem Christum secuti, ex piorum fidelium eleemosynis hanc in hora
vitæ annos in densam canitiem extrahunt. *Nec vidi*, pergit Jobus (
*justum esse à Deo derelictum*, aut fame confectum pauperem, qui tu
ex Deo suo per gratiam pependit, *nec derelinquet Sanctos*, quamdiu
sancti sunt vel sanctitatis tuendæ studiosi. Verbo : quidquid justus
ciderit, Deum habebit collateralem, qui justo suppetias ferat in omn
landis quibuscunque ærumnis. Nadasi auctore (14) quoties mag
in India angustiis aut fudoribus pro Deo fusis Xaverius premebatur, o
ties in paterna Xaverii domo toto corpore sudabat Crucifixus, servo
illacrimans, & Xaverio Indorum Apostolo in Europa compassus. T
tros in carceres justus compingatur ? *Descendet cum eo in foveam*, &
*vinculis non* (15) *derelinquet illum*, prout in veteri lege ad Josephum
discolis fratribus divenditum *descendit*, *eumq; à peccatoribus liberav
donec afferret illi sceptrum adversus eos, qui eum deprimebant*, evehe
Josephum ad principatum Ægypti. Sic post exhaustas calamitates tan
cula in sceptra, compedes in stolam byssinam, catenas in torquem a
reum, carcerem in regale solium clemens Deus convertit. Jose
Idem in nova lege ante alios expertus est Martyr ille, qui Petrus dictu
Dominicanæ familiæ decus & corona, quem ipse Crucifixus in carc
largo solamine perfudit, suô exemplô ad fortem patientiam horta
falsò per fratres delatum, & perperam carceris antro conclusum, pro
fusè in Tub. diximus Analog. p. 1.

(12) Job. 10.

(13) Job. 36.

(14) Nadas. in An. Cruc. hebd. 8.

(15) Sap. 10.

D. Deus sudat nobiscum, & in carceres descendit.

Imò si Deus pro suo in omnes universali dominio justum hom
nem Deique timoratum servum sine prævia culpa in Orci abyssum a
truderet, pœnis avernalibus plectendum, justus & innocens, amm
iam Orcô mersa diceret fidenter, quod ille mendicus Theologo ol
cùm ei hanc quæstionem proponeret enodandam ; dic homo, quid
ecturus aut facturus esse, si te Dominus majestatis in avernum d
geret ? respondit Numine plenus pauper : id Deus meus si faceret,
iam ut sic Deum meum binis brachiis meis amplexarer ; horum brach
rum alterum, sinistrum nempe, vera est humilitas, & hoc Christo D
mino fidenter subjicio, ac per ipsum sacratissimæ Humanitati ejus

adstringo: alterum idémque dextrum Amor est, quô Divinitati ejusdem Domini nostri Jesu Christi adhæresco; sic Deum meum etiam damnatus arctissimè complecterem complexu ita insolubili, ut si me sine peccato ad inferos præcipitaret, ibi certus essem, me sine Deo in Orco non hæsurum, imò ipsum etiam Deum mecum ad inferos descensurum; mihi autem longè optatius, longè gratius foret, in inferno cum Deo esse & amore illius, quàm in cœlis loco omnium amœnissimo sine Deo & gratia ejus deliciari. Plura de hoc mirabili mendicabulo ex industria conticesco, ne alibi dictis (in Tub. Anal. p. 1.) præsentes chartas expleamus.

Ex his omnibus ritè perpensis abundè constat, quàm grandem injuriam Deo irrogent, qui dicunt, se undique à Deo desertos sine prævia culpa fluctuare. Justi si fuerint, & sibi persuadeant, se à Deo desertos esse, quia innocui non unâ sed pluribus ærumnis affliguntur, gravissimè errant, & seipsos supplantant. Nunquam Deum sibi magis habent præsentem, quàm si afflicti sint & angustiati. *Anima afflicta Deo suo vicina est*, inquit Ephrem, de quo plura Elias Cretensis (16) in Lib. qui Doctrina Petri nuncupatur. Effatum Numinis est, à Spiritu S. profectum (17) *quem diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit.* Vnde ergò dici potest, deseri à Deo, qui recipitur à Deo, recipitur autem à Deo, qui flagellatur à Deo; ergò procul à Deo abesse non potest homo, nec Deus ab homine, quem Deus cribrat. Firmat hæc omnia vivaci asserto suo Tertul. (18) quem publicè scimus testatum esse, quod, nisi Spiritus sanctus cum Martyribus carcerem subintrâsset, nunquam carcerem Martyres ingressuri vel in eo duraturi fuissent. Si autem peccaminosi fuerint & flagitiis mersi decumanis, adhuc etiam hoc in statu sibi pessimè persuadent, se à Deo totaliter desertos esse, licet ipsi Deum dereliquerint, & graviter violârint. Deus, qui omnes vult salvos fieri, nullum etiam hac in vita peccatorem ita deserit, ut totum ab eo vultum avertat; neque ab eo totaliter unquam recedit, licet ab eo millies sit offensus; Nempe, quamdiu homo spirat, & aurâ vescitur mortali, tamdiu semper usum habet liberi arbitrii sui, tamdiu etiam à Deo, utut per hominem deserto, gratia sufficiente dotatur, per quam, si eidem liberè cooperetur, sicut potest cooperari, ad felicitatis terminum pervenire potest sperando ac pœnitendo; & hac ratione finalis gratiæ gratiam consequendo; & licet à Deo prævideatur, peccatorem nunquam eò propria ex malitia perventurum, sed sua in obstinacia moriturum & periturum; hîc tamen prævisio finalis malitiæ nihil obest libertati humanæ nec inde ulla necessitas libero hominis arbitrio in-

E. Dictum sacrilegum, quô Deus dicitur hominem deserere.

(16) Elias Cret. in l. de Doct. Pet.

(17) Hebr. 12.

(18) Tert. l. 16. ad Mart. c. 1.

fertur, non enim ideò in finali malitia peribit, quia id futurum à Deo prævidetur, sed ideò prævidetur, quia ex malitia propria in finali impœnitentia periturus est peccator; dicitur tamen à Deo deseri peccator; quomodo? si nempe homini graviter peccanti, benè operandi gratia efficax à Deo subtrahitur, vel quando ex infallibili præscientia sua videt eum utut gratiâ sufficienti instructum, nunquam ultrà è peccati cœno emersurum, sed in eo hæsurum & periturum. Hoc sensu Judæis hodie desertionem ultimam & finalem comminatus est: *ecce relinquetur domus vestra deserta*, quasi diceret: en populo insipiens & duræ cervicis hebræi, quo pede cepistis, malignari pergitis, tandem vestris in flagitiis moriemini, & ita mei desertores, etiam à me deseremini, ut faciem meam nunquam ultrà sitis in æternum visuri, pœnis post fata mersi sempiternis. Hunc ultimatum Dei ab hebræis discessum, seu ultimam desertionem ipso Pentecostes die Judæis fecit alta voce prænuntiari & intentari de quo Josephus (19) meminit, in Templo Ierosolimitano festa Pentecostes luce hanc vocem intonuisse sæpiùs repetitam, *migremus hinc! migremus hinc!* Nulli quam etiam peccatori, omnis gratia deficit divina, saltem sufficiens præstò aderit peccanti, cum qua, si velit, possit surgere; uni adeò peccantium ignaviæ & obstinationis vitio adscribetur, si tam opportunis non utatur auxiliis peccator. Nulla certe Solis aut imbrium culpâ steriles existunt lapides, sed sua ex natura & duritie obstinata, cùm videamus agros passim Solis & imbrium gratiâ fœcundos. Nemo proin Deum redarguat factæ desertionis finalis, quam sibi ne potiùs peccator adscribat. Pereat peccator? non ideo perit, quia a Deo desertus est, sed quia Deus ab ipso fuit derelictus, ita ut ipsi peccanti finalis impœnitentia debeat imputari, non Deo, qui etiam peccantem sua sufficienti gratia nunquam destituit, sed eum ut ut hispidum & rebellem ad ampliorem gratiam & gloriam eminus invitat; ut adeò perditio tua sola & unica ex te Israël oriatur, non ex Deo.

(19) Josephus l. 7. de bello Jud. c. 11.

F. Culpâ suâ perit peccator.

G. De Deo aliter loquens graviter punitur.

Qui aliter de Deo & divinissima ejus Clementia loquitur, de Deo hæreticè loquitur & in se iram provocat divinam, ut impœnitens moriatur, & æternùm à Deo, post fata obstinatè obita, verè ac realiter deseratur. Do rei hujus funestum simul ac terrificum Paradigma ex Aquitania petitum. Fuit ibidem ut annuæ (20) Soc. loquuntur, finem lapsi seculi Caussadæ opibus & fortunis locuples inquilinus; hic cùm gravi morbo premeretur, uxore ad lectum accersita, has in blasphemas voces erupit: an ergò Deus est, cujus Numine ac providentia res humanæ regantur? horruit ad blasphemos ructus femina, aliam

(20) Annuæ Soc. ad A. 1593. Hist.

olim & longè sanctiorem sententiam antequam lares patrios desereret, suis à parentibus Gallos inter edocta; hæc omnem quidem lapidem movit, ut virum ab execrabili atheismo deduceret, sed verba nil proficientia ægro dedit femina; cùm ergò nequicquam in mitiorem sententiam maritum uxor traheret, alium ex vicinia adduxit, qui potenti suada animô pelleret atheismum. Fecit officium rogatus, ægrúmque probè salutatum de Deo interrogare occepit, cui ocius morituriens: quid fratri frater occinis? video, quò tendas. Lusi femellam, à qua pariter te quoque video supplantatum. Falleris sociene: nunquam ita insanii, ut Deum esse nescirem, aut eum penitus ejurarem, at verò hoc tibi affirmo: quia Deus me deseruit, ideò viciſsim eum desero. Vix vocem hanc Orcô dignam evomuit, ecce, tota subito domus quassatur & enormis horror omnium animis immittitur, ut quanta possent celeritate, se foras proriperent; inde intermisso temporis spatio, ubi ex pavore animos receperunt, in tecta revertunt, ægrúmque offendunt jam extinctum, linguâ pariter diductis faucibus & naribus destitutum. Quæritur ex parva & innocenti puella, quæ una reliquis omnibus fugâ dilapsis, cum ægro remansit, quid tandem trepidante tota domo accíderit; hæc quid actum sequentibus explicuit: inter horridas ædis concussiones irrupit in cubiculum monstrum horrendum, informe, ingens, rictuque minaci terrificum, quod morientem naso truncatum & linguâ, mox compressâ in collo blasphema fauce exanimem dedit. His à puella narratis, ecce tibi denuò tecta concuti, cunctique certatim difugere &c. Hem celerem vindictam, quâ Deus ultum ivit blasphemiam protervis faucibus eructatam, deseri à se Deum, quòd à Deo esset desertus. Non passus est hanc notam Clementiæ inuri divinæ justus Judex, qui, ut, hactenus assertum est, ne quidem sui desertores totaliter deserit, sed eos gratia sufficienti fovet, retinet, & ad pœnitentiam exspectat. Ostendit hic sodes, quàm acerbè Deus sentiat, si dicatur, nos à Deo deseri, quæ tamen pluribus hodie vel modicè afflictis, communis est paræmia.

Quod olim ad Josue dixit misericors Deus, id in Josue omnibus fidelibus servis & amicis suis promisit (21) Deus: *non te deseram, non te derelinquam*; tu modò cave, ne Deum tuum deseras. (21) Jos. 1.

Pari modo, quod olim Patri gentium dixit Abrahæ (22) omnibus fidelibus animis Deus commisit: *ego ero Protector tuus*, seu, ego ero Scutum tuum, ut alii legunt, si tamen tuum etiam Deum Deíque gloriam tuis pro viribus propugnes. Notum est Alciati emblema de milite, (22) Gen. 15.

H. Deus Scutum est nostrum terrâ marique.

lite, qui ex scuto, quô hostium tela excepit, cymbam fecit, cui alveum pedibus impermeabilem trajecit, inde clypeum osculatus, hic inquit, verus & solus mihi âmicus extitit, *cùm premerérque solô, cùm premerérque salô.* Tale Scutum, seu potius talis amictum Abrahæ ac Josuæ & omnibus probis Deus est in omni tentatione ac persecutione; Hinc Philo cum aliis Judæis coram Cajo Caligula Cæsare ab Appione accusatus, quòd Cæsari divinos honores non contulisset, aulâ ejectus, sociis Judæis sequentia respondit: *Bono animo nos esse oportet, fratres mei, quibus iratus est Cajus, quia necesse est adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium.* Eusebio (23) teste. Hôc seu scutô seu amicô nixi, fidenter cum Psalmista (24) exclamamus: *Dominus mihi adjutor; non timebo, quid faciat mihi homo.* Hac spe, hac fiduciali amicitia perpetim animati, nihil, cum Chrys. timemus, quàm peccatum, quod Amicitiæ fœdus dirumpat Deum inter & homines pientissimè contractum, hic ut ne unquam per nos deseratur, in id seriò incumbimus, ne quidquam tantis amici gratiis indignum committatur; ita pariter spem ac fiduciam concipiemus, Deum neq; hic nos per efficacis gratiæ subtractionem deserturum, neque post fata totam Divinitatis faciem nôstris à flagitiis & flagitiorum auctoribus aversurum; quod ut omnium à cervicibus mitis ac misericors Deus avertat, hodie junctis vocibus Divum martyrem Stephanum imploramus, ut quòd nostris meritis consequi non valemus, eo potenti Patrocinio nanciscamur, divinissimi nempe Amici nostri præsentem assistentiam in vivis, gratiam ac gloriam ejus post mortem Deo ac Superis gratiosam.

Amen.

(23) Euseb. l. 2. histor. c. 5.

(24) Psal. 117.

I. Ubi deest auxilium humanum, adest divinum.




CON

# CONCIO VII.

# FESTVM S. JOANNIS

## Apoſt. & Evang.

*Hic autem quid ?* Joan. 2.

## Scelerum menſura.

Liceat mihi hac feſta luce plenam curioſitatis quæſtionem Divi Petri exemplô proponere & eventilare Opt. AA. Quæſiit ille, quid Joanni futurum eſſet, cùm divino ex Oraculo intelligeret: *Sic eum volo manere, donec veniam.* Arguit inde Petrus, dilectum Chriſti diſcipulum non moriturum. Criſin peracerbam Petrus retulit: *Quid ad te? tu me ſequere!* Ne parem criſin reportemus, utiliora circa Joannem hodie inveſtigemus. Quæ illa? Calicem palàm oculis noſtris proſtantem. Hic Calix quid portendit? totam curioſitatem noſtram Calix paſcat Joannæus, nunc ad usque fundum inveſtigandus. Madidi Siphones, ebrioſi bibones, calicum ſcyphorúmque malè ſani heluones, quibus idem fuerit vivere quod bibere, viſo calice Joannæo in memoriam revocabunt grandes cratéras, ſpumantes páteras, & cryſtallina vitri pocula, quibus jam hunc jam illum humi deponere mens eſt, & vivum tumulare Lyæo. Hôc certè ſeculô nimis exulceratô eòusque reproba compotatio excrevit, ut neſciant ſat ineptos calices excogitare, quibus alios in amentiam devolvant. Uno ut faſce complectar plurima, bibitur hoc ævô ex uvis & utriculis, ex pyris & pomis, ex calceis & ocreis, ex libris & atramentariis, ex cornibus & bombardis, ex trullis & laternis, ex morionibus & ruſticellis, ex equis & aſinis, ex porcis & jatis, ex gallis gallinaceis & mille aliis delirantium bibonum adinventis. Sic ratio humana ſepelitur, ſic vita mortalis ſimul & immortalis truncatur; ſic Religio luditur; ſic urbes & Respublicæ ad ſui ruinam & excidium fatale præcipitantur. Proſtaret hic loci campus ampliſſimus temulentos vini gurgites largo ſale perfricandi, ut ſaperent, ac noviſſima ſanctius rimarentur. Illos Verbi Divini præcones, qui ebrios lurcones rarius per annum ſuo ex

A. Quid Calix denotat in manibus Joannæis?

B. Nil inde bibonibus defertur.

(1) S. Aug. Serm. 232. de Temp.

pulpito castigant, graviter redarguit (1) Aug. quem juverit audire: *Idcò charissimi tanta infelicitate je homines inebriant, quia putant ebrietatem aut parvum aut nullum esse peccatum, sed pro hac ignorantia in die judicii rationem reddent Sacerdotes, si commissis sibi populis, quæ & quanta mala ex ebrietate nascantur, assidue noluerint prædicare.* Utitur S. Pater terminô *assiduè*, ut ritè tanta pravitas eraderetur. At verò cùm sciam hoc hominum genus Dom. 2. post Epiph. Tub. Trag. & Clem. Tub. vero Echon. Dom. 5. post Pasch. ex instituto cribratum esse, non est, quòd ulteriùs hic loci subsistam, ut ebrios pectam glutones.

C. Vini Joannæi Benedictio prodigiis plena est, si nullis abusibus polluatur.

Alii pio sub prætextu ex Calicis Joannæi obtutu Benedictionem prensant & prædicant Joannæam, antequam vale ultimum amicis dicant. Verum est: antiquissima traditio est & Ecclesiæ pientissima consuetudo, si nullo abusu contaminetur, quâ vinum hoc die & alio quocunque in Dei ac Divi hujus Apostoli, qui toxicum bibit illæsus, honorem & gloriam certis quibusdam precibus contra magicas artes & impostoras benedicitur. Creditur passim, nullum potum nobis innoxium, quem cum memoratâ benedictione absumimus. Ritus ille bendi aut valedicendi carpi non potest, si fiat cum debito honore ac reverentia in Deum ac divos Cœlites à sobriis. Bernardo (2) teste poculo hujus in morem benedictô etiam à morte ad vitam plures sunt reducti; at

(2) S. Bernard. in vit. S. Malachi.

nullus est usus utut pius & laude dignus, quem non multiplex abusus commitetur, ita sanè hic bibendi, seu potum coronandi ritus in pravitates degeneravit. Ausim dicere, sæpiùs urgeri non *Benedictionem* Sancti Joannis sed *maledictionem* ejus, quæ toties iteratur, ut totus ille dem corporis truncus fractis pedibus humi defluat. Fuit, qui hanc

D. Hodie Benedictio illa rectius dicitur maledictio, aut diabolicum inventum.

bibendi ritum ita depravatum, *diabolicum* diceret *inventum*; nec malè enim alio stratagemate mensæ socius & frater ultrà induci non potest, bibat amplius, hoc sub Benedictionis pallio, vinô usq; adeò stomachum onerat, ut ubivis locorum impingat. At neque hanc fucatam libertatem petulcitatem proscindere mens est; rectiùs id suo tempore Tub. præstabit ruralis vel anagram. quàm Tragica. Quid ergò Calix defgurat, quem sacris manibus ostentat Deo dilectum caput Joannes?

E. Ebibit ut Martyr Calicem Domini Joannes.

Dicent ascetæ, rerum spiritualium Magistri, ac Joannem hoc num tanquam inclytum Bibonem, ad cœlos usque laudibus extollent. Dicent, ideò Calicem exhiberi, ut ostendat, se Calicem suum fortiùs ausis perpetim epotâsse; per hoc tamen vobis aut gulæ vestræ nihil cri accrescit, ebrii gulones. Quem ille Calicem intrepidus hauserit, Roma fidelium mater patefacit. Extat Romæ locus, ut refert (3)

nel. Sacellô insignitus, in cujus pariete D. Joannes in olei bullientis dolio sedens depingitur cum hac inscriptione: *Joannes Christi Apostolus, Propheta, & Martyr è dolio ferventis olei vegetior prodivit.* In adverso verò pariete hæc inscripta leguntur Carmina: (3) Cornel. in Apoc. proœm.

*Martyrii Calicem bibit hîc Athleta Joannes,*
*Principii Verbum cernere qui meruit.*
*Verberat hunc baculis Proconsul, forfice tondet,*
*Quem fervens oleum lædere non potuit.*
*Conditur hîc oleum, dolium, cruor atq; capilli,*
*Quæ consecrantur Roma vetusta tibi.*

Ex his, nî fallor, abundè patet, qualis bibo fuerit Joannes, sacer nempe & Evangelicus. Bibo fuit, qualem probavimus fuisse Jacobum festô ejus Tub. Anal. bibit Calicem Domini, quem ei Christus propinavit dicens: *Calicem quidem meum bibetis.* Hunc Dominicum Calicem ita exhausit Joannes, ut passim hodie Martyrum choro inseratur, quem licet sicca morte defunctum tota hodie Ecclesia tanquam verum Martyrem colit, ob haustum veneni, & dolii fervente oleo pleni subitionem, atque alia magnô numerô tormenta, quæ causæ secluso miraculô vim tormenti præpediente, centies debebat mortem conciliare Joanni; quin ipse Joannes hôc titulô gaudere videtur. Ita certè de se loquitur in Apoc. (4) *Ego Joannes frater vester & particeps in tribulatione & regno & patientia in Christo JESV. Fui in Insula, quæ appellatur Patmos, propter Verbum Dei & testimonium JESV Christi*, ubi in græco textu pro voce *testimonium* signatè ponitur vox *Martyrium.* Quid & quantum hac in Insula, quæ appellatur Patmos, in medio nationis pravæ passus sit Joannes, ibi videbimus cùm in Josaphatæa valle *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur*, pius & patiens ad gloriam etiam corpori participandam, impius ad gehennam. Roma mater hanc in horam æquè S. Joannis, quàm SS. Petri & Pauli Martyriô gloriatur, teste Tertull. his (5) verbis: *Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt;* ubi Petrus Passioni dominicæ adæquatur; ubi Paulus Joannis Baptistæ exitu coronatur; ubi Apostolus Joannes, postquam in oleum igneum immissus est, nil passus est, in Insulam relegatus. Taceo speciale Joannis Martyrium, reliquis omnibus majus, gravius, portentosius, cùm sub Cruce stando doloris gladius non corpus tantummodò Marianum & Joannæum, sed ipsam utriusque animam penetraret, ut adeò Deo morienti compatiendo & (4) Apoc. 1. (5) Tertul. lib. de Præscript. c. 36.

do & commoriendo, parem cum ipso mortem subiret. Dicitur ex hoc actu Deipara Martyrum Regina, cur non pariter regio titulo pari ex causa Joannes condecoretur? Quid & quantum sub Cruce passus cum Matre Virgine Joannes, paucis explicuit (6) Bernardus his verbis: *Dum hæc pauca Deus diceret, Ecce Mater tua, Ecce Filius tuus, illi ad Deo dilecti lacrymas fundere non cessabant. Tacebant ambo Martyres & præ nimio dolore loqui non poterant. Isti duo Virgines audiebant Christum voce rauca & semiviva loquentem, ipsi videbant paulatim morientem.* Et mox: *Amabant flere, & flebant amarè. Amarè flebant quia amari dolebant; nam gladius mortis Christi animas utriusq; transibat, transibat sævus ille, vus perimebat utrumq;.* Hic hîc Calix fuit Dominicæ Passionis, Calix ille & absynthiô plenus, Calix mœroris & multiplicis ærumnæ, quem usque fæces in tumulum ore prompto, hilari, lætabundo Joannes hausit. Hunc hunc Calicem omnibus ac singulis exhibet hodie Joannes, crucis & ignominiæ Calicem, qui si pariter per ævi nostri bibones fuerit exhaustus, spondeo juro, patientiæ ac fortitudinis præmium recipient sempiternum, Calicem vitæ melleum, lacteum, Nectare plenum divino & cœlesti Ambrosia sine fine fluentem. Sed quid proclamus margaritas ante porcos? quid terrarum filiis cœlestia occinimus? video, pergunt heluari & grœcari curvæ in terris animæ ac cœlestium inanes. *Homo animalis non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei* (7) præsentibus gulæ illiciis absorpti, ne quidem oculos sursum attollunt, ad pastum cum belluis abjecti.

(6) S. Bern. in lament. B. V.

(7) 1. Cor. 2.

Alium proin Calicem quæramus, quem huic carnalium gulonum generi Joannes exhibeat. Quem illum? dicamus, Joannem nostrum Calicem, quem repræsentat, ex hesterno Evangelio transumptitiè, eodem in cap. p. 23. Matth. unde haustum erat (8) Evangelium hesternum, Scribis & Pharisæis hypocrisin & ambitionem, gulam & avaritiam Christus exprobravit, unà ei prædixit, brevi patrum mensuram in ipsos implendam, adeóque Ierosolimam funditus vastandam, ut non lapis supra lapidem sit mansurus. Hac interminatione nil aliud Christus quæsivit, quàm ut memorati Scribæ pravos mores suos seriò emendarent, Mensuram scelerum per vivacem pœnitentiam deflerent, ab Jerosolimis cladem ultimam maturè proscriberent; id cùm factum non sit, mensurâ scelerum completâ Titus irruit, & contumaces filios bræos ultricibus pœnis confecit. Hanc hanc Mensuram nostris flagitiis à Deo decretam, probè hodiè Bibones expendant, cùm Calicem Jonæum eminus intuentur. Crapulâ manè alterô edormitâ sobrii re-

(8) Matth. 23.

F.

Calix quem ostentat, mensuram scelerum inculcat.

gitent, quid illis Calix intonet Joannæus? & quousque tua scelerum Mensura ascenderit bibo, gulo, lurco, lavernio, fortunæ ac famæ procax dilapidator, monitorum omnium petulans elusor, Dei ac hominum reprobus contemtor? quid si per hodiernam ingluviem & supinam ebrietatem, per hodiernas Veneres, luxuriantes choreas, generis feminini commercia adulterina, ultimum complementum Calix tuus acciperet, & hinc ad plures in temulento strepitu migrares? quorsum quæso enormiter crapulatus, tot insuper spurcitiis & iniquitatum portentis obrutus avolares? Vno casu toto cœlo excideres Orci victima, & locum biberes phlegetontæum, si hac tunc ebrietate ultima, his spurcitiis mensuram tuam expleres.

G. Dari talem mensuram, ex Script. probatur,

Habent, ut ex Script. certum est, Regna singula & Regiones, singulæ Provinciæ ac Respublicæ, singulæ urbes & oppida, singuli homines viri feminæ certam peccatorum mensuram à Deo decretam, quam si compleverint, vel communi quadam calamitate nationes obruit, vel privatis æruminis singulares hominum personas ultrice pœna Deus exterminat extirpat; conflatur adeò hæc mensura ex determinato scelerum numero, quem Justitia divina cuivis populo & nationi imò cuivis homini præstituit, unde impletô numerô reos castiget, nisi vel emendatione morum vel insigni pœnitentia Dei vindicem manum prævenerint peccatores. Nempe! sicut certos habet intensionis gradus caloris dispositio, antequam lignum exardescat; & stata rotarum opus est circumvolutione, antequam horæ signum audiatur, ita suos sibi fixos limites peccata sortiuntur; quos si attingant, justus Judex grandi Supplicio percutit & proscindit Peccatores, quod ipsum Scriptura vocat *Scelerum Mensuram* à Deo observari solitam ut ex Oraculis patet divinis. De hac mensura distinctè meminit Isa: (9) his verbis: *In mensuram contra mensuram, cùm abjecta fuerit, judicabit eam*, quasi diceret: justus es, ô Deus, & justa sunt judicia tua, modum enim suppliciorum flagitiorum modo admeturis. Per eundem Prophetam ipse Deus sic loquitur Cap. (10) seq. *Ponam in pondere judicium & justitiam in mensura.* Quid multis? ipse Deus sic olim dixisse legitur Abrahamo (11) *Necdum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum;* ubi juxta vulgatam versionem paulò post (12) sic loquitur Script. *Clamor Sodomorum completus est, & peccata eorum magna vehementer completa sunt &c.* ut proin plena eorum mensura ad Pentapolim pice ac sulphure inflammandam Vindicem Deum irritaret. Hanc ipsam *Mensuræ* vocem Christus heri primùm usurpavit (13) cum ad extremum

(9) Isa. 27.
(10) Isa. 28.
(11) Gen. 15.
(12) Gen. 18.
(13) Matt. 23.

H.

Uno sæpè flagitio mensura expletur, quò illô? nemo scit, ergò singula fuge.

populi Judaici excidium alluderet, dicens: *Implete mensuram Patrum vestrorum, ut veniat super vos omnis sanguis justus.* Quando autem hæc scelerum mensura per nos expleatur, & quod ultimum illud peccatum sit, mensuræ hujus complementum, sciri non potest, nisi ab eo, cui uni futura æquè ac præsentia patescunt. Id nempe hic quoque loci locum habet, quod nobis pridem gentilis Seneca (14) occinuit: *Nescis, quô locô te mors exspectet, tu eam omni loco expecta.* Omne tempus omnis annus, omnis mensis, omnis hora, horarúmque momenta nobis sint suspecta: quid si hoc adulterium, hæc lascivia, hæc crapula rancor iste & aversio, hæc fraudulenta iniquitas mensuram meam compleret, & me tot aliis flagitiis coopertum sisteret æternitati &c. hæc proin singulis vivamus, quasi singulis esset momentis multiplex fœdi funebri pœna expiandum. Deum in numerato habere omnes nostras pravitates, & positâ tandem ultimâ, quæ mensuram expleat, etiam Orcô reos proscindere, pluribus posset Exemplis demonstrari.

(14) Sen. ep. 26.

I.

Probatur ex ebrio Siphóne, quem in decima ebrietate Scyx rapuit.

Unum duntaxat ex millenis produco, idque in bibonum gratiam, ut tandem desinant malignari, & gulæ suæ forte injiciant lupatum. Dedit hoc pridem S. P. Cæsarius (15) de quodam Temulento, quem ut clemens Deus potandi efferam ingluviem dedoceret, ei comminationem exhibuit horridam, execrandam. Vidit, non in raptu aut in extasi, sed in revivum dæmonem, alio quodam ebrio glutone ad æterna gehennæ supplicia raptando operosè distentum. Obvium habuit daemonem iste Orci caput Luciferum, qui mox raptantem adortus, palám intercipere bat, ubi hanc Orci prædam captâsset! jam ex tempore datum responsum excipite, & malô sapite alienô reprobi bibones: *in decumana ebrietate.* Quid hoc rei AA. ambigua Vox est, Vox *decumana* obiter explicanda. Cum ut plurimum in rerum natura soleat evenire, ut decima quæque sint maxima, passim hodie pro *magno* sumitur *decumanus*. Ita Cæsar (16) porta *decumana* sumitur pro *maxima* porta. Ita Vegetius (17) dicuntur *decumana*, quæ omnibus aliis majora sunt, quia ut fama fert reliquis majus ovum nascitur decimum. Sic & fluctus vocantur *decumani*, qui reliquos magnitudine superant, de quo ipse (18) Ovid.

(15) S. Cæsarius l. 12. hist. mem. c. 41.

(16) Cæsar l. 3. Bell. Gall.

(17) Veget. l. 1. c. 13.

(18) Ovid. l. 1. trist. el. 2.

*Qui venit hinc fluctus, fluctus supereminet omnes,*
*Posterior nonô est, undecimóque prior.*

Juxta hunc loquendi ritum vox *Decumanus*, numerum decimum importat, sic dictum, quia reliquis major esse creditur. Quidquid [illegible]

vox ista, hinc guloni *decima* ebrietas fuit *decumana* & aliarum maxima, quia per hanc numerô *decimam* vidit Orcus mensuram biboni expletam, quâ ipse jus in ebrium à justo Judice Deo transsumpsit. Numeravit ergò Deus hujus lurconis flagitia & ebrietates. *Decima* numerô ita mensuram scelerum & flagitiorum calicem opplevit, ut in Orcum pravitas diflueret, & in sceleris vindictam Dæmonem provocaret; rectè adeò dixit Alastor, *in decumana ebrietate*, quæ omnes alias pessimo fine ac interitu Bibonis coronaret. His auditis, dixit Lucifer: huc ergò bibosum caput devolve, ut affatim bibat. Sic datô quasi signô, maximô numerô dæmones accurrebant, eúmque in diversa enormi violentiâ raptatum, grandibus plagis multabant, ori ejus liquatam picem & fumans sulphur infundentes, & cachinando perpetim boantes: diù sitiisti, jam sitim exple Sipho bibule! Vidit hæc semiebrius traho, & mox rei veritatem exploravit, num ille vicinus suæ in crapula obiisset necne? vix ædium limen attigit explorator, audiit omnia intus luctibus & lacrimîs oppleri, funus ædium patroni tota domo deplorari; re probè inspecta, scalis in ebrietate sua delapsus letho datus est & Orco, corpore in terris relicto, donec animæ focis, stygiis addictæ magno judicii supremi die paribus pœnis cruciandum societur. Disparuit quidem visio, at is qui præsens tragædiam spectavit, omni temulentiâ serió valere jussâ, totis viribus sobrietatem amplexus, in perenni abstinentia & jejunio vitæ residuæ annos consumavit, cavens identidem, ne per hoc vel aliud quodvis flagitium mensura expleatur, sed modis potius omnibus satagens & laborans, ut per opera pœnitentiæ totus iste scelerum calix depleatur. Hist.

Possem pluribus aliis peccatoribus sua in peccati specie ób oculos ponere mensuram per unum scelus expletam, & secutam otius Dei Judicis gravem Vindictam; at hodie statui solis bibonibus ex occasione Joannæi Calicis mensuram proponere *decumanam*. An autem omnibus ac singulis *decima* sit ebrietas Calicem expletura, prout hic eum complevit, frustra quæritur & exploratur, cum id uni Deo sit compertum. Optimum ergo fuerit & consultissimum omni ebrietati & crapulæ serió nuntium remittere, & animô ritè perpendere, quod suprà innuimus, quid si hoc Peccatum, quod patrare mens est, esset ultimum? Quid si hæc Pravitas omnibus aliis coronidem imponeret, sed stygia? Absit itaque, ut tanto scelere Deum irritem & animam flagellem. Ad nihil tam proni sunt bibones quam ad casus; at væ illi, quem casus tangit

K. Videtur adeò quodvis peccatum, quia fortè hoc ultimum est mensuræ tuæ complementum.

tangit insanabilis, unde nunquam ultrà resurgat! Væ illi, qui explet scelerum mensurâ in manus incidit Ultoris Dei! *horrendum est incidere*
(19) Hebr. 10. *in manus Dei viventis*, inquit (19) Paulus, quia casus iste ut plurimùm æternantium flammarum inextinguibiles titiones importat. Pro comperto habeant omnes, quod olim vulgò Veteres dictitabant: Lanceo Jupiter habet pedes, ac seriùs subinde diphteram suam inspiciens, facta ponderans & mensurans, Vindictæ tarditatem pœnarum acerbitate, suppliciorum æviternitate, tormentorum numero ac multitudine compensat &c. Quam omnium â cervicibus grandibus meritis actententi patrocinio Divi Joannis Apostoli & Martyris, Evangelistæ Prophetæ, Virginis & primarii Ecclesiæ Doctoris &c. permotum Numen misericorditer avertat!

Amen.




CON

# CONCIO VIII.

## Festum Circumcisionis D. N. J. C.

*Vocatum est Nomen ejus JESVS.* Luc. 2.

## Stygis invocatio.

DIxerit olim Trismegistus Ægyptiorum hypodidascalus, Divinitatem anonymam esse, neque ullo unquam nomine exprimi posse AA. Verba illius Lact. (1) recitat *Deus est Anonymus*. Idem dixerit Dionysius (2) Areopagita : *Divinitati proprium & conveniens nomen non est*, certum tamen est, Hebræos olim decem Nominibus Deum celebrâsse, seu illius potiùs Attributa divina rudi mundo detexisse, licet nullum propriè Nomen vel fingi posset, vel excogitari, quô ejus Natura ad vivum depingeretur. Dei nempe natura tantæ immensitatis, tantæ infinitudinis est, ut ne sermone quidem prolixo explicari valeat, nedum nomine. Sicut porrò innominabilis Deus redditur, ita pariter inexplicabilis Deus homo prædicatur. Compositum hoc divinum, naturam simul divinam & humanam, in persona infinita junctam unà & subsistentem, variis quidem nominibus, jam Emanuelis, jam Admirabilis, Consiliarii, jam Patris futuri seculi & Principis pacis &c. Prophetæ (3) decorarunt. At his omnibus una prævalet appellatio JESVS, divinitus prædefinita *priusquam in utero conciperetur*, ut textus loquitur hodiernus. Hujus augustissimi Nominis 20. Prærogativas promit Barradius, benè multas ipse angelicus (4) Doctor Thomas allegat. Huic sacerrimo Nomini omnes orthodoxi fratres omnem excogitabilem cultum deferunt & reverentiam. Per totam certè Ecclesiam catholicam eô auditô caput aperitur, ad illius Icones genua flectuntur, figuntur oscula, Sacra evolvuntur, & horaria precum officia recitantur. Ita certè D. Paulus (5) perorat : *Deus exaltavit illum, & dedit illi Nomen, quod est super omne Nomen, ut in nomine JESV omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum.* Quærit D. Bernardinus in publicâ Concione (6 unde Apostolo cognitum fuerit, cœlestium genua lunari audito Nomine JESV ? & respondet, raptum esse D. Paulum ad tertium cœlum, quo in raptu sive in corpore, sive extra

(1) Lact. l. 1. Instit. c. 6.

(2) Dion. Areopag. l. de Div. Nom. c. 1.

A. Omnibus Dei Nominibus prævalet hodiernum JESVS.

(3) Isa. 7. & 9.

(4) S. Thomas 3. P. q. 37. a. 2.

(5) Phil. 2.

B. Cultus hujus Nominis ubique viget.

(6) S. Bern. Serm. de SS. Nom.

tra corpus Deus scit, cùm ad Christi sui gloriam admirabundus JESV Nomine toties ore receptum, inclamâsset, Divam Virginem filio suo assidentem, se protinus in genua projecisse, mox idem à S. Josepho, & si qua aliorum Divorum corpora in cœlo essent beata, palàm factitatum, ab Angelis item, quorum multi vel corpora vel corporum imagines assumpsissent; inde à Paulo tam asseveranter scriptum esse, ad JESV Nomen cœlestium genua inflecti. Quidquid sit de hoc pio magis quàm solido Bernardini asserto, certa tamen est S. Pauli sententia, quam qui terricolas inter amplecti noluerit, eam tandem cum inferis experiri cogetur. Obmurmurant passim hodie hæretici reverentiæ augustissimo huic Nomini exhibitæ, nec desinunt catholicam pietatem ore maledico allatrare & dilacerare, quasi soli Deo debitæ adorationi multum inde detractum esset. At verò si Deo juxta illos omnis honor deferatur, cur non par honor etiam Deo Homini deferatur? & si Deo Deoque Homini ritè cultus impenditur, cur non etiam Dei, Deique Hominis Nomini suus ex æquo cultus impendatur? quid hac ipsa luce singulis annis, Calendis Januarii actum sit Nomini Tamerlani Scytharum imperatoris, passim compertum est. Fuit Tamerlanes origine Bubulcus, Fulgoso (7) teste, ex bubulco factus est equiso, ex equisone fur abigeus, ex abigeo latronum dux, ex duce latrociniis infesto Massagetarum copiarum Præfectus, ex Præfecto Massagetarum, defuncto rege, Reginæ viduæ nuptus, ex Rege magnus Scytharum Imperator, Victor Bajazetis Turcæ quem captum aureis catenis caveæ inclusum circumduxit, & equum ascendere coëgit climacis vicem subire. Barbarus iste Imperator quotannis hoc die Nomen suum aureis literis grandi scuto inscriptum, palàm toti exercitui sub conopéo exposuit, ut publico ritu coleretur. Id si Barbari suo Imperatoris Nomini detulerunt, cur non parem cultum Dei Hominis Majestati ac Nomini ejus deferamus? quæ grandium virorum Nominibus publici honoris testificatio adhibeatur, hunc in modum discet. (8) Seneca: *quidni ego Virorum magnorum imagines habeam, animi excitamenta? quidni eorum natales celebrem? quidni illos bonoris causâ semper appellem? Si Consulem videro aut Prætorem, omnia, quibus honor haberi solet, faciam, equò desiliam, caput adaperiam, semitâ cedam. Quid ergo? M. Catonem utrumq; & Lælium sapientem, & Socratem cum Platone, & Zenonem, Cleanthémque in animum meum sine dignatione summa recipiam? ego verò illos veneror, & tantis Nominibus semper assurgo &c.* Hem! Catillis si Nominibus tam civilis reverentia si exhibetur, quidni Augustissimo JESV Nomini religiosissimus cultus exhibeatur quem Dei Homo

C. Coluit olim hodie quotannis nomen suum Tamerlanes.

(7) Fulgos. l. 3. c. 4.

(8) Senec. ep. 64.

D. Et alii.

nis exigit majestas ? rectè adeò à militibus hoc venerabile Nomen pro amuleto gestatur ; rectè ad ædium nostrarum parietes , ad equilium valvas , ad tectorum culmina contra veneficia suspenditur. Commendatur hæc pietas à Laur. Justin. Proto-Patriarcha Veneto his verbis : (9) *In arduis , in periculis , in terroribus , in domo , in via , in solitudine , in fluctibus , ubicunq; extiteris , Salvatoris profer Nomen.* Non ideò voculæ aut literulis seu literarum apicibus tantam vim inesse dicimus , ut ardua pericula superentur, ut tàm diurni quàm nocturni terrores dissipentur. Nullus Catholicorum tam vecors est , qui literis nudè sumptis tribuat virtutem. Tota virtus ab illius potentia excipitur & speratur , quem significat vocula , quem literæ significant. In JESUM confidimus , cùm sacerrimum ejus Nomen tanta cum reverentia enuntiamus. Deo autem hanc fiduciam oppido gratam esse, ipse quotidianis beneficiorum experimentis testatur.

(9) S. Laur. Just. Serm. de SS. Nom.

E. Ergò idem cultus rectè Divino Nomini adstruitur.

Urgebatur per magnæ infirmitatis molestias , majori cogitationum contra Ven. Sacramenti fidem molestiâ S. Franc. Salesius ; hic semel tantùm JESU Nomen mentaliter efformat , & ecce protinus importunæ cogitationes vanuerunt. Suppositi ægri parentis pulvillo JESU Nomen chartæ inscriptum Gregorius Turonensis ; mox ægro tota sanitas revertit. Romualdos , Simeones , Antonios , Hilariones , densæ cacodæmonum catervæ adoriuntur , & ecce ad tremendi Nominis unicam invocationem omnia Orci terriculamenta quantociùs dissipantur. Celsus, olim improbus hæresiarcha Catholicos incantationis redarguit, quam vel hodie nobis identidem nostri etiam temporis heterodoxi objectant. Pexuit Celsum Origenes (10) & dixit : *Si qua incantatio nos inter datur , qui dicimur orthodoxi , alia non est , quàm Augustissimum Nomen JESV ,* quod nempe toties ore ac calamo iterabat antiquus dierum Origenes *Dominus meus JESVS &c.* Sunt sacrorum Codicum interpretes non pauci, qui cùm Virgam illam Mosaicam , tot prodigiorum operatricem virgam suspiciunt , palàm affirmant , Virgæ illi jam tunc sacerrimum ac prodigiosissimum hoc JESU Nomen insculptum fuisse , inde tantam vim ac virtutem ad solvendas magorum præstigias , & omnem naturæ facultatem prodigiosis operibus superandam accrevisse. Experientiâ sanè docet quotidiana inquit (11) Justinus, quantum sit Nominis JESU in Orcum & totam in naturam imperium. Hanc experientiam publicè Arnobius allegat Lactantii (12) Præceptor his verbis : *Cujus Nomen auditum fugat noxios spiritus , vatibus silentium imponit , haruspices reddit insolitos , arrogantium magorum actiones frustratur.* Lustretur hanc in

F. Placet Deo cultus iste, & prodigiis firmatur.

(10) Orig. l. 1. cont. Celsi.

(11) Justin. Apol. ad Antonin.

(12) Arnob. l. 1. cont. gent.

rem Scriptura, & dabit ex tempore hujus experientiæ ſpecimina. Dum
(13) Act. 16. Paulo energumena offertur (13) & ecce in ictu oculi ad Sacroſancti hu-
jus Nominis invocationem hoſpitis Orcini conſuetudine liberatur. Pa-
(13) Act. 3. medio ſanitatem priſtinam claudus (13) recepit per Apoſtolorum Prin-
cipem Petrum. Ex eo tempore hanc in horam ſacerrimi Nominis hu-
jus prodigia continuârunt, unde noſtra omnium in Chriſti auguſti-
ſimum Nomen accenſa eſt fiducia, & novum hauſit robur pietas chri-
ſtiana. *Unum præ cunctis fama loquitur opus.* Necdum annorum Cen-
turia difluxit; Annuæ perhibent Indicæ Soc. fuiſſe gentilem puerum,
qui âquis illapſus jam mortis erat victima. Videbant caſum Chriſtiani
ex litore, qui ocius cùm fato luctanti ſocio acclamabant: JESU Nomen
Hiſt. intona, Deóque fidem promitte orthodoxam! Paruit conſilio puer,
jamjam undis ſuffocandus, & ecce novum Nominis prodigium! mi-
aquæ illæ latæ & altæ in ſolidum marmor rubri coloris abibant, ut ſicco
pede in litus gentilis puer excurreret, & ſuis cum parentibus luſtrum
Baptiſmi aquas urgeret.

G. Eant nunc perfidi Judæi, & ſuis è libris JESU nomen ſacrum
Notæ in eos, qui perpetim diabolum inclamant. unguibus eradant; præmant hebræorum veſtigia hæretici noſtri, qui
JESU nomini uſque adeò parcere videntur, ut ab eis vix ſemel audiatur
hoc ſanctiſſimum Nomen enuntiari. Nullum mihi negotium eſt vel
cum pertinacibus Judæis, vel horum germanis fratribus hæreticis; illos
illos ego Chriſtianos, illos ego nomine tenus Catholicos hic loci com-
pello, qui linguam auguſtiſſimo huic Nomini conſecratam, & in
ſacri lavacri fonte chriſtiano ſale conditam, Orci nomine ſine
conſpurcant, & nonniſi Diaboli nomen ore perfido frequentant. Pu-
deat Catholicum tam pravæ conſuetudinis compellandi perpetim Dia-
bolum. Mos iſte ſcandali ſimul & periculi plenus apud multos
fidei domeſticos ita hôc ævô inolevit, ut vix ullus hodie ſermo
tur, vix ullum alteri encomium pangatur, cui non ſua Stygis
intrudatur, cui non pro rationis firmitate execrabilis diabolimo
getur. Quocunque aſpicias; nil tamen hoc tempore uſitatius
quam ut dæmon & diabolus ore continuo volvatur; ſi autem
(14) Matt. 12. Scripturæ aſſerta, *ex abundantia cordis* (14) *os loquitur*, Deum bonum!
quam numeroſi dæmones in ore ac hominum lingua nidulantur! quis
putet quis, quoties unô anno, uno menſe, una hebdomade, uno
die Diabolus nominetur, imo ſæpe mille diaboli, integræ ſæpe
bolorum legiones ab unô colligentur. Quid ſi jam tota
mille homines hanc pravam teneant conſuetudinem? quot

urbs replebitur? citari non debet Diabolus; impudens est & ultrò irruit; quod si etiam vocetur, potestatem accipit largiorem veniendi Deum immortalem! tantis sæpe sudoribus laboratur, ut ex obsessis hominibus diabolus proscribatur, & multi imo pæne innumeri ultro suam in perniciem tot diabolos accersunt! imò servis suis, filiis suis, uxoribus & maritis ac sibimetipsis tot repetitis vicibus diabolum precantur & imprecantur! an nôrunt homines isti, quid sibi vel aliis imprecentur, cùm toties horridè vociferantur: hunc vel illum Diabolus rapiat! vel auferat me Acheron, si mentiar &c. mortem si imprecaris tibi vel alteri, pauperiem, vulnera, ossium fracturas, anginam & fatum nescio quod, nihil est huic uni collatum; quem enim Diabolus rapit, quem unguibus suis comprehendit Dæmon, eum & valetudine spoliat, & vita privat, tandem etiam flammis addicit sempiternis. Cur quæso tantoperè te vel carnem tuam, liberos odisti, ut tibi & illis tam horrida impreceris! imò quid tam atrox vel homo inimicissimus patrare potest, ut tantis suppliciorum portentis gestias scelus compensare? quantum Deo hæc Dæmonem provocandi vecordia displiceat, & quàm celeri vindicta triviale hoc scelus proscindat, Exemplis patet quamplurimis, ex quibus hodie unum duntaxat vel alterum in apricam lucem educo, ut discant singuli sanctius nomen linguâ evolvere, qui hactenus pessima consuetudine inducti nonnisi Diabolum Diabolum, vel etiam mille Diabolos, ubi unicus abundè sufficeret, ore impio, ore sacrilego despumabant. Extat quidem rei hujus evidens Paradigma apud (15) S. P. Aug. apud (16) S. Thom. Cantiprat. apud (17) S. Cæsarium; at cùm lapsis jam seculis acta sint, à nonnullis inter vetustatis rudera perperàm locantur, quasi verò quod cana ætas confirmat, minus fidei mereatur, quàm recentioris memoriæ factum; cùm potius ipsius fidei firmamentum ab annorum & seculorum canitie desumatur.

Fuit hôc primùm seculô in oppido Provinciæ juxta maritimam Anticorum Raynaudo (18) teste 15. an. puella, quæ cùm matri suæ inter prandendum procacius obstreperet, post mutuos verborum jactus audiit tandem à matre supra modum exacerbata: à tot dæmonibus obsidearis, quot pisorum grana comedisti; hanc enim escam ad prandium adhibebant. Nec mora: ad matris vocem immensa vis immundorum spirituum puellam occupavit per tres annos ibidem stabulata: inde primùm sedibus suis proscripta, & in Orcum saccis exorcismis repulsa. Viennæ Allobrogum pagus est cui nomen Pinet; ibi hôc ipsô etiam seculô iræ impotens mulier filiolum triennem continuò flen-

(15) S. August. l. 22. Civ. c 8.
(16) S. Thomas Cantiprat. l. 2. p. 3. c. 55.
(17) S. Cæsarius l. 11.
(18) Rayn. in prato hist. 12.

H. Audit clamantium vota diabolus in perniciem nostram.

Hist. flentem placatura diabolo addixit. O liberi undiquaque miseri, si nati estis parentes impetuosos & stygiis execrationibus addictos. Nulla in puero signa morbi apparebant, valens potiùs ac vegetus esse videbatur; ut primùm tamen infelix mater execrationis diabolicæ verba complevit, filiolus velut fulmine ictus, humi funus corruit, & matri perfidæ immensum cordolium, astantibus verò maximum stuporem injecit. Quas pœnas inconsulti dicti sui parens dederit ira prædominante in præceps actus nobilis, refert (19) Delrio. Do verba cautati Authoris: fuit nuper in Silesia nobilis quidam Satrapa, qui cum statò die plures convivas suam in arcem invitâsset, hora autem prandii jam instante, facto undique grandi apparatu, nullus ex convivis appareret. Arcis Patronus & mensæ adipalis instructor, irâ succensus, hæc verba erupit: veniant ergò omnes Diaboli, si nullus hominum mecum velit convivari. His dictis, foràs prodit visurus, an non invitati hospites eminus accelerarent; unà iram concocturus templum petit, & pastorem suum audit è pulpito pro more declamantem. Hæc inter adversa ædium parte magnô numerô nigri equites approperant, aream occupant propylæum, & mox domestico vernæ imperant, suum ut dominum ocius inquirat, eique significet, jam hospites adesse, domum properè revertat. Currit ad Ecclesiam servus undique consternatus, & hæc hero suo notificat, qui nescius consilii pastorem consulit. Pastor hoc ocius consilium dictat afflicto, ut tota ejus familia tota domo exeat, quod cùm properanter fieret, famuli & famulæ arce migrarent, solus forte infantem & in cunis dormientem in cubiculo relinquunt. Ecce hausti ædibus dæmones intus comessari occipiunt & vociferari, ac per patentes fenestras jam ursorum, jam luporum, jam vulpium & aliorum, jam canum ac felium formis prospicere, imò etiam pocula ex alto monstrare vinô repleta, pisces, assaturas. Ecce quàm prona nostrum perniciem dæmonum provolet caterva, si Deus in exerrantis linguæ dictam vota expleat pejerantium. Hæc cùm ipse Nobilis & loci pastor tota cum vicinia in spectaculum effusa viderent, pater infantem extra castelli parietes relictum, conclamat adeò: ah ubi infans meus! Vix questus suos exsolvit parens, unus ex diabolis de fenestris infantem exhibet ulnis stygiis incubantem & ejulantem. Hôc viso, à fenestrâ totus abire pater, & ex animi deliquio humi fluere; sibi reditus omnem lapidem movere, ut orcinis unguibus lectissimum infantem submoveat. At quibus id mediis evincat? Habuit suos inter famulos Nobilis iste vernam, eúmque fidelissimum, religione Catholicum

(19) Delr. Disq. mag. p. 1. l. 3. q. 7. s. 2.

qui solus fidem hero probavit, eique operam suam quin & vitam impendit; hic herum ad se ex deliquio reversum his verbis affatus: age, inquit domine mi, si placet, vitam ego meam Deo meo committam, in Nomine Domini arcem lemuribus infestam solus ingrediar, & omnem conatum adhibebo, ut auxilio ac beneficio Dei salvum recipiam infantem. Lætus hôc nuntio herus clavem arcis vernæ tradit, eiq; ter felicem reditum apprecatur. Servus Crucis signo iteratis se vicibus obarmat, Deóq; plenus amplas subit ædes. Vt aulam attigit, in qua totus erat Orcus ad mensam congregatus, procidit in genua sua, séque iterum Deo ac Deiparæ commendat. Fusis precibus Cruce munitus ac rosario, tandem forti dextra januam aperit, vidétq; Dæmones horrida specie ad mensam sedentes, alios stantes deambulantes, alios & uno mox impetu accurrentes & vociferantes: hui hui! quid tu hic locorum, mastygia? Sudabat quidem totis artubus verna, divinitus tamen hoc in articulo confortatus, animos resumit, & Dæmonem illum, qui ulnis suis infantem gestabat his verbis affatur: ehodum alastor, infans iste purus est ab omni scelere, quo ergò jure animam labis nesciam tibi vendicas? mihi trade innocuam prolem. Dixit hæc, & unà Nomine JESU palàm prolato infantem apprehendit quem ocius audito JESU Nomine ulnis suis Orcus dimisit, nil aliud cum sociis vociferatus, quàm: Huc nebulo, nobis redde infantem, aut te vivum discerpemus. Servus autem minas stygias fortibus ausis explodens abiit incolumis, & infantem pariter incolumem patri restituit. Unà quoque tota Styx evanuit, ut in ædes denuò tota cum familia sua Nobilis posset immigrare. Sic quam domum nullus subire ausus est, vel purgare, famulus repavit catholicus. Si herus cum suis post tam evidens fidei testimonium suis in delictis vitam protraxit, duplicem meruit vindictam. De illius conversione nihil memoratur. Id tamen ex dictis documenti loco eruitur, quo fructu Augustissimum JESV Nomen in quibuscunque gravibus ærumnis & Orci assultibus invocetur; quô periculô & præsenti exitio nostro teterrima consuetudo Dæmonem compellandi contrahatur. Claudo sermonem hodiernum & in Strenam Auditoribus meis dico, dedico hoc prodigiosissimum, hoc Augustissimum, hoc Divinitate plenissimùm Nomen JESV.

*Ecquis adhuc alio quærat sub Nomine Numen?*
*Nomen ad hoc Erebi squalida regna tremunt.*
*Quisquis es, incertis cui mens labat anxia rebus,*
*Id si Nomen amas, spes rata vota dabit.*
Amen.

CON-

# CONCIO IX.
# FESTVM EPIPHANIÆ.

*Vt & ego veniens adorem eum.* Matth. 2.

## Herodiana Politia.

(1) Cornel. in ep. c. 2. S. Jac.

A. Plures ex Catholicis damnantur ob falsæ politiæ studium.

COrnelius in Can. S. Jac. Ep. (1) quæstionem movet curiositatis plenam & utilitatis, an nempe plures, ex Catholicis salventur, an damnentur? eámque piè simul ac doctè per problema resolvit hôc modô; solos si Catholicos accipias, rejectis Gentilibus Saracenis & Hæreticis, credibilem plures ex Catholicis adultos damnari. Hoc assertum solos ad Catholicos directum 5. solidis argumentis probat, roborat, quæ inter meritô tertium quod sequitur allegatur: plures ex Catholicis damnantur, quia plures animô & linguâ, verbô & factô fovent principia politica & vitiosa, quibus à puero innutriuntur & immoriuntur; seu quodcunque fuerit Festo accommodum præsenti, quia magnô numerô passim & diè etiam Catholici vestigia premunt Herodiana Opt. AA. Quis fuerit Herodes, non omnibus fortè compertum erit. Fuit Herodes politicæ veritatis strenuus assertor. Quæras cum Pilato (2) *quid est veritas politica?* dico paucis, ea est, quâ cum aliis creticè loquimur, quâ altiora sublinimus, quâ alios splendidè decipimus & supplantamus. Rogo inquies, vel avus est vel atavus, vel proavus vel tritavus avernus Machiavelli Herodes? Rem acu tetigisti: Non ovum ovo est tam simile, quàm similis sit Herodes Machiavello, Machiavellus Herodi. Dele, camus utrimque lineas parallelas, & unà lustremus quo tandem fine coronata sit Politia Herodiana.

(2) Joan. 18.

(3) Philo L. Chronol.
(4) Jos. Ant Jud. l. 17. c. 8.

Philoni si credimus (3) fuit Herodes obscuris natalibus ortus, genus Asmonaim, inde in templo Apollinis ad Ascalonem ædituus prodominit (4) Josephus è tenui fortuna per vim & fraudes ad regimen evectus, nulla Dei rerúmque divinarum habita ratione, in id diu noctúque intentus, ut per fas & nefas capitis nefasti trabeam firmaret, ævi nostri pseudopoliticorum alpha & oméga, cui tritum illud Cæsaris lemma ore simul & à corde profluxit: *si violandum jus est, regnandi causâ violandum*

*dum est.* Et alterum: *Cui pellis non sufficit leonina, ei assui debet vulpina.* His gradibus ex imo in altum grassatus, multos Urias Davidis instar blandè affatus, Bellerophontéis literis instructos neci dedit & extinxit, ut pravis animi desideriis omnes habenas tutius laxaret, sublatô illô, qui posset vota improba remorari, Philo ait, per eum in regni aditu 70. judices interfectos, unô Babâ reservatô, cui oculos eruit, ut per aliorum funera sibi vitam firmaret in ævum, corraso unde unde vanissimo prætextu vel proditionis vel rebellionis in Cæsarem suscitatæ, cùm neutrum subsisteret. Ut autem probè capiatur, qui fuerit hodiernus Herodes, paucis obiter lineis hujus Ardelionis avernalem genium depingimus. En ut fraudulentum & clancularium veri rimatorem egit versipellis sycophanta! *Audiens autem Herodes Rex, Judæorum Regem natum esse, turbatus est, & omnis Jerosolima cum illo.* Timuit nempe, ne qui per fraudes in alienum Judææ regnum irrepsit, à Messia, regnô iterum deturbaretur. Cum eo Jerosolima turbatur; qualis enim rex, talis grex. Regis ad exemplum tota se Jerosolima composuit, Scribæ maximè ac Pharisæi, pravitatibus immersi millenis, Magnatum perfidi palpones. At vanus erat timor iste ac verè frustraneus, cujus rationem dat (f) Fulg. *Rex iste non venit reges pugnando superare, sed morien o mirabiliter subjugare; neq; ideò natus est, ut Herodi succederet, sed ut in eum mundus fideliter crederet.* Cùm tamen regno suo ex hoc recens nato Rege timeret, antè statuit prognatum jugulare, quàm in virum adolesceret, more tyrannis omnibus recepto, qui compares è medio tollunt, ut securiùs dominentur. Sic multò antè legitimos regni hæredes partim dolo, partim aperta vi occidit, & in illos omnes gravissimè desæviit, ut paulò superius memoratum, quos in regno sibi assecurando credere poterat obicem posituros. Quæ una etiam causa fuit, cur in vicinia Bethlæa latiùs sumpta 14. millia parvulorum occideret, ut sc. inter eos Christum etiam Judææ Regem jam natum interimeret. Hunc in finem multa ex Magis regibus clanculò quæritat Herodes, & cùm stellæ motum fundítus explorâsset, alio in conclavi, etiam ex principibus Sacerdotum, Scribis literatis ac legum Doctoribus solicitè scisciatur, ubinam Christus nasceretur, qui omnes *Bethlehem* pro Dei habitaculo divinis ex Oraculis designabant. His erutis, *mittens illos in Bethlehem dixit: ite & interrogate diligenter de puero, & cùm inveneritis eum, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* Credi poterat gaudiô animum subsultare, cùm ex reditu certum nati Regis nuntium captaret, *ite & renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* En politicum sed impium, sceleratum, qui

B. Primus falsæ politiæ Magister fuit Herodes.

(f) S. Fulgent. Ser. 1. de Epiph.

apertè fingit, se illum esse, qualis revera non est. Talem quisquis politicum refert, multis simulationum involucris naturam tegit in fraudem & numerosos perfidicæ actus resolutam. Dixit impostor, *ut & ego veniens adorem eum*, qui sicam interim transfigendo infantis pectusculo parabat. O quot hodie vestigia premunt Herodiana! dicite quis hic ævô ex animo candidè loquitur & germanè? quis nil unquam falsi vero miscet? Coram Friderico Cæsare Casp. Schlickius Bohemiæ Cancellarius palàm edixit, se tandem illa in loca terrarúmque plagas abiturum, quæ his stimulationum larvis & fucatis hominum monstris penitus vacua essent. Cui mox Fridericus: ergò ultra Saurámatas aut glacialem Oceanum tibi erit abeundum; sed cùm eò etiam veneris, necdum omni simulatione remotior locus carebit, si modò & tu homo, & non Deus es.

C. Herodiana politia ubique grassatur.

Ænéa Sylvio (6) teste inter mortales nemo est, qui non aliqua ex parte fictus est aut fucatus. *His vitiis nemo sine nascitur, optimus ille, qui minimis urgetur.* Horatio (7) autore. Est autem totius pravitatis malum facilè capitalior, quàm illorum, qui tum, cùm maximè fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur. Malus cùm se bonum esse simulat, pessimus est; & periculi plenior res est, si, qui oderunt, animi spumantis rabiem contegant, altè interim æmulationis vel offensæ memoriam recondant, quò fit, ut læsi subinde larga in obsequia descendant, ut media inter amicitiæ jura tutiore fraude, ac tectione officiorum simulatione in arcebi rancoris objectum grassentur. Ita lupinam scrobem florida fronde amictus cespes vestit, tegit; ita letale venenum melle circumlitum auripigmento obductum dulcoratur & illustratur. Canunt cum Herode pseudopoliticorum Antesignano ævi nostri palpones hodie: *Amen mille jam peractis, nulla fides est in pactis. Mel in ore, verba lactis, fel in corde, fraus in factis.* Herodes etiam in hostes Magos Reges, novi Regis nuntios officiosus extitit; non læsit advenas, licet nuntii essent invisi propalatores; excepit peregrinos amicè, ut tantò certiùs Christum perderet; fidem in parvis servavit callidus veterator, ut eam in magnis commodiùs violaret. Misit hospites extraneos in Bethleem cum prolixæ fidei & securitatis patentibus literis, quibus urbis portas etiam concubia nocte voluit reserari; valedixit amicè abeuntibus Magis, & domum in aulam reduces invitavit, inventô & adorato Rege redirent, & ipsi nuntiarent, ubi locorum cœlô lapsus Princeps pacis coli posset & adorari *ut & ego veniens adorem eum*, cùm tamen actu jam sicam exacuens, quâ propria si posset, inventum Regem transverberaret, & letho commendaret. En iterum pseudopoliticum tenebrionem? eluset Deus perfidos con-

(6) Æn. Sylv. Coml. 1.

(7) Horat. in Ep.

conatus & Magos per aliam viam ad patrios lares reduxit. Hôc auditô, mox fremere Tyrannus, concuti, turbari, expedire milites, lactenti ætati bellum indicere cruentum, inauditum, & 14. millia parvulorum ferrô perimere, ut hôc mediô certus esset, de nece novo etiam Regi per suos carnifices illata. Hîc tandem insolens protervia pedem fixit, ubi tot animulæ vivis è corpusculis sunt proscriptæ.

D. Infelix obitus Herodis.

Nunc quem finem nactus sit tyrannus iste pseudopoliticorum princeps, obiter exponamus. Implevit per hoc infanticidium scelerum suorum mensuram; vix sanguinem fudit innocuum trux barbarus infanticida, futurus etiam Christicida, quantum in ipso erat, Dei Summi celerem sensit vindictam. Quinto die ab hac horrida parvulorum cæde primitus febri, tussi, & dysenteria, inde podagra, hydrópe, & quod caput est, phtiria si seu morbo pediculari, verendorum putredine, astmate, & intolerabili fætore percussus animam sanguinolentam, animam pseudopolitico ritu nonnisi fallere doctam, in tetram Stygem evomuit, vivus à pediculis corrosus. Hanc Numinis vindictam omnes hodie fraudum figuli, & avernalis politiæ reprobi sectatores, Dei hominùmque perfidi lusones, seu ut verbô dicam omnia, christiani Atheistæ extimescant.

Jam ad alteram paralleli lineam transeamus, visuri, quàm parilis fuerit Herodi Nicolaus Machiavellus, quem hodie velut Semideum colit, amat, prædicat & sectatur pseudopoliticus orbis sacer & profanus. Hoc prævio duce numerô propè innumerô ad tartara ruunt politici nostri. Si quæras, qui genus unde domo fuerit impostor iste, bipedum nequissimus Iavernio, stygiæ politiæ orcinus faber, pauca ex innumeris conglobatim accipe. Æquè ac Herodes tenui ex fortuna in altum emersit factus ex Scribacio florentino Regum & Monarcharum repentinus Magister, aulicorum ævi nostri ter execrabile Breviarium, malorum principum mendax horologium, centum fulminibus dignum caput; his novam hactenus & inauditam, imò inter Dæmonum adyta fabricatam mille dolis & fraudibus hirsutam statûs politici disciplinam, in odium pacis & concordiæ, in destructionem juris & justitiæ, in conculcationem fidei & Religionis Catholicæ, in exterminium naturæ Orbi christiano invexit; hinc omnium in se animos, calamos etiam acatholicos excivit, fulmine suo ab Ecclesia damnatus, & in ordine infamium Scriptorum in Indice prohibitorum librorum positus, & quidem in fronte ac prima classe locatus. Sub hedera speciosæ Politices nil nisi summam nequitiam orbi vendidit, nil nisi palliatam iniquitatem mundo propinavit.

E. Non est ovum ovo tam simile ac Herodi Machiavellus.

pinavit. Natus est quidem in Italia, & in patrio solo Florentiæ tam reum visus concepit, sed conceptum in Gallia evomuit, ubi sua sa entiæ politicæ portenta cum enormi plausu disseminavit. Sustulit medio prima virtutis, pietatis, religionis & amicitiæ humanæ prin pia, quorum in vicem putida substituit, omnis fidei ac honestatis eve siva. Sustulit arbitrii humani libertatem, Numinis providentiam, a mæ immortalitatem, fatô & fortunâ regi omnia palàm vociferat Nulla hæresis tantas clades Reip. Christianæ invexit, quot exitialis h politici statûs disciplina. Nulla flagitiorum pestis tot animas in ave barathrum demersit, quot hæc una novi atheismi mundo intrusi lue Orcum præcipitavit.

F. Stygia dogmata Machiavelli.

Docuit palam avernalibus libris suis, quod pridem ante Herodes p ecticavit. Do aliquam hic loci dogmatum stygiorum promulsidem, ex bus velut ex ungue leonem colligas. Juxta hujus lavernionis principia unum est sapere si personatus totâ vitâ incedas, si omnia in speciem e pedias, si omnia ad fucum elabores, & nil penitus ad veritatem lo ris. Juxta hæc principia unum erit prudentiæ caput cunctos falle cunctis insidiari, Deum ubique, si commodum fuerit, exterius p texere, interius irridere, sui se numen constituere, ad se unum q quid agitur referre, virtutem in publico mentiri, vitia in cordis re ditullio venerari, inexplebili avaritia mundum devorare, lites se re, discordias excitare, omni ex parte machinationes extruere, hum tis manibus amicitiam fingere; cùm verò res & occasio dictat, p bè ulcisci quem odisti, & omnem humanitatem exuere. Juxta ha ima è Styge protracta principia satis est, si pietas, religio, & humani simuletur, tunc maximè, cùm grandis aut commodi spes affulg Juxta hujus incarnati diaboli doctrinam, necessitas cùm tulerit, imp pidè peccandum est. Datæ fidei habenda ratio est quamdiu commo dum est, hôc sublatô, rumpitur cordatè ac dilaceratur. Quò diversu venti, eò sensim sine sensu obverti debet navis, ita cum castis caste, cum incestis incestè, cum sobriis sobriè, cum ebriis ebriosè, cum Cath licis catholicè, cum hæreticis hæreticè, cum Atheis Atheisticè viv dum est. Injuria tibi tuisque facta talione vindicanda est. Ingr rius & infamis est, qui cum non facit. Duellum si offertur, acc ptandum est, ne honor perdatur. In conviviis cuilibet ad aqua haustus properanter respondendum est, ideóque totus homo in altiu gratiam & sanitatem inebriandus, & protrita ratione beatificandu est. Vita & fortunæ propugnari debent mordicus etiam cum dispendio Legis divinæ. A fato & à fortuna aguntur omnia & diriguntur, ergo

providentia divina nulla est. Subditos inter alendæ sunt continuæ factiones; sic tutò in eos summi Proceres grassantur & libidinantur. Princeps, qui opes suas augere, & imperii fines statuit ampliare, artem mentiendi & fallendi addiscat necessarium est. Credatur firmiter, nullum ex animo amicum dari, sed nec ulli ex animo deferenda est familiaritas, ita tamen singulis blandiendum est, quasi singuli amentur. Surgendum est transeunti, locò cedendum est obvianti, honoris & amoris tituli affatim repetendi, licet animus iis arum fluctuet æstu. Ante omnia consuli debet statui politico, prolibus & familiæ. Ut statum retineas, ut augeas honorem, modis omnibus enitendum est, nec curandæ sunt vel Dei vel Ecclesiæ leges, si obsistant. Fraus omnibus est necessaria, quicunque parvis ex initiis crescere conantur, quæ tantò minùs turpis est, quantò quis magis eam poterit operire, & quæsito prætextu occultare. Anima humana eâdem cum bruti anima mortalitate, in sui nihilum cadit, perit; ergò nec cœlum datur, quò boni præmientur, nec avernus, quò pravi puniantur. Ita Deus è cœlo proscribitur, cujus providentia uni fato attribuitur. Ita pulsa formidine pœnæ in scelus aguntur improbi, & extincto virtutis & abjecto immortalis præmii amore, nullis ultrà stimulis ad bonum excitantur, nullis ultrà frænis à malo abstrahuntur &c. Sufficiant pauca, ubi prostant innumera. Et his quidem principiis à recta fide, à literis divinis, à sanctorum Patrum decretis, à ratione, à natura, & à sancta veritate tantoperè alienis, hanc in horam pseudopolitici nituntur. Ad hanc Machiavelli regulam actus suos & consilia metiuntur; & quia hæc dogmata, hæ tartareæ leges apud benè multos vicem subeunt, Decalogi divini, accidit prò dolor, ut semel animò hausta hæc Errabi principia, vix unquam toto vitæ decursu ponantur aut rejiciantur, ne quidem in confessionali sacro; quia ubi de puncto honoris, de lucro, de commodo, de bursæ ac nominis augmento agitur, ibi nec Deus curatur nec Diabolus, nec Conscientia, nec Infernus. Quidquid contra hæc detonent Ecclesiastæ, ab his Dei ac divinorum Dogmatum ludionibus constanter exploditur & ridetur. Quàm similis sit Herodi Machiavallus nisi fallor, ex dictis claresci. Quod Herodes practicavit, id Herodianæ politiæ assecla Machiavellus per suos pestilentes libros toti pænè mundo instillavit etiam catholico, utinam non sacro quoque ecclesiastico & religioso; hinc rectè superius memini ex Cornelio, nos inter, qui Catholici dicimur, plures adultos damnari, quia plurimi hodiè his avernalibus principiis in præceps aguntur, indigni, qui nomen ferant christianum, rectius Atheistæ vocandi, quia illorum quamplurimi atheorum Magistrum, seu atheismi publicum Doctorem pronis auribus hauriunt,

& impiissimi nebulonis genium pravis ausibus æmulantur. At veri sicut vidimus, quàm turpi obitu suo pseudopolitiæ suæ pœnas dederit justo Deo, à vermibus corrasus Herodes; ita nunc pariter lustremus, quo fati genere Satanæ minister extinctus sit Machiavellus.

G. Miser obitus Machiavelli,

Paucis totum expedio. Cælum ejurans, Deum blasphemans reprobum spiritum suum in sinum Luciferi, cujus regnum tantoperè ampliavit, collô per Orcum obverso evomuit, eructavit. Metuant parem exitum æmulatores ejus & discipuli, servi hujus Atheistæ nebulonis & servuliani, qui hunc avernalem Magistrum perfidè sectantur, stygias illius leges & statuta identidem manibus terunt, juxta hos phlegetontæos fontes suis cum subditis agunt malitiosè, libris hisce rectius Vulcano dicandis suas decorant Bibliothecas, insuper habito fulmine ecclesiastico in hujus Authoris lectores, & à fortiori in perfidos ejus asseclas per latam excommunicationis sententiam fulminato. Scio evidenter & doleo, quot & quantos Viros etiam moribus claros, etiam religione illustres, hic atheorum Herodianus magister incocârit. His ego nunc coronidis loco Comitem referam, quem legibus athæis ad duplicem corporis & animæ interitum Machiavellus magister adhuc vivus instruxit. Sapiant Comitis exitiô residui hujus sycophantæ discipuli & tartareas illius leges adhuc hodie fortiter ejurent. De fide facti, quod narrare aggredior, nemo dubitet. Exhibita est tragœdia hæc publicis scœnis Ingolstadii in Boica lapsis annis, nunquam sanè in theatrum publicô spectaculô proditura, nisi totius historiæ fides fuisset integra & intaminata.

H. Et discipuli ejus.

Obtigit Machiavello in disciplinam claris natalibus ortus & avitis Comitum stemmate perillustris Adolescens natione Gallus. Leontium dicunt Ingolstadienses periochæ. O sanè miserum discipulum, qui nactus est tam diabolicum magistrum! quid boni ab eo discere potuit, qui totus erat vitium, Orci excrementum. Politiæ legibus supra obiter tactis ita innutritus est, ut paulatim juxta leges politicas omni lege solutus, in omnem libidinem præceps rueret Comes. Una ei regula fuit, nullis regulis constringi, & qua data porta, in omne scelus efferari; ita cùm sibi uni & pravis affectibus suis servaret, omnibus domesticis, omnibus vicinis factus est oppidò gravis, quin verò Deo etiam intolerabilis, cujus divinissima Majestas quotidianis inter flagitia ita eviluit, ut omnem illius providentiam suo cum magistro abnegaret, donec horribilibus pœnis multatus, damnô suô discerem Deum dari, scelerum vindicem & immanis perfidiæ ultorem. Instrumenta

Hist.

forte sybaritico luxu splendicans convivium Comes, ad quod multos pariter illustres convivas invitabat. Jam status dies regalis mensæ illuxerat, jam gulæ illicium facturus Comes urbis pomæria obambulabat, ecce casu cæmeterium transgressus, juxta viam humi jacentem calvariam offendit. Palluit ad tristem depilis globi aspectum Comes, atque mox iterum ad obtutum ita tragicum offensus, more recepto tumidas exarsit in iras; his turbidus calvum caput impio calce protrivit, in re maximè seria etiam humi jacens caput eo pænè ritu, quô olim pueri male sani Elysæum lusisse leguntur (7) *ascende Calve* &c. petulanter affatus: ehodum Calve, dic, si potes, & pauca quæstionis puncta resolve: anne verum est, quod passim spargi solet, nostrô corporis antrô spiritum concludi mori nescium, quo præsente totum corpus vivificetur, quo migrante extinguatur? is si corpore mactato non pereat, sed vitam extrahat infinitam, dic, ubi locorum post fata hæsitat? an porrò altero in orbe aliqua datur æternitas? an ibi ad severum tribunal Deus Judex sessitat? an ibi piis merces aliqua deputatur, & pœna sceleratis? hæc pœna num temporaria est, num semper duratura? hæc & alia cùm politicus Comes amaro cum splene vomuisset, nova protervia eaque in auditâ mortui hominis calvariem, etiam ad mensam suam systaritice instructam & pluribus convivis illustrandam joci gratiâ invitabat, eum in finem, ut inter dapes & pocula, more olim gentilibus recepto ad positas quæstiones evidens responsum daret. Nihil quidem præsens calvaria audacissimo nebuloni respondit, at quanti steterit Comiti hæc insolens provocatio, mox patescet. Sic ergò sine resolutione ad quæstiones reposita, quam credit impossibilem esse, Leontius abiit & recessit. Domum delatus jam in unum congregatos convivas amicè salutatos, mensæ adhibuit. Factum est initium adipali epulo, & communi omnium gaudio. Illata sunt mensæ fercula lauta, regia; currebant in orbem grandes pateræ, fœcundi calices, aurei crateres, nectare pleni & ambrosia; læti omnes: vivat, bibat! Leontio acclamabant tantæ lætitiæ promocondo, accinentibus suaviter phonascis & flatolpis. At vix umbilicum tenuit licentia convivandi, en malum malorum maximum, spectaculum vix unquam in Gallia visum, triste cumprimis & luctuosum, genialem mensam turbavit, evertit; ut nempe & hîc sacrum illud vaticinium expleretur (8) *extrema gaudii luctus oc cupat. Tenent tympanum & cytharam & in puncto* (9) *ad inferna descendant.* Mel subito in fel, in absynthium nectar migrat & ambrosia. Accurrit ad Leontium herum suum tremulo pede, pallido vultu & palpi-

(7) 4. Reg 2.

(8) Prov. 14.

(9) Job. 21.

palpitante lingua famulus lateralis, aitque ante ædium fores vivum mortui hominis simulacrum prostare, & ingressum urgere. Nunc fatali pænè omnes convivas exanimari videas, antequam novum hospitem oculis spectarent. Excitabat quidem singulos Leontius, sed horrorem animô præconceptum nec minuit, nec abstersit. Risit solus Comes atheismô infectus, qui nec Deum crederet, nec orcum, nec orcum, donec expertus disceret Robertus, dari singula dedit adeo in mandatis alteri famulo, ad omnem proterviam pos co ritu abjecto lurconi, ocius ut monstrum examinaret, unde ædes tempore tam importuno, & quid sibi vellet invisa larva? imperata procax verna, mox tamen è vivo mortis simulacro intellex hero suo diceret, se ab eo cœmeterium transeunte ad mensam invi tum esse, & licet non condixerit, nunc tamen præstò esse accersitum ut heri votis faceret satis, & ad positas quæstiones super mensam di currendo responsum daret desideratum. Hæc cùm Leontius audisset memor, quid ad calvariam dictum esset, expalluit nonnihil, mox ta men vitro grandi metum diluit, atque iterum alios hôc vernâ pes res, hôc audaciores famulos dimisit, qui hominis mortualis larvam suis ab ædibus profligarent, eique dicerent nullum his hospitibus a cum in mensa prostare; alios unà properè dimisit, qui fores aditus probè observarent, & pessula omnia fortiter obducerent, si fortè vo lentis ausibus aditum quæreret turpe spectrum. Sed vana fuit sine vo bus ira; quis spiritum mole corporea destitutum remoretur? clausis ja nuis murum & chalybem illæsis seris penetrabit; hic uno flatu fore bus & seris immisso, ultrò dissiliebant repagula, viámque referebant tremendo hospiti. Ascendit illicò per scalas horribilis larva, cœnacu lum irruit, magnis passibus ad Leontium contendit, & illius se latus proximum applicuit ossea hominis larva. Vix locum tenuit negotium jussit totum consessum cepta prosequi, gulam raris dapibus explere, Leontii salutem spumantibus cyathis ad fundum exhaurire. Mul tum temporis difluxit, inquiebat larva, ex quo nullum ego cibum, nullum potum gustavi, nunc ergò longam plurium annorum inediam hic loci resarciam. His dictis, osseis manibus grande poculum ra ptabat, & bibere cepit Leontii sanitatem, inde alios omnes ad simi haustus accendit. At nemo fuit ex omnibus convivis, qui præsentem bibonem sequi vellet, quin potiùs id unum spectabant singuli, quibus technis tanto se discrimini maturè subtraherent; sic unus post alte rum è triclinio aufugit, ut solus tandem Leontius & magister cum

Machia-

Machiavellus cum mortuali larva in mensa relinqueretur. Causæ suæ cùm diffideret Machiavellus, ipse quoque totis viribus abitum ursit & obtinuit, Leontio frustrà rogante, ne hoc in articulo discipulum suum Machiavellus desereret. At surdo fabulam; abiit, excessit, erupit, evasit Machiavellus, alteri fato à justo scelerum Vindice reservatus, & fugâ pariter dilapsus, omni ope ac consilio Leontium destituit. Voluit quidem aliorum omnium exemplô properis pedibus salutem in tuto locare Leontius; at quocunque Comes fugeret, fugienti se larva tota objecit, violentè ad fores penetrantem manus ossea comprehendit, his verbis præsentem Leontium affata: en præstò est, quem hodie ludicra invitatione ad præsentem mensam evocâsti, adest modò is ipse, cui per immanem jocum & audaciam in mandatis dedisti, ut super mensam quæstiones à te positas resolverem. De illis ergò sequens cape responsum: per mortem temporaneam non omnia in homine moriuntur; vitam suam alterum in Orbem migrans à corpore anima transportat, ibi æternùm victura vel inter Cœli gaudia, vel inter Orci tormenta, prout sententiam ex urna hauserit divina, quam nulla unquam ætas, nulla potestas evertat. Noli asserti hujus firmitatem in dubium vocare, hæc tibi juratus eloquor, & Altissimi jussione coactus. Qui genus, unde domo sim, nôsse si cupis, en meos lares patrios & vitæ in vivis exactæ splendidam conditionem tibi fidenter detego. Probè hanc exsanguem & continuo ex osse fabricatam structuram suspice. Sum ego tibi proximo sanguine junctus, sum ego avus tuus, ergò tu nepos es meus, sed heu! uterque nostrûm male fausto sidere prognati ad pœnam, ad gehennam. Calvariam nobili tumulo Styx eruit & pedibus tuis objecit. Meis ego iniquitatibus, blasphemiis, pauperum pressuris, ac plurium scelerum horrifico acervô focos merui æternantes, & utinam his aliquando in cineres anima mea combureretur! at verò ignis meus inextinguibilis est; anima mea immortalis est, vita in perenne tormentum identidem renovatur. Hôc vitæ inter ignes perpetuandæ decretô me justus scelerum vindex Deus ex alto fulminavit, nunc propediem te quoque nepotem meum fulminaturus, qui hanc in horam protrita sanctiori disciplina, sine ratione, sine lege, sine Deo, sine conscientia, abominandis te flagitiis contaminâsti, & vitam duxisti exlegem, quasi nec Cœlum nec Orcus daretur; & huc quidem nunc tibi erit ex tempore abeundum, sanguis meus, nunc vita tibi tota cum æternitate mutanda; ne verò tibi grave sit iter tam prolixum in æternitatem aggredi, en faciam ego, ut totum viæ spatium brevi compendio

absolvas, meis illuc brachiis deportaberis. Dixit hæc avernalis umbra, & mox Leontium expansis brachiis amplexas cognatas inter manus tu-pidantem & luctantem, ita fortiter vicino parieti allisit, ut cerebrum sanguinolentum muro adhæresceret, totius tragœdiæ vivax argumen-tum. Redibant postliminio stupore, ac horrore pleni convivæ, vultu vestigia muro impacta; at cùm nil uspiam de corpore compareret, ca in sententiam omnes abiêre, à spectro illo corpus simul & animam Orcum abrepta esse.

Adesse modò pseudopolitici mangónes, Herodis posthumi M chiavellistæ, Atheistæ, & vestri commilitonis cerebrum muro affu suspicite. Hanc vitæ coronidem pseudopolitici metuant, qui hôc a ad diabolicas Machiavelli leges ita vivunt, quasi nullus in cœlis De existeret. Nascitur ex stygiis his principiis efrons audacia, ut lam quasi habenis in præcipitium ruat pseudopolitica mortalitas. Fallun toto cœlô, qui tam putidis pseudopolitiæ principiis nixi, arte dum & industria purè humana, improba calliditate ac dolis vitam firm satagunt & fortunam, nulla divinorum habita ratione, protrita hu Deique candido cultu penitus neglecto. *Non est consilium, non est pr*

(10) Prov. 21. *dentia* (10) non est industria ulla *contra Deum*. Ut prosperè omnia g rantur, ut ratio communis status, ut tota familia, bonum publicum privatum conservetur & amplietur &c. fides floreat & religio, cu

(11) 1. Timoth. 4. ardeat divinus, *pietas ad omnia utilis* (11) Paulo teste, nova indies piat incrementa & ubique sancta veritas colatur. His basibus nixa sa salus publica, salus privata, ut experientia docet quotidiana, plurib exemplis firmanda, si tempus suppeteret. Procul itaque hinc facessa qui status rationem pluris æstimant quàm religionis, qui legibus div nis insuper habitis & conscientiæ remorsu, qui pulsa pietate ac veritat pro ratione, pro lege, pro una politiæ norma lucrum ponunt in divi

(12) Luc. 12. bursa. Verbo: ut prima monet Veritas (12) quæratur ante omnia R gum sanctorum exemplo Deus & regnum ejus juxta leges cœlitus pra scriptas, juxta decalogum, & purioris conscientiæ dictamen, & quidquid sperare possunt Politici, adjicietur vobis.

Amen.

CON-

# CONCIO X.

## FESTVM S. SEBASTIANI telis confixi Martyris.

*Qui vexabantur à Spiritibus immundis curabantur.* Luc. 6.

## Blaſphemiæ Spiritus.

CUpidini amoris Deo, Veneris & Vulcani filio duo Sagittarum genera Poëtæ affingunt AA. aurea nempe & plumbea Ovidio (1) teſte. Aureô figit, ut ordinatum amorem proliciat, plumbeô vulnerat, ut quoscunq; pravos amores proſcindat. Audiatur in rem memoratus Poëta:

(1) Ovid. l. 1. met.

*Déque ſagittifera prompſit duo tela pharetra*
*Diverſorum operum: Fugat hoc, facit illud amorem.*
*Quod facit, auratum eſt, & cuſpide fulget acuta.*
*Quod fugat, obtuſum eſt, & habet ſub arundine plumbum.*

A. Cupido aurea & plumbea tela eiaculatur Deus aurea Spinea & plumbea.

Ex hac fabula centies veri nominis hiſtoriam facit ter clemens Deus, de quo pridem cecinit Pſalm. (2) *arcum ſuum tetendit, & paravit & pharetram, ſagittas ſuas ardentibus effecit.* Expertus id fuit Antonius Martinus Soc. Sacerdos, vir vitæ ſanctimoniâ illuſtris, cui Nirnbergio (3) teſte JESVS ipſe arcu & aureâ pharetrâ inſtructus apparuit quâ ominis generis ſagittas concluſit, aureas, ſpineas, plumbeas. Aureâ charitatis ſagittâ virgineum Thereſiæ pectus transfixit, cùm ſine vulnere vivere nollet in amore; hinc illæ voces: *Domine, aut pati aut mori.* Spineâ ſagittâ melleos Bernhardi animos transverberavit, cùm ſe ultrò ad configendum veterem hominem ex Numinis coronati obtutu extimularet (4) *non decet ſub ſpinoſo capite membrum eſſe delicatum.* His telis, his ſpiculis ſuos, quos amat, Deus ferit, ubi nec Deiparæ quidquam legimus indultum, de qua idem Pſaltes (5) cecinit: *ferum pertranſiit animam meam*, eámq; ita confixit, ut nullam in virginali pectore particulam dolore vacuam relinqueret. His hodie Chriſti

(2) Pſal. 7.
(3) Nirnb. de art. vol. l. 4. c. 68.
(4) S. Bern. Serm. de OO. SS.
(5) Pſ. 104.

sti assecla Sebastianus ita oppletus fuit, ut vix locum in corpore barbari milites reperirent, quem telis suis impeterent; meruit inde tot coronas in cœlo, quot cicatrices conglobatæ sunt à tyranno. Sed nolim his telis plùs ultrà hic locorum immorari; scio, alibi per me jam discussa sunt & palàm commendata. Ad tertium tanquam hujus Sermonis principale objectum transeo telum nempe plumbeum, quod suo pondere deorsum trahit, & saucios mergit abyssô. Plumbeæ sagittæ vicem obit quodvis grave peccatum, quod plumbi instar animas flagitii reos in Orcum deprimit, quia sacros amores totaliter dissipat, & horum in locum pravos, impios, execrabiles, & stygios subornat. Hôc nos plumbeô plures alios configi video & mactari, quos teterrimus blasphemiæ spiritus infestat, spiritus verè durus & asper, crudus & crudus execrandus.

B. Plumbea sunt blasphemiæ, quibus Deus impetitur, atque iterum è cœlo Blasphemi in Orcum repercutiuntur.

Dixit olim Innoc. III. (6) *artem sagittandi odibilem & mortiferam.* Gregarii Juris interpretes sumi volunt Pontificis dicta de omnibus illis qui bellô injustô Christianos cum arcubus & sagittis lacessunt. At vereor, an Pontificiæ sanctionis probam interpretationem exhibeant. Quid enim peculiare in arcubus & sagittis? an quòd eminus & quasi per insidiis hostem impetant: at verò dolus an virtus quis in hoste requirat? an minùs peccet, qui sicâ cominus latronem agat, quàm qui tormentô eminus hostem trucidet? rectius dixerim, hoc Canone blasphemum spiritum anathematizari, cujus ex instinctu tela plumbea in cœlum, ut Deum blasphemi lurcones ejaculantur, unde in caput recidant blasphemum, ac centum fulminibus dignum lurconem in Tartarum detrudant. Vidit Innocentius Pontifex maximus à tergemino vitio terrarum orbem succensum, justas in iras Dei potentiam provocari, jámque tribus reis properè assumptis castigare rebelles, ecce Misericordiæ Mater & Dominico & Francisco Seraphicô stipata, filio sævienti clypæum objecit, & exitio fatali mundum eripuit; unde Orbis labantis triplex Columen hanc in horam extollitur Deipara, Dominicus & Seraphicus Patriarcha Franciscus. Hæc inter tela facilè primatum tenet Blasphemia, quibus astra simul & Erebi antra pulsant perfidi; quidquid enim hi ex sagittis sursum volat, in sagittantium caput impetuosè relabitur, ut reos perimat, & plumbeo pondere in Tartarum detrudat. Monuerim dem pessimos hosce jaculatores Poëta, ut desisterent malignari, neque ultrà in cœlum os ponerent stygium:

*Stulte, quid in cœlum jacularis ab ore sagittas?*
*In stolidum recident spicula missa caput,*

(6) Innocent. III. l. 5. Decret. tit. de sag.

Et caput tartarô dignum mactabunt. Sicut hodie nihil tritius est blasphemiâ, ita nullum pariter scelus est, quod à Deo gravissimè læso, acrioribus pœnis vindicetur. Pleni sunt omnes libri tragicis exemplis, quibus ad oculum claresçat, Deum vix unquam citius ad plumbea tela cœlitus in reos ejaculanda provocari, quàm si eminus scommatis & sarcasmis Divinam Majestatem à perfidis terrarum filiis proscindi, linguæ insanientis spiculô jam sacra illius Vulnera, jam septena illius Sacramenta protervis ausibus dilacerari. At verò ubi maximè locorum hoc sagittantium genus stabulatur? Totum orbem circumspice, nullibi Deum frequentiùs blasphemari audies, quàm inter pocula, chartas, & fritillos, in popinis & in lusoriis tabernis. *Fœcundi calices, quem non fecere disertum?* usu prô dolor compertum est, quotidiano, blasphemiarum fertiles palæstras dari tuas maximè, lusum & compotationem; hic hic centies ore sacrilego sanctissima Christi Sacramenta contemerantur; hic hic millies salutifera illius Passio verbis stygiis dilaceratur; hic sine fine divinissima ejus Vulnera impiè, protervè renovantur; hic sine numero in mendacii testem Deus assumitur; hic mille juramenta, imprecationes ac diræ audiantur, quas animus horret cogitare, nedum enarrare. Hoc quoties fieri video & auribus haurio, toties longanimem & mansuetam rei patientiam demiror, qui non è vestigio blasphemos hujusmodi, terra rictum referante, in profundi barathrum deturbat. Cur, quæso, ô impia, vino inflata lingua adeó barbarè Servatoris tui Passionem proscindis! nunquid ultrò mortem tulit, ut te ab æterna morte liberaret? Cur Vulnera illa dilaceras, per quæ Patri suo te filius reconciliavit? Cur sanctissimos Sacramentorum fontes execraris? nunquid omnium fluunt saluti? quid tot diris tanquam telis undique truculentis Deum mactas, necas? Augustino (7) teste, *non minùs peccant, qui blasphemant Christum regnantem in Cœlis, quàm qui tum crucifixerunt ambulantem in terris.* Scimus è Gregorio (8) Deum etiam in puerulo quinquenni blasphemiam per Orcum vindicâsse, & in vobis, ô adulti, ac rationis Compotes Christiani penitus inultam toleret pravitatem? Ne quæso vos lactet, nec adunco nasô suspendat vana & frivola hæc fiducia, quâ toties enormes blasphemias vomuistis, & nihil tamen vindictæ ab alto hausistis. Deus non irridetur, triplicatur tormentum tamdiu protelatum.

C. Lusoriæ & potatoriæ tabernæ ut plurimùm Blasphemis scatent.

D. Exprobratur blasphemis protervia.

(7) S. Aug. Ser. 113. de temp.

(8) S. Greg. l. 4. dial.

Horridum auditu est, quod exemplis suis Bonciarius (9) inseruit. Author reum vocat Misotheum Galatinum, impiè in Deum ac Divos dicacem Italum; hic ex pessimo habitu tantam blasphemandi con-

(9) Ant. Bonc. in Exemp. num. 3.

E. consvetudinem contraxit, ut credi posset alteram in naturam transisse, quam furcâ expellas, tamen usque & usque revertat. De hujus vitii exterminio nunquam erat anxius Galatinus, sed eò potiùs malitiæ progressus, ut sibi meris ex blasphemiis in Deum ac Cœlites corresis grandem catalogum construeret, secumque velut amuletum deferret, quocunque pedem exporrigeret; ita semper in promptu habuit novam formulam, Deum inauditâ proterviâ blasphemandi. Proscriptus est plurium ædibus & tectis inquilinus, quia timebant; ne plures illi luerent innocenter, quod horridis ausibus peccavit blasphemator. Quod si passim tentaretur, blasphemi vel pauci essent, vel nulli. Domus ultima, quâ paucis ante obitum diebus protrusus est, erat Balionii domus, quâ desertâ, unô aut alterô puerô stipatus, in vallem silvestrem prodiit aucupatum. Silvæ illatus prædandi avidum accipitrem in tendulos emisit; hi verò cùm se ocius subduxissent, ac celeri flexu rapacissimos ungues fraudâssent, spe sua frustratus auceps, ocius in cœlum more jam pluribus annis recepto, atrocissima convitia jactabat; at ecce celerem Rei vindictam! centies imò millies antè blasphemas voces evomuit impunè, Deo quasi ad enormes calumnias dormiente; mox toto impetu in reum sævit divina Themis. Currens post prædam auceps repentè in puteum labitur, bufonibus & cerastis oppletum. Inclamat miser pueros, colonos, si qui proximis in casis. Vocat etiam hoc in articulo deprehensus in vota sua quosvis advenas, opem ferat misero & cum præsenti fato luctanti captivo. Ita tela in cælum paulo ante procaciter ejaculata, in proprium caput relapsa sunt nullis artibus repellenda. Accurrit quidem puer, casum tamen haud vidit, sed ejulatum duntaxat ex imo telluris hausit, nescius, quò herus defluxisset; properè itaque ad opem ferendam ex vicinia ruricolas accersit. Ventum est in subsidium à pluribus colonis, at ubi herus esset, & quo pateretur, ignorabant præsentes; solus ejulatus aures pulsabat; is quippe putei densis rubis & vepribus obstructum, scrobem occultabat, & collis circumcirca horridus, ac numerosis virgultis hirsutus omnem vestigandi facultatem ademerat; ita qui aderant, frustra oculis requirebant clamantem. Interim continui ejulatus auram ferebant, locum signantes, quem Misotheus teneret scrobe tanquam in vea conclusus. Mox ergò funes, perticæ & alia ad extrahendum machinamenta properari: pars vepres & virgulta cædere, pars plures in subsidium coadjutores accire, pars vociferantem ex alto consolari hor-

Intentantur graves pœnæ blasphemis.

Hist.

hortari, ad Deum, divosque Cœlites vota faceret captivus, seriam pœnitentiam Superis adpromitteret, seque totum divinissimæ Voluntati consecraret, venturos propediem, qui junctis viribus salvum extrahant, & pristinæ reddant libertati. Hæc inter multa quidem colonorum turba confluxit, & pro sua quisque copia vires exseruit; demissi altum in puteum funes & arbori proximæ firmiter alligati, ad quos impigrè se Misothæus applicabat, infimis precibus & grandibus promissis, ad se celeriter sustollendum, ruricolas hortatus. Jam omnium manus laborabant, jam opus totum fervebat, & funem ex imo attraxerant, sibi de operis felicitate ac lucro inde ad colonos resultaturo impensè gratulati; ecce spectaculum miserum, horridum, quod operas exterruit, & in fugam profligavit tractores; jam ad putei marginem grandi fune appensus Misotheus ascendit, vidit eum præsens turba tot serpentibus implicatum, lacerum, cruentum, ut qui subsidio venerant agrestes, ex horrido aspectu justo timore correpti fugam capesserent plerique ruricolæ, paucis exceptis, quos misericordia movit, ut ne funem â sociis desertum manibus quoque dilabi paterentur; cùm verò Angues per funem reperent, & nudas ruriculorum manus propè propiùs attrectarent, parum abfuit, quin omni ope ac opera Misotheum destituerent. Ita cum fato luctantibus rusticellis, grandis quidam Serpens properè funem ascendit, rectaque petiit funi adadmotas manus. Jam proximo gradu visus est lethalem morsum expromere, en villicus manu rapuit securim, serpentem manibus proximum uno ictu mactaturus; ferro itaque totis viribus in dipsadem sublato, ictum evibrat; at quæ infelicitas, seu potius Ultoris præsens erat vindicta, angue ictum declinante, funis ipse succisus est, & infelix homo præceps iterum in puteum suis cum serpentibus delapsus est. Poterat quidem hoc in articulo per vivacissimæ contritionis actus & pœnitentiæ vota in statum gratiæ se Misotheus librare; at cum videret, actum esse de vita & angues undique in prædam irruerent, pessima persuasione corruptus, se à Deo, tot ante blasphemiis prosciso, totaliter desertum ipse quoque Deo ac cœlo nuntium remisit, & totam oris blasphemi cacochymiam, in Cœlum Cœlique Conditorem Deum exspuit, morsibus serpentum confectus, & diris in Deum blasphemiis immortuus. Re ad urbis proceres delata, nullus erat, qui non ex præcognita blasphemandi protervia vindicem Dei pœnam agnosceret, reique justitiam commendaret, illis Psaltæ vocibus (10) identidem prolatis: *justus es* (10) Psal. 118.

*es Domine & rectum est judicium tuum !* Sic perire debent, qui Divinissimam Majestatem tuam in terris blasphemant, quam nunquam dignis possunt laudibus celebrare, hispidi, crudi, & hirsuti mortales. Expurgatus est locus ille, & nil in puteo præter arida blasphemi ossa repertum est. Hem simile fatum horroris plenum omnes illi cœlitus exspectent, qui blasphemiæ telis sursum evibratis ipsi Deo diem dicunt, & fata intentant millena. Tam infandi sceleris rei homuncionis non simplici mortis genere mulctari debent cœlitus. Discant hinc Orci perfidi tela stygia ex oculis, ex animo seriò removere, quotquot hactenus vel irâ perciti, vel vinô depositi, vel lusibus exhausti, totam Orci blasphemi vomicam in Deum ac Divos Cœlites difflabant. *Qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloria*, inquit (11) sacer Textus. Deum bonum ! si sola scrutatio Majestatis tantis è cœlo pœnis proscinditur, quibus pœnis & tormentis Divinissimæ Majestatis conculcatio, & blasphematio proscindetur?

(11) Prov. 25.

F. Monita præsenti ab exemplo ducta.

Discant hinc uterque Magistratus tam politicus quàm sacer, Urbium & Oppidorum Præfecti, Consules, Prætores, Judices atque ædium Patroni, severissimis pœnis in blasphemos animadvertere, illos etiam vocis & tectis suis proscribere, nisi desinant malignari. Id ni faciant, tantorum scelerum simul & pœnarum se participes reddent, imò non tantùm se, sed totam aliquam communitatem grandibus ærumnis objicient. Mortis pœnâ jam olim in Vet. lege (12) Deus corripuit blasphemos saxis obruendos; in nova lege nullum scelus est, quod tam exotice fuerit tormentis cœlitùs vindicatum, quàm Blasphemiæ infandum crimen: jam terra vivos absorpsit, jam Orcus abripuit, discerpsit, affavit, & canibus putidam carnem absumendam projecit, ut proximis iterum Festis audiemus: jam sudo & innubi cœlo fulmine deciduo extinctus est blasphemus. Hoc fulmen utut ad alios quoque feriendos aptum sit, ita tamen frequenter telis hisce trisulcis (sic fulmina nuncupantur) Deum sagittantes blasphemi è cœlo transverberantur, ut videri possit propriè creatum esse fulmen blasphemis sub sole castigandis & exterminandis. Horreant vindicem Dei manum hoc scelere infecti; timeant tonantem Deum, & blasphemos aut blasphemiæ toleratores ex alto fulminantem, ut primùm sæva ingruit tempestas. Fugiant omnes ac singuli à fascibus divini, quem jam paravit in sceleris hujus vindictam justum Numen, & ori procaciissimo forte lupatum injiciant, ut inde nil prosiliat, quod Dei ac Cœlitum gloriam obscuret.

(12) Levit. 24.

Opro-

Optarem ego hic loci, ut omnes illo Zelô tuendi honoris divini exardescerent, quô nobilis ille Hispanus exarsit, Joannes Hurtadus hic, ut Vincent. refert Justin. (13) cùm blasphemantem audiret, vir aliàs mansuetissimus, leonis instar os blasphemum generosè in faciem repressit: mentiris nequam: Deus non est is, quem tu impiè depingis; sanctus, bonus, justus, & misericors Deus est. Hæc objurgatio hominem iræ impotentem sic exacerbavit, ut stricto in increpantem pugione: quid tibi mecum est negotii, nebulo? an ego tibi porcus sim aut infamis? at his nil territus Joannes, mox ad martyrium comparatus, in genua procidens, hilari vultu reposuit oggere mihi probra frater mi, pejor ego sum! quàm tu dicere valeas; at verò Deum cave ne blasphemes, quoniam bonus, quoniam sanctus, & infinitè in te ac me misericors est. Plus à nobis, qui toties blasphemias audimus, aureus Orator expetiit, cum quo præsentem sermonem (14) concludo: *Si quando blasphemantem audis, alapâ faciem ejus percute, contere os ejus, & percussione manum tuam sanctifica. Martyrium tibi hoc est*, ait S. Doct. si etiam blasphemo furori victima humi cadas cruenta. En! si juris fecit communis blasphemum homuncionem Chrys. propter commune malum, quod hoc ex scelere toti viciniæ accrescit, quantò magis id præstandum fuerit illis, qui plebi præsident, & toti Reip. dominantur. Est hôc blasphemiæ spiritu nonnemo hanc in horam obsessus, is hodiè totis in id viribus contendat, ut hoc spiritu per seriam oris sacrilegi correctionem liberetur & curetur. Eum in finem pestilentium telorum averuncum Cœlitem D. M. Sebastianum, in auxilium vocet, certus se telis fatalibus ex alto non petendum, si nec ipse tela impia scelerum sursum evibret, nec ab aliis vibrari patiatur.

Amen.

(13) Vinc. Just. in vit. S. Telm.

(14) S. Chrysost. hom. 1. ad pop. Ant.




M CON-

# CONCIO XI.

## Festum Purificationis B. V. M.

*Responsum accepit à Spiritu S. non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.*
Luc. 2.

## Revelatio spuria.

IN omni ætate ac seculo, in omni sexu & hominum conditione è cœlo factas esse ad homines varias revelationes rum cœlestium, certum est ex Script & Hist. Eccles. (1) AA. Pleni sunt sacri Codices Prophetis & Prophetis quibus Deus varii generis arcana detexit. Necdum [illegible] abbreviata est manus Domini, licet fides nostra sit innumeris pare gnis & ostensis illustrata. At verò sicut revelationes nuncupantur næ, & sunt divinæ, ita multæ aliæ jactantur esse divinæ, quæ pos sunt dæmoniacæ. Sunt multa fucis illita, quæ luce claréscent sua, ve ba sunt Breviarii Romani; mille revelationes nimis credulæ præbuer mulierculæ, seu ut alii loquuntur, precatrices Bertæ, quæ malefico nigricans genius ad hamandos per feminas viros malè ac præpropere credulis instillat. Hæc somnia sæpè pro realibus visis venditant, & quæ vis strepitum sub lecto à muribus excitatum pro loquentis Angeli præsentis Spiritus voce acceptant. Alios insuper in parem sententiam trahunt, ac ferè semper aliquos reperiunt, qui â delusis se pariter deludi patiantur. Ridiculum est, quod de Berta recitat (1) Cæsarius. Vir Wormatiæ, nunc tempore belli Gallici funditus depopulata Sacr Romani Imperii urbe, annis ante 400. Judæus quidam, cui filia erat eximiè formosa. Vidit hanc vicinis ex ædibus juvenis nostræ re dem fidei domesticus, sed otio deditus, quod diaboli pulvinar pe dem dixit Hieron. Tota ejus actio erat in lecto jacere, vel in fenestra popinas & lusorias tabernas pro scholis terere, luxuriâ diffluere, pro liter vivere ac delicatè, quales hodie passim majores Stoæ gremiò fo vent umbratiles studiosos, quorum nomina quidem fastis inscri

A. Fictitiæ revelationes dantur quamplurimæ.

(1) S. Cæsar. l. 2. histor. c. 25.

B. Ridicula est Judæo facta Wormatiensi.

sunt academicis, ipsi verò raris vicibus pedem inferunt Athenæo. Exarsit leno iste in hebræam formæ gratiâ, hæc juvenem deperibat bursæ causâ; sic tandem factum est, ut perdita integritate fædis amoribus vacaret uterq;. Sensit prægnantem uterum puella, mox metu ac curis plena, id ociùs effero prædoni detexit, simul ab eo consilium petens & remedium, certa, se antè infantem perimere, quàm eum peperisset, ne legis violatæ rea vel à parentibus propriis necaretur, vel clanculò horribilibus pœnis in tumulum usque discruciaretur. Spopondit facile remedium versipellis lurco, rimam digitô signavit, qua dilaberetur. Si dixerit tibi pater tuus vel mater, quid est filia? venter tumescit, videris concepisse, sic responde: si concepi, nescio, id scio, quia virgo sum, & virum non cognovi, cetera mihi relinque, faciam ego, ut firmiter credant, perditam virginitatem tuam maximo totius familiæ honori ac gloriæ cessuram. His dictis abiit excessit, & concubia nocte revertit. Novit nebulo, in ima ædium parte versus plateam cubile Judæi; valvas itaque media nocte grandi tubo instructus accessit, quem etiam per modicum foramen ipsum in cubiculum intromisit, verbis hisce lecto infusis: O justi & Deo dilecti conjuges gaudete! en Virgo filia vestra concepit filium, qui liberabit populum Israël, gaudete! Expergefacti hac voce conjuges vocem quasi è cœlo profectam, aut præsentem Angelum adesse persuasi, sibi de tamdiu expectato Messia multum applaudere & congratulari. Surgebat uterque è lecto, & humi jacentes Adonai adorabant, gaudiô pleni, filiam hunc ad finem à Superis electam, ut pareret Messiam. Resumpsit oraculum lusor, & hæc immissô iterum tubô subjecit: Colite filiam vestram, & puerum de virgineo illius ventre proditurum omni diligentia curate; ipse enim Messias est tot seculis exspectatus. Vix dies illuxit, fama totam viciniam excurrit; factus inde grandis concursus totius Synagogæ ad virginem saltem oculis spectandam & colendam, quæ Messiam esset paritura. Insultabant Judæi Christianis, nunc primùm Isaiæ vaticinium expleri (2) *Ecce virgo concipiet & pariet filium &c.* At quousque hæc comædia duravit & publica tripudiatio recutitæ gentis! usque dum partu soluta virgo, se ac suos confunderet. Prodiit tandem infans in lucem sed inopinata metamorphosi; neque enim Messiam putatitia virgo peperit sed puellam. Sic spes omnis corruit, sic omne gaudium evanuit. Ridebant Christiani Messiam feminam, vera fides tumultuantes verpas triumphabat. Judæi tanti probri impatientes pænè disrupti sunt præ indignatione. Unus illorum etiam in furorem datus, pede raptam infan-

Hist.

(2) Isa. 7.

tem femellam proximo parieti allisit; hunc exitum sortita est fictitia revelatio. Quod hic loci Hebræis accidit, pluribus hanc in horam evenire creditur, si fidem præproperam quibuscunque oraculis & putativis revelationibus, maximè feminis impertiant.

Ut veri nominis revelatio dicatur, tria ut plurimùm capita observari debent, ut Delrio (3) meminit: Primò debet probè inspici persona, & mores ejus, cui facta est revelatio; hæc pia sit & catholica, spiritualis & devota, humilitati maximè ac obedientiæ addicta. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus* Paulo (4) teste & sicut *in malevolam animam non intrat* (5) *sapientia*, ita nec Spiritus Dei super alios quàm super humiles & timoratos, dirigibiles & correctionis patientes animos requiescit. Nihil credi potest quacunque hæresi contaminata. Nulla fides haberi potest magis, sagis, dæmonicolis. Nulla fides deferri potest superbis, ambitiosis, impatientibus, carneis, ebriosis, iratum tumultuante animo foventibus, odia exercentibus, dissidia seminantibus, alios nefastis ausis difamantibus, pecunias unde unde corradentibus, affectatæ devotionis turpibus hypocritis, erronibus, vagabundis, garrulis blateronibus, pertinacibus & cerebrosis, utut nomen venditent sacrum ecclesiasticum catholicum. Hos inter vates etiam sexus haberi debet ratio; plus enim fidei merentur viri, quàm feminæ, plus Virgini defertur, quàm viduæ, plus viduæ, quàm conjugatæ. Cùm minus rationis feminæ habeant, minus etiam prudentiæ habere creduntur, ergò citiùs, quàm viri falluntur; hinc in Script. paucas prophetissas invenies, Marias duas, Annas duas, Deboram, Oldam, & paucas alias. Viros verò prophetas quam plurimos. Apud infideles contrà idolorum prophetæ dantur pauciſſimi, fœminæ verò propè innumeræ; ut certum sit, omnia fraudibus & dolis, falsitatibus & mendaciis inundare, ubi fides deficit catholica, orthodoxa.

(3) Delr. disq. mag. l. 4. c. 4. q. 3. f. 5.

(4) 1. Cor. 2.

(5) Sap. 1.

C.

Veri nominis revelatio tria exigit.

I.

Ipsa persona cui revelatur mysterium, pia sit, humilis & obediens.

Secundò ipsa revelationis factæ substantia probè lustrari debet & examinari. Proba est, si sapientiæ conformis fuerit cœlesti, Christi & Divorum exemplis accommoda, misericordiæ plena & fructibus bonis. Bona est, si hominem intrinsecè reddat meliorem, sanctiorem, mitiorem, humiliorem, collectiorem, à curis secularibus abstractiorem. Vera est, si totum id, ad quod invitat & instigat, totaliter bonum fuerit, & non tantùm ex parte; habet enim vel maximè hîc etiam locum, tritum illud philosophi: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Hæc substantia ut ritè penetretur, ante omnia finis spectetur, qui si nil habeat scoriæ admixtum, Deumque referat purum, & puram ejus glo-

II.

Substantia Revelationis sit undiq; proba.

riam

riàm repræsentet, salvaret; alius si fuerit à memorato, nuda sc. curiositas, propria utilitas, ambitio, præcipitium, sui carnificina, martyrium sathanicum &c. jam in Angelum lucis se Sathanas transfigurat, ut virtutis simulatione plus damni afferat.

III. Nulla circumstantia vitiatur.

Tertiò omnes ac singulæ circumstantiæ factæ revelationis expendi debent. Ex illis vel una totam poterit subsantiam pessundare. Ita plus veritatis accrescit vigili quàm somnianti; fac porrò durè ac violenter, cum strepitu & cum impetu, quasi imber in saxa decidens, se animo spiritus infundat, malus erit; bonus contrà si leniter, si placidè ac suaviter sicut unda spongiam irróret; fac denuò prima sub principia gaudiô mentem demulceat, posteà verò in gravissimos mœrores, anxietates & turbas devolvat, iterum malus erit; parit quidem bonus initio metum ac horrorem, at detersâ tandem omni molestiâ, dulcedine interna animos perfundit, quæ signum præbeat consolationis divinæ; fac tandem plus mali quàm boni ex illis prognasci, quod identidem Bertis accidit, quæ neglectis ædium curis, colô & focô insuper habitis, proli-bus ope necessaria destitutis, tot horis preces deblaterant, quas rectius templô suô æditui proscribant. Resume tria hæc capita hucusque recensita, eáque hodiernæ revelationi applica, patebit distinctè, omni sanctitate conspicuam fuisse revelationem, quam à Spiritu verè sancto senex Simeon accepit, ***non visurum se mortem, donec videret Christum Domini.*** Vidit, & vidisse sat fuit. In mortem pientissimam ac divino solamine plenam lumina clausit, postquam binis oculorum orbibus Orbi natum Servatorem concluſit. Juxta tres hasce regulas quarumcunque revelationum vel veritas clarescet vel falsitas. Debuit hinc Heron eremicola sanum judicium formare, cùm eidem Martyrii lauream mendax lucis Angelus eminus præostenderet, si sui factus carnifex se in puteum præcipitaret; id quidem martyrium dixeris sed diabolicum; neque enim sunt facienda mala, ut eveniant bona. Debuit hinc manibus palpare fucos & mendacia prophetantis Bertæ confessionalis filiæ Franciscus Cruz Theologiæ Doctor ejusdemque Professor in regno Perüensi orientalis Indiæ, totius novi orbis miraculum. Oracula illa, quæ sic ab Angelo in raptu edocta hausit, & Confessario suo communicavit, nimis erant putida, & à totius Ecclesiæ sensu aliena; dementatus tamen fuit Vir summè pius, summè doctus per vaticinantem Bertam; & quid vaticinata fuit hæc Proserpina? audi & obstupesce, hæc à Viro etiam rudi & illiterato, ne dicam à Doctore Theologo credi posse. Alia inter suæ credidit prophetissæ, se Regem simul & summum

D. Femellis non facilè habenda fides, si prophetizent, mille dolis aguntur. Hist.

Pontificem futurum exauctoratô Gregorio decimo tertio tunc'a Ecclesiæ clavum sedente, Sede Apostolica ex Italia usque in Indi transportata. Credidit stolidissimè, sibi à Deo oblatam esse unionem hypostaticam in grati animi memnosynon, quod Dei summi Attribu divina plùs omnibus Theologis doctrinâ suâ illustrâsset, & p riter longè efficaciùs in Scholis probâsset, quàm probatum fr D. Paulo, Christum Messiam esse. His & aliis centenis moriæ d matis pertinacissimè immortuus stipes Doctor, vivicomburiô pe Inquisitionem damnatus est ut Josephus memorat (6) Acosta. D cant hinc omnes Conscientiæ arbitri suas pœnitentiæ filias ad con sionales clatros & ad portam *obiter ac perpaucis* expedire, ampu cum sexu molliore omni sermocinationis prolixitate, quam omnes PP. & Ordinum sacrorum Fundatores damnant & anathemati Discant hinc omnes alii, quàm frivolum sit & periculi plenum mulierculas adire vel audire, quos pridem dixit Jeremias (7) pro *tantes in nomine meo per mendacium*, eum in finem, ut intelligo quibus aliquando sponsis vel sponsabus sint in conjugium obven Digitô sponsus signatur aut sponsa? ita mordicus sententiæ per cum latæ inhærent, ut nullis se argumentis abstrahi patiantur, q quid contra tale connubium ecclesiastici moveant Curiones. Non test tali matrimonio bona cum conscientia Parochus assistere, in malè pactis juxta communem omnium rescindi debet fides, si etiam mutuo sanguine subscripta; iterum iterumque dico, in m pactis rescindi debet fides. Alii hodie maximè plebei se per alia a cula ex concavo lunæ petita miserrimè implanari patiuntur curres in horam. Circumferuntur passim typo datæ preces ac libelli, q bus video, cœlo lapsas revelationes concludi, quas rectius dixeris cum excoxisse ad hamandos mortales; finguntur in illis oracula Cœlitum comperta, certis precatiunculis agglutinatæ, v. g. hasti tidiè preces fuderis, tibi ultimo in articulo tuo ipsa se Deipara vi da dabit. Prô stolidas hominum illusiones! fabulantur hæc & s furis hujus innumera oratrices Bertæ & Bertarum muliebres patra fautores confessarii. Non datur oratio præstantior, quàm illa quæ ab ipso Dei Hominis ore profluxit, Oratio Dominica, nunquam men legitur simili privilegio donatam esse Orationem memoriæ Nugæ! quisquiliæ! Proxima Orationi Dominicæ Salutatio est, quam dicimus Angelicam, cui in fine formatas preces appositi S. Mater Ec clesia; non datur antiquior, nec sanctior Oratio, quàm modo re

(6) Joseph. Acost. in Reg. Peru.

(7) Jer. 23. & 27.

E. Matrimonia pessimè divinantur.

mora-

morata, quorum illa pro suo authore habet Deum Hominem, hæc Angelum, Elisabetham & Ecclesiam. At verò reperit hîc quoque rimam Orcus, per quam grandes etiam animos ludificaret. Fuit vaticinatrix Camilla, quæ alia inter etiam rogata, quid Deipara fecerit, cùm ab Angelo salutaretur, respondit se ab Angelo didicisse, Deiparam tunc actu rosarium recitâsse. Ridete quidquid domi est cacchinorum! ubi tunc rosarium ex orationibus conflatum, quæ necdum in rerum erant natura? an porrò orationem ad se ipsam direxit Deipara? prô quæ barditas! hanc tamen asinitatem femininam pertinaciter tenuit ac defendit Doctor confessarius ex ideis divinis, seu rectiùs ex Platonicis ideis, ridentibus Scholis. His fucis, his technis, animas lucratur innumeras flagrans Orcus, & procrastinari facit pœnitentiam, quia necdum ultimus instat articulus, quia necdum se oculis objecit Mater Dei, cujus præsentiam evidenter in articulo illæ & illæ preces toties iteratæ adpromittunt. Ita inexpiati moriuntur plurimi, & tartarô merguntur, totô Erebô terrigenarum stultitiam cacchinante. Optarem ego hic loci, ut per annum aliquoties librorum officinæ ex industria viserentur, & omnes de fide ac veritate suspecti libelli, falsarum revelationum bajulæ chartæ publica Carnificis manu exurerentur, eorum propôlis grandi pecuniarum pœna mulctatis. His ad fucum oculis faciendum, ad lucrum bursis conciliandum prostantibus chartis fidem habent exoticam plebeji, quasi de Cœlo certi, modò has & illas precatiunculas extra statum gratiæ ore tetrico singulis diebus deblateraverint. Credat judæus apella, tibi Deiparam in agone adstituram, nudis precibus in tui opem ac subsidium accitam. Hoc astu Cacodæmon seriam confessionem protelat, aitque necdum Deiparam apparuisse nullum proin vitæ articulum adesse. Sic peccatorum entia multiplicantur; sic vita mortalis miserrimo fine coronatur. Quæ temeritas, Deum ac Deiparam cœlo evocare, ut morienti, neque tamen seriò pœnitenti assistant! responsum accepit à Spiritu sancto Simeon hodiernus, *non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini*, at verò tàm piè vixit Simeon, ut dignum se redderet, quem Spiritus S. hoc grandi privilegio donaret, *non visurum se mortem*, nisi antè oculis etiam corporeis Christum Domini spectâsset. Dedit ei ipse Spiritus S. sequens elogium, *homo iste justus erat & timoratus, exspectans consolationem Israel, & Spiritus S. erat in eo.* En *justus* dicitur seu sanctus, *timoratus* seu quod idem fuerit, Deum reverens. & studiosissimè cavens, ne eum quocunque tandem modo offenderet. Spiritus S. in eo erat

F. Libelli falsarum revelationum bajuli proscribantur.

G. Revelatio S. Simeoni facta undique fuit vera & sancta.

erat non tantum per gratiam gratum facientem, sed per gratiam quoque gratis datam, nempe prophetiam. Hic Spiritus in Simeonem delapsus ita ejus animum occupabat, ut homo non tam terrenus quàm cœlestis & divinus esse videretur. Timothæus Presbyter Jerosolimitanus (8) censet, Simeonem quoque Deiparam vidisse, speciali gloria illustrem, lumine divino circumamictam, & ex eo intellexisse, hanc inter alias omnes feminas solam esse Messiæ Parentem, totius mortalitatis fautricem & protectricem. Vita adhuc hodie ducatur illius integra, sceleris pura, Deo ac Superis devota, Marianis obsequiis addicta &c. Deum ac Deiparam hic per gratiam videbimus, ibi per gloriam.

(8) Timotheus Orat. de S. Sim.

Dignatur ipsa Misericordiæ Mater sine hominum respectu hôc privilegiô quoscunque Dei ac Superum fervidos cultores, cujus rei lucrulentum præbet specimen Pelbartus (9) ex quo pariter colligas, quàm pia, quàm felix & fortunata sit mors illorum, qui in Domino Dei vel in Domina Dei parente moriuntur, quàm impia sit contrà, quam infelix & execranda sit mors eorum qui in Dæmone extinguuntur, seu qui in enormibus flagitiis à Justitia Divina correpti sine Dei gratia & Deiparæ patrocinio diem obeunt supremum. Parochus aliquis, inquit Pelbartus, ad quendam ut divitiis ita vitiis hirsutum euclionem, pecuniosa lue infectum evocatus, confestim sacras in ædes avolabat, inde Deum eucharisticum ad decumbentem deportaturus. Rectè fecit Curio iste, quòd ad ægrum accitus moram omnem abrumperet, & ægrotanti succurreret. Agitur salus æterna res omnium maxima, cùm animam agunt moribundi: ***Omnia si perdas, animam servare memento.*** Noctis unius peccatum si posset S. Ignatius impedire, jam hoc ipso immortale præmium è cœlis sperabat; quando plus inde speretur, si tota peccatis hirtescens anima prompti Curionis operâ omnibus à flagitiis virtute Sacramenti expietur, & cœlis asseratur, aliàs certò damnanda. Philippus II. Hispan. Rex palàm dixit, thesauros omnes ex India ac toto Hisp. regno utilissimè à se impendi, si per illos vel unicus in catholica fide conservetur, & ad cœlos promoveatur. Hic optimè novit animæ pretium impretiabile, cui nec totus iste spectabilis mundus queat comparari. Hoc animæ pretium, quod tanti stetit Deo nostro, omnes ob oculos habeant, qui animas curant, ut ne per illorum socordiam aut tergiversationem ulla ægrotantis anima negligatur. De manu Curionis requiretur neglecta. Optimè proin ad ægrum vix vocatus Curio properè contendit, sed utinam pari promptitudine, pari alacri-

(9) Pelbart. in Stell.

H. Mortis piæ ac impiæ vera repræsentatio. Hist.

I. Animæ pretium.

tate

tate etiam ad pauperculum avolâsset! turpe est ac verè scandalosum, si ægrotantibus opulentis lucri gratiâ promptus assistat Parochus, pauperes verò & opis indigos paterno solamine destituat; talis dignus non est nomine suo, quia *mercenarius* est, bursarum lucrio, non animarum. Videtur hac scabie præsens Parochus sorduisse. Excepit euclionis confessionem (qualis autem hæc fuerit, docebit eventus) cùm autem anginæ vitio SS. Viaticum sumere non posset, Ferculum eucharisticum ad Ecclesiam referre coactus est Parochus. Noluit nempe Deus mammonisticum pectus Pluto aut Plutone insessum subintrare; hinc fauces obstruxit, ne quid ultrà posset in stomachum defluere. Vix suum in sacrarium reposuit Eucharistiam, novus ecce nuntius accurrit, qui ad viduam quoque pauperculam jam pænè cum fato luctantem, venire non gravetur, eundem Parochum solicitabat. Non placuit Parocho vilis viduæ conditio; vidit enim se gratis excursurum; abnuit proin & in sui D. cooperatoris humeros lucri vacuos labores devolvit. Vix casam attigit ruralem divinô epulo instructus, ecce rem prodigiosam! vidit sanctam hanc Viduam super stramen abjectam humi decumbere; at verò vidit simul augustissimam Dei Parentem splendidô Virginum chorô stipatam viduæ famulari, cibum potumque decumbenti porrigere, mortualem sudorem strophiolo abstergere, lecti stragula componere. Deum immortalem! an etiam major dignatio fingi possit? olim se *Ancillam* dixit Dei-Hominis, nunc etiam viduæ mendicabulæ sub agresti tecto ancillatur. His obsequiis minimè contenta, etiam Sacerdoti, viduæ confitenti aures daturo, sellam obtulit, ipsa interim in Ven. Sacramento latentem Dei Filium suo cum Cœlitum choro Mater adoravit. Ita tandem Vidua hæc sumptô pientissimè Viaticô, ipsa inter Deiparæ brachia sanctissimè exspiravit. At quid diviti factum, cui uni curam suam Curio Parochus impendit, relicta paupere? Cum, stupore ac lætitia plenus Parochi coadjutor ex rurali casa tot prodigiis illustrata, domum suam repeteret, & tunc morientis opulenti Mammonistæ ædes transiret, plenam Dæmonibus tecto insultantibus vidit domum felium formâ, ipsum verò euclionem alta & horrida voce inclamantem audivit: ah misero succurrite & catos dispellite! Ascendit per scalas D. Cooperator, cum fato luctantem ad seriam pœnitentiam hortaturus; at ecce novum prodigium! cùm pedem cubiculo inferret, infernalis Æthiops jam uncô ferreô in exspirantis os injecto, animam sceleratam ex in-

K. Deiparæ humilitas.

felici corpore protraxit, & sociis dæmonibus asportandam simul & æternum cruciandam objecit.

Hic hic nonnihil divites Cræsi, perfidi Mammonistæ, & tot inquitatibus gravati Eucliones pedem figite & videte, quem vitæ finem pauperum sanguisugæ divites sortiantur, si nulla impiè partorum facta restitutione hinc emigrent. Dives iste cum Evangelico illo sepultus est in inferno, ubi modo frustrà suam insatiabilem avaritiam eurat, focis æternantibus absumendus, & nunquam tamen consumendus. Hîc pariter ô pauperculi sed Deo ac Superis devoti, & in suprema Numinis Voluntatem perpetim resignati subsistite & videte quàm fausto ac felici fato fungantur pauperes, qui cum Deo Homine nostrâ causâ depauperato, suam pauperiem æquô ferunt animo eamque Deo identidem ac Deiparæ commendant, à lege divina, & Marianis ab obsequiis nec latum unguem digressi, dum spiritus hos regit artus. Ita pravi divites non in Domino sed in dæmone moriuntur, ita probi, justi, & Mariano cultui pientissimè addicti pauperes in Deo ac Deipara moriuntur; his Cœlorum Imperatrix in articulo succurrit ultimo, illis contra gulam frangit Phlegeton. Ardemus cum paupere vidua pari felicitatis fatô extingui? Deum ac Deiparam nunquam animô proscribamus, utrique tam in prosperis quàm in adversis impensissimè devoti, ac perennibus obsequiis jurati. Ita sanè nostris quoque spes illa minimè vana refulgebit, non visuros nos esse mortem nisi Christum Domini ac Deiparam hic per gratiam divinam & opem Marianam viderimus, ibi per gloriam perennem in cœlis à facie ad faciem cum diviniſſima Matre Filium Deum spectaturi.

Amen.



CON-

# CONCIO XII.

# FESTVM S. MATTHIÆ, Apoſt. & Mart.

*Sors cecidit ſuper Matthiam.* Act. 1.

## Luſus Orcinus.

SUnt quidem Scripturæ Sacræ, quibus nihil ſanctius, nihil pretioſius tota mundi Bibliotheca complectitur, cœleſtis Imperatoris ad terreſtres ſubditos literæ publicæ, Diviniſſimæ Voluntatis hominibus decretæ interpretes, ut pridem loqui placuit (1) Aug. & (2) Chryſ. optimi AA. Hæ tamen ſi malè explicentur, omnium hæreſum & errorum turpe ſeminarium exiſtunt. Experientia docet, cujuscunque ætatis hæreticos ſuæ perverſitatis dogmata, quibus tot animas illaqueant, ex ſcripturis vel malè contextis, vel perperàm intellectis, vel etiam nequiſſimè ſucciſis fabricâſſe. Allegant Judæi Scripturam, ut toto è mundo Meſſiam proſcribant. Colunt Mahometani utrumque Teſtamentum, ſed crudiſſimam interpretationem amplectuntur, quam eis in Alcorano tradidit carnalis flagrio, & ſtygius Turcarum Propheta Mahometes. Verbo: legunt hanc ſcripturam, & ab ea hæreſeos ſuæ præſidium quæritant, *Hebion* mendicus, *Manes* mancipium, *Theodorus* coriarius, *David Georgius* vitrio, *Isibius* agricola, *Quintinus* ſartor, *Calvinus* manu carnificis palàm virgis cœſus & candenti ſilio inuſtus ſodomita (3) ac centum aliæ ſectæ; ſed inde nil aliud legunt, quàm peſſimæ doctrinæ pus & pituitam, toxicum & venenum melle circumlitum ſcripturiſtico. Hanc Scripturam prout ſpiritus illis dictat privatus, rejectis Patribus & Conciliis, pro fidei regula ponunt omnes hæretici; hanc lancinant, mutilant, transmutant, & inſtar cerei naſi jam in hanc, jam in illam partem ſua pro libidine transportant, imò etiam de uno eodémque Scripturæ teſtimonio contrarios ſenſus efformant, ita quidem, ut circa quinque illa verba, *hoc eſt enim corpus meum*, quæ Chriſtus inſtitutioni SS. Euchariſtiæ adhibuit, ducentæ expoſitiones & depravationes à Bellarmino

(1) S. Auguſt. in Pſ. 140.

(2) S. Chryſoſt. hom 2. in Gen.

A. Omnes hæreſes ex Script. perperàm intellecta oriuntur.

(3) Bolſec. in Vit.

(4) numerentur. Aug. teste (5) *non aliunde natæ sunt hæreses, quàm cum scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, temerè tamen & audacter asseritur.* Patet hinc, quàm providè S. Mater Ecclesia Scripturæ libros plebi catholicæ subtraxerit currentem in horum. Eo spiritu legi debet Scriptura, quô composita est Scriptura, non spiritu privato aut triviali sed divino; non spiritu caucaseo, steropæo, ferreo, sed humili, cereo, ac submisso; non spiritu carneo & adulterino, sed casti pectoris puro, intemerato; non spiritu laxo, & libertino, sed strictioris observantiæ candidato.

(4) Bellar. Contr. de Euch. c. 8.

(5) S. Aug. tr. 18. in Joan.

B. Lectio illius recte Catholicis prohibetur.

Sed ad nostræ fidei domesticos revertor, pravos fidelium mores ac de Scriptura S. pessimè conceptos sensus hac festa luce correctos. Illos illos ego Catholicos nunc ocius cribrare constitui & emendare, qui suæ nequitiæ turpe velum per D. Mart. & Ap. Matthiam oppe-dunt. Erubesco dicere, quæ nonnulli ex nostris in omnem proterviam abjecti, sancto huic Festo affingunt, ut suas inde pravitates per eam mem maledicentiam colorent. Dicam tamen, & dicta pro viribus ruam, evertam, ne plures in Catholicos tam impius & blasphemus Scriptura abusus grassetur. Diem dicunt præsenti Festo nequiliæ fores: quid inquiunt, tam streperis vocibus in aleas nostras & fritillos clesiastici Præcones declamant? quid lusum fulminant & ... ores? nunquid evidens vestigium nostri exercitii dies exhibet hodiernus? Quis nigrâ mnet calculô, quod legimus ipsis fuisse Apostolis, imò ipsi etiam Do receptum? legantur Scripturæ Oracula. Nunquid hodie Sors dirimit super Matthiam cecidisse? Ciceroni (6) olim sortem jacere idem fuit quod talos aut tesseras versare. Nunquid ipsa de se Sapientia intonat (7) Divina: *delectabar per singulos dies ludens in orbe terrarum?* quæ ego vitio vertat terrigenis, si Dei & Apostolorum præviô exemplô in ducti, horas extrahant ludendo &c.

C. Abuntur Script. gravissimè lusores hodiè,

(6) Cic. l. 2. de Divin.

(7) Prov. 8.

D. Refutantur.

Hôc veluti giganteo quodam clypeô partes suas reprobi lusores tuentur; hoc nequitiæ palliô per immanem Scripturæ abusum & blas pheniam in Superos eructatam, impudentem proterviam suam tegunt & obvolvunt perfidi lusores. Sed faxim ego, ut intelligant, hos ... peos, has palliationes nonnisi telas esse putentium aranearum. Ni lum vitium lusoribus tam arctè cognatum est, quàm gula & ... Extat hujus clarum specimen in Exodo (8) ubi de Israëlitis sic loquitur Script. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Et ec tum & ordinem lusoribus receptum! sedent antè ad mensam & vi coronant, inde probè madidi & semiebrii ludere occipiunt, non tam

(8) Exod. 32.

tùm aleis & chartis, sed eo etiam modo, quam Cornel. tangit his (9) verbis: *lusum hunc fuisse impurum, ex eo colligitur, quia in honorem vituli (quod maximè lascivum ac libidinosum est animal) lusisse videntur, pro vitulo & cum vitulo vitulantes.* Cùm ergò blasphemos inter lusores & carneos gulones tanta sit affinitas, ocius ego mutatis mutandis eminus lusores impeto sententiâ illâ, quâ S. P. Aug. (10) ebrios gulones confixit: *Ad excusandas excusationes in peccatis hæc prætenditis; fugere quod noluistis, fugere non potuistis; persona potens vos coegit ad bibendum* (adde etiam ad ludendum) *ergò culpa in nobis non est.* Jam probè attendatur, quibus modis hæc effugia retundat Africanus: *Nolle nolle in culpa est, fratres mei, non posse prætenditur; perdere timetis Magnatum gratiam, quæ falsa est gratia, rectius odium cognominanda. Deus, ob cujus honorem à pravitatibus hisce abstinetis, dabit vobis, ut inveniatis gratiam in oculis seu potentis amici, seu aliorum, quorum offensas timetis. Non sit vobis amicus, qui vos Deo facere vult inimicos.* His obiter præmissis, nunc etiam cominus pravos lusores insector.

(9) Cornel. in 1. c.

(10) S. August. Serm. 232. de temp.

Blasphemia est in Spirit. S. quod ore sacrilego in Deum ac Cœlites Apostolos per enormem petulantiam evomuistis. Sors cecidit super Matthiam, non ex aleis aut fritillis, sed è cœlesti radio, junctis Apostolorum precibus exorato, quò præ Barsaba Matthias illustrabatur, Dionysio (11) teste, & (12) Antonino, ut Cornelius (13) meminit. Potuit fortè Nomen Matthiæ uni chartulæ, Nomen Barsabæ alteri inscriptum, simul ac semel in urnam projici, cum hac distinctione, ut primò inde productum veri nominis Apostolum Judæ subrogatum signaret. Hæc sors ut novum aliquod sui caperet firmamentum, potuit ad Collegii Apostolici repetitas preces radiò cœlitus affusò stabiliri. Non est adeò, quòd ullum pessimæ causæ præsidium ab apostolica Sorte lusores exspectent. Quidquid hîc factum est circa sortitionem ministerii, hodie per Conc. Trid. in Beneficiis ecclesiasticis sorte dividendis prohibitam, factum est instinctu Divino, quò unò tacitè Deus promisit, se suam voluntatem per radium nomini affundendum palàm omnibus demonstraturum. Causam si quæras, cur hôc & non aliò mediò ad Apostolatum sublimare voluerit Matthiam suum ter clemens Deus, innuit eam paucis hisce Cornel. Docuit hac sorte Christus in assumptione ad sacra, in denominatione aut præsentatione digni capitis ad curam pastoralem, nolle se haberi rationem consanguinitatis aut patriotismi; Josepho enim Barsabæ consanguineo suo Christus in adeundo Apostolatu Matthiam prætulit prorsus extraneum juxta illud (14) Servatori receptum: *Non est*

(11) S. Dionys. Eccles. Hier. c. 5.

(12) S. Antonin p. 1. tit. 6. c. 2.

(13) Corn. in Act.

(14) Luc. 4.

*est acceptus propheta in patria sua*, cui tamen asserto passim hodiè reboatur, cum enormi sæpè damno Sacrorum & Reipublicæ, cui, ut carni & sanguini faveatur, sæpè præ dignis indigni admoventur in ascetica hebetes, in divinis elumbes, in prædicando Verbo Dei emarcidi, in fundationibus pro mortuis ritè per annum expediendis luridi, in modò vivendi penitus dissoluti, superbia tumidi, avaritia sordidi, in gulam & lusum effusi &c. Experientia docet quotidiana, quàm efficax sit doctrina, quam suis popularibus expromunt compatriotæ; omnis nempe familiaritas parit contempum, & quod tritum ac pænè quotidianum est, facilè fastiditur & vilipenditur; recogitantur anni antiqui, quibus olim nugis servitum est puerilibus; quibus olim quadrâ vixit alienâ, quomodo Mæcenates suos vultu despicit thrasoniano, in altum per violentem obtrusionem sublatus, ut lapsu graviore rueret in profundum; hinc hactius fuerit, nil rescíri de præteritis, quàm perpetim ob oculos habere cereæ juventutis acta & delicta. Nullum tale periculum potuit Christus incurrere, apud suos tamen Nazarenos à miraculis abstinuit, vetus, se debitâ reverentiâ suis à notis orbandum; quantò fortiùs hac popularí reverentiâ excidet, qui pro melle toxicum suis identidem patriotis propinat, seu, qui gulæ ac superbiæ, luxuriæ & avaritiæ grandibus scandalis suos opplet, & lusorum agit coryphæum. Sic ex Apostolica sorte properam sumpta nil penitus reprobæ lusorum causæ accrescit; minus ex voris ex lusu recipiunt divino. Ludit omninò in terris Deus eruam Poëta teste: *Ludit in humanis divina Potentia rebus*; sed qualis est lusus iste? fortis, serius, hilaris, ærumnosus hunc exaltando, illum deprimendo, hunc locupletando, illum ad incitas redigendo, hunc necando, illum vivificando. *Nos omnes in Manu Dei quasi pilæ sumus*, ait Comicus. Expertus est hunc Dei lusum Sobna Templi Præpositus, ac pa-
(15) Is. 22. per Isaiam (15) comparatus, cui tanquam indigno & superbo ecclesiæ Antistiti depositionem & captivitatem propheta minitatur, uni ei pium ac mitem Eliackhim subrogatum prædicit, cui stabilem & gloriosum spondet Pontificatum. Verba minacia sic sonant: *ecce Dominus asportari te faciet, ut asportatur Gallus gallinaceus.* En! figurbum Sobnam Gallo comparat, qui suo in fimeto gallinas architrasonicè superbit & stolidè cristas, superbiæ nidum ostat, victus verò & captus cristas & alas deprimit, maximè vinctus ligatusque in forum publicum vendendus abstrahitur. Notatur unà Sobnæ luxuria, quod inter pellices quasi gallus inter gallinas continuò versetur, pergit Vates: *Coronans coronabit te tribulatio-*

*ne, & quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam : ibi morieris & ibi erit currus gloriæ tuæ ignominia domus Domini tui. Expellam te de statione tua, ait Dominus, & de ministerio tuo deponam te.* Hem lusum, quem ludit Deus cum discolis & superbis capitibus etiam sacris Ecclesiasticis. *In illa die vocabo servum meum Eliakim filium Helciæ, & induam illum tunicâ tuâ, & potestatem dabo in manu ejus, & erit quasi Pater habitantibus Jerusalem & domui Juda &c.* Sicut tu fuisti crudus & crassus pauperum tyrannus, avarus eucìio, cujus gula & ingluvies nunquam potuit exsaturari &c. hùnc hunc Lusum quotidie Deus ludit per orbem, cum coronas, sceptra, tiaras, regna & imperia modò in hanc, modò in illam partem projicit; cùm potentissimos Summates suo de solio deturbat, ac de pulvere suscitat pauperem, extraneum, eúmque sursum exaltat. Agnovit lusum hunc divinum Zeno Imperator; hinc regnô suô dejectus palàm dixit: *Ita sanè Dei ludibrium, Dei pila homo est.* Ludit omninò Deus, sed nonnisi rubros Cordium deperit colores, clamans identidem (16) *fili præbe mihi cor tuum*, prout belle probat Jahoda (17) & (18) Engelgrav. Sic lusisse legitur cum Lutgarde, quæ ab ipso Christo suaviter rogata, quid vellet? respondit, cor tuum volo JESU mi! cui mox Christus: quin ego potius cor tuum. Inde facta Cordium mutua permutatio; Lutgardis cor accepit divinum, & Christus transumpsit cor virgineum. Sic pariter lusisse legitur cum Senensi Catharina, cum Henrico Susone ac pluribus aliis modo Cœlo receptis & immortali gloriâ condecoratis.

(16) Prov. 23.
(17) Jahod. Dom. Sexag.
(18) Engelgrav. Domin. 12. post Pent. p. 1.

Ratum ergò maneat, fixúmque, quidquid ex hodierna festivitate atque ipso Dei lusu suum in favorem lusores allégant, falsissimam Scripturæ interpretationem complecti, imò etiam horribilem blasphemiam in Deum ac Divos Cœlites. Ludere si gestiant, ita ludant, ut tamen nec Deo, nec Sanctis, nec sibi nec suis vel uxoribus vel liberis illudant, quorum sæpè non dico patrimonium sed & ipsam vitæ alimoniam ludendo dilapidant. Ludere si velint, Cordibus ludant Deo transcriptis cum Lutgarde, Susone, & Catharina, unde radio gratiæ, radiô gloriæ cœlitus cum D. Matthia illustrentur; hic lusus æternum reddet beatos, divites, & fortunatos, alterum verò lusum profanum, lusum verè orcinum totis viribus ejurent, anathematizent. Dixi *Lusum orcinum*, & quod dixi, nunc etiam probare intendo.

Quot oculos alea, quot numeros chartifolium numerat, tot simul grandia flagitiorum portenta profanum lusum circumstant. Levi digito

E. Cribrantur.

gito ſignemus nonnulla, quis enim ſingula ad numerum revocet determinatum? Luſor ſi fueris *profeſſionatus*, qualis in jure notatur, qui lucri gratiâ inolitam ludendi conſuetudinem contraxit, proprium ei est quartô modô, perenne mendacium, fraus, dolus, furtum, imò perjurium, & ſi burſam phtiſis corripiat, multiplex blaſphemia, quam modò ipſum in Deum, modò in Divos Cœlites ore ſacrilego deſpumet. Hæc in unum collecta vitia usque adeò luſoribus familiaria ſunt, ut vix unum reperias *profeſſionatum* luſorem, qui hæc & alia conſcientiæ dicat. De hoc lurconum genere ita Zahnnius Juriſta (19) enunciat: *Luſor profeſſionatus ut plurimùm mentiri præſumitur; cùm enim plerumque Deum mentiatur, creditur longè facilius hominibus mentiri.* Horum ſpurcitiorum & vel maximè blasphemiarum participes ſunt omnes illi, qui tam ſceleſtis capitibus menſas indulgent aut domicilium, vel cum iſtis ludunt & græcantur. Scimus etiam Deum ſæpè non tantùm de blasphemis luſoribus, ſed eorum etiam ſociis & patronis grandem vindictam ſumpſiſſe. Obſigno præſens aſſertum prioris ſeculi exemplô, quam Stengel. (20) ſuppeditat. Ludebant chartis An. 1546. blaſphemi Constantiæ (nec locum author nominat, nec nomina detegit, annô ſignare contentus, ut famæ parcat viventum amicorum) his cùm zytho deb... ciente in cellam caupo deſcenderet, tanta irruit tempeſtas, ut domus fulmine tacta, & à fundamentis avulſa, procul abjiceretur, luſoribus ædium ruinâ oppreſſis. Cùm ſedata tempeſtate diſſipata domus vestigaretur, reperti ſunt luſores, adhuc chartas manibus in altum ſuſtollentes ſed exanimes & nigro carbone notati, ut ſcires, unde tanta in cauponam ſit tempeſtas accita, nemine totius domûs ſalvo, præter cauponem, qui concameratæ cellæ beneficiô inter dolia, homo fortè minimi doliaris ſervatus est, vix id ſatis correctus; quòd non tam ædium ruinarum, quàm uxoris & liberorum paſſus ſit jacturam. Exſpectant, ni fallor, reprobi luſores, & luſorum patroni aliam ſymbolam, hâc minùs crudiorem; dabo dabo menſuram bonam, confertam, coagmentatam & ſupereffluentem, eum in finem, ut, qui nullis rationibus, nullis ſcandalis ſe ab orcino luſu abſtrahi patiuntur, nunc ſaltem horribilibus pœnis tantò ſcelerum cumulo decretis, à tam prava & ſuperstitioſa luſorum ſocietate abſterreantur. Gobat. (21) hunc *caſum vocat omnium terribilium terribiliſſimum.*

(19) Zahnnius de Mend. l. 1. c. 6.

(20) Steng. de Jud. t. 2. c. 3. Hiſt.

(21) Gobat. tr. de Blasphem.

Fuit in Gallia juvenis religioſo Crucigerorum Militum ordini adſcriptus, qui verò profeſſionem ſuam grandibus vitiis conſpurcabat, ad omnem vitæ licentiam qua data porta effuſus. Aliqua ex innumeris libertas

libemus. Quoties famulitio instructus magnificè urbis plateas vel obambularet, vel obequitaret, omnium in se oculos, digitos pariter & linguas convertebat. Sanguis ei fuit è prima quidem nobilitate, de cetero tamen plures opes numerabat quàm virtutes, & minor eum vitæ fama stipabat, quàm officii sacri authoritas. Cedebant de via obvio, pileis honorem deferebant, non item animis; transgresso exsertâ passim linguâ medium unguem pueri ostendere, & brachiis utrinque in latera ridiculè reflexis, thrasonicum bambalionem visi sunt explodere. Calamistratam cæsariem contractior pressit galerus, nunquam in verticis medio stare, sed sinistro lateri semper incumbere ac de cincinno pendere visus. Veste tota splendidus non rarò psittaci instar multicolor, aulæ se primum assedam profitebatur, non Ordinis aut Ecclesiæ columnam. Officii statum nemo ex incessu, nemo ex vanissimo vestitu cognovisset, nisi, quis esse deberet, crucula vestibus assúta propalâsset. Quacunque ibat, non bonus Christi, sed unguentorum muliebrium odor, aures & plateas inficiebat; hoc ipso enim malè olebat, quia gynecæum olebat, cui plures in horas colludere summa erat voluptas. Eò nempe hôc ævô ventum est, ut non tantùm viri sed ipsæ etiam feminæ licentiùs peccent ludendo; hæ viros hodie quoscunque à seriis negotiorum causis ad chartas lusorias non tantùm provocant, sed provocatos etiam triumphant; hunc triumphum nisi ex lusoria societate reportent, ocius hæ viperæ immanem in modum excandescunt, & continuò vel bardum, vel inficetum pecus illum proclamant, cui mollioris sexûs reverentia & aulæ urbanitas non fecerint persuasum, honestissimum seu discretissimum esse ab hoc sexu superari, essèque lucri partem haud levem, ad earum victoriam & inde prognascentem lætitiam artificiosè conniti. Novit hic, nomine tenus religiosus Cruciger, muliebribus lamiis longè ardentius servire quam Deo ac Cœlitibus, sæpius in lustris & in ganeis quàm in templo spectatus; cujus etiam manu sæpius poculum aut chartifolium versabatur, quàm officiolum ex speciali Summi Pontif. gratia locô Breviarii decurrendum. Ex ore illius nil nisi vomitus, & quod adhuc fœdius est, nil nisi Veneres prodibant, & lupambulæ. Ab eo providi parentes suas filias, mariti suas uxores absondebant, & quod caput est, tot flagitiis obseptus, nunquam visus est confiteri; malè acta tamen in lustris & in popinis, in angulis & turpibus conventiculis coram Camillis & Suillis palàm prædicare nunquam veritus; ceterum homo undique indoctus, fastu & tumore turgidus, vino ardens & libidine, omnis commonitionis impatiens, & immodicis lusibus addictus, illis maximè, quos datum

F. Lusorum blasphemiæ divinitus castigantur. Hist.

fuit domicellarum in gratiam perdere ut paulò antè memoratum. Hunc ergò tot pravitatibus hirsutum Crucigerum tandem scelerum ultrix jo-stitia corripuit, extirpavit. Quæris, quod scelus ultimum fuerit malitiæ complementum, quo scelerum mensura expleretur? dico, luxu fuit enormibus blasphemiis conclusus. Hæc nempe Dei erant judicia, ut, qui toti urbi erat scandalum, toti etiam orbi fieret exemplum, & mul ab unius exitio sapere discerent omnes illi, qui si ab Ecclesia mat grandes pecunias & præpingues census pænè gratis recipiunt; si omnibus aliis se-fastuosè præponunt; si tunicis effulgent; si sint in pocu fortes, in lustris & in lucis ac lusorum conventiculis frequentes, non ni se suo ac officio apprimè credunt satisfacere, plus sibi licere persuad quàm qui vel in oculis profanissimorum principum, vel in castris auda cissimorum militum vitam agitant sine lege, sine mente, sine conscientia, sine disciplina. Redibat domum Strobilus iste frequentatis vicibu benè serus, benè madidus, & ob bursam sæpè lusu exinanitam grau œstro percitus & furibundus. Erat domi parens vidua Deo impen addicta; hæc filium correctura nil inausum, nil intentatum reliquit, à filio natu grandi nil præter sannas retulit & martiales sarcasmos. Mo nitis minas adjecit mater, & pro mulcta, serius si domum rediret, nu tam cœnæ sublationem quàm firmam ædium obserationem intentav sed & hæc veluti vana feminarum terriculamenta irrisit & explosit, verò stetit vidua verbis suis ac minis; cùm iterum fratre suo & soci stipatus nocte concubia fores pulsaret, à promo & à condo, atque om nibus à domesticis ædium ministris, imperia matris arctè observari a vertit. Vidua parens jam se multò antè cubitum receperat, relict omnibus ad repetitos clamores filii crucigeri, nec pedem locò aut lect suò moventibus, ut pessulum reducerent. Jam dixi, nullum scelus p probis lusoribus tam affine est, quàm blasphemiæ scelus; mox ergò ob ras in parentem viduam evomere, inde Deum & Superos execrari, dire ridis blasphemiis cœcam noctem polluere, Satanam enteis vocibus Or cò evocare. *Nugæ in ore secularium nugæ sunt, in ore religiosi sunt blas-phemiæ* olim erat Hieronymi Maxima. Ah! quid dicturus fuisset S. Pa ter, si Ordinis professum, qualis iste fuit Cruciger, seu rectius crucem centies meritus lurco, tam tetras blasphemias ore despumantem au sset? repressit frater secularis multoties blasphemi fratris sui pessimos-rores, at irrito conatu. Mulctæ maternæ & ipse particeps, fratrem pe petim blasphemantem, atque alium mensæ socium affinem ad vicinum hospitium abduxit; hic haustu facto in lectum & unà lethum, qui mox pro

pro tribus præstò erat, se simul recipiunt terni. Medius fratrem inter & alterum Nobilem cognatum jacebat blasphemus irarum plenus. Irruit non multò post in cubiculum, cùm etiam lecto illatus, identidem diras in Cœlum exscrearet, Dei Summi toties lacessiti vindicta. Quæ illa? audite blasphemi lusores, & utrumque tam *lusum orcinum*, quàm blasphemiam lusûs orcini filiam ejurate, profligate. Subiit tandem effractis impetuosè foribus conclave, gigantis specie horribilis Satan, duobus terrificæ magnitudinis & ferociæ molossis stipatus. Corripuit horripilatio accubantes, blasphemiarum toties profusarum haud immemores; stupebant novis horroribus attoniti, qui extremi accubabant, cùm medium blasphemum à ferociente Satana evocari, & frustrà reluctantem etiam prehendi, ac elusa sociorum operâ per vim lectô abstrahi conspicerent. Nunc primùm veri nominis tragœdia horridum finem sortietur, aures oculos & animos advortite. Lectô protractum in mensam fenestræ proximam abjecit Satan, abjectum grandi cultro in frustra dissecuit Satan, eáque binis molossis devoranda projecit, ut nil præter largum cruorem mensæ affusum remaneret. Feralis officio perfunctus Satan, justum Dei judicium in blasphemum contestatus, nec sibi in reliquos duos nullâ blasphemiâ infectos quidquam licere professus, abiit, excessit, ac semineces præ consternatione in cubiculo reliquit, tragœdiæ tam luctuosæ tremulos spectatores. Fratre ex fratris clade supra modum mœstus, ubi suspiria stitit & lacrimas siccavit, perenne cordolium circumgestans, omnes seculi curas abjecit, & in sacram quandam familiam adscriptus, vitam vixit concepto de divinis judiciis horrori conformem, socius affinis D. Brunonis Carthusiam irrepsit, in cinere ac cilicio perenni pœnitentiam acturus. Mater audito fatô ita horridô ex mœrore contabuit. Unum est, quod hac in tragœdia ritè quoad literam intelligenda commonefaciam. Ait Gobat, hos fratres ea nocte, quâ Orcus secuit blasphemum, serius ex venatione domum remeâsse, domi jam omnibus altô somnô sepultis. Terminô nimis modestô, ut alii perhibent, usus est Scriptor iste. Duplex est venatio, *licita & illicita*. *Licita* est, quâ feras animantes naturâ quadrupedes captamus. *Illicita* est, quâ bipedes feras lupi & lenones insectantur. Subobscuri nominis dicta in apricam lucem extrahet S. Ephrem Magni Patris Augustini docilis discipulus; hic quæstionem ponit (22) quam ocius plura per synonyma enodat his verbis: *Quid est mala mulier? immanis bellua, impudens bestia, insatiabilis fera. O malum malorum maximum mala femina!* has has feras ad mensam lusoriam eo, quô suprà meminimus, ritu venatus est Crucia-

(22) S. Ephrem. t. 1. tr. contr. improb. mul.

rius iste ; ab hac venatione fatur & potus serò domum regressus, sore reperit oppessulatas ; hinc maternis ædibus excluſus, omnes blasphem oris cataractas primò in matrem, inde in Deum ac Divos Cœlites relo vit, dignus, quem Orcus raperet & in partes millenas comminueret, offæ Cerbereæ bolos!

Hos nempe fructus parit lusoria societas. Similes tragœdias dit lusoria familiaritas, quæ si bursam exhausit, in animam fru & in putidam carnem stygios provocat tortores, ut in blasph mias effusos lurcones etiam vivos justò Dei judiciò proscindant. S gant his auditis comæ illis maximè, quos à laicis ecclesiastici Statûs gnitas immensis gradibus discriminavit. Clericis & vel maximè Pa chis ex Concil. Gener. Lateran. sub Innocent. III. *in Cap. Cler. de v & honest. Cleric.* aleatio interdicta est ob blasphemiæ & decoctio scandalosæ periculum ; at par ratio chartaceum urget lusum, q hic æquè ac ibi fortuna dominatur ; hic pariter & ibi fraudes & me dacia, perjuria & blasphemiæ nidulantur. Hic æquè variorum c minum multiplex occasio porrigitur ; hic pariter & numerosæ ex decoquuntur, quibus nulla Ecclesiæ beneficia utut pinguia suffi ant ; quæ causa fuit cur Lusus in genere *Orcinus* diceretur lu quò tot animæ ad Orcum promoventur. At verò quotus hodiè C nonem illum curat ? quotus hodie seriò & constanter lusum e rat ? plures certe diem se crederent perdidisse, quò non plures h ras alearum aut chartarum lusui dicâssent, una sessione plures a reos è sacris Missarum sacrificiis & Beneficiis collectos dilapidan Suaserim ego huic hominum generi, maximè cura pastorali differen ut voto undique innoxio, ut juramento undique sancto, omnes lusum tot peccatis, tot scandalis & blasphemiis hirsutum ejurent. I tantò fortius & efficacius in laicos lusores ex pulpito detonabunt totius septimanæ labores una vel altera sessione dilapident. Fatu justum Numen, ut omnes ac singuli lusum tam periculosum, lusu rè *orcinum*, societatem ita noxiam totis viribus devitent, & omnem blasphemiæ spiritum timore pœnæ proscribant, ii maximè, quibus ta quam populi Rectoribus seu sacris seu profanis illud identidem ho

(23) Jer. 1. (23) occlamat: *Ego posui te ut evellas, & destruas, & dissipes, & dis das*, quid ? horridum blasphemiæ scelus, blasphemiæ protoparentem Lusum verè *Orcinum* quia per hunc utplurimùm blasphemiæ generantur, per blasphemiam verò in omnium perniciem Cerberei molossi ex Orco provocantur. Dixi.

CON-

# CONCIO XIII.

## FESTVM S. JOSEPHI.

*Joseph autem cùm esset vir justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere illam.* Luc. 1.

## Ilias Liberorum.

NUllum connubium tam sanctum est, quod omnibus careat ærumnis. Opt. AA. Sanctius non datur sub Sole, quàm sit Virgineum à Deipara & Josepho contractum, verum undique & validum, licet nonnisi ratum esset. Deiparæ gravissimi dolores, quibus hoc in matrimoniali statu Regina Martyrum meruit salutari, loci hujus non sunt, alibi locorum ex instituto producendi; at verò si maximos animi angores, quos passus est maritatus Joseph, solicitus exquiras, non injuriâ, Josephum *Virum* dixeris *Dolorum*; tantos nempe animi cruciatus, curas, & ærumnas totô vitæ spatiô sustinuit Josephus. Aliqui numerant in eo septenas, quarum facilè primas tenet hodierna. Quid actum sit hodiè, paucis innuit Evangelista. Domum ex Elisabethæ amica visitatione redux Joseph, cepit more suo fabri laboribus insistere; hæc inter cùm divinis voluptatibus ex consortio Virginis domi suæ frueretur, en subitò prægnantem Conjugem. deprehendit; horruit ad inexspectatum rei eventum tristis, anxius, irrequietus, inde tam perplexis cogitatibus agitari cepit, & cruciari, ut animô diu in diversa jactatô, tandem à lectissima Conjuge clanculò secessum moliretur; quâ quidem fugâ tanquam *Vir justus & nolens eam traducere*, seu legi offerre, Virginis famæ ibat consultum. Mœror iste ex tumido Virginis utero conceptus, tantîs auctus est incrementîs, ut illud (1) Threnorum de Josepho fidenter posset enunciari: *Magna est velut mare contritio tua*; ex una enim parte Virginem sponsam à se intactam, modò gravidam spectabat, & quantum inde, si palam fieret se prolis parentem esse, probrum accresceret, seriò secum agitabat: ex altera verò parte totam vitæ rationem quam Sponsa vixit, accuratè perscrutatus, omnia verba, omnes motus & actus ejus,

A. Connubium etiam sanctissimum, ærumnis scatet probatur ex Josephino.

(1) Thren. 2.

nil nisi summam modestiam, puritatem & sanctimoniam spirare vide quæ omnia quamcunque reprobam suspicionem procul in auram dis pabant. Inde autem rursus occurrit, qui fieri posset, ut fidem oc abnuat, potuisse forsan contingere, ut quidpiam passa esset invita; vir dum sibi proin esse consortium ejus, quæ saltem aliqua esset ulterii specie notata. Inde iterum expendit, quantâ prudent quantâ cautelâ ipsi esset hoc in negotio procedendum, ne quid tem statueretur, cujus tandem seriò pœniteret; una tamen semper hoc perplexo rerum statu totam mentis afflictæ molestiam mœstu taciturnus summa cum patientia tolerabat, ne quid ex tanta mœst dine Virgini sponsæ innotesceret, Deo interim totum hoc negotiu committens. Perspecta rursus Conjugis suæ intaminata virtute piùs animô cespitare accepit, an fortè Deum Hominem (prout SS. in Joseph. observant) uterô suô circumferret: quid si sponsa mea, qua nec umbra mali deprehenditur, illa ipsa Virgo esset, quæ ex vo dico Jsaiæ Oraculo futura Dei Mater extollitur; unde se tantæ Virg nis consortiô indignum reputans, se tot & tantis mysteriis clim subtrahere constituit. Ita sanè de pientissimo Josepho in termini

(2) Rev. S. Brig. l. 7. c. 25. quuntur Revelationes (2) Brigitanæ. Erat quidem Josephus eô ser per animô, ut nullis unquam malis se frangi, nullis se adversis transversum agi pateretur; tritum illud Horatii (3) sibi præ aliis re

(3) Horat. l. 3. dicans: *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ*; quoties tamen gravidam Virginem mysteriorum ignarus spectaret, gravissimè dol bat, perenni angore compunctus, diu noctuque anxius, Deum sæ duè erectis in Cœlum mœstis oculis, si solus esset, precatus, & ab solo solidam opem efflagitans, in quo uno afflictorum omnium a curas omnes & acerrimos animi dolores deponeret. Ita Deo placu integerrimi Josephi patientiam exercere, ut nullus alius post Josephum graves ærumnas matrimonio proprias obstupesceret, sed eas pari re lerantia cum Josepho exhauriret, juxta illud: *Si hæc in viridi, in arid*

(4) Luc. 23. *quid fiet?* (4) Astitit tandem divina Bonitas dormienti, & re tis cogitationem turbis exagitatam mentem, procul acto mœ per Angelum è cœlo missum, tanta suavitate demulsit, ut

(5) Ps. 93. cum Psalte regio (5) jure optimo exclamaret: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde me Consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Gabriel Archangelus in somnis apparuit Josepho, ut SS. perhibent, teræ, eum his verbis affatus: *Joseph fili David, noli timere accipere Ma riam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est; pariet autem*

*autem filium, & vocabis Nomen ejus JESVM, ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Hic primùm diffractis omnibus cogitationum procellis, Sponsam suam è cœlo gravidam, ac proin Messiæ Matrem esse cœlitus intellexit, sibique de hac nova felicitate, ad quam Dei erat beneficiô evectus, mirificè applausit; divinis inde deliciis abundare, castissimo Virginis Deum uterô gestantis consortio, quantùm antehac nunquam, refocillari cepit, extollendo identidem Dei erga se indulgentiam tam raram. Exhausit Josephus plures alias ærumnarum tempestates, ut cùm crudos Bethleemitas nullis posset precibus inflectere, ut ædium simplicem angulum Deo ac Deiparæ indulgerent, cùm porrò Dei Filium ad caulam relegatum, duro fæno incumbentem, & hiberno frigori expositum coràm spectaret: cùm Circumcisioni assisteret, & Sanguinem colligeret divinum: cùm Herodis metu in Ægyptum exul JESUM duceret & Mariam incertus de loco, tempore, victu, vestitu, ac ceteris omnibus necessariis in exilio comparandis; dolor inde prognatus totum tenuit septennium; Cùm ex Ægypto altiori ex Imperio reversus regnare audiret Archelaum, Herode patre multô immaniorem tyrannum. Erat, ut constat, supra exemplum crudelis Herodes, sed Herode deterior filius metum ac timorem Josephi grandibus modis adauxit; tandem cùm JESUM perderet duodennem ac perditum toto triduo investigaret. Non extraxit vitam Joseph usque ad trunculentam mortem ab hebræis Messiæ illatam, morienti centies commoriturus, si & ipse cum sanctissima Conjuge sua sub Cruce stetisset. Nemo adeò ex conjugatis sibi de matrimonio suo in terris contracto mitiora spondeat; nemo sibi dies serenos promittat. Surgent venti tribulationum, crescent in horas onera & ærumnæ; curas curis, timores timoribus accumulabit jam viro femina, jam feminæ maritus; augebit dolores partus cruciatus, quotidianos prolium educatio centuplicabit; ut curas taceam rei familiatis, zelotypiam, mariti dominium, bilem, nauseam, & in lusu prodigalitatem; ut silentio involvam feminæ intemperiem, rixam quotidianam, studium superbiæ, & utriusque compartis circa hæc omnia continuam occupationem. Dies, imò annus non sufficiat, si mala omnia & ærumnas maritatis decretas jubear enarrare. Rectè *malorum* omnium *Iliadem conjugatam* in Analog. tub. p. 1. Dom. 19. post Pent. produxi, ubi omnia unum in cumulum coacervavi, quod premere solent conjugatos. Aliam *malorum Iliadem* Dom. 2. post Pent. Tub. præsentis exhibui, cùm Zelotypiam malorum maximum malum connubio adscriberem. Festum S. Andreæ

B. Si hæc in viridi, in arido quid fiet? plùs ergò ærumnis alii omnes conjugati patebunt

Andreæ Tub. Clem. ſtatum omnium ærumnoſiſſimum eſſe probet matrimonium, cui nec Capucinorum nec Carthuſianorum valeat auſteritas comparari; crucem in eo maximam dices eſſe Zelotypiæ, quâ in virum femina, in feminam maritus exardeſcit. At verò ſi nulli Zelotypiæ detur locus, quæſtio reſtat, quid tunc malorum maximum, quæ crux omnium maxima dici debeat in Conjugio? huic quæſtiunculæ ocius enodandæ dico, proximum Zelotypiæ malum eſſe peroſiſſimam Liberorum Educationem, quam ideò dixerim *Liberorum Iliadem*, ſeu quod idem, Mala connubio annexa ab Educatione proenaſci ſolita. Accingor operi & aſſerti hujus ſolidæ probationi.

C. Malorum Ilias ex liberis prognaſcitur.

Verum eſt, quod Chriſtus (6) dixit, triſtitia mulieris parturientis & condolentis mariti mœror multum levatur, cum partu felici ſolvitur: *cùm peperit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium quia natus eſt homo in mundum.* Gaudet partu fauſto mater & pater nec malè; at vero ipſum hoc gaudium centies turbatur ſuſpicione, conjectura, eventu ſubito, immatura pueri morte, vel ſanè ita moribus formati, ut eum parens uterque primò balneò ſuffocatum optet. Ita ſæpè in partu præfeſtina eſt lætitia, quam ſequens tragœdia exulcerat; licet enim mater de prole ſua certa ſit, dolet tamen enormiter ſi de illa virum videat dubitare. Sunt alii hôc maximè ævò nimis carneò, nimis tumidò & avarò, qui parùm curare videntur, undenam ſobolem habeat mater, modò ipſi habeant putatitium hæredem. Legitimam an illegitimam prolem ſuſcipiant, non morantur; quorum tamen gaudium non eſſe poteſt diuturnum; ut enim Sacra memineritptura (7) *filii adulterorum erunt in conſummatione, & ab iniquo thoro* (8) 2. Reg. 4. *men exterminabitur.* Expertus id eſt David (8) cujus parvulum legitimè ſuſceptum Dominus ſuſtulit, quem peperit uxor Uriæ; ambo diutius, & in majorem ſpem vivunt liberi, eò in majores luctus ſuos conjiciunt parentes adulti. Credunt ſæpè, ſe morigeros Iſaacos, ſe ſtudioſos reos Jacobos educâſſe, & ecce, ſuis è laboribus & curis merentes runt Abſalones parentibus ſuis rebelles, quos diro fati genere e medio tollat juſtum Numen. Hæc hæc liberorum incerta & periculoſa ſatio multos hanc in horam à Conjugio abſterret; vident enim quotidie ante oculos, quantum parentibus laborem creent filii etiam vivi; quantam illis curam, crucem & dolorem pariant ſi adoleſcant. Quò major ſæpe proles eſt, tantò etiam major de illa ſolicitudo eſt, ne in morbum irruat, ne ferrò cadat, ne aleâ vel charta, vel poculo, ne parentum bona operoſiſſimè collecta conſumat; ne inconſulto &

(6) Joan. 16.

(7) Sap. 3.

(8) 2. Reg. 4.

epto se matrimonio involvat ; ne ipsos in parentes audacia plus quàm barbara insurgat, & vel vi vel fraude vestes & pecunias subducat. Hîc sanè non rarò etiam sanctissimos parentes audias ejulare, quòd filios suos domi optimè educatos foris audiant factos esse pessimos ; quanquam nec mali parentes sine cruciatu tolerant pessimos filios ; quò enim iram sunt proniores, eò etiam impatientiùs ferunt, si à suis cognatis quamcunque contumeliam patiatur. Bonus imò optimus fuit nostrûm omnium protoparens Adamus ; at nunquid Cain filium vidit fratricidam ? Vir erat secundum cor Dei regius David ; at nunquid Absalon fatales insidias optimo struxit parenti, dignus qui fieret duræ arboris anathema. Quid non tulit Abraham ab Ismaële, à Ruben Jacob, à filio Cham pius Noë à maledicta prole turpiter illusus ? ah quoties hic illusionibus, dictis & cachinnis bilem suis parentibus discolis filii exasperant ! Exemplis hic loci supersedeo ubique obviis.

Ex his omnibus perspicuum redditur, conjugium utut pium, sanctum, à numerosa prole à sæpenumerò felle oppleri. Rectè ait Apostolus (9) *si acceperis uxorem, non peccâsti ; & si nupserit virgo, non peccavit ;* at verò probè notentur sequentia: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* Hoc acetum Deus Conjugio affudit, ne qui merum nullum in matrimonio exspectaret, vel matrimonium cum hæreticis crederet præstantius aliquid esse, quàm sit cœlibatus. Ah ! quàm multi timent, ne proles sit aliena, quam ut suam sustentant ; hujus tamen timoris non pauci viri causam præbent ultroneam. Quomodo ? quando ? dicam candidè : fucos enim & phrases gallicas odi mordicus, execror, detestor. Ipsi viri sæpè perfidas faciunt uxores suas ; cur enim eas tantoperè oculis ornant alienis ? emptores quærit, qui equum comit. Cur ad omnes choreas, societates, nuptias, hortos & adipales mensas mittunt suas ? dum comuntur, venduntur, foro dum parantur, emptoribus prostituuntur. Quod modò de uxoribus dictum est, quas sæpè per luxuriantem vestitum faciunt reprobas mariti, idem de filiis sentiendum & de filiabus, si degenerent, atque omnibus ærumnis afficiant parentes, has ærumnas à filiis profectas sibi frequentissimè ipsi parentes conciliant ; cur enim eos à cunis in omnem educant vanitatem, luxum & lasciviam ? cur eis omnia permittunt & indulgent ? si nolint habere malos filios, sanctiùs educent filios suos ; si velint sortiri longævos, corrigant refractarios. Ipsi hodie à pueris pueros & puellas avaritiam docent, gulam, superbiam, luxuriam, acediam. En ut aurô infascinent, qui necdum sciunt, quid rei sit aurum.

(9) 1. Cor. 7.

D. Acetum conjugio affusum est.

E. Hoc acetum ipsi sæpè parentes multiplicant.

En ut purpurâ involvunt adhuc à matre rubentes pullos. En ut mâ-
sô & saccharô stomachum evertunt. En ut vix pedibus insistere doctu
propudiosos saltus ostentant. En ut inter pueros & puellas, nuptias
choreas primîs annîs instituunt. Ubi tam miserè proles educatur, n
mo miseretur, mille curis, mille angoribus ob hispidam sobolem p
rentes lancinari.

(10) S. Aug. Serm. 33. ad frat. in erem.

Tragicam rem narrat Aug. (10) his verbis: Accidit hodie te
bilis casus clarissimo civi nostro Hipponensi Cyrillo; filium habeba
nicum, & quia unicus erat, eum superfluè diligebat supra Deu
hoc superfluo amore inebriatus filium corrigere negligebat, dans
iam potestatem faciendi omnia, quæ placita essent illi: ô dolosa lus
tas! ô grandis filiorum perditio! ô paternus amor mortiferus! qu

F. Probatur ex August.

filios se dicunt diligere, quos jugulare procurant. Dicunt eos am
re, quibus jam suspendia parant. Dicunt patres se filios enutrire
ecce, jam pater & filius ambo in foveam cadunt. Quare pater c
filio cadit in foveam, nisi quia pater cœcus est, quia malus est,

Hist.

quia salutem suam ac filiorum negligere videtur; quando & quomo
pater hæc neglexit, nisi quando filio libertatem dedit! quando
corrigere neglexit, nisi quando virgæ pepercit, eique
serenos vultus exhibuit? Cupitis audire nunc, quomodo pater &
lapsi sint in foveam? Ecce Cyrillus vester filiũ habebat, ut nostis, quem
rigere negligebat, utut luxuriosè vivendo partem bonorum abstulerat
sed en hodie ebrietatem perpessus matrem prægnantem oppressit, sororem
violavit, patrem occidit, & duas alias sorores ad mortem usq; cecidit. Hei
quàm gravibus damnis filius iste discolus patrem affecit! quàm
mibus probris matrem afflixit! quàm grandibus malis matrimon
conturbavit! at horum omnium prima causa parens extitit. Quod
bimet pater intrivit, exedere debuit pater; tulit pœnam, qui fecit
pam. Nemo miretur, à filiis malè educatis pro ignavis parentibus
tas cruces elaborari. Non pauci parentes ad certum tempus in hac vita
in altera verò propter filios neglectim educatos, æternùm puniuntur.

Dedimus paulò antè luridum prolis educatorem Patrem, g
filio in letalis conniventiæ pœnam trucidatum ex Augustino
nunc ad Matrem pari ex causa damnatam ex Hieronymo
produco. Est ea nobilis & locuples femina Romana,

(11) S. Hieron. est ad Læt.

G. Et ex S. P. Hieron.

ne Prætextata, quæ ab Hymetio marito suo Virginis Eustochii
gnato se passa est induci, ut Eustochium Virginem, quæ jam
calces illidere, & se Deo sacros inter cœnobii parietes statuit

lare, vanis ac profanis vestibus exornaret, & crines ejus in turritos cincinnos ligulis splendidos crisparet, qui luxus vel hodie in procacibus feminis & domicellis superbiæ capillares nidos infestat. Satagebat hoc ornatu innocentem animam à claustro avertere, eique tam virginitatis, quàm vitæ solitariæ nauseam conciliare. Audiant modò quæ sequuntur omnes illæ matres & femellæ, quæ totæ sunt in commendis, in pingendis, & Dearum ritu vestiendis puellis suis. Hîc probè perpendantur, quid boni, imò quid mali pariat unguentorum odor, coma undique calamistrata, ut luxuriantibus ligulis innodata, ac vestium omnium procax ornatus. Vix dies abiit, quô Prætextata Eustochium affinem suam dictô modô expolivit, en proxima nocte dormienti adstitit, sævo vultu intuens Prætextatam Angelus, gravi & sonora eam oratione hunc in morem salutans: tentæne tu audaciæ, tantæ sis temeritatis, ut mariti tui consilium seu mandatum pluris facias quàm Christi præceptum? tu ne ausa es Virginis Deo devotæ caput sceleratis manibus attrectare? en nunc illæ tuæ sacrilegæ manus tibi ocius exaresçent, & ex immani cruciatu addisces, quantum facinus patraveris; hoc tamen supplicium sceleri tuo decretum nondum sufficit; post exactos quinque menses præceps agêris in Avernum. Dicti virtutem probavit eventus; fatô repentino occidit Prætextata, sine sacris extincta, ostenditque, seram illius pœnitentiam extitisse! Eustochium filia non fuit Protextatæ, sed affinis, instar filiæ tamen habita, ideò tanquam prava mater acheronticis ignibus punita; ut Deum sanctius discant parentes timere, qui liberos suos nullum Dei timorem edocent, sed eos potius ad omnem vanitatem luxum & luxuriam educant, sustentant. Hist.

Sive ergò liberos habeant in Conjugio parentes, sive liberis careant, semper inde cruces prodeunt: non dantur liberi conjugibus, assiduos inter curas exspectantur, & votis desiderantur millenis, ut tot opum certos capiant hæredes, effætæ senectutis baculos, & fractæ gaudia vitæ. Si dantur liberi, Deum bonum! quæ onera, quæ juga iterum parentibus accrescunt ex prolium sustentatione & earum educatione, à quibus tamen etiam probè, ne dicam, improbè educatis, nil præter sannas & ludibria reportant. Suis etiam morigeris jure occinunt tritum illud Joannæum: *Quis putas iste erit?* aut hæc puella? an solatio erunt, an cordolio parentibus suis! omnia cùm fecerint parentes, semper tamen sacrum inter & saxum hærebunt nescii, quid futura pariat dies, grati an ingrati liberi sint futuri? an in gratia morumque innocentia sint duraturi?

ri? centies hic falli videas parentes & solamine destitui præconcepto. Quomodocunque ergo liberos suos respiciant parentes, curæ de præsenti, curæ de futuro animos lancinabunt. Educari videant suos adhuc mnem vitæ modestiam, semper in curis versantur, ne fatô rapiantur. Irruit mors & florem amputat, curæ curis, lacrimæ lacrimis augentur, sed nonnisi stultis à parentibus; si enim innocens est anima, peccare nescia, sacris tamen Baptismi fontibus ritè abluta, certi sumus lem animam rectà cœlis illatam esse; ut quid ergò tot ejulatibus dmum complent & viciniam? an cœlos invident suis, quibus forsan ternùm excidissent, si adultiores obiissent. Adorent Providentiam divinam hic loci parentes & se illo Sap. effatô (12) solentur; *rapiatne malitia mutaret intellectum ejus.* Subinde à cunis etiam infantes piuntur, ut parentes probentur, prout scimus probatos esse Abrahamum & Jobum; ille speravit contra spem in spem, cùm Isaacum sus esset è medio tollere paterna manu, cujus obedientiæ centuplum accepit: *Suspice cœlum & numera stellas* (13) *sic erit semen tuum*, Job. *labiis non peccavit, nec stultum aliquid contra Deum locutus est*, etsi mortis iteratæ nuntios acciperet, id unum ingeminare auditus: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. Dominus dedit Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, sic factum est. Sit Nomen Domini benedictum!* Sic omnibus ac singulis parentibus loquendum, suos dimittant; si verò suos sine culpa ipsorum videant in probrum famæ & incendium gehennæ excrescere, irritâ industriâ correctioni eorum impensâ, rebelles animos Deo cordium expugnatori committant, quod viribus deest humanis, supremum Numen compenset.

(12) Sap. 4.

(13) Gen. 15.

(14) Job. 1.

Tandem hunc in finem, ad leniendas quasvis matrimonii asperitates omnibus suaserim conjugatis, ut D. Josephi efficax patrocinium quotidie implorent. Hic afflictis condolebit, ac fel in mel, absynthium in saccharum convertet.

Amen.

CON-

# CONCIO XIV.

## Festum Annuntiationis B. V. M.

*Ave Maria.* Luc. 1.

## Salutatio Angelica.
## Execratio Diabolica.

ALia terris, alia cœlis recepta est politia, Opt. AA. Illa grandem morum crepat barbarissmum committi, si quocunque modô Prælatum subditus & inferior, Herum famulus, Magistrum discipulus, lictor Prætorem, verna curialis Consulem, imberbis Frischlinus grandævum Senem, Principem cubicularius, Nobilem ruralis Mopsus, Parochum ædituus, legis-Doctorem illiteratus scriba, Virum femina prior salutet; hæc contra urget, imperat primo quantocius manè Deum ipsum ac Divos cœlorum satrapas, per abjectos terrarum filios salutari, aliter rarò admodum exoptata salute cœlitùs donandos, nisi antè vicibus iteratis Superos terricolæ salutârint. Scimus Dei summi matutinam salutationem ab homulo intermissam, vitâ neglectori suo stetisse. Legi olim in Annuis Soc. tit. *Funiculi* (1) *Adam &c.* fuisse Belgam, qui cædis patratæ spectator, auctoribus fugâ dilapsis, tanquam sceleris complex comprehensus, etiam capite damnatus est. Mortis inexspectatæ nuntio exanimatus, animo imquente humi corruit; ubi verò animus cum voce revertit, has in voces linguam resolvit: justus es Domine, & justum est judicium tuum! parentes enim mei imminente bello cùm prævidérent fore, ut eorum liberi aut communi malo penitus opprimerentur, aut à se mutuò avulsi, in varias Syrtes agerentur, quorum corporibus non poterant, animis saltem prospicere statuebant; cùm itaque nos omnes convocâssent, salutaribus præceptis singulos animârunt, magnoperè obtestantes, ne quando committeremus, ut illa nobis memori mente diffluerent: præcipuum erat hoc, quod seriò inculcabant, ut quotidie prima luce salutem & gratias pro acceptis beneficiis per preces matutinas Deo diceremus, ejus auxilium pro animæ ac corporis salute firmanda pientissimè implo-

A. Deus ac superi contra mundi politiam volunt à terricolis primo mane salutari.

(1) Ann. Soc. seu funiculi Adam &c.

B. Neglecta salutatio stetit vitâ mortali. Hist.

implorando. Id si faceremus, salutem salute refundendam, atque ipsum vitæ nostræ custodem futurum ter clementem Deum: sin negligeremus, Deum vindicem & ultorem nos certò habituros. Vera fuisse oracula piis à parentibus protecta, tristis modò eventus confirmat; ab eo tempore nulla dies abiit, quâ non salutari eorum consilio promptus obtemperem: unus ille dies, qui me veteris præcepti oblitum offendit, tanto periculo inermem objecit, ut cædis per alios factæ ipse pœnas exsolverem, qui sceleris potius testis eram, non particeps; hoc proin supplicium mihi non tam ab hominibus, quàm ipso à Deo decretum, tam placidè subeo, meâque morte religionem sancio paternæ disciplinæ. Hæc dixit & vixit, infami gladio peremptus. Discant hinc parentes suis domesticis pias leges præscribere, & salutem primo manè Deo dicendam seriò urgere. Discant inde filii haustis legibus ardenter obsequi. Discant inde omnes ac singuli primam salutem Deo impertire, ut eam ab omnium bonorum largitore Deo cum largo gratiarum fœnore reportent. Sed & Matrem illius purissimam Virginem, Patronam, ac Turrim suam, frequentes salutare discant universi, eâ maximè formulâ, quâ hodie scimus à cœlesti Genio flexo poplite juxta (2) Bernardum salutatam esse MARIAM, quo fructu ad nos refluo hæc Salutatio angelica reiteretur, quô damnô negligatur, aut illius in vicem stygia precationis Marianæ exsufflatio subrogetur, jam fusiùs eloqui mens est.

(2) S. Bern. Serm. de Verb. Ap.

C.

Deo ac Deiparæ Salutatio placet Angelica.

Salutatione angelica nihil gratius esse Deiparæ, nihil ad corporis & animæ salutem roborandam efficacius, gratiæ innumeræ & Mariani favores salutantibus exhibiti, palàm reddunt testatum. Nempe humanissima & urbanissima est MARIA, prout in festo Visitationis ejus abunde in Tub. Anal. demonstravimus, & ideò vix unquam piè ac devotè Gabrielis æmulos salutatores sine reciproca salute dimittit. Nirnbergi si credimus, (3) S. Mechtildis his olim Deiparam fidentissimo amoris æstu compellabat: *Si te, ô dulcissima cœlorum Regina Salutatione, quam unquam excogitare potuit humanum pectus, salutare possem, te promptissime salutarem!* Necdum ultimam horum syllabam elaboravit, jam coram habuit spectabilem glorioſissimam Matrem, quæ in virgineo pectore aureis litteris scriptam Salutationem angelicam gestabat, his eam verbis affata; ultra hanc Salutationem nullus hominum pervenit, neque ullus me salutare poterit dulciùs, quàm is, qui me in illa reverentia salutat, quâ Deus Pater me per hoc verbum *Ave* salutavit, confirmans me omnipotentiâ suâ, ut essem immunis ab omni Evæ culpa; per quam Dei filius suâ Divinâ Sapientiâ sic me illustravit, ut sim clarissimum Sidus, quod cœlum

(3) Nirnberg. de Am. B. V. c. 21.

cœlum & terra illuminatur; per quam etiam Spiritus Sanctus tota sua dulcedine me penetrando, tam gratiosam reddidit, ut omnis, qui me per gratiam quærit, gratiam inveniat, quam quærit. Hæc juxta Nirnbergium Deipara. Fac ergò per recitatam Salutationem sanitatis tuendæ, & cujusvis mali seu sacri seu profani nostris à capitibus profligandi gratiam quæri, hanc ipsam gratiam facilè invenient Oratores Mariani, qui hodierni Gabrielis ritu ac forma Augustissimam Cœli Reginam dicerint salutare. Docuit eandem Mechtildem clementissima Mater, ut ne quis vel imparatus, vel inexpiatus fatô pereat inopinatô, Salutationem angelicam ternis vicibus in honorem Sacrosanctæ Trinitatis cum aliis tribus oratiunculis post singulas salutationes piè persolvendas recitare. Prostant hæ passim in Legibus Sodalitiis, & in precatoriis libellis, illis maximè, quos Mechtildianos dicimus, ut adeò necessarium haud sit, ternas illas precationes præsentibus chartis allinere. Viatorem illum hac una Salutatione centies iterata, præsentaneæ morti subtractam esse, refert (4) Nadasiacum enim orantem in silva vitæ prædo eminus conspexisset, à prædone factus est propugnator illius, atque ibi vitam suam ipse reperit, ubi mortem alterius solicitè quæsivit; paulò pòst vitæ genus amplexus est religiosum, spectaculô circa orantem visô ad sanctiorem vivendi normam protractus. Vidit ille oranti obvium se dedisse formosissimum puellum, qui ex orantis ore prodeuntes rosas colligeret, centum è rosis corollam formaret, eáque coronatus se in cœlos usque celerrimo volatu sustolleret. Potuit hic loci Salutationum centuria promptam, & alterius neci paratam romphæam exarmare, idem sanè nostra valebit, si eô, quô par est, animô ac corde Virgini Matri offeratur. Quid multis? idem gratiæ ac servatæ vitæ beneficium etiam ratione carentibus aviculis collatum memorat (5) Bernardinus de Bustis. Alebatur à pia Virgine psittacus, ita tamen, ut garrire, ac binas hasce voces, *Ave Maria*, articulatè disceret decantare. Audiit eum magno cum solatio Magistra, & propter hanc pientissimam garrulitatem magnis in amoribus avem illam Virgo habuit. Accidit autem, ut è sinu Magistræ suæ longiùs quàm par erat, abiret, & in hiantem milvum loquax psittacus incideret. Quid ageret misellus? alæ ad fugam non sufficerant, neq; nutrix ferre poterat auxiliatricem manum; dedit proin ipsa necessitas trepidanti psittaco efficax consilium in arena: cecinit ille hoc in articulo suum solenne, *Ave Maria?* & ecce rapacem milvum aureo carmine suo ita repressit, ita incantavit, ut mox humi rueret extinctus; Ita psittacus libertati pristinæ ac nutrici suæ restitutus, piceos ungues rapacis milvi

(4) Nadas. in An. Puer. JEsu. hebd. 11. n. 7.

(5) Bern. Serm. 1. p. 12.

D. Fructum Angelicæ Salutationis etiam aviculæ recipiunt. Hist.

milvi salvus, integer evasit. *Ave* unius virtutem avis si experta, præsen potuit fatum eludere, quidni Deo ac Deiparæ devotus homo, tot salutatione morti objecta, aut Orcino accipitri decantata, ossea Stygios prædonas evadat? Evasit ossea tota pænè Gallia, cùm Ludovicus undecimus Galliarum Rex, pro sopiendo bello, bellique pesti qua lue certius abolenda, ad cultum publicum per Angelicam Sa-

E.

Pulsus Angelicæ Salutationis luem & Orcum proscribit.

tationem Deiparæ deferendum, etiam sub meridiem pulsari voluit risienses Campanas; unde sub Annum 1462. se mos iste in alias que que terrarum oras diffudit, qui vel hodie, ubicunque sedem fixit des Catholica, suum tenet solenne. Stygios hostes hoc sacerrimo An gelicæ Salutationis pulsu proscribi, ipse Orcus fassus est, pacta ne pe cum Styge inita illô momentô everti, & omnes tartareos conat dissipari, ut primùm ternis ductibus signum datur Angelicæ Salu tionis. Fac; suis â circulis seriùs domum bicipiti essedo stryges vertant, signô hôc eminùs auditô, mox ope cerberea destituta, alto decident in dumeta, vel eo tempore cellis vinariis conclusa flagranti, ut ajunt, deprehendentur, quia pactum cum Orco iniun illô momentô dissipatur, quô Angelica Salutatio pulsatur. Hæc tio est, cur plerisque in locis ritè constitutis, ubi rei hujus solida titia habetur, hæc utilissima consuetudo vigeat, quâ solenni campa rum pulsui pro avertendis tempestatibus decreto, terris tractibus Sa tatio Angelica præmittitur. Docuit nempe multiplex experientia ultronea maleficarum confessio, nubes noxias longè fortiùs dissipa fulmina longè citiùs retundi, aëreos spiritus viciniam infestantes gè feliciùs profligari, si vel eminus audiant pulsum illum, quô ad Deparam Gabrielis exemplô per Ave colendam Christianus populus timulatur.

Hæc inter tamen probè fuerit singulis curandum, quibus cum seos quàm stygios hostes potentissimæ Salutationis beneficio mens triumphare, ut per nos eo semper ritu Dei Genetrix salutetur, flectere possit Salutatam, ut Salutatoribus suis animæ simul & corpo salutem refundat. Hunc in finem salutanda est, non ore tantùm, corde; pessimè sc. & infructuosè Deiparam salutant, qui eam durum labiis honorant, corde illorum procul ab ea recedente. Signavit-

(6) Rich. de S. Laur. l. de laud. B. V.
(7) Isa. 29.

pridem Rich. de S. Laur. (6) verbis illis: *Corde, ore, ac opere salutatur, meritò possit illud nobis* (7) *ex Isaia reponere: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Longè est â Deipara, qui impurus est lutulentus, & quam verbis salutat, pravis moribus conspurcat. Vo

cem Angeli profert, qui Mariam salutat; Angelicum *Ave* pronuntiat, qui Deiparam salutat, ergò ore ac corde puro Angelum assumat, eumque vita & moribus referat, quem voce & Angelica salutatione ostentat; hæc alia si fuerit, indigna erit, quæ ab Augustissima Cœlorum Regina exaudiatur, prout bellè iterum observare visus est Richardus l. c. minùs efficax & minus utilis est Mariæ salutatio, vel ad eam directa oratio, cùm præsumitur ab indigno &c. Vim ergò ac virtutem Salutationi affundant præcordia nostra & lingua, nullis libidinum motibus contaminata, nullis detractionum spiculis confixa, nullis rancoribus & inimicitiis infecta, & pariter nostris à cervicibus quævis ignea calamitatum, quævis stygia tentationum tela Virgo mater profligabit.

F. Puro corde Deip. salutetur, ut fructuosa salutatio reddatur.

Vidimus hactenus, quid boni pariat, quid mali nostris à capitibus proscribat, si Divi Gabrielis prævio exemplo piè ac devotè, humiliter ac reverenter Deipara salutetur. Restat modò, ut & illorum pertinacibus animis saluberrimos timores incutiamus, qui nil credi volunt, nisi quod palmaribus literis exhibet Scriptura. Ut quid ergò tam enormes calumnias in Virginem nostram eructant, quam Angeli Gabrielis & Elisabethæ scripturistico exemplo coli vident & prædicari? ostendunt hoc ipso ex capite se ex pestifero tartarei Serpentis semine prognatos esse, qui odio plùs quàm vatiniano in Deiparam accenso, etiam Nomen ejus diris & sannis continuis lacerate contendit. Memorabile est, quod Franc. Bencius (8) in annuis recitat Peruanis, sub finem prioris seculi accidisse. Irruit forte ex Flandria turpis leno in Peru; hic eum more his fratribus pessima libertate recepto in omne scelus præceps ageretur, solam Catholici nominis femellam deprehendit, cui multum invitæ ac vana sine viribus irâ reluctanti cùm turpe vitium inferret, ecce tibi ocius mugire tonitrua, micare fulgura, magno fragore quassari terra, tumultuaria ventorum conjuratione stimulari aura, fæda omnia & hostilia cœlorum atria minitari. Rapuit consternatio totam mortalitatem, solus hic ganeo pessimè securus neutiquam percelli aut metu concuti. Nesciebat injuriam passa, qui genus unde domo esset reprobus lurco, persuasa, suæ fidei domesticum esse, Mariam invocat, & pariter monet scelestum lavernionem, ut in auxilium vocet Deiparam, eamque cum Angelo resalutet, ne ambo fulmine feriantur & consumantur. Vix hæc ad stygium caput puella, mox sacrilegus lurco reposuit: & quid tu mihi trivialem mulierculam occentas? quid opis præstabit Marilla tua centies salutata? demens es, si salute huic feminæ dicta quidquam præsidii speres? nec tum ultimam blasphemiæ

(8) Franc. Benc. in An. Peru.

G. Calumniator Deiparæ timeat gravem vindictam. Hist.

syllabam effutiit, fulmen irruit in cubile & miser leno lecto in pavimentum excutitur, salva puella, quæ mox integra stratô profiluit, improbum lenonem cœlitus exanimatum, ex oculis in angulum protectura; & ecce Numinis vindictam! vix pedes sustulit, ambo pedes truncô corporis soluti manibus hærent trahentis; ostium ingressi vix ni humi stratum, ore patulo, excussis dentibus, linguâ radicitus vulsâ exanimem vident, dumque cadaver efferre satagunt, quam quisque partem corporis arripuit, manibus hærere deprehendit, claro utique & perspicuô testimoniô, sacrilegas Deiparæ exercitationes, lugubri lesso & tragico planctu terminari. Possem hujus argumenti exempla producere centena, si tempus supeteret. Scimus, hos Mariani nominis blasphemos laniones, Orco prædam cessisse, fractâ gulâ exspirasse, medios cum Juda crepuisse, fatô momentaneô ad Tartarum emigrasse, fulmine cœlitus tactos calumniatricem animam evomuisse, terris hostes disparuisse, pediculari morbo infectos fætentem animam exhalasse. Desinant proin tot evidentibus scelerum vindictis exterriti tandem aliquando in Deum ac Deiparam fidei hostes malignari. Spurius amor est, quô Christum prosequeris Salvatorem, si odio interim pereas Servatoris Matrem proscindas, ab Angelo & Elisabetha juxta S. Scripturæ Oracula, solenni cultu honorificatam Virginem. Credidit Justus Lipsius Deiparæ Bonitatem ita grandem esse in quoscunque mortales, ut si etiam à pessimo hæretico jam morti proximo has binas posset voculas obtinere, *Ave Maria*, jam firmiter crederet, ope ac patrocinio Virginis hujus hoc ritu imploratæ, expugnandum hæretici pectus, & vera fide illustrandum, ut contritus in Domino moriatur, sacerdote orthodoxo destitutus, aliàs in dæmone obiturus.

Interim saltem ab ore nostro, qui Catholici sumus, non recedat, nec recedat à corde, qui Deo ac Deiparæ fida mancipia famulantur, cultus Deiparæ. Amen.




CON

# CONCIO XV.

## Festum Resurrectionis D. N. J. C.

*Surrexit, non est hîc.* Marc. 16.

## Damnosa Relapsio.

MEminerint AA. mei, Qualis quæstio Epiphaniæ festô hic loci nuper fuerit eventilata. Posuit eam Cornelius (1) an solis è Catholicis plures hodie salventur, an damnentur? dictam est, plures Orco cedere. Assertum hoc unicô probatum est argumentô, ex stygiis Pseudopolitiæ principiis desumpto, quia nempe plures etiam ex Catholicis animô & linguâ, verbô & factô hæc pessima Machiavelli principia fovent & sectantur, iis passim innutriuntur & immoriuntur. Modicâ synopsi potiora hæc principia concluſit, qui dixit: *Factam injuriam talione vindicandam, inglorium haberi & infamem, qui id negligat: inimicitiam ficti amoris pallio tegendam, ut tantò certior occasio præbeatur vindictæ: duellum si offeratur, acceptandum, ne ulla bonoris jactura incurratur: in conviviis ad haustus æquales respondendum esse propinanti, licet inde tota ratio tumuletur: ante omnia statui, prolibus, & familiæ consulendum, quidquid contrà clament Divinæ vel Ecclesiasticæ leges: vitam & fortunas etiam cum dispendio utriusq; legis tuendas esse &c.* Quid labis, quid luis ac pestilentiæ hæc avernalis politia Reipublicæ pariat christianæ, dictum est Festô memoratô. Nolim hodie crambem apponere bis coctam. Nunc bona cum venia AA. hanc ipsam quidem quæstiunculam reassumo, eámque pari sententia decido, longè plures sc. ex Catholicis damnari quàm salventur; firmando tamen huic asserto aliud Argumentum exhibeo, quod Festo respondeat hodierno, numerô quartum, si Cornelium sequamur. Ratio damnationis hujus nunc pro tempore à Paschalibus festis hauritur, quæ cùm turpibus ausis plùs dedécorent & conspurcent orthodoxi, accidit pariter, ut tanto ex sacrilegio ritè nunquam expiato plures pereant, & hostiæ occumbant teterrimo Phlegetonti. Hæc una ratio præsentis hodie Sermonis objectum erit; quod dum breviter exentero, flexiles animos & attentas aures flagrantibus votis exopto.

(1) Cornel. in Jac. 2. A.

Plures ex Cathol. damnantur, quia tantoperè per relapsum paschalia festa conspurcant.

B. Describitur relapsus & probatur.

Jubentur passim pro Paschate per Ecclesiæ Matris præceptum, et immani flagitiorum Veterno, ex fœculento scelerum tumulo, ad vitæ gratiam resurgere Catholici; eum in finem annua exhomologesis & paschalis Confessio omnibus fidei domesticis sub interminio negandæ sepulturæ imperatur; at verò quotus ex animo, ut par est, tumulum deserit, tot undiquè pravitatibus coopertum? quotus hodiè feriò cram colit Anastasin? quotus hodie à morte ad vitam totis viribus resurgit? nunquid potior hominum pars præceptô Ecclesiæ pro formæ pletô, ocius in antiquam scelerum silvam revertitur, & in idem lu recidit volutabrum? vix die confecto, iisdem flagitiis contaminantur liqui mox iterum suæ salutis vivunt incurii, toti colligendis opibus inter toti coacervandis honorum titulis immersi, toti fabricandis ædibus hortis, villis & vineis addicti, ut rarò vel nunquam de Deo, de æterna, de conscientia sua recogitent, nisi ipso in Paschate, idque tantùm, quia præceptô Ecclesiæ confiteri, & mensam Eucharisticam adire coguntur. Alii mox iterum usuris & simoniis irretiti, bona què parta ne quidem somniant restituere, licet centies tritum illud Augustini audiant recapitulari, non dimitti peccatum, nisi restituatur ablatum. Alii suas etiamnum pellices domi fovent, licet expiati, & scœnis amoribus usque adeò reimpliciti, ut illis se nequeant expedire, quia se nunquam feriò volunt extricare. Alii denuò lites seminant, rixas fovent, & odia decumana, vindictas animô recoquunt centum. Alii mox etiam in Paschate popinas frequentant, & lusorias tabernas, quas tamen ob tot & tanta flagitia ibi perpetrata coram conscientiæ tribunal tam fortiter ejurabant. Quæ & qualis quæso hæc confessio fuerit, ubi nullum efficax propositum de peccatis conceptum stipat dolorem? Requiritur essentialiter ad absolutionem, firmum Pœnitentis propositum dolori sociatum, hoc tamen propositum ita luridè ita oscitanter profluerant, nec habere satagunt sed simulant se habere, ac sibimetipsis adeò persuadent, se officium pœnitentis ad numerum expleviſse. Eli ferunt hoc propositum res sanè perardua, res sublimis & difficilis; hi verò cum nullam sibi vim inferre velint, ad rem tam arduam nullatenus committur, maximè si morbus & articulus mortis accedat, ubi ratio, judicium sensus & hominis ægroti vires enormiter debilitantur. Accidit nè, ut ex tot annorum prævio habitu etiam in articulo mortis æquè propositum forment, quale solent Paschalibus festis effigiare, sc. superficiale verbale, mucidum, emarcidum, emedullatum. Esto itaque plerique Catholicorum in agone sacris omnibus communiti diem obeant supremum.

mum, si tamen post factam exhomologesin plures dies decumbant, recurrit sæpissimè pristinarum cupiditatum vivax memoria, quæ animum iis se pascere solitum, ad impium consensum inflectant, ut in pravam cogitationem & morosam delectationem præteritæ voluptatis consentiant, ideò maximè, quia tunc dæmon eam menti objicere solet & refricare, gravissiméque hominem in ultimo illo duello tentare consuevit; id etiam dæmoni, in pœnam scelerum & negligentiæ justô judiciô Deus permittit, quâ negligentiâ infecti, adhuc sani pravas cogitationes & reprobas cupiditates expugnare noluerunt, sed iis potius quasi equus & mulus omnia indulserunt, nullis unquam remediis seriò adhibitis, quibus se inebriandi, fornicandi, rixandi, lusitandi, pejerandi & maledicendi pravissimos habitus fortiter reprimerent & extirparent. Accidit adeò utplurimi Catholicorum efficacis Propositi defectu confessi licet & communicati dæmonis tentationibus succumbant, & numerô propè innumerô æternaliter pereant. Hoc ipsum est, quod à Francisco Pezolio palàm voluit pœnitens prædicari, de quo ipse Pezolius (2) sequentia commemorat. Venit fortè ad me grandis Peccator, his me verbis coràm affatus: audiat, quæso, Pater confessionem meam, & tunc ad populum, quæ dixero, declamet: incidi nuper in rixosum tumultum, ubi lethali plagâ sauciatus, humi fusus, jam animam agi credebam. Vocabatur ociùs sacer Curio, qui meam exciperet confessionem, méque Sanctis omnibus ritu catholico instrueret. Alia inter ex me Confessarius quærebat, an etiam ex animo hosti meo ignoscerem, sine quo nulla esset confessio. Annui, verbis disertis contestatus, me ipsi toto ex corde facti veniam dare plenariam; cùm autem mihi hæc affirmanti non crederet, iterum iterúmque quæstionem repetiit, an verò imo ex corde ac serio hosti meo ignoscerem? quod si clanculò rancor hæreat cordis meditullio & spiritus vindictæ, actum esse de salute sempiterna. Adjecit, homines facilè verbis lactari, Deum autem cordium rimatorem falli non posse; hunc esse, qui verè contritis, & suo cum hoste seriò reconciliatis cœlum aperiat, & his deficientibus cœlum claudat; cùm iterum annuerem palam denuò testatus, me hosti meo totaliter ignoscere, ab eo primùm sacram absolutionem accepi; nunc verò fateor, me nonnisi verba Confessario dedisse; mihi enim cogitabam: salvus hac vice mortem si evasero, fatales insidias hosti struam, ut probè plagas ulciscar; sic pessimè animô constitutus, etiam sacrum Viaticum accepi, & Unctionem. Ita si occubuissem, æternùm periissem; at verò placuit Deo & infinitæ illius Bonitati, me adhuc præsenti fato eripere, animos Orco proximos

(2) Franc. Pezolius in lib. de emendat. Vit.

C. Rari admodum in Paschate & in articulo mortis hostibus suis totaliter & cordialiter ignoscunt. Hist.

ximos sursum ad gloriam promovere. DEO sint gratiæ immortales, qui me sacris Concionibus tuis voluit assistere, ut inde veri nominis propositio ritè concepto animos expiarem; nunc verò ex imo pectore tuæ fi teor Paternitati, me nunc primùm seriò hosti meo ignoscere, nulla mentis reservatione intus grassante; rogo unà Patrem, hic audita pa làm populo prædicare ne gravetur; credo enim oppidò raros esse, q salventur; quia oppidò rari sunt, qui etiam in agone, (ne dicam in h schate) confessi & communicati, hostibus, quos nacti sunt, totaliter e corde ignoscant, & omnem penitus rancorem ac vindictæ spiritum amô proscribant.

Quod de ira & inveterato rancore præsens pœnitens edixit, id o omnibus aliis picei generis sceleribus, maximè de luxuria fuerit intelligendum. Longè major numerus est illorum, qui pravis Asmodiæ pediis irretiti, sine debito emendationis proposito moriuntur, quam eorum, qui rancore in hostem succensi sine serio veniæ hostibus dan actu, & proposito reconciliationis, iter adeunt vastissimæ æternitatis Extant rei hujus Exempla quàm plurima oppidò tragica & funesta. U num ex centenis adduxisse sufficiat, ut omnes intelligant, quâ efficaciâ obiri debeat pœnitentiæ Sacramentum, ne, quod à potiori sine ô mo emendationis proposito expeditur, tandem etiam pravo habitu pessimè contracto in ipso mortis articulo perpetim obeatur, cum animæ pereuntis damno nulla unquam temporis ætate reparando.

(3) Christ. Vega lib. de Confess. p. 2. c. 3.

D. Rari Venerem inolitam animô proscribant, probatur exemplô.

Hist.

Factum, quod narrare aggredior, nobili suo de Confessione rite peragenda tractatui Vega (3) inseruit, cujus fides è nullo in dubium trahi potest, nisi œstrô invidiæ in Hispanum vitæ integrum vesano impetu exardescat. Pulsabat fortè intempesta nocte certi Cœnobii portas famulus, properans, obsecrans, ocius hero suo Confessario assistat subita infirmitate correpto. Abrupit omnem moram Pater Operarius, & celeri pede ad portam contendit, famulum pro votis comitaturus. In via sat prolixa quæsivit ex verna Pater, unde fatô herus prematur tam repentino? cui ocius verna reposuit tritum illud: nescio; id scio herum à medicis depositum esse, quorum una fuit sententia, eum antè funus fore, *quàm Sol flammivomum vitreis caput eruat undis*; interim certum erat & passim omnibus compertum, quàm sceleratam vitam herus duxerit currentem horam. Ultimum in diem domi secum invisam pellicem retinuit, quam tamen ipse servus baculô jussus est totis ædibus proscribere, antequam Pater vocaretur. Cùm lecti spondam Confessarius attigisset, vidit ociùs potiores vitæ horas jam diffluxisse, & ægrum magnis pul-

bus

bus ad tumulum properare; mox ergò sine ullis ambagibus, hîs eum stimulîs ad celerem pœnitentiam induxit: ut video, jam conclamata est salus corporis; id proin agendum, ut anima servetur, divinæ particula auræ; migrandum est, moriendum est Domine mi; nisi verò ante æternitatis aditum vero dolore ac emendationis proposito scelera sua Dominus expiet per integram confessionem, certa erit Orci victima. Agnovit periculum ægrotus, sensit etiam scelerum mole animos gravari, quot ut relevaret, anxius de salute in ævum firmanda Patrem rogabat, an adhuc medium restaret, quô peccatrix anima salvaretur? lætus hôc quæsitô Confessarius illicò reposuit, nullius salutem conclamatam esse, quamdiu anima suo esset corpori unita: seria confessione animus expietur, salvus erit Sacramentali gratiæ immortuus. Mox ergò se confessioni maturandæ accinxit æger, quam etiam tot inter veræ pœnitentiæ signa, uberes inter lacrimas, & repetitos singultus ità feliciter absolvit, ut modicâ pœnitentiâ mulctatus, plenariam scelerum absolutionem à Confessionario reciperet. Paulò post

*Venit summa dies & ineluctabile fatum,*
*Visus abit, fugit auditus, vox tota recedit,*
*Volvitur ante oculos tristissima mortis imago,*
*Spiritus intus agens tenues vanescit in auras.*

Læti omnes ac dulci solamine pleni, Deo grates persolvebant pro Sacris ultimis lacrimanti ægro indultis, persuasi malè mori non potuisse, qui tantos inter pœnitentiæ actus ritè per Sacerdotem expiatus, mox sensibus suis orbari cepit, ut peccare ultrà non posset. Pater officiô suô perfunctus precibus solitis pro funere fusis, domum revertit, ac re optimè, ut credebat, peracta, se ad quietem recepit. Excusso somnô, primus omnium primo manè ad Sacristiam descendit sacris pro defuncto operaturus. Sacros inter parietes solus hærebat Pater; solus ergò sacras vestes induere statuit, certus, venturos interim, qui ad aram sacrificaturo servirent. Jam linteum humerale scapulis aptabat, sensit à tergo linteum dimoveri; stupuit nonnihil ad insolitos motus, & cùm retrò versus nil oculîs spectaret, resumpsit linteum, idque humeris reposuit, sed unà majori quadam vi sensit, linteum à scapulis repelli. Horruit ad alteram repulsam Sacerdos, & mox in seipsum regressus, curas animô revolvit pœnitentes, hîc seipsum affatus: quid hoc rei? an an Deus hodie Sacrificium meum aversatur? altera enim vice dimoto humerali passus sum repulsam. An fortè conscientiam premit pravitas

aliqua

aliqua Superis invisa & ritè nunquam expiata? lustrabo sinus; excutiam angulos, ne quid labis oculos offendat divinos; cùm verò nil unquam malignitatis reperiret, eam in sententiam abiit, se ab orcino quodam alastore ab hoc misericordiæ Sacrificio repulsum esse, ne animæ purgatæ tormenta per virtutem Sacrificii dissiparentur; se itaque novam in hoc Sacrificii peragendi ultrò erexit, séque omnibus paramentis sacris, tente Orco amixit. Unus calix restabat suô nigri coloris peplô v landus, quem cùm manu prensaret, ecce, alia nigricans manus tum præripuit: primùm attonitos subitus tremor irruit artus; primùm comæ in altum surgere, & gelidus ima per ossa currere sudor. Sacris indutus fugam captâsset; at Deo dante fores reperit ter obseratas; interim tristis ex angulo gemitus & horribilis ejulatus ejus pulsabat; loco itaque affixus & ab alto novâ Dei gratiâ suffu statuit tandem dissipato metu rei certitudinem explorare; eum nem resumpto spiritu invisibilem spiritum adjurare, ediceret, quid tos gemitus hic locorum effunderet; his dictis articulata vox ex ang lo prodiit: quid occeptas Sacerdos Dei! cui mox iterum Sacerdos Domino recens defuncto Missæ Sacrificium offeram. Necdum mam syllabam ritè Pater protulit, jam denuò spiritus subintulit: ego ille sum, cui supetias ferre properas; at verò cùm pro me æterna damnato preces omnes sint irritæ, ideò totum hoc Sacrificium mitte. Nunquid autem, reposuit Pater, uberrimis lacrymarum tibus scelerum luem emaculasti, neque credo à te ullum esse scelus tio suppressum, ad hoc iterum Spiritus: verum est, rectè animos piavi, neque ullum crimen subticui; ut verò scias, cur & unde in fulminata sit damnationis æternæ sententia, totam rei pessimæ paucis accipe & tuis auditoribus recense: cùm audiendi & loquendi fu excidissem, tentatus sum gravissimè ab Orci genio his verbis: vero amicæ tuæ (pellicem intellige) totaliter oblivisceris? rejici ter primum Orci assultum, dixique, pereat dies, quâ cum hac abjecta frontis muliercula primam familiaritatem contraxi! Post aliquod poris intervallum in memoriam reductâ muliercula, alterum tentat assultum Phlegeton dixitque: ecce te illa tam teneris amoribus ribat, & tu nec signum ultra præbes tam inveteratæ charitatis? & hunc arietem dixique: & quid inde lucri leno retuli, nisi quotidie anxius pertimescam, ne me cum illa Justitia divina rogis cet sempiternis. Non cessit Acheron, altera etiam vice rejectus, me tertium affatus: non miror ego, te contra illam tam despotice

qui, quia oculis tuis tetra mors obversatur; si verò scires, te vitam tuam plures adhuc in annos extracturum, an etiam tunc amicitiæ tam suavi totalem nuntium remitteres? Nec dum omnium dierum lapsus est Sol; poteris adhuc facili negotio corporis salutem in numerosas messes extendere. Sic ad me sensuum meorum usu destitutum Orcus tentator. At mea quid voluntas ad hunc ultimum Tartari assultum! ita sane inquiebat illa tacito murmure, pristinos amores meos resumerem, si fato præsenti subtractus plures in annos durarem; huic pessimæ voluntatis Concluso immortuus sum & æternum damnatus, licet visus sim pientissimè in Domino occubuisse. Ita singultiens spiritus evanuit, & solitarium Patrem de suo miserabili transitu, seu rectius de suo fatali interitu coràm edocuit.

E. Nulla est Confessio, efficaci propositô destituta.

Optimi AA. Id quod huic Domino accidit, pluribus aliis imò pænè innumeris legitur accidisse. Non peccâvit confitendo flagitia sua præsens pœnitens, sed dolendo. Dolor firmari debuit efficaci à proposito non relabendi; hoc proposito perperam everso, una etiam confessio emarcuit, facto in idem lutum relapsu. Vident hinc, quanto cum periculo propositi efficaciam vivi eludant & vegeti; sic enim etiam moribundi flecti ceream voluntatem in turpem assensum & hoc ipso in Tartarum detrudant, si eidem immoriantur. Non sine causa magnus P. Augustus (4) in hanc proteam peccati destinationem conclamat his verbis: *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, si tamen estis pœnitentes, & non irridentes, mutate viam, Deo vestro reconciliamini. Vos pœnitentiam agitis, vos Deo vestro genua figitis, interim Dei patientiam ridetis & subsannatis. Si veri estis pœnitentes, seriò pœniteat vos, si verè non pœnitet vos, pœnitentes non estis; si autem pœniteat, cur facitis, quod male feciſtis? si fecisse pœniteat, nolite facere; si adhuc facitis, certe pœnitentes non estis. &c.* Hæc optima argumentatio est, quam omnibus hodie disputandam propono; quomodo enim displicere poterit, quòd placet? *propositum pœnitentiæ* (verba sunt Blesensis (5) *perseverantia comitatur*; quid enim omnia Sacra proderunt pœnitenti, si ad vomitum pœnitens revertatur? Oraculum est Augustinianum: *Inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa.* Vulnus iteratum tardius sanatur. Lugens & peccans veniam non meretur. *Nil prosunt lamenta, si replicentur peccata*, nec valeat de malis veniam petere, & mala denuo iterare. Oraculum est Gregorianum (6) *qui admissa plangunt neq; tamen deserunt, se inaniter mundant & nequiter coinquinant; pro iniquitatibus in oratione suspirant, neq; tamen ab iniquis operationibus mentem avocant; fatentur se male feciſse, neq; tamen*

(4) S. Aug. Serm. 217. de temp. & hom. 41. & 50.

(5) Petr. Blef. tr. de Conf. Sacram.

(6) S. Gregor. 3. past. mon. 31.

*finem volunt suis male factis imponere; accusant humiliter in conspectu Dei peccata, & eadem peccata, quæ humilitate sermonis accusant corde perverso contumaciter accumulant; medelam postulant à medico, & in perniciem ipsam subrogant adjutorium morbo, & sic inaniter verbis querunt placare quem Judicem, quem factis reprobis ad furorem provocant; tales nunquam delinunt peccatum gemendo, quia non desinunt peccare post gemitum; prius gemunt, & post gemitum ad scelera sua revertunt.* Hæc Gregorius. Curemus proinde, ut nostra, nostris à peccatis Resurrectione vina respondeat, de qua Angelus dixit hodiernus: *Surrexit, non est hic.* Surgamus è flagitiorum veterno per seriam per integram confessionem per veri nominis contritionem, cui suum semper efficax junctum propositum, omnes pravas occasiones posthac constanter devitando omnibus popinis & lusoriis tabernis, lustris, angulis, & reprobis ejusdem cietatibus nuntium totalem remittendi, omnes pellices & iniquum mammonam ædibus & præcordiis nostris proscribendi; ita & nobis felix Alleluja accinetur, si tamen prius etiam de nobis dici potuit: Surrexit, non est hic; surrexit alius à se ipso, Deo suo per Sacramentalem scelerum expiationem integrè reconciliatus, Deo suo perpetim unitus hîc per gratiam, illi per gloriam insolubili vinculo uniendus.

Amen.



# CONCIO XVI.

## Feria secunda Paschæ.

*Finxit se longiùs ire.* Luc. 24.

## Caro Asmodæa.

HOdie antiqua ex consuetudine passim recepta mei quoque AA. vel fabulam exspectabunt vel Apologum ex pulpito declamari. Non improbo votum, cujus solidum præbet fundamentum præsens Evangelion, ubi Christus ipse se longiùs ire finxit, & ipsi Apostoli nonnisi fabulis ac figmentis visi sunt accensére prodigiosam Anastasin. Defendi receptissimum hunc morem tribus locis, nempe Dom. 5. Dom. 6. post Epiph. & Fer. Paschatis 2da. Tub. Analog. cui etiam hodiernum sermonem paucis accommodo. Dabo proximè, Deo calamum confortante, *Tubam Mythologicam*, eáque ostendam, quàm utiliter ac piè singulis anni Dominicis aptari possit Apologus morali doctrina probè instructus, Zoilis nequicquam reboantibus; quantò magis hodiè vetustissima consuetudo propugnetur, quâ ex altero mysticis moralitatibus prægnans fabula producatur. Hodiernum ego non ex Æsopo aut ex Joco serio huc loci transsumo; nimis sunt triviales præsentes fabulini, cathedrâ indigni. Author præsentis erit S. Pater, pluribus prodigiis divinitus illustris Scriptor, cui manum ab hæreticis truncatam, prodigioso actu Deipara redintegravit, ut ex vita constat. Est is P. P. Jo. Damascenus, qui Barlaam & Josaphat historiam (1) propriâ manu miraculosè curata conscripsit. In hac historia memorabilem apologum author recitat, qui licet primo fui obtutu solum generis feminini sexum tangere videatur, fatebuntur tamen ipsi etiam masculi, maximè discoli & effæminati, se æquè ac feminas hôc apologô liberaliter cribrari.

(1) S. Joan. Dam. in Vit. Barl. & Jos.

Erat quidam Rex, qui cum masculâ prole careret, animô vehementer angebatur grandem calamitatem se ex eo pati persuasus, quòd opum tantarum nullum haberet hæredem. His curîs cùm plures in annos premeretur, tandem summa voluptate perfusus est; conjux enim ejus masculum in lucem edidit regiis characteribus insignem; cùm autem ex Hario-

A. Pro veteri more hodie apologo sacro Auditores lactantur.

Hariolis & medicastris masculi hujus ætatem anxius parens inquireret, dixerunt nonnulli eruditionis famâ illustres Galeni, fore, ut si puer iste intra duodecim annos vel solem vel ignem spectaret, utroque lu mine orbaretur; id enim ex oculorum ejus situ evidenter præsagi. Hîs auditis statuit Rex utrumque oculis subtrahere; eum in finem biculum perobscurum in præalta rupe condidit, ibique filium cum nutricibus concluſit, necante duodecimum ætatis annum ei ullo lucis splendorem passus est exhiberi; confectô tantis temporis curri lô filium, qui nil penitus rerum mundanarum ad hunc usque di perspexerat, hoc è cubiculo solenni pompa in apricam lucem edu & tum ei omnia juxta suum quodque genus palàm jussit ostendi, cominùs exhiberi; stabant adeò uno in loco varii generis & condi nis viri ex omni gente ac natione quæ sub Sole est, in altero fem iterum variæ, quarum aliquæ ad stuporem usque splendidis vestibu dilucidis phrasibus veluti novæ Junones radiabant. Alia ex parte h fusum jacebat argentum, alibi aurum, uniones alibi, & exquisiti p tii lapides numerosi, vestes alibi perelegantes & luculentæ, currus super insigni pulchritudine simul cum equis regiis aureô frœnô ornati ctis, unacum aulæis purpureis sedibus aurô undique obductis. A ex parte integra stabant boum armenta & greges, canes, asini, cer vulpes, ursi, & leones; atque ut summatim dicam omnia, omnia in to ordine digesta Regis filio monstrabantur in natura. Cùm autem duodennis iste Regis filius curiosè scrutaretur, quo nomine singu essent nuncupanda, Regis satellites ac stipatores uniuscujusque re nomen singillatim exponebant; cùm verò ante omnes alias rerum pre sentium entitates etiam mulierum nomen scire appeteret, Reguli Pra fectus lepidè asseruit ac festivè, has *diabolos* nuncupari, à quibus hom num mentes in gravissimos errores traherentur. Novit nempe Præfectus Reguli sui pectus earum amore ac cupiditate longè vehementiùs quam ullius alterius rei desiderio, ex primo earum aspectu illectum ac deinceps esse. Cùm tandem rebus omnibus ritè perlustratis ad Regem ductus esset, & is ex filio quæreret, quidnam ex omnibus rebus ipsi vel maxime arrideret, ocius in has voces erupit: *Diabolos diabolos* illos exanimis utut homines in gravissimos errores trahere dicantur; *diabolos* mi pater mi; neque enim ullius rei ex his omnibus, quæ vidi hodierno amore quàm dæmonum illorum animus meus succensus est. Vàlidæ parens, quàm violenta, quàm tyrannica res esset amor feminarum, quum ipsa natura in malum prona, nullo instigante, adhuc à matre rudem

bus pueris dictaret. Non diſputo, quo jure, aut quô titulô hoc ſtygium nomen in ſexum devolverit femininum. Jocô dixit, quæ dixit Regis Præfectus; ſeriò ſi feminas hoc nomine compellâſſet, eodem anathemate meritus fuiſſet fulminari, quod olim Severianis illiſum fuit hôc ipsô hæreticis, quò *mulierem opus Satanæ* proclamâſſent. Nihil adeò mali feminis, maximè probis ac timoratis ex hoc ludicro Præfecti apologo accreſcit; quod ſi tamen urgeas, quo nomine, quô titulô pravæ ac reprobæ, laſcivæ & adulteræ baptizari debeant femellæ, dico, hunc Præfecti titulum ſtygium in hoc hominum genus ritè devolvi, ita tamen, ut non tantùm lupis & proſtibulis hæc nomina Orcô hauſta attribuas, ſed ipſis etiam viris, ipſis etiam efrontibus ripaldis, obſcœnis lenonibus adſcribas. Sordeant hôc putidô carnis vitiô ſeu viri, ſeu feminæ, *dæmones* dixeris ſeu maſculos ſeu femellas, quod ocius probare intendo.

B. Rectè diaboli titulô ſordeſcunt laſcivientes ſeu viri ſeu femellæ.

Non multùm tricabimus in re obvia. Ipſa ſi libido fuerit gehenna, hoc ipſo *dæmon* jure ſuo proclamabitur vir aut femella, libidinoſo ſpiritu infecta. Illud multoties Spiritus S. Sacris in literis affirmat; hoc ex prævio dogmate per bonitatem conſequentiæ ultrò dimanat. Ex pluribus unum vel alterum Scripturæ Oraculum elucidemus. In ea nil ita tritum eſt, quàm ut ignis luxuriæ cum igne ſtygio comparetur, quaſi verò is aut illa, quæ ardet libidine, jam etiam Orcino igne in vivis amburi, & ante mortem pati videatur gehennam. Placuit hæc ignis utriusque analogia Jobo, Siracidi, Davidi, & Salomoni.

C. Ipſa libido gehenna eſt, ergò &c.

Jobus (2) deceptionem cordis ſuper muliere cùm maximam iniquitatem, & ſummum nefas vocâſſet, hæc ſubnectit: *Ignis eſt* (libido intellige) *usque ad perditionem devorans & eradicans omnia genimina*, in quæ verba ſic exclamat Auguſt. *En ignem concupiſcentiæ ignis æterni æmulum Jobus vocat.* Non celavit duos hosce ignes ſibi mutuò unitos Apulejus, ſic jam olim ſuis amoribus colludere ſolitus (3) cui paſſim hodie idem carmen accinunt luxurioſi:

(2) Job. 31.

(3) Apulejus, apol. 1.

*Ne metuos: nam me ignis & ignis torreat ut vult,*
*Hasce duas flammas, dum potiar, patiar.*

Siracides (4) *ex ſpecie mulieris concupiſcentiam quaſi ignem exardeſcere* dixit, quem nemo ampliùs extinguat; ita nempe ardores venerei in æternos tranſeunt peſſima metamorphoſi.

(4) Eccl. 9.

Pſaltes Regius (5) vinculo velut inſolubili ignem connectit utrumque his verbis: *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem*, quaſi diceret, ignis luxuriæ poſt ſe trahit ignem gehennæ, ut tenebris merſis orci-

(5) Pſ. 17.

(6) Pf. 81. nis, nullum ultra Juſtitiæ Solem ſpectarent libidinoſi. Alibi (6) in terminis terminantibus luxuriam vocat gehennam, & conſequenter omnes illos, qui luxuriâ inardeſcunt, Gehennæ incolas, ſeu vivos dæmones compellat: *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* Quid vocibus hiſce ſignetur, dicet iterum Auguſt. in l. c. hujus ex ſententia *inferus infernus eſt gehenna*, at verò *ſuperior infernus eſt luxuria.* Erepta eſt Davidis anima ex inferiore inferno, veri nominis gehenna, quia reſtituta à laſcivia, factus pœnitentium idea. Poteſt quidem quodvis peccatum, quævis anima grandi flagitio infecta dici *avernus* aut *diabolus* per excellentiam tamen ſeu per præeminentiam, aut quod idem, autonomaſticè ante omnes alias pravitates ſic anima libidinis igne ſuccenſa compellatur. Audiamus hac ſuper re S. Pet. Damian. (7) *non tibi videtur infernus* (verba ſunt S. Patris) *in quo videlicet diaboli habitant, & ignes concupiſcentiarum non ceſſant æſtuare; hic enim de luxuria ſulphureus fœtor oboritur, & de cogitationum crebreſcentium tenebroſa caligine tanquam teterrimi fumi volumina generantur. Sic flebilis anima ſit gehenna, quam etiam ſua cruciant tormenta, quam curarum & vitiorum circumdant incendia &c.* hem quid clarius noſtro pro aſſerto hactenus elucidato, at verò quem latet, ex inferno gradum revocare, ſuperósque evadere in auras, hoc opus eſſe & laborem propè ferreum, certè decurſum, ſicut ergò, niſi per extraordinariam diſpenſationem, quam fruſtra nonnulli Trajano adſcribunt, nemo ex inferno inferiori regreditur, ita ex hoc ſuperiori libidinis inferno ægerrimè, & nonniſi maximo cum labore remigrant animæ, quæ illum aliquando ſubintrârunt. Sed de hoc difficillimo regreſſu mox plura Salomon effata producet. Inde unum vel alterum transeundo libemus.

(7) S. Pet. Dam. l. 5. ep. 5.

(8) Prov. 1. Prov. 2. (8) omnem regreſſum ex Orco libidinis amputat libidinoſis his verbis: *Omnes, qui ingrediuntur ad eam* (ſc. meretricem) *non revertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ.* Vult dicere, ita difficilem eſſe redditum à libidine ad pœnitentiam, à luxuria in perennem gratiam, ut rari ſint, qui hoc è viſco emergant; ut plurimùm ignis venereus ſtygium accendit, quem nulla ſopiat ætas. Hæc cauſa fuit, cur S. P. Chryſoſt. (9) libidinem diceret *dæmonem voluntarium*; ratio nomenclaturæ hujus indeducitur, quia æquè difficile eſt libidinoſum caſtitati, quàm mortuum vitæ reſtituere, juxta illud (10) Oſeæ: *Non dabunt cogitationes ſuæ, ut revertantur ad Deum ſuum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum eſt;* ergò per hoc ſcelus ultrò irruunt gehennam, ultrò formam ambiunt diabolicam, cui tandem etiam miſerè immoriuntur.

(9) Cryſ. hom. 23. ad pap.

(10) Oſe. 5.

Prov.

Prov. 5. (11) idem Sapiens peccatoris nomine sui loquitur: *Pænè fui in omni malo.* Cornelius hæc sumi vult de Lascivia, quæ origo sit omnis mali. Alii per *omne malum* capiunt malum pœnæ, acsi omnes ærumnæ, quibus homines vexantur, à lascivia deriventur. Alii cum Chrys. & Tertul. per *omne malum* ipsum dæmonem exponunt juxta illud Orat. Dominicæ, *sed libera nos à Malo*, seu à Dæmone. Totam hanc sententiam ita paraphrizat Cornelius: *Cùm inter sorta & lascivas muliercula degerem, versabar quasi inter dæmones impuros & obscœnos, qui ignem gehennalem, cui similis est libido, exhalant.* Alii per *omne malum* ipsam intelligunt Gehennam; sicut enim Cœlum definitur, *omnium bonorum congregatio*, sic infernus est *omnium malorum congeries execranda.* Postquam ergò luxuriosus vivendo luxuriosè, se Orco mancipavit, quasi alterum in dæmonem conversus, alter dæmon reputatur & non solum inferni scintilla, sed ipsa dici potest gehenna, juxta D. P. Augustinum (12) cujus hæc sunt verba: *Amor tu pis quantas habet molestias, quantas solicitudines, omitto gehennam; vide ne jam ipse tibi fias gehenna in hac vita.* Sic ergò luxuriosus homo, seu vir fuerit, seu femina, alter dæmon est, altera Proserpina est, & gehennam suam secum semper circumferunt hôc flagitiô conspurcati. Inde Sodomorum libido rectè dicta est à Greg. Naz. *gehennalis incendii fumus*, & *luxuriæ ignis*, quô lascivus amburitur, *ignis æmulus sempiterni* ab (13) August. prout simile quid ex eodem Authore paulò antè memoravimus. Nempe, omnia alia vitia faciliùs curantur, quàm carnis vitium, si sit inolitum. Summam rei hujus difficultatem parit summa naturæ propensio malo habitu roborata, quâ infelix voluntas consuetudinem facit necessitatem. *Ex hac perversa voluntate*, ut loquitur August. (14) *facta est libido, & dum libidini servitur, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas*, unde moralis emergendi impotentia excrescat. Per hoc ergò scelus ultrò magnis passibus in gehennam properant, & larvas diabolicas repræsentant libidinosi. Do hujus recens Exemplum, à Vega suppeditatum, unde jure suo sequiora timeant luxuriosi, nisi multò ante ultimum mortis articulum totis viribus resipiscant.

Vocabatur fortè Confessarius properè ad ægrotum, huic vitio usque ad fatalem morbum perpetim immersum. Fuerit, credo, ipse Vega confessarius ad ægrum properè accersitus in urbe Hispaniæ Valentina gnavus tunc temporis Operarius & Concionator, qui quod sequitur suo ipse tractatui de Conf. (15) inseruit. Vita cùm esset per Medicos conclamata, statuit quidem uno actu omnes pravos actus & reprobos habitus excutere, sed naturam per tam inolitas consuetudines roboratam, furcâ

(11) Prov. 5.

(12) S. August. in Ps. 102.

(13) S. August. in Ps. 29.

(14) Idem l. 8. Conf. c. 5.

(15) Christ. Vega de Conf. p. 2. c. 3.

furcâ expellas, tamen usque & usque redibit; & nisi multò antè omnes rimas Aimodæo occluseris, etiam scortis tunc primùm velis nuntium mittere, cùm jam tumulus fauces referat corporis truncum haustura.

D. dubito sanè, num vera sit pœnitentia tam sera. Instabat Orcus, & occlusis mille illicia, mille fomenta objiciet, carni pabula suggeret mille, imis visceribus omnes stimulos commovebit, & carneos ardores in fracto corpore per ostentationem complicum tamdiu succendet, donec fracti hominis voluntatem in assensum & antiquæ consuetudinis beneplacitum devolvat, suique juris faciat funus. Idem videtur huic moribundo accidisse. Jam actu cepit Sacerdoti sua peccata confiteri, nec dolor defuit pœnitenti, quem tamen Orcus tandem totaliter convertit: jam propè suam ad coronidem deduxit seriam confessionem, cùm subitò æger oculos suos à Sacerdote avertit, eosque ad pedes reflexit, unà in patentem risum ora resolvit; horruit ad intempestivum cachinnum Pater, eumque redarguit, jam flendi tempus esse non ridendi, & tam ejus tota esse urbe infamatam, curet adeò, ut qui tot annis male vixit, nunc saltem ritè pœnitens moriatur. Audiit hæc æger, & mox ad Patrem conversus, hem, Pater mi, non vides ad pedes meos illam amasiam meam, corculum meum & dulce suavium? nunquid hæc formâ suâ omnes Veneres transcendit & Junones? nil quidem oculis videdit Pater, sed hoc ipso ex ostento clarè collegit, ipsum Orcum feminæ indutum ægro assistere, ut in assensum & complacentiam ex aspectu bellissimæ Veneris ægrum præcipitet; totis itaque viribus ægrum luctari cœpit Pater, ut suæ salutis memor Orcum proscribat, Deoque suo ex è præcordiis studeat reconciliari. Credebat quidem ægrum tentanti Orco strenue renuntiaturum, at vero cum horridas hasce voces ore judicio eructaret: Da Pater ut vel semel adhuc meam ante obitum amplexer! Pater ex animo consternatus, ad fores cubiculi cucurrit, inde aquam benedictam hausturus, quâ lectum aspergeret, & tentantem Orcum profligaret, alius pro re nata aspergillum deproperabat, alius lucernas cereos succendit, alius Christi crucifixi sacram effigiem è muro pendulam exhibuit; at ecce, cum tantillô temporis spatiô ad varia diffugio unà omnes cum Patre ad lectum reverterent, nil ultra in lecto Patri reperit, animam cum corpore lascivis hisce cupediis irretitam prædæmon abripuit.

Ex Orco reditus non datur, à libidine ad puritatem omnimodam rara fit conversio.

Hist.

En optimi AA. ita nobis fracto corpore ultimis horis diabolus ludit; ita veteres formas in memoriam revocat; ita veneres inolitas virescentibus oculis repræsentat, ut unum cachinnum, unum beneplacitum de præteritis actibus extorqueat. Væ væ omnibus illis, qui tam pravis

habitibus impliciti agonizant; voluntatem nostram jam Sacris communitam, vel Sacris obeundis piè accinctam ita gyrabit, turbabit, & millenis venerum formis inflammabit, ut uberrimo fletu in sardonicos ritus translato, tandem animam corpore migraturam gaudio pravis ex voluptatibus hausto immortuam deprædetur. Sicut vivos vegetos multoties tentat, iisque jam amasiæ, jam proci & amasii formam dæmon mentitur, cujus evidentia dedit exempla Tubæ hujus Dom. I. Quadragesimæ ita vel maximè ægris ac moribundis hoc scelere infectis veteres meretricum & lenonum formas repræsentat. Nemo cùm viribus floret, fidem habeat tartareo alástari. Nullam formam frequentius dæmon mentitur, quàm formam lupæ coram lupambulis, & formam lenonis coram prostibulis. Nullum aliud argumentum si suppetat, omnem vagam Venerem mordicus ejurandi, id sanè unum sufficiat, toties cum Orco peccari à libidinosis pessimè per stygem seductis. Caveant nocturni bubones, qui ut suas expleant pravitates, in lustris & in angulis, ad valvas & ad fenestras suis cum amasiis pernoctant; quid si procum, quem amas, dæmon referat? quid si pellicem, quam deperis, exhibeat alastor? cœcus est omnis amans, & cœcu impetu in vetita ruit. Tempus si restaret, pluribus exemplis demonstrarem, quàm multos hæc mentita diaboli forma in abyssum pœnarum præcipitaverit. Similis simili gaudet, communis inquit paræmia; at quis dæmoni similior, quàm qui fescenninis æstibus inardescit, lenam agit aut lenonem; uterque sanè, ut superiùs demonstravimus, secum sinu suo gehennam circumgestat; uterque dæmonem repræsentat, tantò periculosiorem, quantò tectiorem.

Cuperem ego, ut omnes ac singuli hoc in puritatis prælio Wolstani Spiritu essent succensi, eóque ritu Virgines lenonum insidias, & lenonum blanditias generosi mares reprimerent! venit ad hunc Sanctum adhuc floridum juvenem, paulò pòst ad Episcopatum Wigornienscm sublimatum, nobilis Matrona à qua cùm petulantibus jocis ad tetrum scelus titillaretur, non aliter ac præsens esset ipse dæmon, factô crucis signô, unam atque alteram sonantem alapam lupæ inflixit dixitque: *Apage mortis filia, vas Satanæ!* Surio (15) teste. Sic sanè Orci tentantis victores in vivis: facili etiam negotio nostris à tectis & præcordiis, fati angustiis pressi, Dei gratia aspirante, totum Orcum fortiter ac feliciter debellaremus.

Amen.

E. Sequantur omnes Wolstanum, qui lupam quasi vivum dæmonem Crucis signô & alapâ profligavit.

(15) Sur. t. 1. in Vit.

S CON-

# CONCIO XVII.

# FESTVM S. GEORGII,

## Mart.

*Ascensor equi non salvabit animam suam.* Amos:

## Equus Sejanus.

PRostat sæpiùs nobili Apellis penicillô in tabula descripta vel acu phrygia in peripetásmatis vivaciter expressus equus magnitudine inusitata, cervice ardua, colore phœnicio flava & comante juba, cujus pedibus substratos videas maximos heróas numerô quinos. Ut sciant Opt. AA. quorei ac nominis equus iste importet, epigraphen legant equino pectori trabalibus literis insertam *Equus Sejanus*. Sed hæc obscura inscriptio lucis affert præsentis equo; eâ lectâ, suis etiamnum gardiis implicitus hæret, quid propriè sit *Equus Sejanus;* eum ergò hic loci obiter eluctamus. De hoc equo fusiùs scripsit Aul. Gellius (1) eam in sententiam digressus, hunc equum ei illorum genere fuisse, quos Hercules occidit, Thracia Diomede secum Argos in Græciam deduxit; Multi, quibus curæ ac cordi erant equi, vastum ac prolixum iter emensi Argos contendebant, ut hunc Bucephalum vel oculis spectarent, vel emptionis jure sibi totum vendicarent. At verò sicut nil sub sole datur, quod omni ex parte dici valeant perfectum, nullis nævis aut naturæ defectibus sit obnoxium, ita sanè splendidus hic equus unà fuit fatalis equus; quisquis enim eô usus est, fatô semper violentô vitâ ejectus est. Quotô seculô post fundatam Urbem Romam, mortuo Dictatore Quinto Cincinnato, in Græciam à Romanis ablegatus est hujus nominis Cneus Sejanus Consul; hic primus omnium hunc equum Argis coëmit & instruxit, ut Cneum sessorem reciperet; at brevi factum est, ut Cneus, quòd Octavii Augusti partes foveret, à Marco Antonii Octavii hatu, è medio tolleretur, acerbô ac violentô fatô mactatus. Usus est equo hôc jumentô senis tantùm mensibus, & quia primus omnium equum hujus egit domitorem Sejanus, nomen à sui domitore etiam equus trans-

(1) Aul. Gell. noct. Att. l. 3. c. 9.

A. Explicatur equus Sejanus, quem nemo potuit domare.

sumpsit.

sumpsit. Cneo Sejano in Consulatu successit Dolabella, qui hunc equum mille philippeis coëmit; at nôsset, quantam sibi calamitatem hoc immani pretio comparâsset, duplô plura pro equi carentia expendisset. Antequam annus dilaberetur, populus in Epiro jugum excussit Romanum, & in Senatum grandem movit seditionem. Contendit properè in Epirum Consul Dolabella, equô recens emptô sublimis, sed à Cassio rebellium Duce captus, occisus, & per omnes Epiri plateas ignominiosè tanquam rabidus canis raptatus est. Ut tota Epirus citiùs & nervosiùs pacaretur, Dux eorum Cneus Cassius in officio Consulis subrogatus est Dolabellæ; in equô usus est per biennium; hôc confectô, quòd Epiratis contra Curiam Romanam colludere videretur, clanculò cum conjuge, liberis, ac domesticis suis venenô sublatus est. Post hunc, Marcus Antonius equorum insanus amator, equum illum magnô pretiô coëmit, is, qui hoc jumentum Antonio tulit, dicitur idem pretium suo pro honorario accepisse. Dilapso bimestri, grande prælium inter Marcum Antonium & Octavium Augustum exarsit, quô non tantùm Eques Antonius peremptus est, sed etiam Cleopatra Ægypti regina, spuria uxor Antonii, viso ex funere sui facta carnifex. Prælii totius causa erat impudens Cleopatra, quam cùm repudiatâ Octaviâ Augusti Sorore uxoris locô Antonius haberet, jure in eum Octavius Augustus odium concepit, quod sola mors extinxit. Tandem equus iste in manus venit Equiti Asiatico, cui nomen Nigidius; jam quidem annotus erat equus iste, cùm eum Nigidius coëmeret, viribus suis & recalcitrandi ferociâ notabiliter fractus; placuit tamen Nigidio, cui vitâ stetit equitatio. Properabat fortè ad urbem Marathon, hôc equô sublimis Nigidius, ubi cùm ad faciendum viæ compendium torrentem transgrederetur, cespitans equus corruit, seque unà & sessorem suum undis mersit & suffocavit. Hi sunt quinque illi Equites, equi hujus pedibus affusi, nempe Cneus Sejanus, Dolabella, Cassius, Marcus Antonius & Nigidius. Cùm ergo omnes ac singuli hôc equô usi mortem appeterent violatam, inde proverbium natum est, ut homines calamitosi *equum Sejanum* habere dicerentur Gellio teste. At quousque hæc fusior de Sejano equo præambula dissertatio?

Optimi AA. ubique terrarum nobis S. Georgius cujus hodie Festum diem celebramus, equitis generoso equo insidentis specie Catholicis repræsentatur, manu seu ense seu lanceâ instructa, ut puellam nobilem, cui draco imminet, periculo eximat, confecto dracone. An vera & historica, vel tantùm symbolica hæc sit Gregorii repræsentatio,

B. Aptatur D. M. Georgio.

adhuc sub judice lis est; pars tamen potior Authorum eam in sententiam inclinat, ut dicant symbolicam, ita tamen ut symboli fundamentum in re præbeat vita per Georgium consummata. Vt Nadasi memorat, fuit Comitis titulô exornatus militum Tribunus; Alexandram Diocletiani Conjugem ethnicam ad veram fidem convertit, & ad Martyri palmam promovit. Sic ab idololatria præter alios plures abstractam Imperatricem, magni draconis faucibus Augustam eripuit Georgius. Juxta Georgium Vicellium (2) idem præclarum facinus omnes illi operantur, qui in salutem animarum & præservationem à ruina alacres operam impendunt; draco enim diabolus est, Regis filia Christi Sponsa est Anima; hanc à mortiferis faucibus tartarei hostis eripere, & Deo reddere intactam, est Georgium præstare, si ad speciem diabolicæ immanitatis non expavescat Minister Christi, sed fortitudine plùs quàm Spartana verbi divini gladiô, & acuti sermonis lanceâ aut seriæ correctionis spiculô bestiam trucidet, & opima spolia Deo referat, pluribus aliorum salvatione. Hac Imperatricis Alexandræ inopinata conversione usq; adeò Diocletianum irritavit, ut omni tormentorum genere invictum Heroëm proscinderet. Quid & quantum pro Deo ac fide nostra passus sit, dictum est in Analog. Tub. hoc ipso die, ubi ex instituto huic Sancto titulum adstruximus *Martyrum Coryphæus*. Antequam verò ad confodiendum hostem stygium accingeretur, opus fuit, ut equum suum multò ante ritè nôsset moderari; quod ita strenuè, ita fortiter præstitit Georgius, ut præ aliis glorioso Equitis titulô condecorari meretur. Non loquor ego hic loci de pictura equitantis Georgii mechanicè sumpta, sed mysticè ac symbolicè accepta, ut symbolico draconi etiam equus correspondeat symbolicus. Ut sic equus Georgii nil erat aliud quàm corpus Georgii, quod apprimè novit & ab illicitis continentiæ frænô restringere, & rursum variis virtutum stimulis ad ardua quæque erigere, atque iterum divinæ charitatis impulsu ad piorum operum exercitationem relaxare. Quantus fuerit equi hujus domitor Georgius, ex primo ejus principio, quod semper Justiniano (3) teste in ore habuit & opere ipso constanter exercuit, abundè colligas. Maxima ejus sententiæ hæc: *Incongruum est, ut patiente Rege, & pro salute animarum occumbente, segniter vivat Christianus, & sine certaminis exercitio desidiæ*

(2) Georg. Vicellius in Hagiolog.

C.

Domuit bellissimè corpus ceu equum recalcitrantem.

(3) S. Laur. Justin. Sermon. de S. Georg.

(4) S. Bern. Serm. de OO. SS.

*sus est*, quem Georgii exemplô hîs verbîs Bernardus (4) expressit: *Non decet, non decet sub spinoso Capite membrum esse delicatum.* Vixit Christus ab omni fastu remotissimus, pluribus ærumnis afflictus, contemptitiæ purpuræ palliastrô ad risum amictus, toto corpore concisus, plagis livi-

lividus, vulneribus obseptus &c. & ego corpus peccaminosum tot deliciis enutriam, tot bellariis saginem, tam molliter & delicatè meum tractem jumentum, ut tandem Sessori suo recalcitret, ac sede sua ejectum in fatum præcipitet horridum, execrandum? fecit hæc meditatio, ut opibus & fortunis prædives militum Tribunus, quidquid bonô titulô bursa concluſit, in pauperes erogaret, corpus pro Deo ac Divina fide secandum & cremandum barbaris offerret, machinam cultris horridam fortibus ausis exantlaret, viva calce totum hominem obrui permitteret, ferreis & igne candentibus crepidis lætus atque hilaris sub effero & truculento Cæsare Diocletiano ad Gloriæ metam cursitaret. Et verò si nullus præstò fuisset Diocletianus, qui labis expers corpus discruciaret; si nullus carnifex Georgio insultâsset, ut innocuam carnem excarnificaret, ipse sibi factus fuisset Diocletianus, ipse carnificis vicem obiisset, & jam inedia ac forti abstinentia, jam cingulis & ciliciis, jam flagris & arundina longa, atque alia corporis edomandi supellectile in sui corporis jumentum sæviisset; timuit nempe Georgius, ne corporis jumentum, si mitiùs tractaretur, in equum abiret Sejanum, qui in præceps ageret sessorem; quod sanè omnibus illis fuerit timendum, qui omnem luxum & libidinem, omnes cupedias & voluptates, omnem gulam & summè noxiam libertatem strigoso corporis sui equo idulgent. Hostem validiorem, hostem periculosiorem non habemus, quàm sit equus iste domesticus, firmum ac vegetum corpus nostrum; quantò majoribus blanditiis fovetur, tantò acriùs reboat, tantò impudentius recalcitrat, efferatur, & exasperatur. Expertus est equi hujus insolentiam & immanitatem leno ille & obscœnus adulter, de quo in suo Castitatis triumpho sequentia Ballinghem (f) enarrat.

Vixit priori secuso turpis mœchus, qui corporis & carnis suæ luridus sectator, thorum connubialem improbè protrivit, alienæ pudicitiæ perpetim insidiatus, quô lucrô? quô emolumentô? mox audietur. Accidit fortè, ut præter morem præproperè suum Bucephalum conscenderet, & jure suo anxia uxor inquireret, quorsum tam celeri abitu iter maturaret? tulit ægerrimè luxurians eques, quæsitô tangi stygios amores, & mox efronti audacia sordidam itineris decreti metum detexit, dixitque, in lupanas propero; unà equô calcaribus incitatô, recto tramite in venereas ædes contendit. Quid ad hæc tam perfidô responsô exacerbata uxor? id, quod animo graviter læso præceps ira dictavit; abeuntem his votis prosequi audita est uxor flammea: abi, abi procax bestia, & ad hos lares tuos nunquam ultrà reverte! ut te mille

(f) Anton. Ballingh. c. 1. c. 7. D. Multos alios protrivit hoc jumentum, probatur. Hist.

mille diaboli in foveam præcipitent, ubi medius crepes maſtygia! Deum immortalem! non opus eſt tot Diabolis, ut alteri fatalem ſtruas ruinam; unus ſimplex dæmunculus ſufficit ad ſtragem toti urbeculæ inferendam. Videntur pondus habuiſſe vota ore uxorio profecta. Cum in morem prodigi illius lurconis pravos animi affectus Orci filiquis ſaturâſſet, equum ſuum properè conſcendit, alio properaturus, ubi centes cupedias venaretur; at ecce! vix tergum preſſit bucephali ſi equus totus furere, recalcitrare, omnem ſe in gyrum circumager ſe in altum attollere, tamdiu fremere, bacchari & tumultuari, donec adulterum tergore ſuo dejectum, ſed altero pede ſtapedi nexum, co funus traderet; ſic enim innodatum per omnes urbis plateas ferox ens equus raptabat; ſic pendulum per lapides & fœtentes cloacas pertrahebat, ſic omnia corporis membra luxabat; ſic totum caput conquaſſabat, ut cerebrum violenter excuſſum ſaxis & lapidibus allideretur. Nec potuit equus iſte ullis artibus pacari, donec peragratis omnibus plateis tandem iterum ad lupanor diverteret, ubi ultrò tranquillus ſtetit equus, ut nempe pendulum funus eo in loco deponeretur, in quo vivus leno conjugii fidem nefandis auſibus fefellit adulter & ſimul in ſe juſtam Dei vindictam provocavit, ſpectaculo futurus omnibus illis, qui pravis effectibus ſuis ita promptè velificantur, ut qua data porta, in voluptates unà & in barathrum ſe per aſmodeos dæmones devolvi patiuntur.

Sodes iſte, Optimi AA. miſerrimè equitavit, quia equum conſcendit *Sejanum*, & efræne corpus ſuum in omnem libertatis ſuæ luxuriem devolvit. De tam miſero equite rectè dixit ſupra citatus Amos: *Aſcenſor equi non ſalvabit animam ſuam*, ſed potius triſte ſuæ

(6) Exod. 15. Moyſis oraculum verificabit (6) *equum & aſcenſorem dejecit in mare*, cut equos & ægyptios equites, impium Pharaonem & ſequaces ejus altô hauſit Juſtitia Divina. Fuit ægyptius, eques ſpurius, turpis mochus, de quo meminimus, quia corpus impium ſalutis habenis in omnem proterviam, in omnem laſciviam reſolvit, & ideò nec animam ſuam ſalvavit, ſed animam ſimul & corpus in mare mortuum, in byſſum miſeriarum, & æternæ damnationis barathrum præcipitavit, ubi hodiè medius inter efferos Pharaones; corporis ſui peſſimos moderatores, carnis & luxuriæ fumantes procos plagîs cruciatur miſerrimis. Ut anima ſalvetur, cum Georgio equitetur. Ut anima ſalvetur, corpus noſtrum perpetim dometur & caſtigetur, atque in ſervitutem redigatur, prout à D. Paulo (7) didicit Georgius. Ut anima ſalvetur,

(7) 1. Cor. 10.

Georgi

Georgii exemplô veluti jumentum rigidè non blandè corpus nostrum tractetur, ne spiritui recalcitret. Adhuc hodie omnium animis intonat (8) Joannes: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Juxta SS. PP. Chrys. Hier. Greg. Basil. Bedam vim cœlo inferunt, qui corpus per pœnitentiam emaciant, qui sensibus suis fortè injiciunt lupatum, qui pravos affectus suos refrænant, qui in camo & fræno reprobos habitus suos constringunt, qui efferas domant passiones. Perdet sui sessorem corpus nostrum tanquam equus indomitus, si suæ libertati relinquatur; si nullis legibus nullis frœnis â gula & à luxuria à luxu & à superbia, ab ira & acedia, à detractione & blasphemia seriò revocetur. Spiritus Sanctus equo huic in fræno & camo vult maxillas constringi, quod licet molestum accidat, fræno tamen infra gingivas ductô gula & ingluvies reprimitur. Sicut camô non impeditur respiratio, ita tamen camô omnis morsciatio profligatur. Acedia equum si corripit aut libido, stimulis & virgis, calcaribus & pœnis in officio continetur, & à via perditionis in salutis semitam revocatur. Sic ergô ritè corpus nostrum castigetur, ne quis reprobus efficiatur, ut paulo antè monuit (9) Paulus. Audiamus hac super re unum Patrem Basilium, & totum idem sermonem nostrum concludamus. Sic (10) loquitur cit. *Corpus nostrum feræ instar coërceatur, & ab ipso adversus animam suscitati tumultus ratione veluti flagello compescantur, ne frœnum voluptati laxando, mens à contumacibus equis rapiatur.* Ah! quàm durè quàm acerbè corpus suum innocui Cœlites, cùm adhuc in terris agerent, habuerunt, licet neutiquam spiritui reboaret, sed in omnibus se juxta Legis divissimæ frœnum regi, dirigi, ac sursum duci promptissimè paterentur. Erant, qui plagas corpori suo inflictas nunquam coalescere paterentur; erant, qui licet omni culpâ carerent, suum tamen corpus vespis & vermiculis cruciandum spontè objicerent; erant, qui sanctô quodam odiô in carnem suam accensi, ita corpus quotidie excarnificarent, ut crederes, eos gravissimorum scelerum reos esse, qui ne quidem totâ vitâ suâ ullo gravi peccato animam contaminabant; erant; qui ultrò in sui corporis lanienam tetros carnifices exstimularent: en huc tela exonerate, huc flagra excutite, huc ferrô & flammis sævite; quos inter cùm Georgius noster tanquam Martyrum Coryphæus teneat primatum, nos quoque ab hoc Sancto hâc horâ sanctum quemdam Zelum hauriamus, quô equum hunc Sejanum corpus nostrum ita semper moderemur, ut tanquam gnavi ac providi corporum rectores, nullo unquam casu

(8) Matth. 11. E. Coërcendum est corpus nostrum, ne sessorem excutiat & conculcet.

(9) 1. Cor. 9.

(10) S. Basil. de leg. gentil. libr. F. Hanc in rem SS. Exempla.

casu excussi, recto tramite Jerosolimas contendamus, non terrestres illas sed cœlestes, ubi nunc soli equites cum animæ victoriæ toties in terris de equo Sejano relatæ immortalem gloriæ corollam recipiant, dum verò illuc etiam ipsi equitum equi, ipsa corpora nostra extollentur, ut suis cum rectoribus & animabus pari laurea coronentur juxtà illud Regii Psaltis (11) effatum: *Homines & jumenta salvabis Domine.* Verbi dum vivi sumus & vegeti, corpus nostrum cum S. Paulo, cum S. Georgio ita providè castigemus, ita patienter aliunde castigeferamus, ne unquam reprobi efficiamur; Efficiemur autem reprobi, si more hactenus receptô impetuosæ carni perpetim abbludiamus, pravas ejus cupedias prompti expleamus, eique nil molesti nil adversi unquam irrogari patiamur; Sic enim corpus nostrum iniquum migrabit Sejanum, qui sui Sessorem excutiet, eumque ab uno flagitio in alterum devolvat, donec totum hominem in æternitatem raptatum vita privet immortali; de quo in æternum & ultra verum erit dicere: *Equi ascensor non salvabit animam suam*, quod maximum malorum omnium malum nostris à cervicibus per merita S. Mart. Georgii clementissimè Deus avertat!

(11) Ps. 35.

Amen.

# CONCIO XVIII.

# FESTVM SS. PHILIPPI & JACOBI.

*Vado parare vobis locum.* Joan. 14.

## Mendax Orcus.

IN homine non forma ſpectari debet, ſed animus, Opt. AA. bella frons, ſed animum non habet, bellè dixit Diogenes cùm venales larvas ſpectaret, quibus in bacchi encæniis putidi lurcones uterentur, ut beſtificatum hominem hominum oculis ſubtraherent. Sicut in gemmis ſub ignobili & fuſco colore eximia ſæpè natura deliteſcit, ſic in deformi corpore non rarò inſignis animus tegitur & carneo trunci peplô velatur. Rurſus ſicut in ipſo adamante potentiſſimum eſt venenum, Gallis apprimè cognitum, ad vitæ ſtamina certos in annos ſecanda accommodum, ſi ritè conteratur, & ſua doſi præparetur, ita millies contingit, ut homo formoſiſſimus mente ſit undique virulenta. Quid conchis aſperius? quid magis verrucoſum? intus tamen lucidiſſimi latitant uniones. Animi domicilium corpus eſt; ut ergò ſæpè vilem caſulam Reges atque Cæſares ſubintrant, eámque gratiâ. Decórant ſpeciali, ut patet ex Inglheimenſi caſa Rheno adſita, per Carolum Imp. ibi pernoctantem ad inſignem Comitatum evecta, ſic ſæpè in exiguo & curvo corpore rectæ animæ habitârunt & præcelſæ. Oſtendit hoc ipſum natura in Æſopo, cujus animus excellens fuit, licet vultus eſſet barbarus & totius homuli deformis forma. *Deformes natura nemo reprehendat*, maxima fuit (1) Ariſtotelica, *ſed eos potius, qui ob otium vel ob negligentiam tales evadunt.* Quod ſi illos reprehendimus, quos natura fecit deformes, eum unà reprehendemus, qui dixit (2) *nolite judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate.* Oris deformitatem utplurimùm ſapientia reſarcit & ingenium. Præſtat teſtam habere malvaticô ſpumantem, quàm calicem cryſtallinum cereviſiâ plenum ſordidâ, crucigerariâ. Ego in deformis corpore præcellentem ingenii formam ſuſpicio, quoties nominari audio

A. Forma in homine non debet ſuſpici, fallit millies.

(1) Ariſt. l. 3. Ethic. c. 5.

(2) Jo. 7.

B. audio Æsopum. Claruit ingeniô, quod nemo assequeretur. Potuisset ille pedem figere, terram credo ipsam locô suô ingeniosus hypodasculus moviſſet. Id certè, quod passim hodie inter entia numerantur impossibilia, effectui dediſſet Æsopus, si modò laboranti Æsopo laboris etiam socii ritè fuiſſent cooperati. Porro, quod in vita ingeniosi fabulonis hujus tanquam historiam Maximus Planudes his verbis recesset: Rex Ægypti Nectenabo statuit ad perpetuandam nominis sui memoriam turrim extruere, quæ nec cœlum nec terram attingeret; cui autem nullus esset, qui tanti operis expeditionem Regi adpromittere operam suam promptè condixit Æsopus, si modò gnavos ipsi operarios, qui materialia murariis porrigerent, constitueret. Lætus hôc nuncio Rex, se ultrò, quotquot vellet operas, conducturum spopondit; interim Æsopus quatuor aquilarum fortes pullos capi jussit, captosque tam affabrè instruxit, ut pueros in Sportis unguibus aquilarum affixis gestando in altum tollerent, atque ita pueris obtemperarent, ut quocunque vellent, volatu pertingerent. Exacta hieme Æsopus cum aquilis & cum pueris ad Regem profectus, spectaculum aulæ exhibuit, toti Ægypto admirante. Rex visô Æsopô recreatus, adduxisti, inquit, qui turrim extruant desideratam? cui Æsopus, ita omninò Augustissime Rex, præstò sunt promptique turrim pro votis extruere, si modò locum ostendas; inde urbem egressus Rex in planitie locum ostendit dimensum, hîc velim cœlum inter & terram turrim ædifices; adducti ergò Æsopus ad demonstratos loci angulos quatuor aquilis cum pueris suis per corbes appensis, ac fabrorum instrumentis, in puerorum manus depositis, evolare jussit; ita in altum educti, vibratis per aëra malleis unà omnes clamabant: jam ergò lapides nobis date operarii, jam calcem porrigite & cœmentum, jam materiam ædificio paratam suppeditate, nos reliqua expediemus. Hôc naturæ miraculo attonitus Nectenabo, unde inquit volucres homines Æsope? victus sum. Fateor, Daedalus es ingeniosus, ars tibi non defuit, quâ turrim in aëre construeres, modò illuc per operarios posset materia sublimari. At verò si etiam pari aëre per aquilas sursum abducta esset materia, ubi locorum in aëris regione prima ædificii fundamina, primum lapidem Nectenabo posuisset? ineptæ! fabulæ! maneat inter entia rationis aërea ædium structura; jactetur hæc, & nullô unquam ævô consummantur. Id uni Deo proprium est, qui sicut totum hunc spectabilem & terraqueum orbem supra nihilum fundavit, & totam terrestrem sphæram paro aëre circumfudit, pro-

Oris ac vultûs probra sæpè ingenium resarcit, ut patet in Æsopo.

C. Hic in aëre turrim exædificâsset, modò illuc posset materia sublimari.

(3) Ovid. 6. fast. ut etiam Ovid. (3) cecinit: In

*Terra pilæ similis nullo fulcimine nixa.*

Ita pariter hanc in horam poterit supra mediam aëris regionem, aulas & palatia extruere, extructa firmare, ut in perpetuas æternitates perdurent. Quod ergò suis hodie Apostolis & Apostolorum sequacibus discipulis, omnibus Christi fidelibus Servator adpromisit, se nempe hinc abiturum, ut singulis in suprema aëris contignatione, in empyreo cœlo præparet habitaculum, etiam actu explevit: *Vado parare vobis locum*, imò jam paratæ, jam perfectæ sunt ædes splendidæ juxta illud: *In domo patris mei mansiones multæ sunt*, omnibus illis decretæ, qui per avia & invia, per aspera & dura, per vepréta & saxéta, verbô, per cruentam Crucis semitam sursum ad gloriam assiduis motibus contendunt.

D. Turrim in aura extruere, Soli Deo prium est.

Volupe fuerit, hæc palatia eminus spectare, oculos in altum tollite, & à longè tecta aurea virtuti erecta suspicite. En ibi stat domus undique splendida aureis ex laterculis Architecto Numine fabricata, quam Gregorio (4) teste, hanc in horam *Deus dedit* inhabitat, è terris ad cœlestes Jerosolimas translatus Sutor. Erexit ei hanc Regiam ter clemens Deus, quia quidquid lucri per hebdomadem è subula & calceis referebat, id totum in egenos Sabbathô erogabat, tenui victu & necessario vestitu contentus, ut plus posset pauperibus erogare. Altera illa Regia magnifico luxu erecta Joanni Eleemosynario Alexandriæ Archiepiscopo & Patriarchæ inscripta est; hujus tanquam Metropolitani Pontificis pontestati suberat Troilus Episcopus, qui cùm fortè famulo suo in mandatis dedisset, ut sibi argenteam suppellectilem triginta libri auri coëmeret, suasit ei Patriarcha, ut hac pecuniarum summâ sibi potius cœlum Troilus coëmeret, & æterna tabernacula compararet; voluit dicere Sanctus Pater, sanctiùs & utiliùs tantas opes in pauperculos, quàm in tam immodicos & profanos luxus effundi. Paruit quidem suasori Troilus sed invitus; aurum in mendicos dispertiit, sed mox animum subiit pœnitudo, potuisse his expensis hæc & hæc emptionis jure comparari, splendori futura & gloriæ, quoties grati hospites mensæ esset sybariticæ admovendi; paulò pòst cura multiplex ex pœnitudine prognata, valetudinem Troilo eripuit, anhela & corrosiva febris imas præcordiorum fibras irruit, quàm cùm ab auri prævalida siti natam esse crederet Joannes, illicò tot auri libras Troilo restitui jussit, quot paulò antè in pauperes erogabat; & ecce novum dictu visúque prodigium! ubi aurum recepit, unà etiam valetudinem pristinam visus est recuperâsse, ut scires, Episcopum hunc non anginâ sed argentinâ laborâsse; tota nempe valetudo ejus in auro latuit, quod cùm ad pauperculos migrâsset, simul etiam

(4) S. Gregor. Dial. l. 4. c. 36.

E. Exhibentur inclytæ mansiones in cœlo SS. paratæ.

cum ſocio fratre ſanitas abiit, exceſſit, & cum reduce ad propria revertit; poterat adeò huic Troilo dici, quod Ambroſius (5) in Lucam enunciavit: *Febris tua avaritia eſt, morbus tuus non tam corporis quàm animi peſtilentia eſt &c.* Auri dira fames & habendi inſana cupido. Redditô auri pretiô, libris triginta, chirographum à Troilo petiit Patriarcha, cui lubens annuit, deditque hæc in verba: *Da Deus Joanni Patriarchæ Alexandrino Domino meo, triginta librarum mercedem quæ date ſunt tibi, quoniam ego recepi mea.* Hæc è cœli ſpecula Deus juſtus Judex contemplabatur, qui ut palàm faceret, quantum per inſanam illam auri cupidinem Troilo deceſſiſſet, hanc ei ſub amœna ſomni imagine ſpemen objecit: ſurgebat ab alto grandis palatii ſpecioſa moles elegantis materia, opere exquiſito & arte ſupra naturam extructa, quàm cum mentis ſuæ oculis eminus aſpiceret Troilus, ſimul etiam in januis pereminari, hanc expreſſam legit epigraphen: *Hæc manſio eſt æterna & requies Troili Epiſcopi.* Hôc visô, multùm quidem ſibi ſpectator Troilus applauſit, ſed plauſum omnem mox caſus abſterſit inopinatus: unus enim ex cœleſtis Aulæ Cubiculariis prodiit, qui hanc inſcriptionem propriâ ſuſtulit, eíque hanc ſubrogavit: *Hæc manſio eſt æterna, & requies Joannis Alexandriæ Archiepiſcopi, triginta libris coëmta.* Excuſô ſomnô, qui oculos ſimul & animos malè occluſerat, ſibi ex oblato redditus, liberalibus poſthac eleemoſynis cœlum emere didicit, & æternas manſiones jam in cœlo fidelibus animis erectas, & vel maximè eleemoſynariis decretas. Alteram illam aurô ac gemmîs præfulgidam Aulam, utrâque recens memoratâ multis gradibus ampliorem & ſplendidiorem, Deus alteri Patriarchæ, Aſſiſinati Franciſco Deus præparavit, prout fusè teſtatur (6) Bonaventura; vidit hic divina revelatione ſplendidiſſimam in cœlo Regiam ac ſupra omnes alias ſublimen, ex qua olim lucifer, præcipitatus eſt; cùm autem anxius inquireret, cui tàm inclyta ſedes aſſervaretur, vocem unà ſuis auribus sibi ſenſit: *Humili Franciſco;* factum inde, ut nonnulli Scripturæ interpretes illud Lucæ (7) de Apoſtatis angelis enunciatum Franciſco Seraphico accommodarent: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.* Placet nobis in alias cœleſtis Jeroſolimæ partes oculos reflectere, ubiq; magnificè merô palatia occurrent, non tantùm piis in pauperes eleemoſynas & humilitati deditis præparata & largiter promiſſa, ſed etiam patientiæ patientis, caſtimoniæ ſtudioſis, gloriæ divinæ perpetim ampliandæ ardentibus Zelotis, pro Deo graviter afflictis, & malè per malos preſſis, ſplendidè à Deo erecta, & in Domino morituris hodie condicta, cùm omnes ac ſingu-

(5) S. Ambroſ. in Luc.

(6) S. Bonav. in vit.

(7) Luc. 1.

los hocblando solamine in spem vivam erigeret, *ego vado parare vobis locum*, quasi diceret Servator: Consolamini, consolamini, qui mille inter ærumnas ægrè spiritum trahitis, qui malè tecti, omnium laribus excluſi, omnium pedibus protriti, vitam in terra vivitis pœnè mortualem, curis & miseriis ericium in morem obseptam! consolamini pusillanimes, *durate, & vosmet rebus servate secundis!* in patientia vestra possidebitis aurea cœli palatia à Deo virtuti tumulo illatæ stipulata manu promissa; ibi morbus omnis in perennem vitam nullis ultra symptomatis obnoxiam, curæ omnes & ærumnæ, in plausus & tripudia, laceri centones in purpuram gemmis præfulgidam, vilis & abjecta conditio in cœlestis aulæ patritium splendorem, mucidus panis in nectar & ambrosiam sine fine fluentem, sudor in balsamum, casa straminea in auratis constructa palatia tignis felicissimo transitu commigrabunt. His promissis minimè vanis omnes lactat Christianos seu Christi asseclas Servator, de quorum veritate ita evidenter certi sumus, ut ante cœlum & terra in nihilum debeat resolvi, quàm jota unum aut unus apex ex promissis divinis vanescat. Fidelis Deus est in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, ut Psaltes canit Regius; idque passim in promissionibus Deo est solenne, ut non contentus stare pollicitis, ea etiam excedat; ut enim in eo hanc specialissimam bonitatem agnovit Aug. (8) semper plura & majora Deus tribuit, quam promittit; non est proinde, quod tam liberalibus promissis unquam diffidamus, quæ Deus ultra meritum, ultra condignum hanc in horam solitus fuit explere.

(8) S. Aug. Serm. 99. de temp.

Illa illa potius promissa caveamus, quibus hodiè cœcis mortalibus ora sublinit stygius veterator, cujus pollicitationes nullam unquam fidem merentur. Quidquid Satan spondet, fucum redolet, & credentium ruinam maturat. Orco etiam vera dicenti negari debet fides, quia ut plurimum talis fides summam in perfidiam excurrit. Vana sunt & emortua Orci mentientis promissa, ut cùm servis suis carnalium illecebrarum oblectatiunculas repræsentat; cùm grandes opum accessiones condicit; cùm secundæ fortunæ constantem allapsum admittit; cùm sanos ac longævos vitæ hujus annos occentat; cùm pulcherrimas insuper scientias instillare præsumit, quibus absentia velut præsentia cognoscantur, quibus perdita recuperentur, quibus abditi terris thesauri eruantur, quibus Aër in furca vel scopa volucrum more penetretur, quibus oculi circumstantium fascinentur, quibus variis ægritudinibus forte medicamen præbeatur. Hæc & alia plura tetræ stygis promissa in obsequium satanæ animos trahunt mortales;

F. Exhibet suas etiam Orcus falso fundamine nixas.

at ſicut ſpei multum hæc promiſſa exhibent, ita nil unquam rei repræſentant. Orci promiſſa pura vanitate & merô mendaciô nituntur. Pollicetur homini ſatietatem, ſi Orcó velit famulari, & tamen quidquid egerit, nunquam animos exſaturat; affirmat ſubinde jurato ſtygius cacodæmon, ſe homini ſervo ſuo veram libertatem daturum, at quomodo? quando? hæc adeò diſparata quis combinet, eſſe Orci mancipium, & ſimul eſſe liberum? aliis ſpondet ſecuritatem, ſed quam ſecuritatem habebit impius, qui Deum ſibi hoſtem fecit, ubiq; præſentem, ubiq; potentem ſcelera vindicare. Multis aliis ſtygius lurco etiam ante ultima fata vitæ in melius mutandæ tempus promittit, at quàm luculento hoc mendacio promittit! conſtat enim, id unum humani generis hoſtem ſolertiſſimè ſatagere, ut ne quidem unus ex ſceleratis ad ſalutem reſipiſcat, cùm ultima linea rerum inſtat. Tandem & hæc mendaciſſima ſponſio eſt cùm Orci genius plenis buccis aſſerit, omne famulitium, omnem gloriam, omnes divitias, omnes delicias in hoc alterque ſimul orbe ſecum habituros acheronticæ ſtygis alumnos bona hæc nunquam ampliùs amittenda, Orci liberalitate ſemel poſſeſſa; hic cum

(9) Pſ. 26. Pſalte Regio jure omnes exclamemus (9) *mentita eſt iniquitas ſibi.* Et tamen ſunt malè creduli mortales, qui patri mendaciorum diabolo fidem habent, ſéque inſuper ejus ſervitio addicunt, provocati magnificis ſed vanis & inanibus promiſſis. Ne permittite, quæſo, ô natuti mortales, ut vos nasô cacodæmon ſuſpendat! aſſerunt quidem veneficiis corrupti laverniones & annoſæ ſtriges, vera ex auro palatia clientibus ſuis ſatanam monſtrare, inter aureas delicias poſt hanc vitam habitanda; at hæc vaferrimi impoſtoris nova eſt ludificatio, monſtrantis inania felicitatis ſimulacra, interim cœlum & cœleſtes alas diripientis.

G. Id probat Radbodus Friſiorum Princeps, Hiſt. Expertus eſt hoc ipſum malô ſuô eóq; ſempiternô Radbodus Friſiorum princeps. Narretur totum, ut pateat, quantis fraudibus & dolis ſuos procax acheron circumveniat. Accidit fortè ſeptingentis poſt Chriſtum natum annis, ut Surio teſte D. Wolframus Epiſcopus multos ex gentilium converſione in Friſia ad Chriſtianorum ſacra transferret; jam etiam principis filius piè perſuaſus, veræ fidei dogmata cum Baptiſmo ſuſcepit; luctabaturinterim ſecum filii ad fidem converſi ſenilis parens Radbodus, qui poſt longam deliberationem ad ſacrum fontem viſus eſt innare, cùm ecce tibi adulta nocte teterrimus cacodæmon regali ſchemate, ſceptro fulgens & diademate, Ducem hortatur, ne à majorum ſuorum religione diſcederet; quod ſi vero in veterum ſuperſtitione perduret, ureum etiam palatium ei ſpondet habitandum, quod craſtinâ eſſet oſtenſu-

ra

rus si quos ex suis experimenti captandi gratia in proximam sylvam destinaverit. Jam in procinctu stabat Radbodus, ut Sacris Baptismi fontibus ablueretur, ecce cunctari cœpit cum baptisinate Radbodus, antè adhuc exploraturus factas de palatio aureas spes. Habuit Wolframus Satanæ vestigia probè perspecta, conventum tamen est utrinque de testibus rei monstratæ fidem facturis; pergant igitur ad vicinum nemus Diaconus quidam nomine Pontificis & aulæ Satrapa nomine Radbodi una cum famulis suis; ducti per viam satis prolixam pario marmore instratam, tandem domicilium conspiciunt planè aureum, magnificum; huc intromissis occurrit sublime ac regale solium, multum suprà palatiorum terrestrium formam & splendorem refulgent; mox simul alta & intelligibili voce clamantem audiunt: *Hæc domus est, hæc sedes est, quam Radbodo Deus suus post hanc mortalitatem se daturum spopondit.* Audiit hæc Diconus Numine plenus ac lumine cœlitus illapso, & mox palam reposuit: *Si hæc ad speciem nobilis fabrica Deô surrexit architectô, æternum duret, & nullô unquam ævô in cineres resolvatur! si autem pravi spiritus opus est momentô dispereat, & vanescat!* hæc ut dixit, unà Crucis signum formavit, & ecce, in ictu oculi totius ædificii tam splendidi machina in deforme lutum collapsa est, Orco nequidquam reboante. Hem sanctam & prodigiosam S. Crucis virtutem, quâ omnes dœmonum præstigias Diaconus profligavit! Extant hujus virtutis exempla propè innumera. Rhemis atrocissimum templi incendium acheron excitavit, quod S. Remigius unico Crucis signô extinxit Hincmaro (10) teste. Hôc signô Theodorus Archimandrita veneficium Theodori magi disjecit, dœmones expulit, horridas frugum calamitates avertit, certis locis diabolos incluśit, & signô Crucis locum obsignavit, ne cui amplius nocere possent Gregorio teste discipulo ejus. Docuit hoc ipsum S. Eligius Noviomensis suos hîc verbis: *Christiano nec auguria nec alia quælibet figmenta officere possunt, quia ubi signum Crucis cum timore ac fide Dei præcesserit, nihil ibidem nocere poterit inimicus.* Fatentur hoc ipsi etiam dœmones à S. Putapio apud metaphrastem adjurati, clamantes & (11) vociferantes: *Verè terribilis es ô Nazarene & ubique in omnes obtines imperium; quò ergò proficiscar? si in desertum? si in urbe? si quocunque duxerit alius, tu illuc præveneris, sola Crucis tuæ figura, solo Nomine tuo nos expellens & profligans.* Rectè itaque hoc potenti Signo contra tartareas hic loci impostura usus est Diaconus, quod etiam feliciśimè totas Orcini veteratoris artes evertit & conculcavit. Vidit uterque explorator, quibus dolis & fraudibus Radbodum Satan luderet, mox ergò rei gestæ seriem principi

(10) Hincmarus in vit.

(11) Metaphrast. in Nov.

cipi Radbodo missus Satrapa, & sacro Præsuli Diaconus statuit enuntiare; at ecce cum ad aulam Satrapa rediret, audit interim Radbodum è vivis abiisse, nullis baptismi fontibus expiatum; hinc tristis illa species emersit, quâ se sancto Willebrodo Episcopo spectandum dedit miser Frisiorum Princeps Radbodus, post fata sua igneis undique catenis constrictus, ut jure diceres, heu quantùm mutatus ab illo! jam enim in gehenna longè alius & à seipso diversus est Radbodus! hic non amplius dives, sanus, lætus, potens, glorioſus, felix, qualis in Frisia fuit Radbodus, sed pauper, tristis, æger, contemtus, afflictus, infortunatus, quem modo Satan ita captivum tenet, ita flammis & vinculis constringit, ita compedibus & catenis revincit, ut eum ex uno supplicio in aliud circumvolvat. Neque verò miserabilis princeps iste ullo alteri tam tragicam vitæ catastrophen imputare potest, quàm propriæ præproperæ credulitati, ac mendaciorum fabro dæmoni, cujus vanissimis aulæ habitandæ promissis, ita graviter illusus est, fabula fastu prolixæ æternitati.

Nunc bona cum venia meos AA. illis verbis extimulo, quibus olim Sennacherib Rex Assyriorum cives Jerosolimitanos erexit, cum urbem illorum arcta obsidione premeret, Hebreis imperante religiosissimo (12) Ezechia: *Ne vos decipiat Ezechias, nec vana persuasione deludat, nec credatis ei.* Hæc verba ego nunc meum ad propositum transfero, & omnes hortor christianos, ne decipi velint & deludi falsis Satanæ persuasionibus, mendacibus Orci promissis, vanissimis illicitarum voluptatum obtrusionibus nullo fundamine nixis. Quotquot hic errant, errorem in tartaro luent in perpetuas æternitates: Ita potius candidè providè Deo serviant in timore & amore, in legis divinæ accurata custodia, in omnigeno virtutum apparatu, ut tandem bonorum omnium præmiator Deus dignos inveniat, quos ad æterna cœlitum tabernacula sustollat.

(12) 2. Paralip. 32.

Amen.

CON-

# CONCIO XIX.

## Festum Inventionis S. Crucis.

*Regnavit à ligno Deus.* Ex Breviar. Rom.

## Crux Dominica.

QUocunque oculos reflectimus, quocunque pedes exporrigimus, oculos ac pedes nostros numerosæ cruces incurrunt AA. *Ubiq; mors, ubiq; luctus, ubiq; desolatio: undiq; percutimur; undiq; amaritudinibus replemur,* vox fuit Gregorii Magni (1). Nullus hic loci datur Status, qui dici valeat omni ex parte beatus, sed potiùs crucibus & ærumnis omni ex parte pressus & coarctatus. Ab hoc calamitatum onere nec opes exemtæ sunt nec inopia, nec dignitas nec mancipatus. Rusticus es? te obruent labores & tyrannorum principum cruenta imperia. Pauper es? ipsa te indigentia diu noctuque premet & affliget. Dives es? te ipsæ etiam Deliciæ frangunt, corrumpunt & penitus enervant. Puer es? rerum omnium ignorantia te vilem reddet & abjectum. Adolescens es? te Studium coarctabit & Disciplina. Juvenis es? pravis Cupiditatibus vel jactaberis, vel opprimeris. Vir es? mille Negotiis atque animum morsicantibus curis consumeris. Senex es? omnes in te Languores, omnes morbi, & tandem mors ipsa impetum faciet. Solutus es, vegetus ac liber? aut quod hodie tam enormibus votis prensatur, conjugio illigatus es? neque tamen ut sic tui juris eris, vel à funestis crucibus & grandibus ærumnis immunis. Liber erat Paulus, & tamen (2) dixit: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Datus est non à diabolo sed à Deo, permittente diabolum tentare, & veluti stimulo exagitare, tam concupiscentiæ spiculis, quàm persecutionum aculeis nostram in carnem defixis. De conjugatis ita loquitur citatus: *Si nupserit virgo* (3) *non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi.* Quam tribulationem? quam crucem? vel malæ uxoris, vel pravi mariti, vel si horum uterq; bonus sit, multas tamen cruces pariet educatio liberorum, multas ærumnas coacervabunt familiæ onera, quibus adversis ita conjugalis voluptas

(1) S. Greg. hom. 4. in Evang. A. ubiq; Cruces dantur in copia.

(2) 2. Cor. 12.

(3) 1. Cor. 7.

B. Habent etiam opulenti & plenipotentiarii rerum Domini cruces suas.

luptas eliditur, ut à pluribus sapientissimè contemnatur; fac enim optatam prolem conceptam esse, mox à conceptu fastidia subeunt, insomnia, vertigines & deliquia, præcordiorum angustiæ & graves melancholiæ, absurdi appetitus, & totius quasi naturæ perturbatio; quæ autem & quantæ cruces non ab ipsis liberis nascuntur? quæ negotia nu facessunt familia, servi, ancillæ, operarii, & ligatorum capitibus impo ti magistratus, sæpè discoli, rhamnusii, perfidi, truculenti, sanguisugi &c. At verò dicet nonnemo, unum crucis expertem statum, vo re posse sine legibus, sine vinculis & ærumnis, si nempe datum sit teris omnibus despoticè imperare, omnium digitis signari, omnium obsequia mereri, opibus insuper ac deliciis pro voto affluere, illis iam firmas inter corporis vires liberè perfrui, aliis leges dictare, nego tamen illis coërceri, subditos ac cives in sua potestate habere ac dom nio, hostes in timore; faciam tamen, ut omnes ocius intelligant, l etiam suis grandibus ærumnis seu crucibus premi & infestari, quæ tò erunt acerbiores, quantò hi grandes suo in principatu fuerint quiores. *Crux* ergò *Dominica*, seu dominis dominantibus propria jectum erit Sermonis hujus; *Regnavit à ligno Deus*, hodie canit Eccles ita tamen, ut in cruce dominans nulli suorum esset onerosus, nulli teri crucem suam augeret sed potius leniret. Hunc si mundi hujus ctores æmulentur, salva res. Sin minùs? sibimetipsis cruces cruc vivi accumulabunt & mortui.

Rectè dixit, qui scripsit: magni Domini, magni Servi, tot dom rum quot vitiorum. Magnas dignitates magnas esse servitutes Adr nus VI. affirmabat Pontifex Belga. Hausit sententiam suam ex Se neca, qui similia (4) Polybio suo transcripsit his verbis: *Magna ser na magna servitus: omnium somnos summatum vigilia defendit, omnium illorum labor, omnium delicias illorum industria, omnium vacationem rum occupatio.* Ita S. Ludovicus Tolosanus Episcopus, Caroli Siciliæ gis filius, terrenum Regnum *splendidam servitutem & honestum exsi lium* nuncupavit. Monuit hoc ipsum omnes ac singulos in publico mone (5) Chrys. *ne respicias diadema, sed curarum tempestatem; non caput corona circumdat, sicut animam fodicat solicitudo.* Cùm Carolus Quintus Imp. annô ætatis suæ quinquagesimô quintô se regnô suô abd caret, & curam illius in Philippi filii humeros Bruxellis transferret, et commiseratione illacrimans, his verbis usus est teste (6) Strada: mise ret me, Proceres, filii charissimi, cujus humeris tam grave onus impo nitur, quod dum gesturus est, vita ei in summis laboribus, curis, & ærumnis

C. Probatur.

(4) Sen. ad Polyb. Consol. c. 26

(5) S. Chrysost. hom. 6. ad pop. Ant.

(6) Fam. Strad. l. 1. tumult. Belg.

ærumnis transfigenda est. Nempe, expertus loquebatur Robertus, *omni ex parte maximus Imperator*, quô titulô eum dignatus est Paulus III. Pont. Rom. Hanc tiaram ita nihilominus deperire visus est Fridericus Palatinus, ut à rebellibus Bohemiæ Ordinibus peteret, sibi ut liceret regiam Bohemiæ coronam suo inaugurationis die toto tempore durantis prandii gestare; at verò hanc ipsam adeò gravem sensit, ut sub ea propè fatisceret; unde illam continuò depositit, certissimo imminentis ruinæ suæ portentô, quô nil præter ludicrum Regis hiemalis nomen retinuit, regnô suô & fasciâ exauctoratus; proin non immeritò dixit Antigonus Rex, ritè coronam homines cognoscerent, neminem repertum iri, qui eam humi fusam attollere, sibique imponere vellet. Non tot gemmis vestes rutilant Magnatum, nec tot margaritis splendicant coronæ, quos spinis eorum animus hirtescit. *Dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur*, inquiebat (7) Jobus; quadrat hæc comparatio cuicunq; mortalium vitæ, sed vel maximè in vitam mille crucibus & curis obseptam quadrat, quam in terris ducunt Magnates. *Succisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me*, ajebat Ezechias Rex, Isaia (8) teste, vitam suam & regale munus cum textoris tela appositè comparando. Vides texentem? sedet ille quidem, qui situs est quiescentis, at verò pedes semper sunt irrequieti, manus assiduè laborant, oculi perpetim excubant, mens operi operam navat indefessam: hic filum frangitur, hic aliud alteri innectitur, illic contorquetur; majora omnes illos, qui fasces vibrant publicos, negotia implicant publica, domestica; his veluti filis tela illorum implectitur, his curis animus eorum torquetur, ut ne quidem somnos liceat quieto capessere; ut enim Agamemnonem in somnis docuit Nestor: non decet, totam noctem dormire virum consiliarium, cui populi sunt commissi: hîc exhaustum ærarium clamat, intonat, affer affer, & publicæ necessitati succurre; ibi nervus belli eviguit; hinc Vulcania pestis absumpsit tecta; inde aquarum illuvies amplas segetes evertit, & acerbos civium labores irritavit; ibi vasta horrea & uberem annonam hostis stygius flammis succendit, unde cum fame ac fato subditis luctandum; ibi judicia perperàm per judices judicata ad incudem revocanda & alia hujusmodi sexcenta. Verbo:

*Curia dat curas; ergò si vivere curas,*
*Et benè securè, non fit tibi Curia curæ.*

Bonus populi Præses ac superior omnibus servire debet, dixit olim Tiberius. Primò quidem Augustissimo capiti suo Imperatori, inde Se-

(7) Job. 7.

(8) Isa. 38.

natui, quin etiam populo, tandem singulis. *Cæsari*, justis ejus legibus & decretis obtemperando. *Senatui*, probis ejus consiliis acquiescendo. *Populo*, commodis ejus studendo. *Singulis*, unicuique jus suum reddendo, & justitiam sine ullo hominum respectu administrando; servus ergò esse debet omnium, ideóque caput diademate gestat obligatum, ut ostendat, mancipia quidem de vulgo, manibus suis vincula & pedibus

D. Quid ad felix regimen requiratur, expenditur.

suis compedes gestare, Reges verò & Summates in capite, quia illi nutum, pedum, ceterorúmque membrorum officio dominis suis serviunt, hi verò plebi ac populo capite simul & animo famulantur, quæ ad eorum commoda semper habere debent intentum. Fuisset Tiberius nostræ fidei domesticus, primô locô non se ipsum, seu Cæsarem locaret, sed Deum; dixisset adeò, Servum esse omnium qui populis dominatur, sed vel maximè conandum, ut verus Dei sit minister, sicut verum esse vult Cæsaris, Principis aut Reipublicæ mediastinus. Juxta S. P. Augustinum (9) *duæ leges* non tantùm Principibus, sed etiam principum ministris & subordinatis Officialibus, prætoribus & præfectis, archigrammateis & radamantis, Consulibus & Senatoria dignitate conspicuis *moribus universim præscriptæ sunt, quæ sub se omnes alias complectuntur, nempe integrè subsint Deo, ut justè præsint subditis.* Primum omnis boni

(9) S. Aug. l. 5. c. 24. de Civ. Dei.

E. Primum boni regiminis principium est Deo cordialiter famulari, ex Augustino.

regimînis principium est, integrè Deo famulari non ex parte sed ex toto; fieri enim non potest, ut aliis rectè imperet & benè præsit, qui Deo ac divinissimæ legi ejus nullatenus obsecundat; longè pluribus citius populi præsides, principes, ac principum ministri, gentium & populorum immediati rectores Deo sunt subjecti, quàm humano moderamini homines subjiciantur; imò nisi hos optimô vitæ exemplô à malis abstrahant, & ad virtutes Christianô dignas seriò inflamment, dignè bene regere non possunt; ut enim veridicus canit Poëta:

——— ——— *Componitur orbis*
*Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus*
*Humanos Edicta valent quàm vita Regentum.*

Fuerit ergò Respublica, fuerit urbs aut communitas, quæ principem principis officialem, prætorem, consulem, senatorem nacta est luxuriosum, avarum, impium, sacrilegum, gulosum, biboſum, adulterum, iniquum &c. jam pariter credi potest, hæc vitia totam in plebem adhuc repsisse, vel proximis temporibus illapsura; quis enim hæc vitia in subditis corrigat, quæ ipsi perpetrant Summates, nisi seipsos una cum aliis suo ex judicio nefariæ impietatis condemnent; cùm porrò ante omnia bene

benè alios rectùro incumbat, religionis ac pietatis in Deum curam subditis injicere, patet sanè, hunc Dei cultum malè aliis suaderi, quem ipsi Sumates neglectim curant, impiè ac sacrilegè aspernantur; quàm verò rarum ac difficile sit, grandibus Viris in tanta vivendi libertate vitam & mores suos pietatis legibus adstringere, experientia firmat quotidiana; unde enim hodie tanta in Sacris tepiditas? tanta in cultu divino segnities? tam tetricus in templis languor? unde, quæso, tam enorme in iis, quæ Dei sunt, frigus & desidia! in audiendo verbo Dei torpor & ignavia? nisi quia hæc & alia modico affectu nostri ævi Primores prosequuntur? unde tot alii, sub disciplina licet & severitate constituti, suis pariter cum Capitibus exorbitant.

F. Alterum est Justitiæ cultus.

Alterum, quod legis locô Augustinus paulò antè Urbium & Reipublicæ primoribus præscripsit, erat Juris administratio, *dicere jus læsis, injustaque tollere facta, reddere cuique suum.* Hoc hoc maximæ molis opus est, & tamen cuivis Regenti summè necessarium est. Hoc ut reginiminis stabilimentum est dum studiosè curatur, sic ruina est, cum temerè negligitur. At verò quotus hôc ævo justitiam justè sine personarum discrimine, sine avernalibus unguentis tuetur? nunquid passim querimoniæ resonant millenæ, negligi judicia, subditos novis oneribus premi, in longum & in latum causas produci, jura omnium antiquissima disputari, millenis prætextibus & innumeris artibus opes congeri, bonô publicô insuper habitô consuli privato &c. & quid his omnibus pessimi Proceres lucrantur? lucrum in bursa, damnum in conscientia; cruces sua ex natura dignitatibus cognatas novis crucibus ampliant, centuplicant; & has quidem cruces etiam illi participant, qui tales iniquitatum patronos plures in annos tolerant, primo inthronisationis die exauctorari dignos. His & illis Sapientiæ divinæ oraculum probè pensandum occino (10) *audite Reges* (seu regum ac principum Administri, plebis infimæ rectores) *audite & intelligite, discite judices finium terræ: data est à Domino potestas vobis & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur; quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè judicâstis, nec legem justitiæ custodistis; horrendè ac citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet; exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur.* Talem contra discolos Superiores sententiam tulit Sapientia divina. Opt. AA. si quo in loco pietas deficit & religio; si alicubi Sacrorum cura eviguit; si Verbi divini frequentatio emarcuit; si educatio juventutis penitus exspiravit; si publica disciplina evanuit, & ho-

(10) Sap. 6.

G. Mali publici tota culpa in discolos Superiores devolvitur.

& horum in vicem peſtilens quidvis impunè agendi libertas ſuccreve-
gula & libido invaluit, luſus & compotatio inolevit, juris & juſtitiæ
cultus diſparuit &c. totam hujus mali cauſam unô verſiculô detegit
Poëta:

*Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ.*

Hic rhodus, hic ſaltus. Hinc ſumma lex pendet & prophetæ. Luſtretur accuratè prima tantæ pravitatis principia, ad oculum patebit, *lium dominari*, ſedere ad urnam populi rectricem homines ſui ac Dei oblitos, propriæ ſalutis incurios & alienæ, uni cuticulæ bellariis expledæ natos heluones, uni burſæ pro chartis & vitris reparandæ inter ſyphones, gulæ & abdomini ampliando factos Eglones, luſibus immerſos tenebriones, quorum ingluviem nec Salomonea exſatiet burſa, in omnem audaciam & proterviam abjectos thraſones, ceterà virtutibus Chriſtianô dignis penitus ſteriles, in ſacris juſtitiæ legibus hebetes & elumbes.

Utinam, ah utinam ad hoc ſeculum prope ferreum, vel ut rectius dicam, aureum, quia paſſim aurô regitur; *Auro nulla fides, auro vilia jura; aurum Lex ſequitur, mox ſine lege pudor;* Utinam, inquam, ad hoc ferreo-aureum & aureo-ferreum ſeculum ex umbris reverteretur Petrus Aragoniæ Rex, atque unà Carolus Audax, Dux Burgundiæ! ita ne ſpes foret minimè dubia, futurum, ut omnes diſcoli populorum Rectores, & pravi principum miniſtri, reipublicæ officiales, vel ad frugem ſeriò reducerentur, vel è medio tollerentur. Dicam, quid utroque juſtè ac laudabiter ſit factitatum, ac ſimul hodiernum Sermonem de honorum ac dignitatum crucibus & ærumnis maximè per ſimonia centuplicatis concludam, Tinniant ad utrumque aures improborum populorum Præfectis. Vidit Petrus Aragoniæ Rex ſubditos ſuos per avaros officiales, judices, prætores, ita enormiter premi, mulctari, exſugi, eviſcerari & irritari, ut junctis viribus jugum excuterent ſeditioſi. Has regni turbas ut ſedaret, ſtatuit inaudito quodam remedio ipſa in capita ſævire; eum in finem proceres ſanguiſugos tantæ ſeditionis incenſores locorum præfectos in palatium accivit, deliberaturus cum illis quibus artibus campana conflari poſſit, cujus ſonus toto Aragoniæ regno audiretur. Regis conſilium ſannis quidem regii conſiliarii excipiebant. Rex ſingulorum ſenſum coram exploraturus, quemvis illorum in ſecretum conclave dimiſſum, ibi capite plecti & trunca illorum cadavera in ſphæriſphæriam ad formam campanæ conſtitui juſſit. Reſtabat aliorum omnium Coryphæus, à Rege primus, quem accitum his verbis allo-

H. Petrus Aragon. Rex pravos & iniquos officiales ſuos bellè correxit.

Hiſt.

est Petrus: en Campana! quid tibi videtur? dic, quid in ea desideratur? attonitus hoc spectaculo, hærere primitus & tergiversari, tandem jussus sententiam profari, præclara, inquit subtimidè hæc campana est, sed malleô caret. Ad quem ocius Rex: bonô esto animo Satrapa sanguisuge, & rebellium rusticorum perfide incensor, tu tu Malleus eris, quo dictô mox abreptus & capite suo minutus, medius pependit, ut mallei vicem expleret in hac horrisona campana; inde occisorum liberos Rex accersiit, ad quos conversus, en inquit, quod supplicium suis pro meritis vestris exhauserint parentes! horum exitum si horretis, multò antè illorum facta ejurate & malo sapite alieno. Hujus campanæ sonus non tantùm Aragoniam sed totam Hispaniam, imò totum Orbem pervasit ut pèrhibet (11) Bonartius. Animadvertant subinde pari supplicio in hispidos & iniquos populi rectores terrarum Principes, nullus esset imprecationi, nullus esset rebellioni locus, sed in pace mutua cum subditis viverent Summates.

(11) Bonartius in Eccl. c. 45.

Ad Carolum transeo; quod judicium in perfidum simul & luxuriosum Prætorem Dux Burgundiæ Carolus Audax judicaverit, ex Justo (12) Lipsio audiamus. Cùm adhuc Belgio imperaret Carolus, erat ibi prima nobilitate conspicuus Satrapa Duci ob raræ indolis talenta in paucis gratiosus. Admotus tandem adipali præfecturæ, graviter abuti cepit gratiâ & dominiô, cuticulam simul & bursam per fas & nefas sagi-nando, factus pauperum tyrannus, plebis rusticanæ flagellum, omnium sanguisuga, in omnem proterviam & auri aucupium promptus Scriba. Vix alterum in annum datum est frui opima conditione, ex immani otio oculos suos cum Senibus illis apud Danielem in alterius formosam conjugem detorsit. Multa tentavit incassum, ut hanc castissimam matronam irretiret. Nil valuêre preces, nil potuêre minæ, hamata munera, acus crinales & chirothecas, capitis tiaras & auri pondera fortiter elisit, & ne quidem manu sua contrectavit boni nominis Susanna; restitit in faciem solicitanti proco, facta etiam in prætorem forti Invectivâ: prætoris esse, hæc in suis scelera vindicare, non accendere, fidem se viro suo jurâsse in tumulum usque servandam; si porrò esse pergat importunus, stentorea se voce impactum crimen propalaturam &c. O aureas voces! ô bellissimam crisin, quam in Prætores suos Subditi vibrare cogantur cùm de peccato agitur manifesto. Hactenus se præsens femina gessit cordatè, heroicè. Modò in hac voti firmitate constans perseverâsset. Una una perseverantia virtutum omnium coronis est, quæ si desit, cadit omnis operum piorum appa-

(12) Lips. in Monit. Polit. c. 9.

I. Impium Judicem & præfectum bellissimè castigavit Carolus Burgundiæ Dux.

Hist. apparatus. Non visus est hanc linguæ acrimoniam acerbô animô Prætor accepisse, optimè gnarus, naturæ imbecillis feminas suis à propositis facilè diflecti, si modò per intervallum novis insidiis petantur, & pluribus blanditiis amicè mulceantur. Nil ille intentatum reliquit, nil inausum, ut prædâ tot votis expetitâ potiretur. Occurrit tandem perfido lenoni nobilis occasio Ducis Caroli absentia, militie in a ciem ducendo totam per æstatem distentô. Ducis sui primas vices di mi agebat Prætor, omnibus omnia; mox ergò obvio sub prætextu dire dixit feminæ, toties frustra tentatæ fideli marito; fictô accusationis tulô reum egit maritum perfidæ proditionis, eúmq; hac ex causa ten carcere mancipavit, eum in finem, ut hac ratione suam in arcem pro vi supplicem femellam alliceret. Successit astus ex votis. Audita inca ceratione totas vîres exercuit, ut maritum pristinæ redderet libertat malè per malevolos delatum; hac de causa curis plena in arcem co tendit, rogat, instat, & ex genibus orat innocentis mariti absolutio nem, oblatis quibuscunque expensis. Hæc ansa fuit vota effera e plendi. Visus est primitus magno commiserationis affectu in capti conjugem ferri Prætor, palàm protestatus, se planè invitum suo ex offi cio ad judicia tam acerba compulsum esse, testes adesse omni exceptio ne majores, curaturum se tamen, ut rimam inveniat maritus, qua po sit elabi, modò & ipsa pro lectissimo viro causam ageret seriò, & ejus redemptionem candidè urgeret, laboraturum se strenuè pro viri libe tate, si tamen & uxor ejus pares conatus prætori deferret. His fabu his promissis, quibus etiam violenta solitudo accessit & clausura, tan dem votis paruit coacta. Agere hic loci Susannam debuisset palàm pro testando, *melius mihi est* (13) *sine opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini*; at verò quid non timor extorquet & spes ri credula spes. Sensit ocius latrantis conscientiæ morsum post fractam marito fidem, lacrimas inter & singultus abiit confusa, & mox fœ ris vindictam animô coxit exulceratô, ridente adultero, & in no vos astus seducendi Seductam intento. Revertit post aliquot soles ad sella, cui iterum pro more, byssina dedit verba rebus vacua; nil enim aliud animô volutabat, quam cædem mariti, ut ducere posset se duam, eo sc. ritu, quô David olim Vriam sustulit, ut cupitis amo bus tutius indulgeret; promisit quidem aureos montes supplici læ, & causæ maturationem præsenti condixit, interim facto proc in carcere clanculò jussit capite plecti captivum, certus ita se nobilem viduam in thalami sociam accepturum. At justa Nemesis laneo pro

(13) Dan. 13.

præsit adulterum homicidam, quæ spuria Prætoris consilia evertit, facta cæde & funere tumbâ concluso accessit viduam; credebat hæc, jam seriò agi libertatem, propero pede in arcam excurrit, quam vaferrimus Prætor hoc vanissimo solamine dimisit; iret modò & virum suum ipsa domum reduceret, salva esse omnia. Nuntiô tam gratô læta conjux grates gratibus Prætori affusis accumulabat, mox inde ad carcerem digressa, ut virum reduceret. Vix pedem intulit ergastulo, vidit nigro pannô carcerem obductum, inde in medio sandapilam nigro velo tectam & tragico lumine illustratam. Ut porrò ex carcerario intellexit, hîc acephálum mariti corpus jacere, ad occisi viri funus propè exanimata humi corruit; inde furere, bacchari &c. quæ singulis cogitanda relinquo. Sibi reddita, mox in arcem recurrere ac Prætori sceleris immanitatem exprobrare; cùm verò veluti mente mota à foribus repelleretur, totam rei tragicæ seriem toti urbi & amicis explicuit. Nemo fuit, qui non diras execrationes in scelestum urbis caput clanculò eructaret. Suasum tandem fuit, ut reducis Caroli pedibus advolveretur, & ab eo tam horridi sceleris sententiam vidua efflagitaret. Horruit ad enorme scelus Carolus ipso absente patratum, de quo nil unquam somniâsset; examinavit seriò causam, obtulit gratiam, si sine fuco ultrò esset veritatem dicturus; sic totius Tragœdiæ seriem & expugnati pudoris scelus ultrò Ducis pedibus affusus detexit, unà tamen se obtulit ad nuptias cum vidua celebrandas, si clementissimo Duci consilium probaretur. Placuit consilium Duci, si tamen etiam vidua consentiret; hôc enim mediô terminô tota hæc controversia componeretur. Noluit quidem assensum dare vidua, precibus tamen adstantium persuasa, ut tantillum Duci deferret, annuit tandem, & eo mox die coram Duce ac testibus palatinis contracta sunt sponsalia de futuro. Jam extra omnem teli jactum se stare credidit Prætor, lætus, hilaris, mulctâ pecuniariâ insuper habitâ, se votorum metam lusô etiam Carolô attigisse; ocius tamen patuit, quo fine, qua mente hæc sponsalia Carolus urgeret. Nunc judicium, in barbarum & adulterum Prætorem justissimè judicatum suspicite. Sponsalibus utrimque stipulata manu coram principe & aulæ proceribus contractis, primam in Prætorem sententiam tulit Carolus: nunc ergò post rata utrinque sponsalia à te, Prætor, exigo, ut in aliquam irrogatæ injuriæ recognitionem, Sponsam tuam omnium tuarum opum & fortunarum coram testibus his hæredem scribas, casu quo ante ipsam fatis concederes. Paruit promptissimè Prætor, & tabulis publicis per juratum Notarium inseruit hanc ultimam voluntatem suam, tot testium propria manu subscriptam, quâ omnes fortunas suas viduæ nunc Sponsæ

transscripsit. Litteras hac super re expeditas ipse Dux in manus dedit Sponsæ, ex ea simul quæritans, an hôc modô ipsi esset totaliter satisfactum. Annuenti Sponsæ reposuit Dux: ergò jam domum te recipe, & nuptias adorna; ut primùm tamen huc vocaberis, reditum matura. Verso inde vultu ad Prætorem, & verò, inquit, num & tibi factum satis? Omninò, inquit Prætor, Sereniſsime Dux, sententiâ latus tua clementi & ardentibus votis accommoda; hanc tamen sententiam recens fulmen excepit; vultu ocius caperato, his porrò vocibus Prætorem perculit: at verò mihi satisfactum non est latro truculente, & atter homicida; hæccine tu me absente? an ideò ad te Præturam devolvit ut subditos exsugeres, ut pauperculos opprimeres, ut feminas viris, tribus liberos privares, ut violenta pravitate alienam pudicitiam expugnares, & innocuos cives meos Veneris causâ neci dares dictu horrendo abusus cùm sis Præturâ tuâ cum tanto meorum ac nominis mei dispendio, nunc etiam tuo in corio ludum sicut tu lusisti in alieno, totius Orbi ostendam, judicum judicem esse Carolum, qui meritis pœnis pravos Officiales animadvertat. Dixit hæc, & mox in eundem carcerem abripi jussit reum, ubi occisus fuit innocens Sponsæ maritus; sine mora, talionis pœnâ capite plexus est Prætor; inde ad aulam revolat Sponsa, his verbis præsentem affatus est Dux: exigebat omninò fortis patrati gravitas, ut Sponsus tuus ad aliquot dies publico carcere plecteretur; nunc ergò ex gratia speciali toto ipsum carcere absolvo; tu modò & tuum Prætorem nova nupta domum deducas. Ita carcerem ingressa vidit iterum nigro panno parietes vestitos, in medio feretrum pariter nigrum suo lumine instructum. Ut intellexit, etiam Prætorem truculenta nece pœnas perfidiæ dedisse, paucos intra dies præmœrore, erubescentia contabuit, exspiravit bis vidua, sponsa comica, omnis fabula. Opes Prætoris juxta testamentum liberis obtigerunt à matre relictis. Hem! quantas cruces crucibus accumulet, si per dignitates, quam *Dominicas Cruces* cives, subditi, pauperes & rusticelli tam enormiter premantur. Nunquam cruces numerosius augentur, quam si potestate sua in subditos ex alto data, principum ministri suum in commodum & in aliorum perenne damnum sacrilegè abutantur. Si faciant, vitæ pœnitentiam, & mammonam restituant vivi, Crux Dominica vere contritos ac citè in terris expiatos sublimabit ad gloriam, sin minus? eos deprimet in gehennam, ubi centuplicatis crucibus multiplex scelus diluatur, & nullô unquam ævô expietur, quod omnium à capitibus ut clemens Numen avertat!

Amen.

COR

# CONCIO XX.

## Festum Ascensionis D. N. J. C.

*Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos.* Ephes. 4.

## Descensus Ascensus,
## &
## Ascensus Descensus.

NUlla passio est, quæ mortales animos acriùs titillet, quàm gloriæ ac honorifici nominis Ambitio AA. Humi repimus omnes, & sursum tendimus omnes. Omnes in altum scandere allaboramus. Ab utero materno primas aucupamur. Necdum ovis exclusi cum Jacobo & Esau (1) de primatu contendimus, de primogenitura, de principatu luctamur. Eò ventum est hôc ævô, prout sua in Navicula Argentoratensis Ecclesiastes Kaisersbergius (2) deplorat, ut etiam vix ritè prognatis mitrati honores obtrudantur; ita pluries in cunis vagientibus pullis tritum illud occinitur: *Vis episcopari? vis mitrari?* Vixit nobilis iste Veritatis Præco priori seculo annis circiter 40. ante Argentoratensium à vera fide execrabilem apostasiam. Senecâ teste (3) natura omnibus animalibus certum quendam spiritum infudit, quibusdam efferum & ferocem, ut tigribus & leonibus: aliis subdolum ut vulpibus & catis: aliis obsequiosum ut canibus: aliis pavidum ut leporibus ac cervis: aliis edacem & voracem ut lupis & ursis: aliis luridum & lutulentum ut porcis: aliis salacem & procacem ut fœtentibus hircis &c. nobis verò qui homines sumus, indidit glorioſum & excelsum spiritum, quo instigante, ad ea quæ alta, quæ magna & honorifica sunt, spiremus omnes. Omnes adeò illud Caroli V. Symbolum sibi vendicant, clamántque, *plùs ultrà, plùs ultrà.* Civem qui egit hactenus, nunc ambit Senatum; Senator consulatum prensat; consultissimus in foro fieri ardet Consiliarius principum; curis & curiæ admotus ad usque secreti consilii adyta grassatur; Gregarius miles per mille pericula vitæ impigrè superata, fieri studet

(1) Gen. 25.

(2) Kaisersberg in Navic. stult.

(3) Senec. ad Lucil. A. Omnes Spiritu agimur sublimi, plùs ultrà eluctante.

signifer, tribunus, centurio, chiliarcha. Qui nobilibus ceris conspicua aulæ caput inseruit, novis ocius titulis inhiat Equitis aurati, Baronis, Comitis &c. plùs ultra in gloriam quocunque modo, per pompum, per mammonam, per aliorum funera grassabundus thraso. In nemo sorte sua contentus vivit hodie, quin potius omnium hoc studium est, ut assurgant, ut emineant, ut in alta luctentur, ovantes ac lætantes, in titulos crescere posse novos, digitô signati, & ac cies, hic est &c. Hic mundi currentis stylus est, & tota politia, li am in crumenam ubertim ludere, ac seu fas fuerit seu nefas, alce dere velle. Salustio Authore (4) gloriam & honorem etiam rudes a petunt & ignavi; his autem cùm bonæ artes sursum avolandi deficiant dolis utplurimùm & fallaciis sursum contendunt. Id hic loci dolendum, tantæ Ambitionis luem in ipsum quoque Sanctuarium grassa

(4) Salust. in Catil.

Ejulat magnus ille Augustini Discipulus Prosper (5) quacunque via a sacras Dignitates contendi, quibus splendor concilietur. Ingemit Cyprianus (6) quòd *Simon Simon* adhuc hodie venalem putans Spiritum Sanctum, Petros donis suis aggrediatur, & emere ardeat præeminentem gloriam, per quam plura lucretur, quæ tamen *negotia* vocat *diabolica*, & ipsos negotiatores, qui hæc commercia vel exercent, vel exerceri patiuntur, *diabolicos negotiatores*, satanizantes propôlas Reipublicæ simul & profanæ summè pernicioso; sic enim sæpè accidit, ut rudes pseudopolitici, pepones illiterati, pulte non pulpitô digni, scientiis a virtutibus vacui palpones, in Sanctuarium irrepant. Viderint quibus modis suam hodie Simoniam coram Deo defendant, qui juxta illud, *ut des*, annuam votatoribus pensionem condicunt, ut mitram illam faciant juris. Alia olim judicia hos in *Simones* justus ille & omnicius Judex renum ac cordium scrutator Deus fulminabit. Juxta Salvianum (7) etiam illi, quorum gloria in gloriæ contemtu sita est, ipso è statu ipso ex habitu, qui demissionem spirat & mortificationem, ambitionis ramusculos captant, & nescio quam nominis sui magnificentiam venantur, suæ, non divinæ gloriæ Pharisæi aucupes. Tangit hos crius more suo Bernardus his (8) verbis: *Video & doleo, post fretum p culi pompam nonnullos in humilitatis schola plùs superbiam addiscere, sub ti ac humili magisterio Christi gravius insolescere, plùs impatientes in cl stro fieri quàm essent in seculo, quodque magis perversum est, in domo Di non patiuntur se haberi contemtui, qui in sua nonnisi contemptibiles haberi poterant, ut, quia sc. ubi à pluribus præeminentiæ appetuntur, ipsi locum h bere non meruerunt, saltem ibi honorabiles esse videantur, ubi ab omnibus honore*

(5) Prosper l. 3. de vit. Contempl. c. 4.

(6) Cypr. Serm. de Jejun. & tentat. sub finem.

B.

Etiam illi, qui omnem gloriam wisi sunt conculcare.

(7) Salvian. l. 3. de Gubern.

(8) S. Bern. homil. 3. super Missus est.

*honores conculcantur.* O quàm multa paucis complectitur sanctæ Veritatis præco Bernardus: usque adeò nullus est, quem non ambitio infestat. *Cupidi sumus omnes ascensionis, exaltationem concupiscimus omnes,* Verba iterum sunt Bernardi, quibus omnes involvit. Sed utinam omnes ritè intelligerent, quibus modis alti vertices attingantur! Errant & toto cœlô aberrant, qui per Simoniam, per virtutis turpissimos abusus, per alterius moralem sepulturam ad quamcunque præeminentiam eluctantur. His fidentes dixerim: *Hæc via quam vadis, via pessima, plenaque cladis.* Alia quærenda est, quæ sine ullius damno aut præcipitio sursum ducat gloriæ candidatos. Hem novam eámque certam hac festa Luce digitô signat Paulus: *Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cœlos.* Solus nempe descensus ascensum, & solus ascensus descensum promovet; quod licet nonnullis esse credatur paradoxum, faciam tamen, ut firmam fidem impertiant docenti.

C. Modum novum ascendendi parit Descensus.

Descensus juvat ascensum. Sit hominis animus ritè ac seriò demissus, hôc ipsô mediô ad omne honoris fastigium aptissimus redditur. Ut ascendas descendes. Magnus esse vis à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis, verba sunt Africani Præsulis. Adhuc tamen clariùs nostram ad mentem Bernardus (9) perorat: *Descende, ut ascendas; humiliare ut exalteris; hæc enim ad sublimitatem illam via est & non alia; aliter qui vadit, cadit.* Hem, quâ viâ sursum ad gloriam eluctari valeat ambitio. Veri nominis via humilitas est, aliam si vadis, cadis, quia omnis alia præter hanc spuria est, & ducit ad ruinam, ut infrà dicetur. Hanc voce sua & facto palàm omnibus hodie Servator inculcavit, de quo pridem Paulus edixit: *Qui descendit ipse est & qui ascendit super omnes cœlos,* quasi diceret: ideò Christus Rex Gloriæ cœlos conscendit gloriosus, quia multò ante infra omnem terram descendit, nunquam ad tantos gloriæ apices ascensurus nisi Majestatem suam ad tantam profunditatem suique contemptum demisisset. Christi Humilitas omnem superbiam triumphavit. Christi Demissio summos gloriæ triumphos promeruit. Christi Descensus via fuit regia ad Ascensum. Ideò summus evasit, quia fuit infimus. *Humiliavit semetipsum Dominus JESUS,* Paulo testes *propter quod & Deus exaltavit* (10) *illum.* Vultis autem ejus *descensus* simul & *ascensus* ex *descensu* factos agnoscere, numerabit eos à primo ad ultimum Gregorius M. (11) *De cœlo venit in uterum Virginis* (prô quæ profunditas!) *De utero venit in præsepe* (prô casum altero mille gradibus altiorem!) at necdum finis. *De præsepio venit in crucem.* An casus dari

D. Probatur exemplô Christi.

(9) Idem Serm. 2. de Ascens.

(10) Philip. 2.

(11) S. Gregor. M. hom. 29. in Evang.

dari possit altior memoratô; reperit Christi Humilitas adhuc majorem. *De Cruce venit in sepulchrum*, & ad infimas partes terræ, ad ima inferorum receptacula. Ohe! jam satis est! surge tandem, & tantæ profunditati proportionatam gloriam capesse. *De sepulchro, de limbo redis in cœlum.* Sic multiplex descensus præsentem Ascensum peperit. At verò si placet, vita tota quam in terris vixit gloriosissimus Servator, lustretur, & patebit, quoties ille etiam in terris ad imum humilitatis gradum descendit, ociùs ipso è descensu gloriosè promotum esse ascensum ejus.

Natus est in tenebris, Servator, cùm nox in suo cursu esset, & altissimum silentium tenerent omnia; sed ocius nova luce trabeatus Sol, fugata nocte, se toti mundo spectabilem infudit. Severo, & Tertulliano si credimus, centuplicati soles Romano Senatori ipsa nascentis Dei Celebritate totum visi sunt horizontem coronare, qui noctem in diem vertentes toti terrarum orbi ortæ Felicitatis Natalem mutis vocibus proclamaret. Nactus est Hospes divinus humum rigidam, frondulentam, fœnum, stipulam, sed mox in seipsam regressa tanto Hospite dignos protrusit liquores.

*Desudant oleum quercus, opobalsama rupes*
*Et pretiosa novo flumina rore fluunt.*

Reclinatus est in præsepio, quia non habuit locum in diversorio; sed mox templum fit ex antro, cœlum fit ex stabulo, ex caula fit aula, ex hoc prodit ara ignoti Dei. Accinunt illicò Regi gloriæ cœlestes choraulæ, assistunt Summo Sacerdoti suo ex Judea per administratorios spiritus acciti pastores, de quibus Ambros. (12) dixit: *Pastores sunt sacerdotes.* Adorant Regem Regum & Dominum, non servorum sed dominorum, mortali carne vestitum, humanâ simul & angelicâ Naturâ recens miraculum obstupescente, quô Virgo generat Filium omnium Creatorem, quô Genetrix nutrit Puellum omnium nutritorem.

(12) S. Ambros. in Luc.

Post octo Soles Idem veluti latronis cauterio infigitur, prout observat (13) Bern. & proprio sanguine innocens Agnus purpuratur, ex-tiquatæ Circumcisionis legi ultrò subjectus, nullô placitô constrictus natus, nullis legibus adstrictus Legislator, ubi multò pressiùs iterum humiliatus est, quàm cùm ante octiduum *Caro factus est*: tunc enim ut Paulus inquit (14) *exinanivit semetipsum, habitu inventus ut homo*, nunc verò etiam formam induit peccaminosi hominis. *Tunc in exortu festi-tiæ Sole*, ut Petrus inquit Dam. (15) *solaris umbra decem gradibus retrosit, paulò minoratus ab Angelis, & servi formam accipiens Deus, nunc in*

(13) S. Bern. Serm. 3. de Circumcis.

(14) Philip. 2.

(15) S. Pet. Dam. Serm. 20.

*tem gradibus dici debet retrorsum abiisse undenis, quia etiam peccatoris imaginem assumpsit, in similitudinem carnis peccati.* Sic depressum **mox** iterum videas sublimatum. Hausit ex hac sui demissione:

*Nomen nobile, dulce, delicatum,*
*Nomen thurilegos olens Sabæos,*
*Quô nil gratius est, amœniusq;,*
*Quô nil fortius est, potentiusq;,*
*Quod si forte pio colatur ore,*
*Mox Pœni reprimat jubas leonis,*
*Mox sævæ tigridis domet furores,*
*Sistat flumina fluminumq; cursus,*
*Pennatos volucres regat per auram,*
*Et sacra populante corda flammas,*
*In sacros animam resolvat ignes.*
*Nomen nobile, dulce, delicatum,*
*Quod cum siderea canunt in aula,*
*Cœlorum vigiles moventur ignes,*
*Surgunt æthere incolæ beati,*
*Surgunt sæcciduo genuq; nixi,*
*Nomen nobile, dulce consalutant.*
*Ter fastigia montium supino,*
*Nutant vertice Pindus, Æmus, Othrius,*
*Ter lætæ resonant ad astra valles,*
*Cedunt nubila conciduntq; venti,*
*Cedunt æquora, ridet alma tellus;*
*Clametur stygias Nomen per umbras,*
*It toto tremor insolens averno;*
*Quassata horribili fragore ab imis*
*Tristis concutitur domus cavernis.*
*Nomen nobile, dulce, delicatum!*

His Phaleuciis Divinum Nomen primi seculi celebrat & prædicat (16) Imago Soc. Nomen omnium linguis declamandum, Nomen omnium calamis exarandum, Nomen omnium cordibus obsignandum. Ita rara humilitas, & depressio sui per Augustissimum Nomen JESU ad summos gloriæ apices sublimata est in Circumcisione. (16) Imag. 1. Sec. Soc. l. 1. a.

Vix nato, vix Augustissimo Nomine donato Infante, furiis agitatur purpuratus latro, coronatus furcifer Herodes, irâ succensus, invidiâ stimulatus,

latus, novi regis titulô efferatus, ad internecionem quærit Deum Virorem. Non domus ulla tuta est, non receſſus, non angulus; matrum viscera ferrô rimatur; ſed quem è medio tollere ſtatuit Herodiana tyrannis, eum divinis honoribus proſequi viſa eſt regia virtus. Ecce Magi ab Oriente ſtellâ cœli linguâ in Judæam acciti, omnium Regum ac Subditorum nomine JESUM Regem Regum demiſiſſimè adorant, & munificè venerantur. Fugit inde perſequentem tyrannum Deus pedicularium caput coli terræque Monarcha formidat; interim tamen diviniſſimo transfugi ſilvas peragranti exanimes plantæ, immanes trunci, altæ ac ramoſæ arbores pronos vertices inclinant, ſuum Authorem venerantur; Ægyptiſimulacra ultrò humi ruunt, & caſu repentino veri Dei præſentiam reverentur.

Sed antè templum ſubiit Jeroſolimitanum Deipara, quàm cum Sponſo ac diviniſſimo infante ſuo ſe tam vaſto itineri committeret, non ut quadraginta diebus à puerperio exactis macula expurgaretur, quam nullam Virgo Mater contraxit, ſed ut ſe ac Vnigenitum ſuum Domiſiſteret, qui lytrum Redemptionis daturus eſſet pro toto mundo hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, ut Paulus (17) meminit, cujus Symbolum eſſe debebat innocens columba. Poterat animus Virginis pura dicere (verba recito S. Bern.) *quid mihi opus eſt purificatione?* (18) *templum* (ſine ulla luſtratione) *non ingrediar, quæ peperi Dominum templi? nil in partu meo purgandum eſt. Proles iſta fons puritatis eſt, & purgationem venit facere delictorum &c.* His tamen inſuper habitis omnibus hominibus ſuperior infrà omnes ſe demiſiſſime abjecit, & cui natura nullam potuit legem dictare, ſe legi ſubjecit, quaſi veteris noxæ labem contraxiſſet, *ea puritate illuſtris, quâ major ſub Deo nequit intelligi*, Anſelmus (19) teſte, luſtranda templum petiit, tantam ſc. demiſſionem à Filio Mater edocta; ſic enim porrò loquitur Bern. l. c. *Tibi utiq; opus non fuit ulla purgatione, ô Virgo, ſed nunquid filio tuo opus fuit circumciſione? ergò inter mulieres tanquam una illarum licet, nec primam ſimilem vitæ nec habere ſecundam; nam & filius tuus in numero ſtare voluit peccatorum &c.* Cùm ſc. ab omni lege immunis, carnis tamen ſuæ labem ſubiret, ſe in ſpeciem ac formam peccaminoſi hominis erroris caput profeſſus, cum tamen eſſet ipſa via, veritas, virtus, puritas, & vita. *O humile ſpectaculum*, exclamat (20) Ansbertus, *quô nonniſi pii ac humiles lætari probantur! ſtat hinc Virgo & Mater, non cujuscunq; ſed Dei filii. Capitur inde infantulus Virginis filius, cujus Divinitatem non capit Orbis. Mater ſe hoſtiam Deo immolat pro filio, Filius ſe Patri offert victimam pro matre*

(17) Rom. 12.

(18) S. Bernard. Serm. de Purif. B. V.

(19) S. Anſelm. lib. de Conc. Virg.

(20) Ansbert. Serm. de Purif.

*do. Non potuit tantæ humilitatis portentum sine novis miraculis exhiberi: Anna vidua prophetizat; Senex Simeon à Spiritu in templum trahitur, funditq; multò antè oracula, quam sacris stringat amplexibus Puellam, non visurum se mortem, donec videret Christum Domini; veri nominis Cygnus ætate ac innocentia candidus, cantator funeris ipse sui, corde magis quàm ulnis gestans totius universi Salvatorem, Lumen ad revelationem gentium, quod è Cœlo doctus Senex detexit, & palam prædicavit &c.*

Tricenarius, ut Matthæus (21) perhibet, non dedignatus est cum ceteris ad baptismum venire, non jam mundari, sed mundare volens aquas, ut nobis æternæ salutis Lavacrum suô baptismô consecraret. Non potuit capere tam enormem humilitatis actum Joannes, quem tanquam baptismi ministrum elegit; hinc admirabundus simul & venerabundus dixit, quod Mater ejus multò antè Matri Numinis edixit: unde hoc mihi, ut veniat tanta Majestas ad me? mihi potius opus est à te baptizari; descendit adeo in Jordanem, at confestim ascendens de aqua vidit cœlos apertos. Descensus novum peperit ascensum; insolita humilitas novam gloriam produxit, miracula miraculis accumulavit. Apertum est cœlum, descendit Spiritus Dei in forma columbæ, vox pariter ex alto allapsa est, *hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, quam omnes affusi spectatores distinctè audirent. Sic pluribus illicò prodigiis prodigiosæ humilitatis descensum coronari voluit Deus. (21) Matt. 2.

Post baptismum duci se passus est à Spiritu in desertum tanquam ad luctæ stadium cum Satana ineundæ. Prima tentatio erat guiæ ut ex lapidibus panes educeret. Altera erat vanæ gloriæ, ut se templi è pinna præcipitaret. Tertia erat avaritiæ & idololatriæ, ut Stygem adoraret cum promissione regni totius mundi. Sustinuit ternas tentationes nostrâ causa humillimè, ut suô nos exemplô ac responsô doceret, primam Inopiæ tentationem superandam esse spe firmâ in Deum Deique providentiam directa. Alteram Superbiæ coërcendam esse per reverentialem Dei timorem. Tertiam avaritiæ pellendam esse generosissimo insultantis mundi contemptu. Ita mox Angeli accesserunt Creatori ac Domino suo famulaturi. Sumit hinc efficaces stimulos Damianus (22) quibus omnes Christicolas ad tetram stygem fortiter debellandam inflammet: *Victor dæmonum socius efficitur Angelorum: exul mundi fit hæres paradisi; sui abnegator Christi est sectator, cui tanquam amicô & domestico Dei, victoriam & coronam administratorii Spiritus aggratulentur &c.* (22) S. Damian. opuscul. 11. c. 16.

Ducit secum in montem Taboræum discipulos, Petrum, Jacobum, & Joannem, ut oraret, & orandi ritum palàm suis ostenderet. Præsunt oranti Moyses & Elias cum eo loquentes de excessu, quem completurus erat in Jerusalem. In Græco *excessu* ille *ecstasis* dicitur, ut innuatur Colloquii objectum fuisse Christi ecstaticum amorem, qui eum ad probrosissimam passionem & abjectissimam crucem accenderet. Quid tristius, quid despectius trahi poterat in colloquium, quàm mortis patibulo crucis obeundæ tragicum thema? at ecce, mox humanâ major gloria totum montem obsepsit! illo adhuc loquente nubes lucida Christum, pariter Moysen, Eliam & Apostolos suo cinxit amplexu. Christi facies Solis instar rutilabat: vestes ejus nivis instar candicabant. Vox è cœlis lapsa est encomiastica.

Tandem plagis obsitus, spinis redimitus, flagris discerptus, probriis saturatus, insons Deus agnoscitur & sicario Barrabæ postponitur: absolvitur plurium homicidiorum reus latro, vitæ Author ad probrosissimam necem raptatur, ferali patibulo suo trabalibus clavis fixus; at tota natura tetrum facinus indignata, extinxit diem, diffidit petras, eruit sepulchra, & tristis ecclipsis peplô totam, quà patet, rerum obnupsit, ut tot prodigiis territus Areopagita has in voces erumperet: *Aut Deus patitur aut natura!* Mox tamen omnis contumeliarum honorem, funes & vincula in auream libertatem, terrimus carcer in paradisum, alapæ in oscula, sputa in uniones, verbera in amplexus, flagella in blandimenta, spinæ in rosas, arundo in sceptrum, crux spinea in regium diadema, opprobria in triumphum, vulnera in gemmas, sanguis in purpuram, Crux in trophæum, tota Passio in perennem gloriam, mors in vitam glorioßissima metamorphosi abiêre. E casu oritur, ex tumulo renascitur, ex interitu fortior resurgit, ex discenßu, in tubis & tympanis, in jubilatione ac festivis applausibus assumsum ad perennem gloriam ascendit Victor inclytus. Sic fic oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super cœlos cœlorum ad Orientem.* En viam! en sursum ascendi divinissimam idéam! huc gloriæ Candidati oculos reflectite. ascendere si vultis, hunc in morem descendere prius oportet, quoniam altiùs vultis ascendere, tantò profundiùs vestrum in nihilum desidite, alia via sursum ad gloriam abeundi non datur, nisi à Christo ver & factô monstrata. Audiatur Aug. (23) *Celsitudo delectat? ad eam pe dus est humilitas. Quid tendis pedem ultra te? cadere vis, non as infimo à gradu incipe, & ascendisti. Hunc gradum non viderant*

(23) S. August. Serm. 47. de divers.

*Domine dic ut sedeant hi duo unus ad dexteram & alter ad sinistram tuam &c. Dominus autem eis hunc gradum ostendit dicens : potestis bibere calicem ? quæritis apicem sublimitatis, potestis bibere calicem humilitatis ?* O quàm parùm hos gradus, & hanc sursum per descensum scandendi viam fastu turgens mundus intelligit ? Nemo miretur improvidos ascensus tot præcipitiis objacere ; heri rex, hodie fex : heri aulicus, hodie mendicus : heri prætor, hodie procurator : heri Curiæ grande decus, hodie dedecus : heri dominus, hodie servus : heri orbis & urbis gloria, hodie omnium peripsema. Hic lusus ubique luditur, si divina illa per descensum ascendendi via vel contemnitur, vel negligitur. Do utriusque hujus vivax Exemplum, ut pateat, per ascensum nonnisi descensum verso temone incurri, per descensum verò sancti nominis ascensum comparari.

E. Mundus non capit hunc modum.

Prout Guil. Peraldus Lugdunensis Episcopus (24) commemorat, Eremita quidam ad mortem usq; infirmabatur ; mox ergò ad proximum monasterium juvenem misit, qui suo nomine Patrem adduceret, ut pœnitentem absolveret, & omnibus Sacris ad mortem ritè obeundam communiret. Vix hæc in cœnobio juvenis retulit, ocius adfuit, qui sacro Viaticô instructus presso pede juvenem sequeretur. Cum fortè per densum nemus ambo transirent, & prævius verna pro more nolam pulsaret, suo è specu latro excurrit, visurus, quid prædæ viam tereret ; cùm verò videret, animam agi Eremitæ, jam S. Viatico instruendam, secutus est latro Patrem usque ad cellam moribundi. Ipso introgresso, foris mansit latro, indignum se reputans, Viri tam sancti cellam ingredi. Cùm tandem æger facta exhomologesi etiam sacrô esset Epulô refectus, sacrô etiam oleô inunctus, jámque reditum Pater moliretur ; stans latro propè januam ex vera contriti pectoris humilitate has in voces erupit : *O si & ego talis essem, qualis es tu !* Audiit hæc Eremita, & mox animô suô enormiter inflatus, hæc reposuit : *Ita sanè, jure merito exoptes, talis ut esse possis, qualis ego sum ! sed quantum chaos me inter & te ! tu sceleratus homicida es, & ego vitæ integer, scelerisq; purus asceta sum &c.* His utrimque depositis, latro Patrem jam digressum cum magna cordis sui contritione insequitur, eique statuit intra sacros cœnobii parietes confiteri, sed præventus est à Deo, in via humi fusus & extinctus. Obiit pariter eâdem horâ relictus eremicola ; at quorsum migravit uterque ? jam ex descensu & sui contemptu felicem ascensum suspicite, ex ascensu suique elatione tristem descensum ejurate. Nocte insequenti, mox Patri, qui sacris instruxit ægrum, sua in cella revelatur,

(14) Guil. Peraldus in Sum. Vitiorum.

F. Probatur notabili exemplô, per ascensum descendi, per descensum ascendi.

Hist.

velatur, animam latronis ob sui humilitatem, confitendi ardens propo-
situm, ac veri nominis contritionem de commissis grandibus flagitiis
ritè conceptam, rectà per Angelos cœlis illatam esse, animam vero Ere-
remitæ ob mentis elationem & superbiam cœlo exclusam & in Orcum
per dœmones abreptam esse cum Lucifero superbiæ signifero æterna
ignibus cremandam.

Hem, qui ascendit, descendit, & qui coram Deo descendit, sursum
ad gloriam sine Sacris ascendit. Aliter nempe qui vadit, cadit, ut ja-
prà dictum est ex Aug. Reliquit Deus in terris & duro lapidi montis O-
livetani, unde hac luce rectà Cœlos conscendit, pedum suorum vesti-
gia impressit, eum maximè in finem, ut horum intuitu, ac prævio e-
jus exemplo succensi ex imo in nos ipsos descensu & profunda nos-
humiliatione, sursum ad Superos eluctaremur, id perpetim caven-
ne unquam noxius ille ascensus, & tumens fastus animos irruat, q-
justam supremi Numinis provocet vindictam, ut stygiam elationis
zogis fulminet æternaturis. Verbô: qui descendet, ipse erit, qui ascen-
det ad gloriam, ad coronam, ad vitam bonis omnibus affluentem
quam mihi vobisque in cœlo largiatur humilis JESUS!

Amen.




CON

# CONCIO XXI.

## Festum Pentecostes.

*Repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Act. 2.

## Primitiæ Hierosolymitanæ.

STat dies hodiernus Opt. AA. novis ac recentibus calceis. Cur? quia plures hodie Primitiæ Jerosolimis celebrantur, quarum causâ vastum iter expediendum, ut inde multiplex fructus reportetur. Apostolos in suprema Cœna factos esse Sacerdotes quoad sacrificandi potestatem, de fide certum est, ita docente Concilio (1) Tridentino, actu tamen ritu Christiano priùs non sacrificâsse quàm hodie promissus à Christo Spiritus Sanctus defluëret, iterum esse videtur certum, etsi de fide non sit. Quid ergò tantô temporis intervallô Apostoli actitârunt, si per 50. dies non usi sunt sacrificandi potestate? erant Apostoli multo tempore etiam post Resurrectionem dispersi & supra modum mœsti, velut oves non habentes pastorem. Si verum est, quod aliqui Patres affirmant, per illud tempus Apostolos fidem perdidisse, fatendum est, in tali statu Apostolos fuisse, quô nec de Sacrificio cogitarent, nec ad id litandum dispositi essent. Videntur tamen Apostoli totum illud tempus, quod inter Christi Resurrectionem & Pentecosten dilapsum est, partim in comprobanda Resurrectionis veritate, partim in aptandis ad excipiendum Spiritum Sanctum pectoribus suis insumpsisse, & Christi monito, quod eo tendebat, ut concluſi & sedentes per aliquod tempus in civitate, se ad demissionem pluviæ voluntariæ segregatæ hæreditati Christi disponerent, nec priùs per Evangelicæ doctrinæ dissemínationem animarum conversionem aggrederentur, quàm instructi essent plenitudine Sapientiæ, ac cœlestis eruditionis ad ritè disponendam totius religionis œconomiam. Ita sanè Christus ipse de venturo Spiritu Sancto disertè professus est, *docebit vos omnem veritatem;* utique circa religionem, fidei mysteria, & ritè obeundi religiosi cultus modos ac media, quos inter maximè eminet Sacrificium incruentum; priùs adeò non ausi sunt Apostoli celebrare, quàm Spiritum Sanctum ex alto accepissent. Fuit hujus

(1) Concil. Trid. Sess. 22. c. 1.

A. Hodie in Jerusalem plures primitiæ celebrantur per Apostolos. Probatur ex Script. & PP.

jus animi ac ſententiæ in terminis olim S. P. Cyrillus (2) veſtiga
iſte rationem, cur Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem Magdalenam
ipſum contingere geſtientem à ſe repulerit, dicens: *Noli me tangere;*
*nondum enim aſcendi ad Patrem meum*, eámque ex eo petit, quod nemini
ad contingendum Chriſti Corpus in Euchariſtia accedendum ſit, ni
priùs acceperit Spiritum Sanctum, quem Chriſtus non demiſit niſi poſt
aſcenſionem, præſenti ſc. die à Reſurrectione illius quinquageſimo.
Verba S. Patris hæc ſunt: *Quia nondum Spiritum miſerat, ideò à tactu ſu*
*Magdalenam prohibebat, nondum aſcendi ad Patrem meum*, id eſt, non
dum Pater per me Spiritum Sanctum ad vos miſit, hinc Eccleſia regu
lam accepit; prohibentur enim à S. Menſa catechumeni, etſi veritatem
jam agnoverint, & fidem alta voce confiteantur, quia nondum Spi
tu Sancto ditati ſunt, qui non habitat niſi in iis, qui baptismô ſunt
inſtructi; unde cùm baptiſmum acceperint, quia Spiritus S. in illis ha
bitare creditur, à tactu & à communione SS. Corporis Chriſti non
prohibentur; quæ cauſa fuit, cur ad hæc S. Myſteria piè accedentibus
Aræ miniſtri altis vocibus clamarent, *Sancta Sanctis*, ut innuerent, ſo
lis Spiritu S. ſanctificatis tactum & participationem Corporis Chriſti
competere. Hæc Cyrillus. Patet adeò Apoſtolos per 50. dies, delapſum
Spiritûs Sancti, poſt Aſcenſionem in Pentecoſte ſecuturum, congruè ex
ſpectâſſe. Patet ulteriùs, primum Sacrificium incruentum, quod in
Eccleſia puro ab homine celebratum eſt, hodie ipſa in Pentecoſte per
Apoſtolos peractum eſſe, accepto Spiritu S. & flammis cœleſtibus
eorum in corda delapſis, unde recens ſuccenſi, ad publicum pro
vatúmque ſolatium, Deóque acceptiſſimum cultum in terris mate
randum, ſe totis viribus accingerent, juxta tritum illud: *Nolite*
*tarda molimina Spiritûs S. Gratia.* Præſens aſſertum haut obſcurè in
ſinuant bini Pontifices Vrbanus IV. & Clemens V. approbante Concilio
Viennenſi, Decretô illô, quod extat Clementina unica de Relig. & Ve
nerat. SS. ſignabant illi certum diem ſolenni memoriæ Sacramenti Eu
chariſtiæ feriam quintam proximè ſubſequentem feſtum Pentecoſtes
ſuâ Octava concluſum. Id, quod S. Thomas, Author Officii de SS.
Corpore Chriſti, Urbani IV. Summ. Pontif. juſſu (3) docuit non alio
ex cauſa factum eſſe, quam ut, qui per totum anni circulum hoc Sa
cramento utimur ad ſalutem, ejus Inſtitutionem illo tempore ſpecia
liter recolamus, quô Spiritus Sanctus corda diſcipulorum edocuit ad
plenè cognoſcenda Sacramenti hujus myſteria; eodem enim tempore
cepit hoc Sacramentum à fidelibus frequentari. Hæc S. Thomas, qui

(2) S. Cyrillus l. 12. in Joan. c. 50.

(3) S. Thomas opuſc. 57. lect. 5.

in Officio de SS. Corpore Christi ab Ecclesia usurpantur, ut proinde non tantùm ut verba S. Thomæ (quanquam hoc uno nomine magni essent momenti) sed ut ipsius Ecclesiæ sensum continentia allegari possint; atqui his verbis distinctè asseritur, Sacramentum Eucharistiæ in Pentecoste frequentari ceptum esse, quod sine confectione Sacramenti fieri non potuit. Cùm porrò incredibile sit, si Apostoli prius ritu Christiano sacrificâssent, neminem fidelium tanti Sacramenti virtutem ac fructum participâsse, iterum redditur perspicuum, sicut fideles tunc primùm Eucharistiæ Sacramentum frequentaverunt, ita pariter Apostolos tunc primum hoc incruentum Sacrificium celebrâsse. Juxta Richeomum (4) idem quoque ex ipsis Apostolorum Actis, primò maximè & secundo Capite eruitur. In primo Actorum capite necdum describitur Pentecoste sed primùm in secundo; interim in primo capite de fidelibus sic tantum loquitur (5) S. Lucas: *Erant perseverantes unanimiter in oratione & obsecratione.* Contra verò in secundo capite ubi propriè Pentecoste depingitur, & Spiritus Sancti Adventus fusius enarratur, dicuntur etiam Apostoli accepto Spiritu sancto ad Christi baptismum & pœnitentiam plebem animâsse, inde mox subditur: *Erant autem perseverantes in Apostolorum doctrina & communicatione fractionis panis & orationibus.* Ubi per *communionem* non profanum aliquod convivium vel ciborum nudè materialium sumptio exprimitur, sed propriè SS. Eucharisticæ usus insinuatur; nempe in primo capite S. Lucæ ante Pentecosten necdum ab Apostolis fiebat Sacrificium; post Pentecosten ociùs addidit Lucas, fideles Fractionem panis frequentâsse, quia tunc Apostoli sacrificandi potestatem à Christo collatam primitus exprompserunt, & divinissimæ Eucharistiæ communionem fidelibus dispensârunt, quod sine Sacrificii usu non poterat præstari. Idem Salmeron, Cornelius & Sanctius post S. Antoninum (6) qui etiam ait hunc sensum esse communem, mordicus tuentur in Acta. Est ergò sententia de Sacrificio Christiano ab Apostolis in Pentecoste primitus peracto, satis undique & Scripturæ & Patrum, Doctorúmque testimoniis sufulta, ex qua tantò fortiùs in pretio & in amoribus habeamus sanctum Missæ Sacrificium, quantò sanctius extitit principium Sacerrimo huic actui per Apostolos decretum.

(4) Lud. Richeom. in Embl. Euch. c. 8. n. 10. & 11.
(5) Act. 1. & 2.
(6) S. Antonin. 1. p. hist. Sum. tit. 6. c. 2. §. 1.

B. Hinc sacrificii præstantia eruitur.

Hujus Sacrificii perennem cultum tenentur vel maximè illi promovere & augere, qui Ecclesiis & aris deserviunt; huc templa dirigantur & beneficia sacra; huc anniversaria per annum, pro defunctis celebranda desti-

destinantur, & religiosæ domus; ut adeò non tantùm fidei causâ, spei gratiâ vel charitatis titulô ut ceteri, sed etiam fidelitatis & gratitudinis nomine propagare debeant Eucharisticum cultum Ecclesiastici. Inde mirari satis haud possum, fuisse, qui barbaram crisin in pios fideles eucharisticam Benedictionem avidè captantes, palàm detonaret. Offendit hôc ipsô, se vel grandem esse idiotam, vel decumanum nequam, toga concluſum ecclesiasticâ. Nil utilius præstant laici, nil Deo gratius agunt seculares, quàm si Sacris operanti Mystæ quocunque tandem die reverenter assistant. Ab hoc Dei summi obsequio, totius diei corporis & animæ negotia dependent. Felix ille qui sacrificium etiam quotidianum ita æstimat, ut nullo negotio idem sibi surripi patiatur. Scirent homines, in sacrificio de rei summa tractari, de negotio seculorum, de mundi ac mundanorum salute, de propria cujuscunque vita ac felicitate, rerum omnium & temporalium & spiritualium, ipsumque negotiorum cursum hic loci facillimè impetrari vel juvari, credibile est eos tantum bonum pluris æstimaturos, neque ullo die templis & aris præsentiam suam negaturos; at mundo & terræ immersi non sapiunt ea quæ sunt Spiritûs. Rident, temnunt publicæ ac privatæ fidei tis evidens argumentum; unde nemini mirum videatur, pariter à Deo deseri, qui Deo ad aram præsenti tam raro famulantur. Id quod de Missa Sacris operari negligente dixit Bonav. (7) suô etiam modô de eo, qui eorum audire omittente sumi potest & intelligi: *Qui Sacrum omittit, quantum in ipso est, privat Trinitatem laude ac gloria, Angelos lætitiâ, peccatores venia, justos subsidiô & gratiâ, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spirituali beneficio, seipsum medicinâ & contra quotidiana peccata, tetramq; mortem forti remedio.*

C. Fructus Sacrificii seu facti seu auditi multiplex.

(7) S. Bonav. l. de Miss. c. 5.

Memorabile est, quod Cosmographiæ suæ Æneas Sylvius Pius hujus nominis Secundus Pont. Max. inseruit. Cùm Bohemiam describeret (8) Nobilem inter alia produxit, cujus animo sæpius hæc misera cogitatio se intrusit, ut se ipsum laqueô perimeret. Id cùm vehementer ferret, & modis omnibus his cuperet tentamentis liberari, doctum quemdam Virum accessit, & ab eo tam gravi malo forte petiit remedium. Dedit hic consilium sanè optimum & summè proficuum, monuit, ut proprium Sacerdotem conduceret, qui solitaria in arce manenti singulis diebus rem faceret divinam. Paruit suadenti, & per integrum ferè annum Sacrificii cultum continuavit eo cùm fructu, ut palàm fateretur, se totius anni curriculo nulla unquam suspendii cogitatione pulsatum fuisse. Cum alter jam annus volveretur, occurrit

(8) Æneas Sylv. in Cosmogr. Europ. c. 21.

D. Sacri neglectores malis patene mil lenis.

Hist.

vicino in pago annua templi Dedicatio, ad quam cùm transeundi licentiam à nobili arcis Satrapa Sacerdos expressisset, statuit quidem arcis Dominus Sacris in vicinia operaturum mystam ocius insequi, & Sacrificio illius incruento more hactenus recepto in rurali templo assistere; at variis negotiolis ab itinere maturando distentus, moras tamdiu protraxit, ut Sacrum negligeret; abiit nihilominus & seriùs Ecclesiam petiit, in qua Sacrum suum jam ad coronidem, arcis Sacerdos deduxit; in via dumosam silvam transgressus, rusticum sibi apprimè notum medio in nemore obvium habuit, qui rem divinam jam in templo peractam esse referret, & omnem populum jam actu suos in lares remeâsse nuntiaret. Horruit ad hoc nuntium Nobilis, hoc ipso die se infelicem fore reputans, quòd Sacrum non audiisset. Erexit in spem novam Nobilem ruricola, eique si vellet, emptionis jure Sacri sui obtulit auditionem. Sed magnô stetit præsens oblatio; numeratâ pro Sacro in Nobilem transfuso pecuniâ, totum quidem Sacri præmium sibi Nobilis vendicabat, ruricolâ largo cum congiario domum digresso; at necdum silvam emensus est, patuit ociùs, quanti boni jacturam fecerit sacrilego mercatu; perrexit tamen in pagum & ipsam quoq; Ecclesiam subintravit, in qua etiam preces fudit, ut modô, quô posset, defectum resarciret. Peractis precibus ad arcem revertit, & ecce sub exitum silvæ proxima ex quercu suspensum reperit agricolam, qui suum Nobili Sacrum divendidit, factus mortis victima, quia Sacrum mortis antidotum Judæ turpis assecla distraxit. Ab illo tempore Nobilis omni exemtus est tentamento, nullis ultrà suspendii cogitatibus vel domi vel foris, vel noctu vel interdiu afflictus. Patet hinc, quantis se periculis objiciat, qui piam Sacri auditionem profligat; quantas porrò sibi gratias cœlitus conquirat, qui eam votis ardentibus prensat. Nos damnô rustici sapimus, & eô locô Sacrum Missæ officium reponimus, quô id præsens Nobilis reposuit.

O ut sacer iste Palatini genius & Sacri audiendi cura omnes ævi nostri Nobiles, imò cives ac plebejos corripiat! esset sanè, quòd multiplex gratia & fortuna præsens ad ævum revertat. Multorum sanè hoc in genere tepor & ignavia eò excrevit, ut vix illis diebus, quibus ex Ecclesiæ præcepto tenentur, Sacris intersint, aut si præstò sint, tantis sæpè probris & facetiis templa oppleant, ut satius foret, si lecto suo hæsissent domestici endymiones. S. Ludovicus Gall. Rex hujus nominis Nonus aris submovit, & templis excusit quosvis strepansores, & avitæ pietatis discolos interpellatores, Sacri religione succensus, quâ tantum in mysterium ferebatur. Vidisset ille tantam seculi hujus petulantiam, risum,

E. Timeant graves pœnas, qui Aras & Sacra turpiter conspurcant.

confabulationem, credo sanè, infami supplicio tetrum scelus mulctasset. Suspiciamus hac in parte religiosissimum in fide novelli Principis studium, cui nomen Emanuel. Is Joannis I. Regis Congi patruus anno 1491. prout refert Maffejus (9) susceptô Lusitanorum operâ Baptismo, Christiana fide imbutus, gnarus adeò, quanti esset incruentum Missæ Sacrificium, tanta semper accuratione eidem interfuit, ut nec à Christiano veterano expeti posset major. Cùm verò audisset aliquando aulæ suæ ephæbos ad templi fores strepitum ciére, & tam Sacerdoti sacrificanti quàm Sacro astantibus obstrepere, eos ociùs trucidari præcepit, indignum facinus ratus, Sacrificium nostrum quoquo modo irreverenter haberi, factúmque esset ut mandavit, nisi Lusitani ephæborum ætatem miserati, ingestâ divinæ Clementiæ memoriâ, zelum illum acerbum misericordiæ pharmacô temperâssent, & mortis sententiam in meliorem convertissent. Benigniùs in hos Sacri temeratores invectus est Philippus II. Hisp. Rex, qui cùm ardentissimo in hæc artificia zelô exardesceret, nec minimam loci sacri irreverentiam ablegatus est impunitam. Observabat fortè potiori tempore Sacrificio eminus confabulantes aulæ suæ proceres, & mox Dei gloriam zelatus sententiam coxit finitô Sacrô in hoc Dei contemptores fulminandam. Vix ad aulam ab Ecclesia revertit, ad se singulos accivit, eósque tota aula sua proscripsit, omnibus aulæ curis & opimis conditionibus exoratos, cum dicto: se nullos in aula sua tolerare, qui Deum in ara præsentem nec curæ nec cordi haberent, quem tamen præsentem ipse summa qua posset devotione coleret, adoraret. O patres familias! domini, quicunq; benè vultis prolibus vestris, subditis vestris, aulicis & agris vestris! Sacrificium ardete incruentum, summa cum reverentia, si fieri potest, quotidie Sacris assistite, & obnixissimè semper curate ne vel per vos, vel per vestræ curæ subjectos ullæ culpabiles negligentiæ committantur, ullæ irreverentiæ Sacris irrogentur; hæ enim negligentiæ, hæ irreverentiæ licet, à terricolis dissimulentur, graviter tamen etiam fulmine cœlitus defluo justo à Numine proscinduntur; unde unpiùm grande supplicium vestris fortunis accrescat. Agitur de maximo omnium Christianorum bono, quoties hoc Sacrificium, cujus Proprietas Festum dedit hodiernum, ritu incruento ad Summi Dei gloriam incruentæ Passionis perennem memoriam in aris immolatur.

(9) Maffejus in hist. Ind.

F. Zelus Principum pro Sacri reverentia, quem omnes mundi rectores æmulentur.

Scio: Nullis artibus citiùs & proclivius nostras in ædes malorum illias derivatur, quàm si cum rustico illo, levidensi pretio hæc Sacra abjicimemus, aut ea cum tot aliis lurconibus, pravis moribus nostris & scandalosorum

lorum sordibus inficiamus. Nil olim tam frequenter deflere visus est Aug. quàm hunc vel Sacri contemtum vel Sacri vilipendium & depravationem. Notentur verba singula Sancti Patris undique emphatica: *Ausus sum etiam in celebritate* (10) *solennitatum tuarum* (vult dicere: ipsis solennioribus festis Nativitatis Dominicæ, Paschatis, Pentecostes &c.) *intra Ecclesiæ tuæ parietes concupiscere, & agere negotium procurandi mihi fructus mortis; unde me verberâsti grandibus pœnis, sed nihil ad culpam meam!* Nunquid alia, ut constat, plura scelera commisit Augustinus, ob quæ credere poterat, se à Deo acriter punitum; Omninò, sed huic soli per eminentiam supplicia & pœnas adscripsit; legit quippe in Scripturis, Deum homines sceleratissimos tamdiu tolerâsse, quousque in locis sacris Deum suum non offendissent, aut contra Sacrificii Majestatem nil pravitatis attentâssent. Probè notentur in hac sententia, quam prompsit Augustinus, voces illæ: *Procuras tibi fructus mortis*: dicere voluit S. Pater: tu velut trochlea, ex imo malorum bárathro trahis, attrahis pestes & funera, cædes & vulnera, prout sanè ipse summo cum dolore meo conspexi, lapsus, morbos, plagas, & mille pericula mortis, quæ paucis diebus vitâ exuent læsæ Majestatis Divinæ reum homuncionem. Ita sanè Paulus (11) *si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.*

(10) S. Augustin. l. 3. Conf. c. 3.

(11) 1. Cor. 3.

Hanc dispersionem nostris omnium à cervicibus ut amoliamur, unà omnes hodie S. Spiritus Gratiam imploramus, eos de hoc tremendo Missæ Sacrificio sensus nostris præcordiis ingenerare dignetur, quibus pares cum Apostolis hodie primitiantibus affectus, erga hoc supremum fidei nostræ Mysterium concipiamus, & in tumulum usque constanti zelo nos inter & alios curæ nostræ subjectos enutriamus, donec gratiis ex ara ditati, hujus SS. Mysterii numeroso usu & fructu in articulo instructi, à gratia in gloriam, Dei Summi cultoribus præparatam, saustissimo è terris transitu sublimemur,

Amen.

# CONCIO XXII.

## Feria Secunda Pentecostes.

*Sic Deus dilexit mundum.* Joan. 3.

## Spiritus Charitativus.

A. Titulum illum *generis humani Deliciæ*, rectius meretur Christus, quàm Tit. Vespas.

TItus Vespasianus, Rom. Imp. quô Deus usus est ad evertendas Jerosolimas, ut nec lapis supra lapidem maneret, prout fusè dictum est in Festo S. Steph. Tub. Analog. ob enormias animi dotes, & mititatem verè regiam dictus olim, Suetonio teste *Amor & deliciæ generis humani* Op-AA. Sed huic titulo graviſſimè reclamabant Judæi, per Titum gravibus tormentis suis pro meritis excarnificati. Hodiè totum hoc elogium longè rectius in Christum Deum ac Dominum nostrum revolvitur, cui longè sanctius cum regio Psalte (1) acclamatur: *Diligam te Domine fortitudo mea!* tu amor meus, tu deliciæ meæ, qui etiam odientes tepenni amore prosequeris; amor verè admirandus, in ipsos peccatores millies reos largissimè diffusus. Nos juxta indolem naturæ id unum

(1) Ps. 27.

B. Christus etiam hostes suos & gravissimos amat pecatores.

amamus, quod bonum est, quod pulchrum & formosum est, quod eruditum, nobile, ac pretiosum est, quod dulce ac jucundum est; at verò quid in deformi ac fædissimo peccatore formosum Deus reperit, quid in tantis ignorantiæ tenebris & in umbra mortis sedente repertum ditum? quid in vilissimo diaboli mancipio deprehendit pretiosum? quid nobile in inferni titione? quid in animi, œstrô iracundiæ perciti amplitudine jucundum? Peccatô contaminati, & quà tales, justô Dei judiciô damnati, cœci, miseri, abjecti eramus omnes, & tamen etiam tunc *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum daret unigenitum.* Non capit tantos amores ratio humana; mortalem intelligentiam grande mysterium excedit; nempe quidquid in Deo est, immensum est, ergò etiam immensam esse decet charitatem; huic immensæ charitati immensa respondet misericordia, & sui communicatio immensa, quæ in Dei Verbo formam humanam induto nobis abundè manifestata est. Hinc Paulus (2) palàm enunciat, *propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, convivificavit*

(2) Eph. 2.

*ficavit nos.* Turpes adeò amavit, ut pulchros redderet; insipientes amavit, ut redderet sapientes; viles amavit, ut Sanguinis sui pretio efficeret pretiosos; Orci mancipia amavit ut mancipatos in libertatem reponeret; inopes amavit, ut divitiis & cœlestibus thesauris locupletaret; miseros & miserabiles amavit, ut ad æternam felicitatem perduceret. Nemo, cùm hanc charitatem cogitat, amorem cogitet humanum, qui velut umbra est & grande nihil si divino comparetur. Homo id passim amat, quod bonum, quod pulchrum, quod pretiosum est, & hoc ideò amat, quia his dotibus instructum est. Sic hominis amor ipso in objecto, si bonum, si lucrosum & pretiosum est &c. fundatur, apud Deum verò ipsa ratio amandi non in objecto fundatur amato sed in amante Deo; ideò enim, ut S. Dion. memorat (3) Deus amat, ut bona sua etiam malis communicet, & amorem suum in ipsos hostes transfundat, atque ita ex inimicis amicos, ex adversariis filios faciat & hæredes. Ita Deus non tantùm diligit filium undique morigerum, sed prodigum quòque, qui omnia sua cum lupâbus & prostibulis dilapidat. Hôc unô ex argumentô qui non discit amare, & amando Divinam Bonitatem æmulari exardescit, id sanè nunquam addiscet; sed & inde discunt mitiora sperare scelestissimi peccatores. Sint homicidæ, sint parricidæ, sint sacrilegi, sint Sodomitæ, sint propriô sanguinis chirographô mille diabolis obstricti, major tamen est Bonitas divina, major tamen est Charitas & Misericordia divina, quia infinita; sicut ergò scintillam Oceanus extinguit, sic omnia criminum portenta divinæ Bonitatis & Charitatis delet thesaurus, nulla unquam vel magnitudine vel multitudine pravitatis exhauriendus. Ut quid ergò de venia hodie ullus peccator desperet! ut quid ullus mortalium ita excors sit, ut tantæ Charitatis thesaurô per pœnitentiam non utatur? planè qui hæc asserta solidè credit, is nunquam ad eam se pusillanimitatem per Orcinos alástores redigi patietur, ut cum maledicto Cain exclamet: Major est pravitas mea, quam ut veniam mereri possim; quisquis è contra desperationis mergitur abysso, ideò mergitur, quia hæc asserta credere detrectavit.

(3) S. Dion. l. de Div. Nom.

Huic spei, huic fiduciæ novum hodie augmentum addit Spiritus Sancti prodigiosa Missio, quæ tot secum dona è cœlo trahit. Magnum quid foret, si in Augustissimam Dei Matrem, si in Apostolos, si in simplices Idiotas & piscatores, à Deo Patre & Christo missus esset Spiritus Sanctus; nunc verò tantò mirabilius est, cùm videmus eum missum esse & mitti adhuc quotidie in eos qui participes erant crucifixionis & mortis Christi, aut qui barbaras inter gentes stygia idola lunato poplite adorabant,

C.

Huic prodigioso Amori hodie etiam Missio Spir. sanct. sociatur.

orabant, aliósque maximos peccatores, si modò ad eum recipiendum per ipsius gratiam se debitè disponant. Dominus vineæ olim, ob filium

(4) Matth. 21. suum (4) vineâ ejectum, necatúmque malos agricolas perdidit & extirpavit; quid ergò Deus Pater agere poterat, cùm filium ejus Jerosolimis ejicerent, ejectúmque infami ex arbore suspenderent, suspensum etiam vitâ exturbarent. Nunquid sicut Elias quondam, ignem è cœlo evocare debuisset, qui Christicidas hebræos unicô momentô absumeret? nil horum justus Judex è cœlo tentavit; misit quidem è cœlo Ignem sed linguis igneis immixtum, sub igne misit Spiritum, qualis olim Rubum illustravit, neque tamen concremavit, qui corda non corpora inflammaret. Sic pro odio amorem reposuit, hoc ipso divinum; sic etiam cùm inimici essemus, mundum dilexit, ut filium suum unigenitum daret; sic vindictæ locô (5) *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum.* Deum bonum! si sic mundum diligit inimicum, quid gratiæ conferet amicis? Socratem olim eo veteres suspexerunt, quòd discipulis suis hoc præceptum & hanc legem præscriberet, ut illis qui ipsos læderent, certam quoque mercedem exsolverent. Miremur potiùs Christum dona dantem & quidem omnibus illis, à quibus sputis fœdatus, flagris concisus, spinis compunctus, clavis dilaceratus, & lanceis erat confossus. Quid hoc aliud est, quàm evidentissimum infinitæ Bonitatis argumentum? Illi hominum gravia passi, de malo lædentibus reddendo perpetua cogitant, Filius Dei innumeris contumeliis, plagis & injuriis affectus, ad astra reversus unde venit, dona mortalibus largitur, quæ nemo nisi Deus dare potuisset. Nempe, ut arbores quædam fœtæ dant balsamum vulneranti; de quibus Poëta:

(5) Jac. 1. D.

Si tantoperè inimicos amat, quantùm amabit amicos!

*Sudat odoriferos inciso cortice fontes.*

Sic bonus Deus ita bonus est, ut bona reddat omnibus, à quibus accepit mala, unde per omnia Christi Vulnera toti beneficiorum torrentes erumpebant. Ita sanè de Christo in terminis Aug. (6) *mori voluit ut Sanguine suo sanguinis effusores, redimeret.* Ita benignum, ita miteм humanum Dominum quis non redamet? hoc tamen in negotio id vel maximè summa dignum est admiratione, quòd festô Pentecostes Spiritum Sanctum, tertiam SS. Triados personam, postquam Dei Filius secunda in Deitate Persona tam barbarè fuit ab hominibus acceptus, nihilominus ad homines descendere voluerit. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem*, ipse clamat per (7) Joëlem Prophetam. Spiri-

(6) S. Aug. in Ps. 58.

(7) Joel. 2.

tum

tum adeò pretiosum etiam in vasa iræ, in sordidos & abominandos peccatores, in blasphema, & sæva bile tumida mittit præcordia, qui perfidos ad pœnitentiam, gratiam & gloriam reducat. Hæc hæc Dei Bonitas omnem sensum exsuperat; hæc summi Dei mitissima Charitas omnem hominum intelligentiam transcendit. Hæc indoles, hic Spiritus divinissimi genius est, omnibus terrigenis adorandus hodie & imitandus.

E. Redametur tam bonus Deus.

At quàm modicam bonitatem noster mortalis genius à divino participat! quàm enormibus parasangis noster spiritus à divino discriminatur! nos vix verbulô præter omnem mentem aut factô lædimur, mox in fermento jacemus, sudamus, æstuamus, & mille coquimus vindictas. Hodie nihil tritius est, quàm ut leviuscula offensio omnem ocius gratiam evertat, omnes dissipet fortunas, sæpè ipsam quoque vitam in fatum præcipitet. Aliqui, nulla etiam re lacessiti, cum Cœlio mortalium iracundissimo Senatore fidissimum in clientem efferos furores despumant, quia hero suo in omnibus ad nutum & ad literam sine ulla dissensione obsecundant; hac una ex causa iratus, prout meminit Petrarcha (8) sequentem crisin in morigerum clientem evomuit: *Dic aliquid contrà, ut simus duo.* Deum bonum! quô animô injuriæ concoquantur, si fida etiam obsequia bilem accendant! Alii aliorum hilaritate offenduntur; alii causas quærunt ex industria, & injurias fingunt nunquam somniatas; alii modicè tacti aut suggillati, ad contumelias, ad cultros & pugiones, ad lethales plagas provolant accensi, quòd sanè magnum fuerit insaniæ argumentum, prout fusiùs Hanotl (8) probat. Sunt tandem alii omnium pestilentissimi, qui sciunt omnem iram affabrè reprimere, omnem verborum impetum pertinaci silentio refrænare; interim intus in animo bullit sanguis & exæstuat ignis vindictæ. Exarsit hac ira ipse David (9) prout ipse de se fatetur: *Turbatus sum & non sum locutus*; Hanc iram tantò dixeris animosiorem, quantò tectior fuerit; brevis est illa, hæc verò ut plurimùm in fatale odium excrescit; illa præceps subinde veniam meretur, quia sæpè ipsam prævenit rationem, hæc verò sicut excocta est ira & præmeditata, ita pariter radicata redditur & inveterata, quam nulla dies extinguat. Talem iram sine causa contra nos pura ex invidia conceptam hunc in diem fovet Acheron, ut palam (10) testatur Joannes: *Væ terræ & mari, quia descendit ad vos diabolus habens iram magnam!* Cur *magna* dicitur? quia longa & prolixa est; eam enim jam à condito Orbe contra humanum genus circumgestat. *Magna* est, quia quidquid malorum

F. Amor humanus à Divino enormiter distat.

(8) Franc. Petr. dial. 107.

(8) Hanotl in mund. stultit.

(9) Ps. 4.

(10) Apoc. 12.

lorum nobis poteſt inferre, totum id conatur inferre. *Magna eſt*, ſi grandia damna & horridos effectus inde prognatos obſerves. Hos ſpiritu qui aguntur, eos rectius diabolicos ſpiritus, vel dœmones dixeris incarnatos, quàm veri nominis homines.

Exhibeo per transennam talem ſpiritum, undique diabolicum, mortali corpore concluſum, ut qui odio locum indulgent, novos inde animos concipiant, iram & odium ante Solis occubitum profligandi, ſi oculis ſpectetur, quantas hæc ſtygia paſſio tragœdias ludat in orbe. Recenſet factum horroris plenum nobilis Jurisconſultus Phil. Camerarius

(11) Phil. Camer. hor. ſucciſiv. Cent. 1. c. 84.

(11) aitque fuiſſe in nobili oppido Italiæ duas avito ſanguine, ac fortuna insignes familias quæ ſicut prælatos animô ſuô ſpiritus gerebant, ita ha inter prognata æmulatio innumeras ſuſpiciones, lites, odia, imò tan dem capitales etiam inimicitias ſuſcitavit. Major ira non datur, quàm illa ſit, quæ ipſum etiam tumulum transſcendat; Senſus eſt: illa omnium maxima eſt, quæ per primores fatô extinctos, ipſos etiam ad poſte ros nepotes peſſima hæreditate transmittitur. Tali odio cùm utraq; hæ familia multis annis & annorum luſtris æſtuarent, factum eſt, ut mult utring; huic implacabili odio cæſæ victimæ humi funderentur. Nemo e lorum ſine armis in patentem auram prodibat; nemo ex illis lætus atq; la laris domum revertit, niſi alterum in duello triumphâſſet, mactâſſet, vu plaga lethali ſaucium vulnerâſſet. Hem qualis ignis eſt, qui talem iram ſuccendit, ut ſæpè ipſo etiam ſanguine non valeat extingui. Non ſa tis erat his furiis, ſingulos trucidâſſe, niſi totam ſtirpem funditus e radicarent. Audiatur porrò quàm tragica ſcena per hanc ſumantem iram ſit accenſa. Certum in diem ſuas in ædes vicinis è villis ſubditos ſuos vario ſub prætextu evocabant hoſtes: hos armis ſuis probè inſtruc ctos & trivialibus ſicariis commixtos, varios in angulos locabant, ſignu datô ad grande aliquod facinus patrandum erupturos. Favit horrendo ſceleri obſcura nox, quæ vix primum circulum abſolvit, collecta fami mo in ſilentio armatorum cohorte, Præfecti arcem in poteſtatem ſuam modico labore recipiebant: inde arcis caput armata vi ad inimicas æ des ductabant, ubi ſtrictô ferrô præſentem ei necem minabantur, nisi ocius authoritate prætoria ſibi ædes reſerari præciperet, dicerentque rem ſeriam occurriſſe, tota cum familia eventilandam. Siccâ pectori admota terrefactus Prætor vota hoſtium explevit ociùs licet abunde gnarus eſſet, quò tanta tenderet tempeſtas. Nullas timebant inſidias ædium inquilini, quia Prætoris vocem agnoverant; mox ergò cum fa cibus obviam progreſſi, præſentem oppidi Prætorem honorificè excepe-

G.

Nos iram in annos fovemus, donec in horridas clades erumpat.

Probatur exemplô verè horridô.

Hiſt.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

perunt. O quàm sæpè ignari sumus instantis fati! quàm verè mortem arte optica remotam in funebri tumba Ferdinando erecta Oenipontum expressit hoc lemmate: *Procul esse videtur*, interim Ducis tergori hærebat venatrix, laneo pede prævium secuta & insecuta. Hic centies fallimur, quia utplurimùm ignoramus, quid serus vehat vesper! hic omnium exitio patefacta janua, ociùs quasi signô datô suis è latebris ficarii prosultabant, & velut captô castellô in incolas undique incautos & incurios enormiter sæviebant. Prætor foris detentus est, donec finem suum tragœdia sortiretur; alii omnes in ædes, quà data porta, ruebant, furiarum instar totam per domum cursitantes, & nulli ætati parcentes, cæsim punctímque truncabant singulos; cùm nullus ultrà hominum superesset, in stabulo etiam equi cruentos furores exsaturabant cæsi confectíque. Scenâ hunc in modum peractâ, Prætorem novo metu perculsum ad oppidi portas sera nocte referandas compulerunt, quod etiam vitæ tuendæ causâ ociùs præstitit. Sic fugâ dilapsi, varia in latibula se ferociſſimi latrones abdiderunt. Aliqui mare sulcârunt transfugæ; alii amicos inter securitatem captabant; sed cùm eos à tergo premeret fulminis ocior alis vindicta, vulgatâ tam horridæ cædis famâ, ubivis locorum studiosissimè inquisiti, tandem reperti, suis è lucis protracti, in vincula & carceres conjecti, tormentis excarnificati, ac membratim omnes concisi sunt, membris supra oppidi portas omnium hominum oculis palàm expositis.

Hem ut in summam barbariem ira latens descendit! sat hinc causæ prognascitur ad iræ, maximè inveteratæ solidam execrationem, quæ nisi sua in herba efficaciter suffocetur, crescet enormiter, & ad deterrima quævis flagitia instigabit. Ephesum cùm venisset Paulus, quosdam Joannis discipulos baptismô ejus baptizatos reperit, quos ocius hôc quæsitô (12) compellavit: *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes?* Quid ad hoc quæsitum discipuli? *Sed neq; si Spiritus Sanctus est, audivimus.* Opt. AA. quæratur hodie singulis è Christianis, an Spiritum S. receperint? pari responso quamplurimi quæsitum expedient, dicéntque, se de Spiritu S. nihil rescire. Dabunt hoc maximè responsum illi, quos intus agit & circumagit spiritus vindictæ, spiritus inimicitiæ, spiritus verè Stygius, diabolicus, quo præsente locus utique non est Spiritui Sancto, amoris & charitatis Spiritui. Pellatur itaque Stygius ille & immittatur Divinus. *Non benè conveniunt, nec in una sede morantur* spiritus diabolicus & spiritus igneus, è cœlo cœlestis, à Deo divinus, plenus charitate, misericordia, venia, & benignitate. Ut nova forma in subjectum materiale

(12) Act. 19.

H. Amor probat, an Spir. S. nostra in præcordia sit delapsus.

teriale juxta philosophos introducatur, expelli naturâ priùs debet adqua forma. Ut gratia cœlesti pectus imbuatur, inde, quidquid peccaminosum, seriò profligetur. Non occidat sol super iracundiam nostram, & Deus pariter justè in nos conceptum iram proscribet. Venia detur hostibus nostris, & pari venia nostram flagitiorum molem clemens Deus dignabitur. Æmulemur charismata nobis à Deo, imò à tota SSS. Trinitate largo copiæ cornu exhibita. Sic Deus Pater dilexit mundum hispidum, rebellem, undiq; peccaminosum, ut Filium suum unigenitum daret hostiam pro peccato. Sic Deus dilexit mundum impium, ingratum, ut etiam ipse Dei Filius suis pro hostibus in crucem actus, cæsus, interfectus, adhuc Spiritum Sanctum se cœlitus missurum adpromitteret. Cui bono? ut ipsi crucifixores ejus cum Spiritu ejus omnia pariter bona pro tot malis è cœlo reciperent. Sic Deus dilexit mundum tot flagitiis infectum, ut etiam ipse Spiritus S. è cœlo descenderet, & animos non horreret sordidos, in ipsum Spiritum Sanctum blasphemos, ira & odio in proximum succensos. Gratiâ suâ hanc in horas maximos replet peccatores, ut eos ad pœnitentiam reducat; excitatos illis uberum lacrimarum fluenta, ut omnem peccati maculam, omnem iram & animi aversionem emaculet, atque hujus in vicem subsistat charitatem, ipsos etiam in hostes exporrectam. Sic ergò nobis à SSS. Trinitate præmonstratos Deum simul & proximum diligamus, ut nulla unquam separatione unius ab altero, cor nostrum à Deo aut à proximo dividi patiamur, certi, sic Spiritum Sanctum nostris quoque præcordiis receptum, hîc gratiâ, ibi gloriâ suâ humanissimam in omnes charitatem coronaturum.

Amen.

# CONCIO XXIII.

# FESTVM S. JOANNIS BAPTISTÆ.

*Quis, putas puer iſte erit?* Luc. 1.

## Mirabilis & Miſerabilis ternio.

ALios inter Orbis hujus Vagiones paſſim hodie terrarum plagas oberrant homines luridi, ſeminudi, nigro carbone notati, quos vulgò *Cingaros* nuncupamus Opt. AA. Unde hæc hominum colluvies ortum trahat, usque adeò compertum non eſt. Juxta illorum aſſerta Ægyptum incolunt, & quia majores ipſorum olim laribus ſuis exulantem JESUlum ſuis cum parentibus excluſerunt, nunc juſtô Dei judiciô, vicibus mutatis familiæ ſingulæ per ſeptennium ſolum vertere coguntur & exulare, quæ tamen paſſim hodie fabulis adſcribuntur. Hâc pœnâ potius plecti merebantur Bethlemitæ, qui multò antè ſuis à penatibus Deum necdum orbi natum proſcripſerant, unde caulam ſubiit Deô gravida Virgo Mater, prout ipsô Nativ. Dominicæ Feſtô diſputatum. Ajunt alii patriam Ægyptum novis tormentorum plagis cœlitus feriendam, ſi domi hæreant; prædicant Deiparam, & liberos ſuos ritu catholico baptizari curant, ubi pro patrinis utplurimùm Proceres rogant & Dynaſtas, Conſules & urbium pagorúmque præfectos, quorum gratiâ tutum ubique tranſitum ſortiantur. Sub hoc nequitiæ pallio aliis omnibus commiſerationis affectum inſtillare cogitant, unde votis ſuis ſecuriùs damnentur. Interim quidquid ruri ſpirat, hac lue graſſante, paſſim periclitatur. Quidquid horum oculos eminus incurrit, mox piceis manibus aucupantur. Sit, qui lurconibus hisce patenti ex burſa eleemoſynam largiatur, in ictu oculi tota ex burſa omnis pecunia vaneſcet. Furtis vivunt & prædis; ſubinde tam homines quàm feras grandibus faſcinis corrumpunt, & pro inſigni lucro reparant corruptos. Delrio, Pariſienſis Cancellarius (1) ſupra modum miratur, ab hac hominum lue ita frigidè terras purgari. Nec locô, nec loci ſubſtantiâ ullibi digni ſunt errones iſti. Ritè ſi promerentur, multoties pateret, hos inter & Orci aláſtores, magnum ſæpe commercium intercedere, cujus causâ potius è medio tollendi eſſent

A. Fæx Cingarorum nullibi toleretur.

(1) Delr. Disquiſ. mag. l. 4. c. 3. q. 5.

Orcini vagiones, prout à Deo pridem omnibus ad urnam ſedentibus præfectis præceptum (2) fuit: *Maleficos non patieris vivere.* Quæ hactenus obiter & perpaucis, de Cingaris produxi, ea non mea ex manica protuli sed ex probatis authoribus allegavi, quorum aliquos duntaxat nomine tenus expromo. Ita ergo de hoc hominum probro coquuntur ſequentes (3) Munſterus. Alb. (4) Crantzius. (5) Aventinus. Laur. (6) Beierlinck. Georgius (7) Gobat, & Mart. (8) Delrio. Carolus Auguſtiſſimus Imperator has hominum fæces, patriæ telluris proditorios exploratores, rericolis oppidò graves & oneroſos tenebriones Anno 1549. in Comitiis Auguſtæ celebratis per publicum Diploma totô Imperiô proſcripſit Romanô, quô hanc in horam ubivis locorum ſtandum eſſet; a neſcio, quô faſcinô adhuc hodie accolas & incolas hi errones lucrentur, ſeu potius deludant, ut paſſim ubique tranſitum obtineant, cùm potiùs in id junctis eſſet viribus enitendum, ut hoc hominum genus funditus extirparetur. Alias inter decumanas pravitates, quibus incautos circumveniunt, ac futurorum avidos ſupplantant, ut pecunias emungant, ſe etiam pro vatidicis venditant prophetis, explorant manuum volarum venas, ſulcos, lineas, & ex his ridicula formant oracula, quæ à nonnullis ſummo in pretio habentur, Eccleſia Matre divinationibus hiſce potetim reclamante, quia contra primum Decalogi præceptum evidenter pugnant. His tamen inſuper habitis, paſci volunt gerris hiſce crassitatem ſuam reprobi parentes, ut reſciant, quot numero liberos ſibi ſint ex connubio capturi, & quid illis tandem futurum ſit. Ita certies falluntur improvidi, & naſo ſuſpenduntur aduncо rudes idiotæ. Optimi parentes, non poſſunt ſimilia de futuris contingentibus ex manuum lineis aut cæſuris linearum expromi. Soli Deo noſtra patent præcordia, opera & cogitatus. Solus Deus novit, quò ſe tandem noſtra liberi arbitrii voluntas ſit reclinatura, non item dœmon, multò minùs dœmoniaci agyrtæ; ut quid ergò rerum abditarum futuritio his ex mendacibus rabulis eruitur, qua rimatione & Deus graviter offenditur, & conſcientia enormiter ſauciatur. Hæc ex uno Deo quærantur, qui ea multis hactenus Sanctis detexit, multis aliis occultavit. Quid multis? Invultis ô parentes, quid tandem veſtris ſit prolibus futurum, ipſi vobis augures eſtote, ipſi vobis ſine ullius adminiculo divinate. Malum vaticinandi parentibus proprium jam digitô oſtendam, ita tamen, ut nulla infallibilis veritas huic divinationi adſtruatur, quia inde frequenter contrarium probatur.

(2) Exod. c. 22.

(3) Munſt. l. 3. Cosmogr.

(4) Crantz. l. 11. Sax.

(5) Aventin. Annal. Boic. l. 7.

(6) Beirl. in C.

(7) Gobat de Superſtit.

(8) Delr. l. c.

B.

Alia inter multos vaticiniis ſuis ſupplantant.

Quærunt ex ſe mutuò amici hodie Joannis & conſanguinei, qui

*putas puer iste erit ?* at verò parentes Joannis nihil horum indagâsse leguntur; hi nempe à Spiritu Sancto cœlitus edocti, eminus spectabant, in quem finem à Deo decretus esset Joannes. Nullo tali lumine ab alto illustrati erant amici, & proximo sanguine juncti, interim tot prodigia horum oculis se ingerebant, ut facilè cogitarent, Joannem à Deo ad negotia magni momenti expedienda destinatum esse. Prodigio erat simile, Elisabetham jam annis & canis gravem feminam sua in senectute enixam esse puellum. Prodigium erat idem Nomen ab Elisabetha, idem nomen à Zacharia patre haustum esse Joanni, frustra reboantibus amicis. Prodigium erat Zachariam expresso nomine Joannis, mox linguæ vinculo solutum, loquendi usum recepisse. Hæc & alia prodigia amicos eam in sententiam trahebant, ut secum ita concluderent: Deum bonum! si parentes ipsi tot prodigiis clarescant, paribus sanè prodigiis inde prognatus infans nobilitabitur; quidquid ergò virtutis, quidquid raritatis in parentibus spectabant oculati simul & admirabundi testes, id totum more passim per Orbem recepto, in Joannem devolvebant. Joannæi parentes *erant justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela*, Luca (9) teste. Ita nempe, ut probènotat Cajetanus (10) justis ex parentibus velut hæreditario jure nasci debuit Joannes.

C. Volunt scire parentes quid suis sit liberis futurum, suas manus explorent & acta.

(9) Luc. 1.
(10) Cajet. in Luc.

Hæc sanè hanc in horam toto passim terrarum Orbe fieri videmus & observari. Parentes ubique amussim præbent, quâ liberorum virtutem affabrè dimetiamur. Sicut juxta Sacræ Scripturæ effata (11) *in filiis suis agnoscitur vir*, sic vicissim ex virorum actis tanquam ex speculo indoles filiorum relucet, qui utplurimùm patrissare creduntur. Matres pariter apud Hebræos, Cornelio (12) authore locum proverbio fecerunt, ut palàm dicerent: *Sicut Mater ita & filia.* Mens itaque parentibus fuerit, seriò investigare, quid aliquando proli suæ sit futurum, seipsos accuratè investigent, manusque suas probè inspiciant, seu quod idem, mores suos & opera fidenter explorent, & brevi se in apricum tecta veritas evolvet. Ad id nullo lumine cœlis defluò, nulla apparitione, nulla revelatione opus est, multò minus cingaris pseudoprophetis; plerumque ipsi parentes divinabunt, quid filiis sit futurum, si seipsos suorúmque actus atque habitus in speculo consulant. Scimus utique, quid tritæ & vulgares paræmiæ loquantur: mali corvi malum ovum, nec corvus parit ficedulam, nec petulca capella columbam. *Non potest arbor bona malos, nec arbor mala bonos fructus facere*, oraculum est divinum (13) quis primæ Veritati reclamet?

(11) Eccli. 11.
(12) Corn. in l. c.

D. Hinc omnis notitia hauritur. Probatur ex Script. & exemplis.

(13) Matt. 7.

Ubi vel hodie *Zachariam* agit pater & *Elisabetham* mater repræsentat ; ubi ambo parentes justi sunt & in omnibus Dei mandatis sine querela incedunt, sine scandalo, sine nævo, ibi facilinegotio deprehendas, quam indolem ac naturam secum è cunis infans hauriat; hinc nempe meri Joannes prodibunt, liberi Deo dilecti, qui juxta parentum exempla prævia Deum ament perpetim ac timeant in tumulum usque.

Ubi pater fuerit *Orentius*, & Mater fuerit *Patientia*, Sanctitatis titulô illustres Conjuges, qui mallent vitâ exui, quàm fide catholica exarmari, ibi pariter filii eorum Laurentii martyrii gloriâ succensi, hilares ad furcam currunt & coronam Surio (14) teste.

(14) Sur. 1. Maj.

Ubi pater fuerit *Marius* veri nominis Theophilus, & Mater pium egerit ac providam *Martham*, qui tam in prosperis quàm in adversis Deo pangant mille laudum encomia, ibi etiam in grandibus pœnis & tormentis pientissimi eorum filii *Audifax* & *Abachum*, linguas suas cum parentibus suis in laudes Superis cantandas impigrè resolvunt, sibique antè vitam tolli, quàm silentium imperari patiuntur, prout Nadasi (15) perhibet in Januario.

(15) Nadasi 19. Jan.

Ubi pater fuerit *Getulius*, fustibus & boum nervis pro fide confectus Martyr, & Mater fuerit fortis Heroina, re ac nomine *Symphorosa*, saxô ad collum ligatô in profluentem demersa, (16) ibi pariter sanguine parentum tincta fortiter prement vestigia filii numerô septeni. Patris Martyris vivax memoria, & animosæ matris adhortatrix suada naturam sanguinem ad parem luctam, parem victoriam & gloriam animabit. Inde *Crescentius* guttur ferrô transfigi, *Julianus* latus transverberari, *Nemesius* cor percuti, *Primitivus* umbilicum trajici, *Justinus* membra secari, *Stactius* telis configi, *Eugenius* se totum à pectore duas in partes dividi patietur, ut tota ex familia nullus ex septenis filiis dici posset à præcelsis parentum cogitatibus & actis degenerâsse.

(16) Brev. Rom. 18. Jul.

Ubi pater alter fuerit patientiæ prodigium *Jobus*, vel crucifixi Nominis flammeus amator *Eustachius*, & mater fuerit *Theopista*, qui apprimè sciant, quid & quantum nos pati oporteat pro Deo, pro cœlo, & gloriæ perennis æternitate, ibi etiam liberos reperias sanctitate conspicuos *Agapitum* & *Theopistum*, qui etiam puritatem suam pravos inter idololatras fortiter propugnent, séque ultrò suis cum parentibus in æneum & à subjecto igne candentem taurum detrudi ferant patienter, æquè in hoc flammeo carcere Deum laudaturi, acsi jam chorum in paradiso explerent.

Ubi

Ubi pater fuerit Senator, sed unà *Pudens* fuerit, primam innocentiæ vestem sub baptismo ipsis ab Apostolis Petro & Paulo prodigiosè indutus, quam etiam tumulo intulit immaculatam, & mater fuerit *Priscilla* morum sanctitate conjunx inclyta, tota domus in templum abibit, & Ecclesiam Angelis habitatam, quam pari vitæ sanctimonia liberi excolent *Timothei* & *Novati*, omnium pauperum in curia Romana ferventes advocati; hic pariter filiæ in sanctam aliquam *Pudentianam*, aut in *Praxedem* adolescent, quæ opes omnes ac fortunas suas in pauperes distribuant, & tanquam Deo juratæ Virgines antè malint vitâ spoliari quàm fœdari.

Accidat verò, ut parentes suæ salutis incurii vitam vivant luridam, scandalis hirsutam, iniquitatis mammonâ turbidam, in Deum ac divos Cœlites blasphemam, lusibus & sympositis addictam, matrimonialis perfidiæ plenam &c. Ah! primo ex obtutu patebit, cujus notæ ac nominis sint liberi, à tam pravis parentibus educati. Hebræis hic loci tritum est proverbium, quô dicunt, *vini filius acetum est.* Sensus est, ubi parentes dantur ebriosi, gulosi, vino aut cerevisiæ immersi, liberi quidem progenerantur, sed qui merum in acetum degenerent ita mordax, ut uberes lacrimas ex oculis proliciant parentum. Talis acetosus nebulo erat puer ille, cui Diogenes olim Plut. (17) teste, in faciem dixit; novi te intus & in cute; *te pater ebrius proseminavit;* unde ergò de te quidquam boni præsumam? hic naturæ naturantis cursus est & vulgaris genius. A parentibus vultu seu moribus æthiopem referentibus nemo liberos exspectet candicantes. Æthiops æthiopem generat; prodigium foret, si quid albi coloris uterô funderet æthiopissa, ait quidem Delrio (18) ex Heliodoro (19) in Æthiopia feminam fuisse, qui ex vivaci apprehensione & imaginatione infantem pareret totaliter candidam & albicantem, qui tamen post aliquot dies exspirâsse dicitur, & hujus tantummodo unum affert exemplum, ut pateat hoc esse prodigium naturæ, quod fortè singulis annorum centuriis in lucem prodeat. Liberi ad omnem pietatem facti, sed à nigris & pessimè moratis parentibus educti ita pauci sunt, ut vix numerum constituant; rectè tales inter naturæ ac morum prodigia collocavi Tub. Anal. t. 2. p. 2. Conc. 43. Potest Deus, ut Baronius meminit (20) ex putrido stercore aurum colligere & pretiosam gemmam ex Copronymo Imperatore sanctam sc. Anthusam; hæc tamen rariora sunt, quàm ut improbi parentes spem facere possint bonæ prolis ex pravis produturæ. Dictus est Constantinus ille cognomento *Copronymus*, quia sacrum Baptismi fon-

(17) Plut. in Diog.

(18) Delr. disquis. l. 1. c. 3. q. 3.

(19) Heliodor. l. 1. histor. Æthiop.

(20) Baron. A. 775.

fontem fæculentis naturæ ſordibus conſpurcavit, & excrementitios ſuorum fungos præ præſtanis, belliſſimè fragrantibus roſis perpetim naribus ſuis affricuit. Sic D. Virginem & Martyrem Barbaram ab hiſpido patre Dioſcoro propriæ ſobolis carnifice, tanquam ex informi rubo nobile lilium prognaſci Deus voluit, *qui potens eſt, ex duris lapidibus Abrahæ filios ſuſcitare* Matthæo (21) teſte. Poſſent quidem alia etiamnum exempla produci, ſed perpauca, ex quibus evidenter concludas, jure inter naturæ aut gratiæ prodigia numerari, ſi è peccaminoſis & ſcandalo hiſutis parentibus pia & ſuperis devota ſoboles, ex ebrioſis & gulioſis parentibus proles ſobria, ex impudicis & luxurioſis parentibus undique modeſti ac pudici liberi, ex mendacibus, doloſis & mille fraudum conculis ſordentibus veritatis ſtudioſi & germani candoris pulli, à peyrantibus & blaſphemis parentibus filii naſcantur in aſſiduas preces & opera pietatis effuſi. Poterit quidem Deus miracula miraculis accumulare, ex ſpinis roſas, ex tribulis ficus, ex ſterili trunco fruges educere paradiſo dignas, & prout jam dictum eſt è ſaxis filios Abrahæ reſuſcitare, ſed hæc miracula nemo præſumat. Sicut Deus permittit, ut ab ægris parentibus fracti & emarcidi corporis nævos jure quaſi hæreditario filii contrahant, v. g. calculum à calculoſis, podagram à podagricis, phtyſin à phtyſicis &c. ita vel maximè à pravis & malè moratis cum maternô lacte hauriri, cum pulte prima ingeri patitur ſpiritus peccaminoſos, animi nævos & peccata, peſſimos habitus & inolitas conſuetudines, quibus inſecti ſunt ex malitia parentes. Hinc omnibus ac ſingulis connubio illigatis benè vivendi grandis obligatio incumbit, ne à pravis parentibus parem malitiam filii participent, aut impio illorum exemplô primis annis concipiant pravitatem nullô unquam ævô eradicabilem, unde tandem turpibus fœditiis innutriti vitam vivant peſſimo fine terminandam. Orcô dignam. Deum immortalem! ſudant ſæpè probi ac devoti parentes, & totis viribus collaborant, ut natam ſobolem ſuam in officio contineare Dei contineant, ne ab aliis repentè ſeducti, à præcelſis parentum cogitationibus & actis in reprobum ſenſum degenerent; quid boni ergô de illis ſperandum, quos injurii parentes velut informes truncos, ne ulla animi cultura adoleſcere patiuntur, imò ſæpè ſcandalis oppleant horridis, execrandis? an rei hujus recens vultis Exemplum intuemini non recuſo laborem; piis parentibus ad cautelam, pravis ad ſalubérrimum horrorem id ipſum modò Exemplum proponam, quod lapſis abhinc annis Henricus Englgrave ſplendidæ eruditionis Eccleſiaſtes ipſe

(21) Matt. 3.

E. Prodigium fuerit, ſi à parentibus proles abludat.

S. Ca-

S. Catharinæ festô palàm in Belgio prædicavit, prout in nobili ejus Tomo, & omni curiositatis apparatu splendicante Pantheo (22) prostat. Aures arrigant tam pii quàm reprobi parentes, atque inde se ac suos sanctiùs observent. Author quidem nec annum, nec locum allegat, ubi scenam præsentem Deus aperuit; facti tamen veritas nullatenus disputetur. Ut binis familiis avita nobilitate conspicuis parcatur, studiô locorum & temporum circumstantiæ tacentur, etsi enim hi parentes in prolium suarum educatione nullum nævum commiserint, labes tamen gravissima utrique familiæ, utut innocuæ ex degeneri sobole accresceret, si locus proderetur, & inclyta parentum nomina paterent.

(22) Henr. Englgr. in Panth. S. Cath. F.

Deficiunt sæpè liberi à probis parentibus, quantò magis reprobos sequentur? probatur notabili exemplô. Hist.

In Belgica urbe religiosus quidam Pater, qui cum Henrico ejusdem fuerit instituti, summo manè publicos in carceres vocabatur, ut 24. annorum adolescenti actu ad mortem condemnato assisteret, eumque ad ultimam luctam ritè disponeret. Vix pedem in carceres vocatus intulit Sacerdos, ecce reus vultu & animo turbari atque ita mente visus est percelli, ut multo tempore nec verbum proloqueretur, imò potius in enormes quæstus & lamentabiles ejulatus erumperet. Non defuit officio suo Sacerdos; quidquid ad solandum, quidquid ad animandum juvenem serviret, aut mortis apprehensæ memoriam retunderet, potenti suada reo proposuit; at mentem sua jam sede dimotam nec reducere valuit, nec mitigare; validis ac undique seriis argumentis captivum aggressus, his tandem fortibus catapultis rei animos pulsavit expugnavit: audin, inquiebat, amice mi, lata est sententia mortis, tibi crastinâ moriendum est, & hanc latæ mortis sententiam nullæ poterunt lacrimæ, nulla poterunt lamenta reprimere; cùm ergò de corporis vita actum sit, suaserim paternè tritum illud: *Omnia si perdas, animam servare memento.* Cura proin ut animæ vitam in secula extendas nullo unquam ævô moritura. Audiit hæc juvenis & Patrem fixis iterum oculis intuitus, pauca hæc hortatori reposuit: mi Pater, mortis pavor non est, qui animos turbet; lubens sententiam accepto meis enormibus flagitiis decretam; Deo meo pro me passo, pro me in crucem acto lubens vitam immolo; fiat corpus hoc corvis pabulum, & incautis adolescentibus constans exemplum! nihil horum animos lacessit ac mentis præcordia turbat; alia longè mentem premit calamitas. Dixit hæc & mox iterum humi fluxit, grandi deliquio correptus. Sibi redditus, suspiria suspiriis, lamenta lamentis adauxit, & cùm affusam turbam lacrimantibus oculis respexisset, id unum à præsentibus repetiit, ut loco cederent, & sibi soli cum Patre loquendi facerent potestatem.

tem. Carcere tot testibus & arbitris evacuato, ocius adolescens in Patris collum irruit, præsentem arctissimè strinxit, manus ejus humillimè osculatus, quin etiam in genua provolutus, his eum palàm ejulans affari cepit & salutare: Ah Pater mi! non nôsti amplius ex asse tuum? altero renuente, perrexit in ceptis reus: nunquid ante tot & tot annos illa in urbe hanc & hanc classem docuisti? nunquid tunc temporis illos discipulos ordine recensitos numerâsti? hæsit ad hæc attonitus Sacerdos, necdum tamen plenam rei notitiam captare valuit, donec proprius ipsius Nomine audito, attonitis ad prodigium animis obstupesceret; stetit quidem statuæ instar fixus Pater ad infelix nuntium & juvenem ab illo enormiter mutatum non sine lacrimis contemplatus, repressit vocem; revera tamen sic interim animô secum præfatus: Deum immortalem? hiccine juvenis ille mihi olim in paucis charissimus, filius hic unicus floridissimæ simul ac ditissimæ familiæ? hiccine quindecim millium florenorum hæres unicus, cui piissimi parentes, me teste oculato, omnem pietatem, omnem modestiam ac Dei cultum teneris ab annis instillabant? hiccine juvenis ille, quem meo tempore in scholis omnes ac singuli ob ingenii præstantiam, mores undique candidos, & illimis vitæ angelicam paritatem velut cœlô lapsum Nicetam suspexerant? hic tot titulis olim meus eò tandem miseriæ sit redactus, ut magister discipulo suo tam triste obsequium deferre cogatur? pereant sodales reprobi, quorum licentiâ majoribus in Stois ita fuit in transversum actus juvenis, ut ex angelo fieret diabolus, sua ob flagitia non etiam probrosissima morte mactandus! hæc animô secum Pater commobiter revolveret, reum hortari cepit seriò, ut tantisper omnem familiæ cogitatum, omnem parentum, magistri olim sui ac opimæ hæreditatis respectum seponeret, séque totum animo impenderet per integram confessionem expiando. Id negotii ut certius ac fidentius expediret, alium submittere statuit, cui tanquam incognito liberiùs loqueretur; at summis precibus rogare institit reus, ne ipsum hoc in articulo destitueret, se nulli nisi ipsi latentes animi nævos referarum, cujus proin pedibus affusus, ne misellum peccatorum ad veternitatis portam properantem desereret, iterum iterúmque obsecitabat; Datô proin spatiô acta revolvendi, domum Pater revertit reúmq; omnium Collegarum precibus impensè commendavit; indeque captivo Sacris operatus, ac rudi cilicio accinctus paulò pòst ad carcerem revisit, quem spiritus pacato, sereno vultu & animo mille mortes obire prompto captivus excepit. Facta uberes inter lacrimas confessione

sione nihil ultra cum Patre nisi de Deo ac divinis loquebatur, totus ad tormenta pro tot noxis ritè in terra expiandis exardescens. Rebus omnibus ritè ad mortem obeundam compositis pro more carceris fores carnifex pulsabat, qui cum etiam carcerem subintrâsset, & à reo veniam petiisset, palàm professus se invitum manus reo injicere, & officii sui exequi rationem, ecce! præter omnium spem & opinionem iterum in questus & lamenta linguam resolvit reus, clamans identidem: JESU bone quid hoc rei? credebant omnes eum denuò sensibus destitutum humi fluere, horrore mortis perculsum; at brevi patuit, unde sua traheret primordia præsens turbatio. Sibi paulatim redditus, carnificem perennes inter singultus fixè intuitus, ad Patrem se convertit, dixitque: neque hunc nôsti Pater mi? neque tu mei ullam amplius notitiam habes justitiæ minister? negante utroque, reus iterum in lamenta effusus, sortem suam questus est dixitque: ô probrum! ô dedecus! ô mirabiles & nunquam visos eventus! mox tamen seipsum corrigens sacra subintulit: prô quam mirabilia sunt judicia Dei! colo illa & veneror, quia sic Deo placuit degeneres filios combinare, ut alter ab altero tragica morte perimeretur. Hem Pater: hic ipse tuus quondam fuit discipulus, meus commilito & sodalis; utrumque virtutibus ac scientiis instruxisti. En Ternionem verè prodigiosum! binis cum discipulis suis præceptorem, hic ut reum ad ultimam luctam animaret, ille ut suo quondam condiscipulo gulam frangeret. Erat quidem carnifex reô multis gradibus inferior, natus tamen & hic fuit nobili ex prosapia perquam opulenta; habuit enim ad annuos census locata duodecim millia florenorum; præter opimam spem obliquæ hæreditatis. Abiit & iste imis è scholis ad majores Stoas & qui à teneris lac pietatis hausit domi, foris moderatorum disciplinæ & parentum tutelæ subductus pravos inter omnem pravitatem imbibit turpi malorum contubernio seductus; quos inter cùm dies noctesque, scholis insuper habitis græcando & grassando extraxisset, militiæ tandem nomen dedit, ut in omnem malitiam præceps iret; factum adeò ut alter manu ipsius & ferro confectus humi funus rueret; sic in carcerem conjectus sententiam fatalem exspectabat, donec dies reo diceretur. Erat autem jam multo tempore, ante captivitatem ejus alius veri nominis latro in carcere detentus, letali sententia mortis fulminatus; cùm verò nullus carnifex adesset, qui reum vitâ exturbaret, hic, prô pudor, ut vitam servaret suam, se ad id officii promptè obtulit, in quo hactenus plures jam annos insumpsit, execratus hoc ipso cruentum munus, quod ad hunc feralem actum se reservatum esse videret, ut amantissi-

mum consodalem suum in furcam ageret. Quis sensus, quis animorum fuerit motus, cùm Ternio iste adhuc intra carceris clatros subsisteret, & vel maximè cùm ad infame patibulum prodiret, & unà patibuli gradus conscenderet, singulis cogitandum relinquo. Pependit socia manu ex alto funus nobile, nobilibus palmis in altum eductus, stipante morum magistro. Ita saltem vitam male transactam pio fine, licet sanperquam tragico reus pœnitens coronavit, & animam, ut sperare licet, cœlis inseruit, Orci fortè pœnis æternùm cruciandam, si suis pravitatibus plures annos aut menses durâsset. Reo neci dato, Sacerdos, ad confertum spectatorem palàm explicuit, tecto tamen nomine ac loco, ambos olim discipulos suos fuisse, utrumque per stygios sodales eversum à parentum nobilium actis, monitis & exemplis in hunc lamentabilem statum degenerâsse &c. & quæ alia præsens actus dictabat. Sic domum ibant plurimi partim stupore defixi, partim commiserationis affectu succensi & uberes in lacrimas profusi; parentes liberis suis recens spectaculum inculcabant, hortantes perpetim suos, ut prava consortia cane pejus & angue vitarent, ac paternis semper monitis ad literam obedirent.

En ergò, Opt. Parentes! ex dictis ad oculum patet, quàm vere etiam ac providi nesciant parentes quid illorum liberis futurum sit. Uterque horum tam reus quàm carnifex pios ac providos nactus est parentes, quibus tamen omnis cura & industria liberis impensa fuerit irrita. Patet inde, quantis sudoribus & vigiliis à malis abstrahi, ad sacra debeant liberi perpetim extimulari. Si hæc in viridi ligno, in arido quid fiet? Si tantum cordolium probis pariant parentibus rebelles posteri, quid reprobi exspectent? Ter clemens Deus bonis parentibus merces Joannes dilargiatur, de quibus si quæras quid illis sit futurum, fidenter reponi possit: confido ego, meis ex liberis futuros aliquando Cœlites spiritus, qui suis cum parentibus Deum in gloria æternis laudibus celebrent.

Amen.

CON

# CONCIO XXIV.

# FESTVM SS. PETRI & PAVLI.

*Tibi dabo Claves Regni cœlorum.* Matth. 16.

## Clavium Jura.

D. Petrus passim hodie à tota Christianitate *Cœli Clavicularius* salutatur Opt. AA. Decorant eum hoc titulo passim SS. PP. ex quibus paucos duntaxat allego, ut saltem rudioribus constet, hunc titulum numerosa authoritate fulciri. Sic ergò Petrum salutant Cyrillus (1) Jerosolimitanus. Anastasius (2) Biblioth., Petrus (3) Dam., Petrus (4) Chrysol., Aurelius (5) Augustt., Ambrosius, (6) & Hugo (7) Victorinus, atque alii plures sine fine numero. Fundatur titulus iste in illis Christi verbis: *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Christi consilium in clavibus Petro datis bellè detexit Eulogius (8) his verbis: *Nec Joanni nec alteri cuiquam discipulorum dixit Salvator: tibi dabo claves regni cœlorum, sed soli Petro, qui Deum erat negaturus, peccatum verò lacrimis & pœnitentia expiaturus, ut suo ipsius experimento erga peccatores humanior esset.* Id ipsum ad agnitionem legitimæ potestatis in peccatores cœlitus obtentæ referri voluit (9) Optatus, ut proin jure primario & præcipuo solus S. Petrus dici debeat *cœl. Clavicularius* Petro huic utplurimùm duæ Claves appinguntur, quarum una est argentea altera verò aurea, prout ex pluribus Ecclesiis maximè Romanis, & variarum Italiæ urbium majoribus portis ac Sum. Pontif. insignibus fusè probat (10) Molanus. Quid hæ binæ Claves importent, certum & indubitatum est Catholicis, hæreticis ludibrium & fabulosum. Juxta Ceramæi Theóphanis effata (11) Clavis *argentea fidei clavis* est, quia ad solum Petrum, & Petri Successores pertinet, fidei mysteria fidelibus populis reserare, unde fidei, (sed veræ sed Catholicæ) piis sectatoribus ad cœlos aditus pateſcat, Hæreticis verò undique sit occlusa & impenetrabilis regni cœlestis janua; clavis verò *aurea gloriæ clavis* est, quam Petrus aperit & claudit per impertitam vel per negatam peccatorum absolutionem. Ut sic per metaphoricas

(1) Cyrill. Jerosolim. Cat. 6.
(2) Anast. Biblioth. in præfat. ad vit. S. Jo. Eleemos.
(3) Petr. Dam. Sermon. 26. & opusc. 4.
(4) Petr. Chrysol. Serm. 127.
(5) Aug. Ep. 86.
(6) Ambr. ad Syricium.
(7) Hug. Vict. l. 1. de Sacram. c. 43.
(8) Eulog. l. 2. de pœnit. cont. Novatian.



(9) Optat. l. 7. (10) Molan. l. 3. Imag. c. 21. (11) Theophan. hom. 45.

A. Petri argentea & aurea clavis elucidatur.

haſce Claves ſumma & ſuprema poteſtas exprimitur, Petro & Petri Succeſſoribus conceſſa ad claudendum regnum cœlorum & reſerandum per datam vel per negatam abſolutionem à culpis cœlum occludentibus. Hæc clauſio, hæc reſeratio non tantùm pœnis & Cenſuris eccleſiaſticis expeditur, ſed vel maximè legibus & præceptis, morum ac fidei definitionibus variis, quas Petrus & Petri Succeſſores definiant, ut reſciant ſubditi, quid agendum, quid fugiendum, quid erroneum ſit & heterodoxum, quis honeſtus vitæ ſtatus ſit & licitus, quis impius & perverſus? quæ bona religio, quæ ſpuria? S. Hier. (12) hanc duplicem Clavem vocat *clavem ſcientiæ, & clavem potentiæ:* illa ſervit ad docendum, hæc ad judicandum & quomodolibet regendum Eccleſiam Dei. Clavem utramque ad laudem & gloriam D. Petri ac publicam fidelium utilitatem nunc cominus luſtremus.

Duplex eſt: clavis ſcientiæ, clavis potentiæ.

(12) S. Hieron. l. 1. cont. Jovin.

B. Petri & Apoſtolicæ Sedis ſcientia certa eſt, & infallibilis probatur.

Magiſterium Petri quod attinet, id ſibi ſingularem vendicat prærogativam; nempe, cum Petro ſit ordinaria authoritas collata ad ſuos Succeſſores ejus usq; in ſeculi finem transmittenda, ſimul etiam doctrinæ revelatæ ad authenticè docendum plena ſecuritas exhibetur, ut de talis doctrinæ infallibilitate nulla poſſit dubitatio moveri; ſolus Petrus & Succeſſores ejus nobis veræ Scripturæ ſenſum & myſteria fidei explicant. Hæc cauſa fuit cur S. Pet. Dam. (13) Petrum diceret cudere *linguam*, quâ mortalibus de fide, de religione ac vitæ moribus oracula funderentur; licet enim in Canonicis Scripturis & in Patrum traditione ſenſa proſtent divina: poſſunt tamen in emortuis literarum apicibus multa occurrere ambigua & implexa, quæ vivam fidei regulam & terreſtrem divinorum conſiliorum interpretem depoſcant. Talis erat Petrus & hodie eſt Innocentius XII, cui Superi annos largiantur Mathuſalæos. Paribus in terminis Petrus Bleſ. (14) Innocentio ſcribit. Tertio: *Veſtra Lingua Cœli Clavis facta eſt.* Dedit hujus loquelæ hac die nobile paradigma Petrus; Cùm enim Chriſtus ex diſcipulis percontaretur, *quem dicunt homines eſſe filium hominis?* reliquis tacentibus ſolus Petrus ſententiam prompſit, *tu es Chriſtus Filius Dei vivi!* imò in aliis quibuscunque magni momenti negotiis primus omnium loquutus eſt Petrus. Sic in electione Matthiæ (15) non Jacobus (etſi Hierosolimitanus Epiſcopus eſſet ſaltem deſignatus) ſed Petrus, cui omnium commiſſa fuit cura, ſermonem orſus eſt. Actorum quoque decimo quinto primus omnium Petrus loqui viſus eſt in Concilio. Paulus quidem, prout Chryſ. (16) animadvertit, licet non ab hominibus, nec per hominem ſed per Chriſtum Evangelion acceperit, voluit tamen doctrinam à Cæ-

(13) Petr. Dam. Sermon 26.

(14) Petr. Bleſ. ep. 51.

(15) Act. 1. & 15.

(16) S. Jo. Chryſoſt. hom. 87.

à Christo profectam etiam Petri testimoniô firmari, ne in illius prædicatione ullus mortalium vacillaret, juxta illud D. Aug. fundamentum (17) *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret Authoritas.* Pauli doctrina ex se vera fuit & certa, quippe ipso à Christo inspirata, fideles tamen, quibus doctrinæ Christianæ lapis lydius & viva fidei regula ex ipsius Christi asserto fuit S. Petrus, adhuc nutare poterant circa doctrinam à S. Paulo propositam; ita porrò frustra Paulus sudâsset & clamâsset, nisi S. Petri comprobatio accessisset; quæ causa fuit, cur S. Paulus Petrum adiret, ut omnibus notum fieret, doctrinam, quam S. Paulus producebat, etiam S. Petro probari, ac proin genuinam esse, & verè à Christo profectam, à Christo dictatam. Hinc factum ut ab omni ævo Christiano præcellentissimi Doctores, qui nec ingenio, nec eruditione quidquam cedunt summis Ecclesiæ Capitibus, imò iis superiores, suæ tamen doctrinæ ac ingenio diffisi, quoties grave dubium circa res fidei occurreret, non prius tranquillarentur, seque tutos esse dicerent & securos, quà D. Petri Magisterium, interrogato ejus Successore consuluissent. Unus pro omnibus aliis satis esto Hier. qui licet omnibus esset disciplinis excultissimus, & Damasô Papâ longè doctior, suborta tamen difficultate circa vocem *Hypostasis*, an sicut tres dantur Personæ in Trinitate, sic tres pariter Hypóstases admitti debeant in Trinitate? Ad S. Petri claves confugit, quas tunc tenebat Damasus, ut mysterium cathedra reseraret, sic eum (18) interpellans: *Hic hic fidem ore Apostolico laudatam (non deficiet fides tua) censui consulendam, licet tua me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas; à Sacerdote victimam salutis, à pastore præsidium ovis efflagito. Cum Successore Piscatoris & Crucis discipulo loqui liceat Hieronymo. Scio, supra petram ædificatam esse Ecclesiam nostram; quicunq; extra hanc domum agnum comederit, profanus est; quicunq; in Arca Noë non fuerit, regnante diluvio peribit. Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunq; tecum non colligit, spargit. Qui Christi non est, Antichristi est. Obtestor itaq; Beatitudinem tuam per Crucifixum, ut mihi ex epistolis tuis vel tacendarum vel dicendarum hypostaseon detur auctoritas &c.* Cùm verò ad hanc epistolam, cujus paucas tantùm lineas exhibui, negotiorum multitudine præpeditus Damasus seriùs respondisset, eâdem in causa S. Damasum altera vice Hieronymus interpellavit, datâ ad eum epistolâ (19) humillimâ & urgentissimâ, cujus solam extremam partem repræsento, ut appareat, quanto in pretio apud D. P. Hier esset S. Petrus & Successor ejus S. Damasus: *Hinc fremit rabies Arriana, hinc in tres partes scinditur Ecclesia, & me ad se rapere*

(17) S. Augustin. l. cont. Epiphan. c. 5.

(18) S. Hier. ep. 57. ad Damas. Pap.

(19) Idem ep. 58. ad Eundem.

pere

*pere festinat. Exsurgit in me Monachorum Authoritas; Ego interim clamo: Si quis Cathedræ junguntur Petrinæ, meus est. Meletius, Vitalis & Paulinus tibi se dicunt hærere. Possem credere, si hoc unus assereret; Nunc ut duo mentiuntur aut omnes; Obtestor proin Beatitudinem tuam per Crucem Domini, per Passionem Christi, ut mihi literis tuis significes, apud quem in Syria debeam communicare. Noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est!* Hem! ut demissè sensum Damasi exquirit Hieronymus! ultro judicio subjicit Petrino, & ex Cathedra responsi evidentiam exspectat. Discant ab Hieronymo hæretici & luridiores Catholici summo in pretio habere Oracula Petrina, quæ hodie non tantùm per hæreticos, sed etiam inde per nostræ etiam fidei domesticos mangónes eludi videas & exsuflari. Hactenus clavem *scientiæ* lustravimus.

C. Clavis Potentiæ judiciariam potestatem & absolutionem à peccatis designat.

Altera *Potentiæ* clavis est, respiciens judiciariam Petri potestatem & à peccatis omnimodam exsolutionem, quò maximè voces illæ connant: *Quæcunq; ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis; quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis.* Hujus judiciariæ *ligandi & solvendi* authoritatis aliqua parte omnes quidem Episcopi & Ecclesiastica dignitate constituti potiuntur, solus tamen Petrus, & Petri Successor Romanus Pontifex tanquam Generalis Ecclesiæ Rector summam ac plenissimam obtinet potestatem. *Sicut Filio Pater omne judicium dedit, sic Petro & Successoribus ejus Christus* inquit (20) Potho, *omnem* supremo judicandi dominio in singulos inferioris ordinis Sacerdotes. Ex cræ hujus Jurisdictionis potestas dimanat, singulorum muneri contanea, ac pro temporum, locorum & aliarum circumstantiarum vatas diversa quoad magis & minus. D. P. Cyprianus (21) hanc sumam in omnes potestatem Petro impertitam cum *capite* confert, *radice*, cum *fonte*, & cum *Sole*. Sicut enim virtus animalis membrum corporis à capite derivatur, & virtus ramorum arboris fluit à ce; item sicut aqua rivulorum ex fonte dimánat, & lux radiorum le, sic omnium aliorum Episcoporum & Sacerdotum directiva Ecclesiastica jurisdictio à Petro & Petri Successoribus difunditur; proin certè cum Moyse compares, de cujus spiritu accepit Deus, que 70 Senioribus communicavit, quos ei dabat (22) coadjutores. Dicitur Deus de Moysis spiritu accepisse, & dedisse Senioribus, authoritatem, quam in Moyse fontaliter seu radicaliter collocavit, Moyse ad reliquos transfudit. Solus ergò Petrus etiam has Cives judiciariam potestatem à Christo accepit aliis communicandam. Hquanta sit, bellè hac ipsa luce olim explicuit S. Petrus Dam. (23) A

(20) Potho l. 3. de Domo Dei.

(21) S. Cyprian. l. de Unit. Eccles.

D. Confertur hæc potestas cum capite, radice, fonte, sole.

(22) Num. 11.

(23) S. Pet. Dam. Sermon. 26.

*hodie Petrus, & ad ejus arbitrium orbis universitas solvitur & ligatur; præcedit Petri sententia sententiam Redemptoris, quia non quod Christus, hoc ligat Petrus, sed quod Petrus, hoc ligat Christus, ipso idipsum attestante, quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis. O quàm potens dignitas! judicat Petrus, & Petri judicia confirmat Deus.*

E. Arduum munus Confessariorum.

Tangunt hæ voces illos maximè, qui sacro præsident Tribunali, & pœnitentes conscientias moderantur. Arduum sanè & periculosum munus est audire pœnitentes; prô quàm fœda & cogitata turpia hic loci sacris auribus hauriuntur! nuncupat hos animorum judices Blesensis (24) *sentinarum curatores*, foricarios & purgatores stercorum. Nec malè, quia nulla fœdior & putenti fimo plenior est vocatria, quàm grandibus peccatis hirtescens conscientia; qui ergò fæces illas ex officio scrutari adigitur, se grandi periculo exponit, ne vel sordibus inquinetur, vel si non ritè animus pœnitens purgetur, secordiæ aut conniventiæ reus purgator Confessarius graviter è cœlo castigetur. Nil tam acribus pœnis Deus proscindit, quàm si Clavibus suis Sacerdos abutitur, & Confessarii munus ad amussim ritè non adimplet.

(24) Petr. Blesc. tr. de Satisf. Sacram.

Quæras, quid Confessario agendum, quid evitandum sit, ne confessiones excipiendo clavibus abutatur, & in sui exitium vindicem Numinis dextram irritet, paucis omnia comprehendet Petr. Dam. (25) præmisit hic Pater prius, quid ad Confitentem spectet, inde probi etiam Confessarii partes his verbis describit: Oportet eum non minùs literatum esse, quàm pium ac religiosum; Zelum Dei habeat secundum scientiam, quia indiscreta religio plùs solet obesse quàm prodesse. Literatus sit, ut resciat, quid injungat, cui parcat, quando parcere debeat, & quam consolationem proferat ex Scripturis: pius sit & religiosus, ut puras manus ad Deum elevet, & pro peccatoribus fiducialiter intercedat; caveat etiam, ne confessionis signaculô excepta, ore dimanent; ne quocunque modo in ejus conspectu vilescat, qui suam exhibuit vilitatem, nec de præterita peccatoris vita æstimet futuram; compatiatur pœnitenti, eúmque suis flagitiorum vinculis liberare contendat: nitatur unà severitati aliquid detrahere, at verò si advertat spiritu mansuetudinis nil obtineri, stylum mutet, folium vertat, ac reprehensionis exulceratorio flagitii doceat gravitatem, peccati enormitatem exaggeret, saxea pectora minis expugnet è Gehenna petitis, nec ullius respiciat personam &c. At prô dolor! pergit Damianus, temporibus nostris per universum pœnè mundum pestilentialis ille morbus excrevit, ut Ecclesiis præficiantur, quos nec scientia, nec vita com-

(25) S. Pet. Dam. Sermon. 58.

F. Probi Confessarii munus quid exigat.

 men-

mendat, cœci duces cœcorum, præcipitati & in præcipitium obvios deducentes. Ad hanc probi Confessarii delineationem admetiendus est modus, quô suos erga pœnitentes se gerere debeat, exerraturus graviter, & iram justi Numinis proritaturus, si secus faxit.

G. Væ pravis Confessariis, nisi hoc munus ad amussim expleant.

Do rei hujus memorabile Exemplum à grandibus etiam viris nitrâ coronatis petitum, ex quo etiam pœnitentes intelligant, quam periculosa sit mollities, quàm plena sit grandibus ærumnis, ad palmam suorum flagitia connivere, & muti Confessarii execrandam vicem obire. Cùm Rodericus Hisp. Rex faustissimo Marte Mauros suis à finibus profligâsset, cum aula sua sacra & politica in castra Victor revertit; at ecce subitò turbari aër, mugire tellus & concuti, quin fauces multis locis per immanes hiatus & boatus reserare, quasi obvios devoratura. Ut Vega (26) memorat, furibundus Aquilo Regi pileum abstulit, & ab ejus latere duos Episcopos abripuit Jaënsem & Illiberianum. Videbantur occulta vi sursum trahi, & per reboantem auram vortices inter turbines ac tumultus raptari; nemo non casum timebat similem. Vanuit post horam venti grassantis intemperies, qui etiam utrumque suum denuò in locum, unde rapti sunt, deposuit, ita tamen non serè dilaceratos, & totis viribus exhaustos, ut à nullo etiam fidissimo verna agnoscerentur. Solô indusió amicti, plagis & vulneribus obsiti, quasi per spinas & tribulos tracti essent, vultu toto ita pallebant, ut plerique jam extinctos crederent, nisi modicùm aliquod tactæ spiraculum laceris membris aditum hæsisset. Ut primùm novis vestibus & togis tecti sunt, ocius in tentoria Regis delati, tam potentibus pharmacis adjuti sunt, ut post horæ unius intervallum sibi ex integro redderentur, ac usum linguæ reciperent. Mox ergò à Rege rogati, quid rerum raptis accidisset, & qua de causa tot essent fatis exceptí, quid porrò furibundus Aquilo signârit, candidè aperirent, hos in morem sensum prompserunt & sententiam. Prima narrationis principia Jaënsis posuit, Regis Confessarius, his Regem palam affatus: Quid hic actum est, ex nutu, imperio, & voluntate Dei actum est. Serenissime Rex; traditus sum justo ex judicio Dei, stygio Satanæ, ut totum corpus hoc meum unius horulæ spatio ita cruciaret, ut tamen spiritus, carnis inquilinus sede sua non pelleretur. Rationem tamen petis carnificinæ, eam bona cum venia tua ex umbris in lucem protraho: horarii cruciatus hujus tu, ô Rex, prima & primaria causa extitisti: ex respectu nimis humano, ex metu nimis terreo & pecuniæ, ne præpingui Spartha mea exciderem, ne gratiam perderem regiam, munus

(26) Vega l. de Conf. p. 2. c. 14.

Hist.

H. Monita Confess. data etiam confitentes tangunt.

mutum hactenus Confessarium egi Majestatis vestræ & aliorum. In officio meo malè versatus, gravius peccantes pro ratione muneris mei nunquam redargui, quævis tentare ausos nullo timore cohibui, in omnem pravitatem abjectis nullas occasionum pedicas amputavi; eâdem turpitudinis cloaca mersos sine pœnitentia flagitiis commensurata dimisi, peccatorum enormitatem nunquam ad oculos exhibui, scelera potius gravissima more, aulicis palponibus recepto extenuavi, juxta sententias omnium mollissimas & laxissimas judicium judicavi, Deo ac Superis invisum, subditis infestum, & licet multis male partîs bonis gauderent ac fortunis bello impio per vim corrasis, nullam tamen mammonæ ursi restitutionem; sciebam efficax propotum pœnitentibus deficere, absolutionem tamen impertii, ne pœnitentes meos exasperarem; tandem quod caput est, vidi & audivi, sedere ad urnam ac Regis animum moderari homines impetuosos, unius lucri avidos Eucliones, grandium scelerum fautores, palpabilium iniquitatum patronos, fidei ac veritatis hostes, subditorum emunctores, pauperum sanguisugas; vidi prostituti pudoris lamias pectore tenus nudas omnium oculis oberrare, scandala parere millena, neq; tamen unquam harum pestium amotionem pro pœnitentia injunxi Hæc hæc justam in me tanquam scelerum horum complicem & taciturnum incentorem Dei Vindicis iram provocârunt, ut me Satanæ daret per horam, pœnis omnium gravissimi excruciandum, quas nullus unquam mortalis animus creditur exantlâsse. Tantam tormentorum acerbitatem si pati debuit Confessarius, solius dissimulantiæ ac mutæ taciturnitatis reus, colliger inde Majestas Vestra, quæ pœnarum ilias à Rege Regum & æquissimo Judice Deo ipsi sit decreta, nisi seriam in vivis pœnitentiam egerit. His dictis cepit etiam alter Episcopus Illiberianus, sibi paulatim redditus Regis quæsitum expedire hunc in modum: tribus ex causis me potestati dæmonum acerrimè mulctandum Deus commisit, & nisi pro me mitissimum Numen potenti patrocinio suo ac precibus D. Petrus Apostolorum Princeps solicitâsset, in me Deus æternæ damnationis sententiam fulminâsset. Divo cœlorum Clavigero salutem debeo patenti Orco subtractam, cujus eximius semper cultor extiti, licet aliis pravitatibus sorderem. Nunc per gratiam à D. Petro cœlitus obtentam mihi vita in quindecim horas prorogata est, eum in finem, ut ritè valeam ab omnibus nævis putentes animos emaculare. Prima excitatæ in me tantæ tempestatis causa fuit, quia plus luxui & pompæ seculari quàm animarum curæ addictus, tot opum millia in pretiosissimum corporis & parietum inutilem cultum ad

I. S. Petrus pœnitentium patronus.

aucupandam nominis gloriam effudi, quas potius in egenos pauperes
(27) S. Gregor. M. homil. 40. in Ev. debebam elargiri. Sunt nonnullis, ut Magnus inquit Greg. (27) qui cultum ſubtilium & pretioſarum veſtium peccatum eſſe non credunt, donec id ſerò nimis experiantur. Nulla ſi culpa eſſet ſuperfluus & redundans ſuperbiæ veſtitus, nunquam Deus tam ſignatè dixiſſet, purpurâ & byſſô indutum (28) divitem apud inferos torqueri. Plus hic locus
(28) Luc. 16. principibus perſonis terrarum Summatibus conceditur hodie, at ne quid nimis. Alia longè in ſecularem pompam quamcunque judicia Deus judicat, alia mundus immundus. *Potentes potenter tormenta patientur.*
(29) Sap. 6. (29) etiam hoc ex capite, quòd opes nudis pauperibus fovendis à Deo triplicatas in pompam effundant profanam, vel ab aliis effundi patiantur, qui grandes in cultu corporum exceſſus liberè committunt, ut hodie primas tenent impudentes femellæ in togis & palliolis ad omnem luxum & luxuriam fabricatis, in pectoralibus & armillis, in mille fucis & pigmentis & vel maximè in turritis capitum tiaris, paſſim hodie, etiam in trivio graſſantibus, mitris, quas rectius Juſtitiæ meteret miniſter. Secunda erat, quia tot adipales & numeroſis ferculis prægnantes mensas inſtruxi ac ſybariticis conviviis grandes opum acervos dilapidari. Tertia erat, quia tot annis cum enormi damno pauperum, ſordidum & avarum ſitientem Oeconomum ſuſtinui, eique abſolutum dominium commisi, quô tamen mutilatis pauperum eleemoſynis & defraudatis operariorum ſalariis graviter fuit abuſus; Ita mihi imputatur, quod per meos ſubditos domeſticos peccatur. Corripuit quidem acerrima criſi hunc Oeconomum Epiſcopus, eique in mandatis dedit, ut ocius totam ſummam annis depeculatam in miſellos diſtribueret, at verò cum ſciret, Episcopum poſt aliquot horas, prout ipſe prædixit, funus futurum, juramento palàm aſſeruit, tantum non adeſſe, quantum vellet in pauperes Epiſcopus erogari. Ita ſuis cum magnatibus crudi ludunt œconomi. Co-
(30) Eccl. 1. didit perjurus, ſic totum mammonam in ſalvo manſurum; ſed Deus mox cœlitus oſtendit, quàm promptè in perfidos Eucliones & pauperum ſanguiſugas romphæam expediat. Miſit è cœlo nullis nubibus obductus ignivomum fulmen, quo in cineres & favillas mendax & perjurus hic œconomus redigeretur. Sic Regi ſaluberrimus timor injectus, repentè movit præcordia, ut malô doctus alienô pœnitentiam apprehenderet & omnem capiti ſuo incubantem pœnam profligaret. His transactis ſuas in ædes regali ex tentorio delati ſunt Epiſcopi, ubi ſacris omnibus ritu catholico expiatus uterque vitam mortalem pio fine complevit, meliorem in cœlis auſpicaturus. En grande periculum, quod ſuis cum ligandi & ſolvendi clavibus Confeſſarii ſubeunt, ſi clavibus

abutantur. Ne cæcutiant, ne conniveant, sed in omnibus & per omnia securi ambulent in spiritu & veritate, prout ratio muneris desuper dati exposcit. Acceperunt cœli Claves à Deo Deique in terris Vicario Petro, eum in finem, ut Clavibus hisce spiritualibus suis filiis ac filiabus piè candide confitentibus regnum aperiant beatitudinis supremæ; caveant adeò ne suis portas occludant, quas potius debeant reserare. Clauditur porta, si molliter, laxè ac dissolutè gravissimi peccatores tractentur, aut sine ulla crisi, sine ullo hortamine in silentio dimittantur, unde credant pœnitentes, tanti momenti non esse pravi peculii restitutionem, aliàs saltem aliquam mentionem facturus fuisset sacer Judex. Confessarii Officium est, peccatorum gravium numerum diligenter inquirere, circumstantias accurato examine scrutari, scelerum gravitatem ritè dimetiri, occasiones proximas solerter investigare, seriæ emendationis efficax propositum, & tam mammonæ quàm famæ restitutionem ardentes urgere, criminum commissorum dolorum inflammare, imparatos aut flecti ferreos sine absolutione dimittere, paratis salutarem pœnitentiam peccatis commensuratam dictare, patris simul & judicis personam agere, nec potentum authoritate, nec divitum opibus, nec amicorum affectu, nec stibio aut cerussa, nec spe ulla sordidi lucelli, ad mitiorem sententiam inflecti. Sed quid ad nos Confessarii? viderint ipsi, quibus modis ac mediis ritè suo munere defungantur. Mens mea non est hos Judices sacros vel instruere vel cribrare. Mihi cum plebe negotium est.

Hactenus dicta non tantùm Confessarios premunt, sed ipsos etiam Pœnitentes. Sermo à Jaënsi Episcopo ad Regem directus, palàm ostendit, quàm districtè Deus judicet ipsos judices, ut adeò non obliquis aut retortis sed rectis & placidis oculis obiri mereantur omnes illi Confessarii, qui ore patulo candidè germanè scapham scapham nuncupant, & reiteratum scelus subinde peracerba crisi castigant. Hic & patri spirituali & filio ejus semper fuerit consultius, si felle & aceto tot impiæ pravitates perluantur, quam si graves animarum plagæ blandiùs mulceantur. Dic, quæso, quid juvat periculoso ex morbo decubantem ægrum, si medicus ad lectum vocatus, exploratâ leviter arteriâ, sumpto haustu, narratâ Cardani fabulâ, editò cachinno & suspitato abitum præcipitet, nullô vel purgativô vel discussivô vel præservativô medicamine præscripto, ægrúmque in statu quo relinquat sua cum infirmitate luctantem & sudantem, imò potiùs in pejorem statum conjiciat tacendo aut morbi gravitatem supprimendo. Videat hæc rusticus aut rudis idi-

ota, dicet per fidem, si, deliberatè corpus perdi & vitam. Alter qui judicat, insanus est, vel deterior insanô. Plutarcho teste semper sunt graviores animæ morbi quàm corporis, in quem finem peculiarem librum memoratus Author conscripsit; hi sensibus subjacent, illi utut gravissimi vix percipiuntur. Accedat Medici taciturnitas & præcipitantia, pœnitus non curabitur æger. Pium ergò ac serium, sobrium & providum, candidum & solertem animi quærat Curionem grandi flagitio saucius peccator; & si talem nactus est, ductum ejus patienter suscipiat, retineat diligenter, & fortiter opere adimpleat. Actum est de salute, si quæratur votis hujus seculi accommodus qui non medeatur sed blandiatur; qui non veritatem in faciem dicat, sed quipiam obtrudat. Putridum sit membrum, ne alterum inficiatur, caeteriô opus est & amputatione juxta illud: *Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignes.* Nos tangi nolumus, nos pharmaca & amaros calices devitamus & curari ardemus, quæ summa fuerit ineptia. Duro robori forti opus est cuneo eóque repetito. *Timor Dei*, timor Orci pe Confessarii justissimam crisin præcordiis insertus *expellit peccatum* (se Scriptura teste Pars est pœnitentiæ Confusio, quam parit correctio Sic pectora purgantur & limantur. Sic Deus placatur; sic Anima gloræ aptatur sempiternæ. Quantus pœnitentiæ hujus fautor sit S. Petrus, vidimus ex Illiberiano Episcopo. Nisi cum Petro perpetim flente pœnitentiam captemus seriam, perennem, frustra nobis cœlestis Clavicularii patrocinium adpromittimus. Petro pœnitenti assimulemur in vita, & usus Claviumnos fausto transitu promovebit ad sidera.

Amen.



CON.

# CONCIO XXV.

## Festum Visitationis B. M. V.

*Benedicta tu inter mulieres.* Luc. 1.

## Benedictio Mariana.

AUdimus † odie Elisabetham, tum ex vehementia spiritûs & ardoris, tum ex mysteriorum sibi à Spiritu Sancto revelatorum novitate, Incarnationis nempe Divini Verbi, Divæ Virginis intemeratæ Conceptionis, saltûs & sanctificationis D. Joannis in utero materno, validè exclamantem: *Benedicta tu inter mulieres*, seu quod idem, tu præ omnibus mulieribus es benedicta, tu omnium mulierum es fortunatissima, quia in Matrem Dei electa, quem totus non capit Orbis. Idem paulò antè Aliger è cœlo nuntius ad Virginem Nazarethanam missus palàm intonuit: *Benedicta tu in mulieribus*, seu quod idem, tu, ô Maria, sola omnium mulierum benedicta es singulariter, quia sicut Virgo es, ita mox eris Mater; sicut Dei Filium sine ulla libidine concepisti, sic etiam paries sine omni dolore, quorum neque hoc neque illud cæteris est mulieribus indultum. In hæc Angeli præconia bellè vocem & calamum exercuit (1) Augustinus, ut periphrasin daret recitatis vocibus proportionatam his verbis: *Benedicta tu in mulieribus, quæ vitam & viris & mulieribus peperisti! Mater generis nostri pœnam intulit mundo, Genitrix Domini nostri salutem attulit toti universo. Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit. Illa percussit, hæc sanavit.* Pro inobedientia obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur, &c. His tamen Angelici nuntii à Trinit. ablegati testimoniis, his humanis Elisabethæ præconiis insuper habitis, sunt etiamnum hoc tempore, qui nullam aliam benedictionem Deiparæ adstrui contendant, quàm omnibus aliis electis communem, si modò Christi fidem recipiant. Ponatur, quæso, perversissima tumentis & tumultuantis animi passio, & probè dispiciatur, quid tam Angelicæ quàm Elisabethanæ benedictionis voces importent, & fatendum erit, Deiparam non ex communi quadam ratione, sed specialiter, sed singulariter præ cæteris mulieribus, seu inter

A. Exemplô Gabrielis & Elisabethæ summis laudibus extollatur MARIA.

(1) S. Aug. Serm. 18, de SS.

inter omnes mulieres benedictam prædicari. *Multæ filiæ congregaverunt sibi divitias*, (2) inquit Salomon, *tu supergressa es universas*, ad eum benedictionis gradum in genere muliebri sublimata, ut eum nulla alia mulier unquam attingeret, aut attingere posset; fuit nempe simul Perens & Virgo, Mater simul & filia, plena simul & vacua, plena Dei Filiô & semine vacua humano. D. P. Aug. (3) *benedictam inter mulieres* cum Elisabetha salutat, *quia cum omni statu ac genere mulierum benedictionem participat; est enim cum Virginibus virgo, cum conjugatis fœcunda mater, cum viduis continens & casta.* S. P. Hier. (4) *benedictam in mulieribus* cum Angelo veneratur, seu rectiùs, ut ex græco legit textum, *mulieribus benedictam*; per ipsam enim Deiparam contra tria mala, quæ per Evæ peccatum lapsæ sunt, triplicem benedictionem obtinuerunt.) Primum Malum erat Dedecus seu dehonestatio, quam ob Evæ peccatum mulieres contraxerunt, cùm per mulierem totum humanum genus perditum esse diceretur, cujus mali signum dari creditur femineum in capite velum; ab hac confusione & dedecore ita cunctas mulieres Deipara liberavit, ut, quæ antea erant ob Evæ flagitium contemptæ, jam per Mariam cum toto humano genere glorificentur. Malum alterum erat legis Maledictio, per quam omnis illa femina dicta fuit maledicta, *quæ semen in Israel non* (5) *produceret.* Dura sanè necessitas, grande jugum omnibus Evæ filiabus impositum est; si enim pariunt, cruciantur; si non pariunt, anathemizantur; at verò maledictum hoc Maria ter benedicta Virginum primiceria funditus abolevit, dum prima suam virginitatem Deo consecravit, quam hodie aliæ atque aliæ virgines sequuntur innumeræ. Malum tertium erat Dejectio muliebris naturæ seu conditionis femininæ, naturaliter enim loquendo, semper dejecta & infirma est muliebris conditio; hinc Salomon (6) quasi *Mulierem fortem quis inveniet?* quasi diceret, actum est, omnes si provincias & provinciarum angulos excutias, fortem & flecti ferream nusquam libi reperias; at ecce præsto est inventa, cujus pretium procul & de ultimis finibus, Christo ex sinu Patris naturam confortante integerrimæ Matris, quæ suo robore totum Orcum triumphavit, juxta illud (7) *ipsa conteret caput tuum*, Draco Stygie; ita mulierum abjectio tota vanuit & ipsi Judith (8) in persona Virginis prædictum est de his tribus: *Fortitudo mea Jerusalem*, contra Confusionem Evæ. *Tu lætitia Israel* contra Maledictum legis, pro quo liberatæ gaudent & lætantur. *Tu honorificentia populi nostri* contra Abjectionis probrum. Pergamus opt. AA. Benedictiones Marianas in apricam lucem educere, unde fidei nostræ dogma

(2) Prov. 31.

(3) S. Aug. Serm. 10. & 11. de Nativ. Domin.

(4) S. Hier. Serm. de Assumpt.

(5) Deut. 22.

(6) Prov. ult.

(7) Gen. 3.

(8) Jud. 15.

stici plus ardoris tot benedictionibus dotatam celebrandi exardescant, alii verò à trivialibus feminis, nullibi Deiparam distinguentes Mariæ-mastyges ad tantam gratiarum lucem pudefiant.

Ipse Deus, ut paucis dicam omnia, Matrem suam in æternum & in seculum seculi benedixit, eamque tam in hoc seculo quàm in futuro non tantùm super omnes mulieres, sed super omnes Justos, super omnes Beatos, super omnes Angelos benedixit. Sic in terminis (9) Anselmus perorat: *Nihil tibi ô Domina, æquale est; nihil tibi ô Virgo, comparabile est; id enim omne quod est, vel supra te est, vel infra te est: quod supra te est, solus Deus est; quod infra te est, omne id est, quod Deus non est.* Unde, quæso, tam sublimis eminentia eruitur? ex Angeli testimonio & Elisabethæ. Angelus, ut scimus, eam his verbis salutavit: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum*, & ideò etiam *benedicta es in mulieribus*, quia ab omni væ & ab originali nævo soluta es; quia omni excogitabili gratiâ plena es; quia tecum Dominus est, assensu dato, mox etiam tecum in utero virginali tanquam in terrestri cœlo, in cœlo animato habitaturus, Elisabetha super omnes creaturas *benedictam* extulit clarioribus verbis, quia *benedictus Fructus ventris tui*, seu, quia quem totus non capit Orbis, in tua se clausit viscera factus Homo; quia in Dei Matrem electa Virgo es. Hæc hæc maternitas omnium gratiarum fons est & origo; hæc omnium præeminentiarum ac privilegiorum prima radix est, quia Filii Dei, quia Verbi Divini, quia Regis regum & Domini dominantium Mater est MARIA; ideo non alia nova concessione aut indulto, sed naturali jure cœli ac terræ, hominum & Angelorum Regina est juxta communem Philosophi sensum (10) dicentis: *Parentis in filios imperium in excellentia consistit, ita ut licet crescant dignitate filii, parens tamen qua parens, filiô suô semper superior existat.* Juxta eandem Philosophi mentem, *parens & filius non censentur esse aliquid diversum.* O ergò prodigium! ô dignitatem! ô honoris Mariani, & gloriæ Virginalis fastigium propè infinitum!

(9) S. Anselm. l. de Conc. Virg. B. Super omnes homines, Angelos, ac Beatos.

(10) Arist. l. 8. Ethic. c. 11.

Res creatas numerô ternas passim hodie infinitas esse Theologi profitentur, non absolutè quidem in genere suo, sed secundum esse suum relativum, nempe Humanitatem Christi, seu Unionem hypostaticam, Beatificam visionem, ac Deiparæ Maternitatem; hæc enim tria neque crescere possunt ullô modô, nec ab aliis superari, quia ad terminum referuntur simpliciter infinitum, qui Deus est. Eadem ex radice & Maternitatis principio ratum est apud omnes, B. V. Perfectiones perfectionum omnium plenitudinem esse, quæ cùm in se maximæ sint, & nulla sui parte deficiant, unà erunt aliorum omnium Sanctorum perfectionibus

C. Tria sunt aliqua ratione infinita: Unio hyp. Visio beatif. & Maternitas Virginis.

bus majores; Sequuntur hæc perspicuè ex fundamento memorato; cui enim nullum sit munus puræ concessum creaturæ, quod Maternitatem exæquet, utpote Divinitatis fines attingentem, ut loqui placet (11) Angelico Thomæ, ideò dubitari non potest, quin sublimissimo Maternitatis muneri Perfectiones longè maximæ sint adjunctæ, quæ tantam Matrem decerent, & Filium ejus non dedecerent. Id probè SS. PP. observarunt, quoties de eximia Dei in Matrem Dei effusa gratiarum largitate loquuntur. Juxta Sophron. (12) *Maximis muneribus oppignerari decuit Virginem, ut plena esset omni gratia, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum.* Per hanc gratiæ plenitudinem Perfectiones omnium maximas comprexus est Sophronius, in quo etiam consentientem habet (13) S. Thomam. Huc pertinet, quòd Virgo passim *gratiarum mare* nuncupatur, in quarum S. Pet. Chrysol. illud (14) accommodat: *Congregationes aquarum appellavit maria, ut intelligeretur Maria.* Ad idem omnium Deiparæ perfectionum primum principium partheniam Maternitatem suprà moratus Thomas (15) reduxit his verbis: *Hanc fecit Dominus tripudium Bonitatis suæ infinitam Imaginem.* Huc collimabat Anselmus (16) cum diceret: *Decuit omninò, ut ea puritate niteret Deipara, quâ major sub Deo nequit intelligi;* ubi clarè innuit, nullam originariæ labis maculam vel momentô locum habuisse in Maria, ne per momentum diceretur peccatrix, Deo exosa, Orco subdita, Sathanæ mancipata &c. quæ tanè omnia in ipsum ejus Filium redundarent. Eodem Authore l. c. ordinat *ad concipiendum Sanctum Sanctorum, & non esse Sanctum, includit contradictionem.* Tanta nempe Virginis est Maternitas, ut vel levissimam peccati umbram averfetur. Audiatur iterum D. Thom. (17) *Virgo non esset idonea Mater Dei, si peccâsset aliquando, quia honor parentis redundat in prolem, tum etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit, quæ conventio Christi* (18) *ad Belial?* hæc causa fuit, cur Alb. M. (19) Deiparam ad usque thronum Deo proximam tanquam super omnes homines & Cœlites benedictam his verbis extolleret: *Inter esse Filium Dei per naturam, & esse Deum, inter esse Filium Dei per adoptionem, & non esse Deum, medium est esse Matrem Dei per naturam & non esse Deam; ergò immediatè post esse Deum, est, esse Matrem Dei.* Sic Alb. arguit Thomæ Magister. Hem quanti nominis in Deipara fit Maternitas, causa nempe & radix omnium donorum & charismatum, omnium gratiarum & privilegiorum, omnium excogitabilium perfectionum, quæ in purum hominem cadere possunt. *Quod aliis per participationes concessum est, Mariæ tota plenitudine infudit Deus,* ut loquitur doctissimus

(11) S. Thomæ 3. 2. q. 103. a. 4. ad 2.

(12) Sophr. Serm. de Assumpt. B. V.

(13) S. Thomas 3. p. q. 7. a. 10.

(14) S. Pet. Chrysol. Serm. 146.

(15) S. Thomas opusc. de char.

(16) S. Anselm. l. de Conc. V.

(17) S. Thomæ 3. p. q. 27. a. 4.

(18) 2. Cor. 6.

(19) S. Alb. M. sup. Missus. c. 180

D. S. Albertus proximo post Deum loco collocat Mariam.

simus Idiota & alii passim. Unde optimo jure hac festa luce Virgo Mater non tantùm inter mulieres summè benedicta, non tantùm super omnes feminas benedicta, super omnes terrarum inquilinos, sed super omnes Sanctos, omnes Angelos benedicta prædicetur Maria, solô Deo inferior, quem tanquam Mater proximo affinitatis gradu & gratiarum affluxu attingit, omnium Angelorum ac cœlitum, omnium terrigenarum augustissima Regina. Visitavit hodie Elisabetham. Hæc de primo Perfectionum principio, Dei maternitate cœlitus edocta, ad tantam Virginis Matris humilitatem obstupuit; hinc illis mox vocibus salutantem resalutavit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus Fructus ventris tui! & unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Tot benedictionibus plena Virgo vix pedem intulit ædibus Zachariæ, Deiparam benedicentibus inquilinis suos pariter favores Zachariæ contulit & Elisabethæ, nec non quem utero gestabat, Christi Prodromo Joanni. Solatiô Zacharias, bonis & donis cœlestibus Elisabetha replebatur, Joannes præ gaudio in utero saltabat materno, parta sanctitate, & originali peccatô procul actô lætabundus. Ita vel hodie benedicentes benedicit, & variis opplet charismatis Marianas in laudes effusos Dei Genitrix Maria. Sit, qui dignis laudibus Mariam extollat, præstò erit Virgo Mater, ut grandibus præmiis & fortunis Mariani encomiastis parthenias laudes refundat. His opem feret & opes, prout in votis fuerit, Virgo benedicta.

E. Domus Zachariæ per Mariam omnibus bonis ac donis opplestur.

Fingunt Fabulæ, fortunatum quendam in silva Deam obviam habuisse, quam vocant *Fortunam*, à qua marsupium dono acceperit tantæ virtutis, ut quoties vellet ex eo tanquam ex auri ferace Pactolo aureos nummos expromeret. Hæc sunt Parnassi somnia; id tamen certum est, quod nunc assertivè proclamo: benedic super omnes creaturas benedictam Virginem, cole studio ardenti Deiparam, & votis omnibus respondebit ex alto Sanctior fortuna. Expertus loquatur Robertus ille Deo ac Deiparæ dilectus Josephus quem vulgò vocant Stainfeldensem Hermannum Ord. Præmonstr. Canonicum; hic cum die quodam sæviente bruma nudis pedibus B. V. Ecclesiam subintrâsset, ac Deiparam ex more coleret, rogatus à misericordiæ Matre, cur tanto in frigore nudis pedibus incederet, fiden-ter reposuit, se parentum inopia calceis destitui. At ecce! mox Virgo digitum in lapidem extendit, sub quo semper affatim pecuniam reperit, quoties subsidiô opus esset Marianô. Re intellecta plures alii lapidem movebant sed irrito conatu. Quæ causa repulsæ? defuit his vera in Deiparam fiducia & hyperduliæ cultus, quem antè deferre oportuit

F. Donis hisce sui Nominis encomiastas adhuc hodie perpluit. Probatur.

tuit fortunarum omnium clementissimæ Dispensatrici. Benedixissent benedictam, ab hac vicissim optimam benedictionem reportâssent. Prodigiosius est, quod à Joan. Jun. (20) de nobili & pia sed simul de parcula memoratur Matrona; hæc cum binis filiabus ulterius alendis non sufficeret, eas in templum ad Deiparæ Statuam adduxit, ibique evolutâ prius Virgini coronâ filiorum manus in Mariæ manus summa ex fiducia transposuit, dixitque: has meas filias, quas ob inopiam sustentare nequeo, tibi in manus trado ô Deipara; totum ergò jus maternum, quod mihi in illas competit, tibi ex asse resigno, tu illas in vita pariter & in illibata virginitate conserva! Precibus hunc in modum peractis, domum cùm redirent, juvenis incognitus saccum obtulit centum *auri talentorum*. Nota hic loci (unum auri talentum sex millia septingenta & quinquaginta Philippeos constituit) numeret modò, qui volet, quantam pariant summam centum auri talenta. Ego ad alia propero, & hanc calculationem Arithmeticis transcribo. Hâc pecuniâ cœlitus missâ mater filias suas decenter, non tamen superbè vestitas, reliquis etiam rebus necessariis largiter instruxit; cùm verò linguæ ocius spargerent theoninæ, impio è quæstu grande peculium filiabus obvenisse, dolebat iterum, post inopiam prodigiosè sublatam, tantam infamiæ notam sibi ac prolibus suis accrescere; iteratò proinde ad Virginem virgines, ad Matrem filiæ confugiebant, Virgini Matri publicam infamiam questæ: mox iterum auditæ preces; in conspectu totius urbis duo Angeli è cœlo defluxêre, ac manibus splendidas coronas gestârunt, clamantes & cantantes: hæc serta vobis in testimonium illibatæ virginitatis vestræ ex alto mittit Maria JESU & vestra Mater; cum dicta serta virginum capitibus imponebant, mox se iterum mortalibus oculis subducentes, magnam simul Deiparæ venerationem & ambarum virginum æstimationem in animis civium reliquerunt, ad perennem tantæ benedictionis desuper lapsæ memoriam duo Cœnobia erecta sunt, in quibus hæ duæ virginum Gemmæ conderentur. Ita ter benedicta Dei Mater dotare novit & præmiari numerosas laudes Deo ac Deiparæ fusas.

(20) Joan. Jun. in Scal. Cœl. Hist.

G. Aurei talenti pretium.

H. Pœnæ Mariæ mastygibus decretæ.

Hæc prodigiô plena binis Virginibus exhibita de cœlo gratia omnes ac singulos inflectat, ut cum Angelo, cum Elisabetha, & cum S. Matre Ecclesia super omnes benedictam Virginem laudent, celebrent, prædicent, salutent, & vicissim spondeo, juro, benedictionibus tam sacris quàm profanis à Deo ac Deipara replebuntur. Gratiis hisce frui poterunt omnes qui vel hodie meritis laudibus Deiparam extollunt; caveant è contra qui pro benedictionibus quamcunque notam Matri Virgini affricare contendunt,

tendunt, ne in vicem protritæ aut explosæ benedictionis Marianæ vel acerbam in vivis, vel stygiam post fata maledictionem, tanquam sceleri prævio justè irrogatum talionem reportent. Coronidis locô per exemplorum Duodecadem ostendo, quid tam enormibus ausis lucrentur Mariæ-mastyges.

Exemplorum duodecade probantur.

I. Statuit ille cum S. Pet. Mart. contra Deiparæ cultum palam disputare; at vix primum contra Dei Matrem syllogismum evomuit, repetere jussus, quod dixit ita obmutuit, ut nec verbulum ultra proferre posset teste (20) Antonio.

(20) S. Anton. p. 3. tit. 23. c. 6.

II. Detonuit ex alto in Rosentalensem Deiparam prodigiis illustrem horridam crisin Rabula, & repente mortuus concidit, prout Atlas recitat (21) Marianus.

(21) Atl. Mar. f. 268.

III. Erat Heliopoli Phœniciæ oppido Mimus quidam Gajanus nomine, qui publice in theatro lusum exhibuit Deiparæ probrosum Mosch (22) teste. Apparuit ei S. Mater his eum affata: *Noli animam tuam lædere!* cùm autem in uberiores sannas spurium os effunderet rursus ei Deipara apparuit dicta reiterans, *noli animam tuam lædere!* cùm nec secundò monitus resipisceret, Virgo tertium apparuit dormienti, & nihil ultrà loquens pedes ejus digitô signavit. Somnô solutus se utroque pede truncatum vidit. Ita vel ictus sapere debuit. Minùs si truncus fuisset, nunquam ita truncatus esset.

(22) Mosch. in prat. c. 47.

IV. Simile quid Niceph. (23) narrat. Parabant fortè Sybariticum in popina convivium efferi combibones, in quo cùm Matrem Dei turpibus sannis proscinderent, visus est Deus tot probra dissimulare, donec mensa solveretur; hâc solutâ, nullus lares suos attigit, multò antè blasphemis lurconibus casuali fato in popina & in via extinctis. Restabat caupo, cujus in ædibus tot erat blasphemiis indultum; is cùm nostris à Sacris alienus non esset, aliorum tamen fatô territus timuit sequiora, ne pari malo plecteretur anxius; evasit quidem mortem, sed quia locum dedit blasphemis, etiam pœnas dedit peecaminosæ tolerantiæ, sed mitiores. Noctu dormienti Mater Dei in somnis visa est assistere, cui an se nosset percontanti cùm annueret, convitiorum enormitatem in memoriam reduxit cum crisi, quòd suis sub tectis blasphemos tolerâsset. Petiit caupo veniam, rogans obsecrans, ne tam propera morte mulctaretur; annuit votis Virgo, sed alias eum pœnas sceleris tolerati daturam prædixit; mox vimine manu gestato genua cauponis percussit & disparuit. Excusô somnô membra vimine tacta reliquo à corpore visa sunt segregata, recenti adhuc sanguine fluida. Sic in publicum productus justum

(23) Nicephor. l. 18. hist. c. 33.

ſupplicium palam exhibuit. Deum bonum! hâc pœnâ hodie blaſphemi aut blaſphemantium toleratores plectantur, quot ubique locorum informes trunci jacerent?

V. Recentius eſt, quod ſequitur. Annus ſeculi hujus volvebatur decimus nonus, cùm nautæ à piratis in mari ſpoliati ac lembo impoſiti, ad ſuos dimiſſi, ad inſulam *Clere* appulerant; facta exſcenſione oſtiatim eleemoſynam corrogabant. Sic fortè ad verbi Calviniſtici Verberones ædes delati, ea nocte tectô excipi rogabant; at cùm ocius ceu fures & latrones exeſſe juberentur, unus ex miſellis has in voces erupit: JESU Maria, mi domine, tales non ſumus, quales nos eſſe inſimulat. Vix hæc SS. Nomina ore protulit, mox irâ percitus blatero repoſuit: ite ad Marillam veſtram luridi Papiſtæ! hæc per vos invocata vos hoſpitiô excipiet. Turpem repulſam paſſi abierunt, & ſub dio ad templi valvas pernoctabant. Interim benè cœnatus cubitum ivit blatero, at mane mortuus eſt repertus, non in molli lecto ſuo decumbens, ſed in harani porcarium lintrem per ſcalas abreptus. Sic (24) Lyræus. Eant modò reprobi Mariæ-maſtyges, & in Virginem ter benedictam cacóchymi ora probra deſpument, exitum vitæ pariter ſortientur maledictum.

(24) Lyræus in Triſag. l. 2. mod 22.

(25) Bagat. in Mac. & Micr. l. 6. c. 1. p. 2.

VI. Juvenis ille, de quo (25) Bagatta, vix turpem dicam in Deiparam evomuit, cum ſocio nobili in contentionem delapſus eſt & duellum, ubi vibrato ictu os ſacrilegum gladiô ſodes confixit, ut humi proſtratus concideret, cur fauces ferrum irruit? ut recentem maledictum Juſtitia plecteret divina.

(26) Lipſ. in Virg. Hal.

VII. In Belgio Halenſis Virgo prodigiis clara celebratur, quam ipſe Lipſius (26) calamô ſuo illuſtravit, alia inter refert, cùm Oliverius Tempelius Batavus Halas irrueret, Joannem Sibick militem ejus jactare nasutum eſſe, ſe mulierculæ Halenſi (ſic Deiparam ludebat) nares amputaturum. Necdum quadrans difluxit, plumbea glande ſibi naſum abſtractum vidit, riſúmque movit ſociis, qui ſæpiùs eum Halam usque ad repertum naſum ablegabant.

VIII. Graviorem contumeliam eadem in oppugnatione gravius ſibi Riſslmanus; miles iſte Statuam Halenſem focô penitus cremare conſtituit, urbem ſi ceperit Tempelius; paulò poſt grandioris tormenti globô ſecundùm os impium pulſatus, animam ſceleſtam ardenti pulvere conſumptus evomuit.

(27) Corn. in Levit. c. 24.

IX. Alius equum habuit cæcutientem, ut Cornel. (27) refert, quem cùm in Sichem locum Deiparæ Sacrum adduxiſſet, alta voce intonuit blaſphemus lurco: Audi Marilla (ſic per ſarcaſmum Deiparam nuncupabat

pabat) si quid potes, equo huic meo visum restitue. Dictum factum; equus visum recepit, eques visum perdidit. Sic ludi, sic plecti vult Virginis intemeratæ reprobos lusores Divina Themis.

X. Aliâ pœnâ os impudens puerperæ in Hollandia contundere visa est Suprema Nemesis; illa cum partu suo laboraret, una ex feminis puerperam monuit, Deiparam imploraret, dolores certò mitigandos. Ad quæ mox illa: quid mihi scropham occinis? apage scropham! vix vomuit blasphemiam, partu soluta, nigerrimas suculas peperit paulò post doloribus & rancoribus confecta, Lindano (28) teste.

(28) Guil. Lindanus in Apol. pro Cath. Relig. c. 11.

XI. In urbe Zamossa, prout perhibet (29) Bonifacius, fuit Anno 1600. matrona quædam genere quidem nobilis, sed hæretica; hæc cum ipso annuntiatæ Virginis festo die in villam suam proficisci pararet, domestici verò ex festi etiam Scripturæ inserti sanctitate modis omnibus iter dissuaderent, interpellatione graviter offensa ipsam Matrem Dei probris impetere cœpit, ei se sanctitate parem esse palàm jactare audita. Monitis itaque insuper habitis ad villam egressa est importuna mulier. Restabat etiamnum modica via, en equi fixis vestigiis hærere, neque ullis se modis ad prosequendum iter accingere. Ita mulier ex rheda prosiliit, & dum equi starent immobiles, nonnihil à via deflexit, ut naturæ consuleret; interim validus turbo humi fudit feminam & faciem blasphemæ in egestas corporis sordes impegit, ubi etiam ore sacrilego fœcibus coinquinato, post ingentes clamores spurcam animam eructavit.

(29) Joan. Bonif. in hist. Virg. l. 5. c. 2.

XII. Cùm artifex ille statuam ligneam D. Virginis elaboraret, & ex ipso vicinus joci gratia quæreret, quandonam primum esset miraculum patratura, jocum joco reposuit dixitque, quando mihi bina cornua ex capite prodibunt. His dictis repentè cornutus apparuit blasphemus artifex, fecitque initium colendæ statuæ, ut memorat (30) Nirnbergius.

(30) Eusеb. Nirnb. in Troph. Mar. l. 6. c. 76.

En promissam Duodecadem, quâ utique ad oculum ostenditur, quo cum periculo toties benedicta Mater Dei maledicentiæ spiculis petatur. Ut plurimùm in caput recidunt jaculantis. Qui se tanti sceleris reos sciunt, ocius resipiscant, certi de gloria, si gloriam Deo dederint & integerrimæ Matri ejus. Tot exemplis sapere docti,

*Discant justitiam moniti, neque temnere Divam!*
*Discant Partheniam Matrem redamare Mariam!*

Amen.

CON-

# CONCIO XXVI.

# FESTVM S. MARIÆ MAGDALENÆ.

*Stans retrò secus pedes ejus &c.* Luc. 7.

## Color optimus.

QUæritur hodie inter Physiognomistas, quis hominis optimus, quis pessimus sit color AA. Est autem ternos inter colores disceptatio, album, nigrum, & purpureum. Albus faciei color pituitæ abundantiam, & humorum aggregatum affluxum; quæ causa est, cur feminæ præ viris albescant, & viros albiores ipse Aristoteles dicat viros effæminatos; timoris nempe signum præbet color albus ex natura sua; cùm enim pituitæ copia hominem reddat frigidum, unà quoque timidum facit ob defectum spirituum, qui ex se fortitudinem progenerant & animositatem. Virgilius (1) de albis equis malè (1) pronuntiat: *Color est deterrimus illis.* Et verò universim loquendo, Naturalistæ physici multâ experientiâ docti passim hactenus observârunt, alba animalia utplurimùm pejora esse, nigris, neque adeò generosa & robusta esse quàm nigra sint animalia. Ova certè, nigris à gallinis edita, tanquam meliùs excocta, plus semper suavitatis exhibere creduntur testibus Bertis, & ad focum sudantibus Camillis. Color adeò pallidus & albus quoad naturam semper extitit illaudatus, timoris nota, & indolis femininæ characteristica; mysticè tamen & moraliter si loquamur, alium sibi sensum vendicat color albus, prout mox dicetur. Subniger color vel ex melancholia oritur, vel ex adusta bile, & bem passim affricat gestanti, Poëta (2) teste:

(1) Virg. in Georg. A.

Aliter de coloribus Physiologi disputant, aliter Theologi & Ascetæ.

(2) Horat. Serm. l. 1. Sat. 4.

*Hic niger est, hunc tu Romane caveto.*

& (3) Martialis:

(3) Mart. l. 12. ep. 54.

*Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus:*
*Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.*

Rufus color oritur à prædominantia bilis & choleræ; hinc *ruber ore*, audax esse creditur & astutus, inconstans, proteus & versatilis. Color flammeus

flammeus & impensè rubeus Aristoteli propensionem signat in maniam, quia caloris prædominium importat; est adeò solitariè sumptus color iste grandibus nævis & periculis subjectus. Ita quidem de hac colorum triade naturales Physiologi loquuntur, at verò alia longè sententia mystico & morali sensu danda est. Ut sic omnes hi colores probi sunt & laude sua dignissimi. Album colorem ipsi spiritus Angelici ac pii Cœlites commendant; quoties enim se in assumpto corpore spectandos exhibent terricolis, se albis vestibus splendidos repræsentant. Ipsa Ecclesia in Sacrificiis Deo immolandis nonnisi albis & candicantibus utitur vestimentis. Nos inter Candidus hodie passim sumitur pro puro, sincero, & minimè fucato homine. Sic Horat. (4) *Albi nostrorum sermonum candide judex.* Color rubeus tanquam glorioſus & victorioſus color ipso à Christo & vestibus ejus celebratur per (5) Isaiam & Apocalypticum (6) Joannem, quibus è locis Fridericus (7) Nausea suo in Catechismo deduxit, Christum in veste rubra & purpurea etiam cœlos Victorem conscendisse; hic certè color heroicis Martyribus competit, sicut candidus Virginibus. Nigricans in Script. non vitiis sed virtutibus adscribitur, & inter animi decora numeratur. Ita pridem de se Virgo Mater sensu accommodatitio notum illud (8) Cant. explicuit: *Nigra sum sed formosa.* Rationem si petas, tota in Solem Justitiæ conjicietur, *quia decoloravit me Sol* inumbrando scil. & humiliando; Dei nempe Filius prævio exemplo suo fuscum colorem Deiparæ indidit, ut fidenter asserat (9) Bernardus: *Nigredo est, sed forma simul & similitudo Dei. Non habuit Virgo Mater se purificandi ullam causam, sed nunquid Filio ejus opus erat circumcisione?* Vult dicere S. P. eadem ratio, quæ Christum compulit, ut admitteret circumcisionem, Matrem quoque induxit, ut omnium purissima se purificari pateretur, studio & amore unius humilitatis, non reformidans tritæ ac peccaminosæ mulieris formam, sicut nec Christus peccatoris umbram repudiavit. Hanc ut nigredinem Deiparæ adstrueret, toto eam Sermone festo Purificationis illustravit. Non est proinde, quòd huic nigredini ulteriùs hæreamus. Ad priores redeo, & si de colorum præstantia mea quoque sententia exquiratur, dico, repeto, optimum Colorem sensu esse partim reali, partim mystico, si Color candidus rubro sit commixtus. Quid rei, quid nominis mixtus iste color involvat, docebit Magdalena præsentis diei Patrona. Attendite.

Unò eóque solidò argumentò assertum probo, optimum sc. Colorem esse candido-rubrum aut rubro-candidum. Color iste candi-ruber pro-

B. Albus color est cœlicus color & ecclesiasticus.

(4) Horat. 1. Epist.

(5) Isa. 63.

(6) Apoc. 10.

(7) Frider. Nausea in Catech. c. 36.

(8) Cant. 1.

C. Rubeus gloriæ ferax.

(9) S. Bern. Serm. 25. in Cant.

D. Niger index humilitatis.

E. Sensu reali ac mystico color optimus est rubro-candidus, ex utroq; mixtus, quia Divini æmulus.

proximo gradu Deum attingit, ergò dici meretur omnium præstantissimus, quia divini æmulus color est. Rei hujus clarum extat specimen
(10) Cant. 5. in Cant. (10) ubi Sponsa Sponsi elogia extollit, quia candidus simul & rubore mixtus est : *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Nicephoro
(11) Nicephor. l. 1. c. ult. teste (11) candirubri coloris Christus extitit *speciosus formâ præ filiis*
(12) Ps. 44 (12) *hominum.* Nysseno authore (13) candidus erat ob candidam carnem, rubicundus ob purpureum sanguinem undique purissimum lor-
(13) Nyss. hom. 13. rali ex sensu : at verò moralem ac mysticum sensum captando, candidus idem Christus est ob innocentiæ puritatem & omnigenæ sanctitatis splendorem, rubicundus ob passionem, quâ proprio erat sanguine purpura-
(14) Isa. 63. tus, juxta illùd : *Quis est iste*, (14) *qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra ? iste formosus in stola sua &c.* Quare ergò rubrum est vestimentum tuum ? Sic S. Hier. Esaiam explicat, qui etiam addit, candidum dici à virginitate, rubicundum à passione. Color ergò ex albo & ex rubro commixtus color est divinus, & illius æmulus, quem Deus-Homo præ se tulit, ergò omnium præstantissimus, quia proximè attingit divinum. Opt. AA. mens nobis est æmulari charismata nobis è cœlo exhibita, ante omnia suaserim, ut animis nostris & præcordiis veri nominis purpuram ac Deô dignam rubedinem conciliemus ; hâc obtentâ, ubi candor sequetur, Superis amicus color. Scimus nil inquinatum cœlo recipi ; vel modica labes cœlô excludit sordidam mentem. Undique candida sit anima cœlis destinata ; hunc candorem solidè per ruborem & verecundiam assequemur. *A verecundia, vitæ melioris fundamina sunt vult* Bernardus (15) *hæc* una eodem (16) Authore, *testis est innocentiæ, continentiæ soror, gloria conscientiæ, famæ custodia &c. malorum omnium expunctrix, virtutum omnium propugnatrix.* Hâc retentâ, lucis æternæ candor comparabitur ; hâc perditâ quasi excussô frænô in omnem pecandi licentiam præceps homo agetur. *Illum ego periisse credo, cui periit pudor*, maxima fuit (17) Plauti, ita tamen vera, ut nulli unquam candori esse possit locus, ubi nullus est verecundiæ. Accidit prout, ut in vicem propulsati candoris stygia fuligo succedat, terris atque cœlis exosa.

F. Candorem cœlis cognatum per verecundiam assequimur.

(15) S. Bernard. l. de Ord. Vit.

(16) Idem Serm. 86. in Cant.

(17) Plaut. in Bacch.

Sicut autem Vitruvio teste & experientia doctrice pro soli proprietate, aliud & aliud nomen, alium & alium colorem jam vivum, jam horridum purpura sortitur ; hinc tot in classes distingui videas purpuram, ut alia sit Tyria, alia sit Getulica, alia iterum Coa, alia Oebalia, à se mutuò enormiter diversa ; ita sanè juxta Spiritûs Sancti effatum alia re-

G. Hæc verecundia duplex est, bona, mala,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

que alia est Verecundia, neque omnis candorem conciliat cœlis cognatum colorem. Duplicem Sirach (18) designat: *Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam*, seu quod idem fuerit, est boni ominis, est mali ominis Verecundia. Est verecundia trahens post se peccatum & gehennam; & est verecundia causans gratiam & gloriam sempiternam. Non omnis pudor aut rubedo sibi sociat niveum candorem. Bona datur & mala. Scimus damnatos grandi rubore suffundi in æternum; imo hinc eis gravissimum supplicium exoriri docet (19) S. Basilius, nemo tamen est, qui damnatorum verecundiam laudi adscribat. Habent etiam homines perversi, ut probè monet Rich. (20) Victor. verecundiam aliquam, sed utinam bona esset & ordinata; *Bona enim si esset, perversi non essent; perfectè si erubescerent, non tam facilè peccatum committerent.* Post aliquot periodos iterum pravos rubores exagitat his verbis: *Nos sæpè plùs erubescimus sordidam vestem gestare quàm sordidam mentem circumferre; multos alios pudet in voce aut calamo barbarismum fecisse contra regulas Prisciani, quàm protulisse mendacium aut obscœnam spurcitiem commisisse contra regulam Christi; hi faciunt à se longè salutem*, memoratus ait Rich. erubescendum est, quia peccavimus, at cavendum est ne immanis pudor nos à perfecti nominis pœnitentia impediat. Scimus, quàm grave onus à Christo, cùm Sacramentum pœnitentiæ institueret, cunctis seriò pœnitentibus Christianis impositum fuerit, ut nempe Clavibus subjiciant Petrinis quævis letalia vel ore vel opere vel etiam corde tenus patrata. Etsi fœda sint & probrosa, ingentique rubore personam fundant, celari tamen haud possunt, quibus per tempus copia datur, præsenti Numinis Vicario malè acta exponendi. Aliud remedium ad expianda scelera quæcunque mortifera non datur, præter memoratum; quod utique non est dubium, quin aliqui supra modum verecundi, vellent grandibus fortunis vel atrocibus suppliciis aut ipsa etiam morte redimere, si possent; sed Christo ita visum est, ut modò nec ulla contritio esse possit idonea sine medii hujus usurpatione, si quidem sit in promptu ad manum, nec ipsum Martyrium (secula bona fide) possit Martyri peccatori ad maculæ letalis absterionem prodesse sine gravis peccati licet abditi depositione Sacerdoti facta, quia quæcunque retinet, retenta sunt, seu quæcunque non remittit, manent irremissa. Sic inquam Christo visum est, homini peccata non remittere, nisi seipsum prodat, & prodendo se cruciet & divexet. Pro candore lucis æternæ pœnitentibus tribuendo

(18) Eccli 4.

(19) S. Basil. in Psal. 33.

(20) Rich. Victor. in Benjam. min. c. 46.

hunc pudorem exhomologesi proprium Deus exigit. Pœnitentiæ portio est hæc verecundia, quam qui repudiat, totam pœnitentiam conculcat. In re certa, quæ fidei est assertio, nullos Patres allégo; ubique prostant innumeri. Nobis lex sufficiat, indis pensabilis non ab homine lata, sed à Christo sancita, vi cujus hanc in horam Deus injunxit gravium & abditorum scelerum candidam & sinceram confessionem, & iis, qui hanc legem spreverint, æterna supplicia minitatur. Hæc hæc confutio peccata peccatis addensat ac præcipitat in gehennam; quæ causa est, cur Greg. (20) Nyss. illa Davidis verba toties iteraret, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me !* Noluit vir providus expectare, donec ex illo furore occultorum scelerum quæstionem Deus institueret, sed præoccupari suasit omnem Judicis iram per spontaneam scelerum depositionem seipsum per pœnitentiam puniendo, & occulta quævis scelera sacro in Tribunali divulgando. Nemo itaque grave dicat publicare scelus, ut per hujus vitæ pudorem seculi futuri pudor & perennis ignominia evitetur. Utinam ah utinam dubitare possemus, an reproba hæc verecundia perfectæ confessionis eversiva, pariat gehennam; at verò hanc in rem Exempla præstant nimis multa, nimis haculeata, quæ omne dubium averruncant. Dantur prô dolor nimis quam multi, quibus pudor ille summè noxius exitium peperit & adhuc parit sempiternum. Id tertiâ Dom. Quadrages. præsentis Tubæ testatum reddit Catharina, secularis ancilla; id nuper Festô S. Thomæ, suo cum damno sempiterno palam fassus est Pelagius avitam religionem professus; his hodie Monialem associo pari rubore æternantibus focis adjudicatam.

(20) Greg. Nyss. in Ps. 6.

H. Mala parit gehennam.

Erat forte nobilis & in speciem pia quædam Matrona, quæ marito vitâ functô, grandes inter fortunas libertatis plenariæ aucupiô fruebatur, prout S. recitat Antoninus (21). Nil poterat exitiosius accidere, quàm vitæ omnimoda libertas densis opibus coronata. Binis hisce illicitis fulta tandem in casses præsentem Bertam Orcus devolvit. Vidit eam efferus juvenis, & formâ captus, omnem movit lapidem, ut mutuis amoribus divitem viduam irretiret. Iterum iterúmque repulsam passus, iterum iterúmque aleam tentavit, donec imbellem vinceret; ita quam omnes flecti ferream credebant, tandem sui ac Dei sui oblita pravis procis cupediis locum præbuit. Vix gravi se crimine obstrinxit, ociùs mordicans conscientia tumultuari cepit, & cùm ab uno in alterum scelus laberetur, brevi factum est, ut ei omnis oratio, abstinentia & eleemosyna

(21) S. Antonin. 2. p. tit. 9. c. 9. §. 3.

I. Probatur memorabili exemplô.

Hist.

mosyna desiperet. Rectè à Patribus passim *abominatio desolationis*, luxuria nuncupatur. Rationem hujus pridem dedit Hussæus (22) Vates: *Omnia genimina eradicat*, omnia virtutum germina libido exterminat. Sanctum pudorem abjecit cùm peccaret, reprobum pudorem assumpsit, cùm ad pœnitentiam stimulante conscientia urgeretur. Adiit multoties sacrum Tribunal, etiam Angelorum Mensam, à se tamen nunquam potuit obtinere, ut peccatum toties commissum in aures Sacerdotis deponeret. Erubuit quidem ad patratum scelus, ita tamen, ut quod patrare in conspectu Dei non erubuit, confiteri erubescceret, confusione correpta, quæ peccatum pareret & gehennam. Hac in malitia perdurans eam in sententiam undique pravam se passa est devolvi, ut crederet, spurcam libidinem aliis pœnitentiæ operibus elui posse & expiari; dedit adeò largas eleemosynas, & jejuniis corpus exercuit, sed cui bono? ut tanquam Orci martyrem stygii alastores riderent; tandem, quod amplius, hac etiam cum spurcitie semper in confessione suppressa Cœnobio inserta est, ubi pariter pluribus annis inter præcordia tetrum virus circumtulit, ita quidem, ut ob accuratam legum observantiam hanc tanquam cœlô lapsam sorores omnes suspicerent, & sanctimoniæ famâ conspicuam tandem etiam in Abbatissam eligerent. Monuit tot annis refractariam ter clemens Deus, ut seriò animos purgaret, & posito hominum respectu reprobum pudorem triumpharet. Animam lucraturus, morbum letalem misit Abbatissæ, ut vel in ultimo mortis articulo resipisceret, ac Deo suo ex integro reuniretur. A mediis deposita, Sacra quidem ultima ritu catholico pro forma pientissimè recepit sed unà sacrilegè, peccatô illô impiè semper resorpto. Raro in agone ad cor revertunt per pœnitentiam undique perfectam, qui pluribus ab annis ad ultimum ut sic vitæ diferunt correctionem. Qualis vita finis ita. Consuetudo toties practicata naturam induit, quam ægerrimè ponunt moribundi. Videbatur Antistita contra Orcum ritè præmunita, ad æternitatis iter optimè comparata, sed videbatur. Decepit omnes lacrimabunda pietas & dignitas morientis. Juxta ea, quæ oculis patebant humanis, poterant jure omnes lectulo affusæ vota concipere: *Moriatur anima mea* (23) *morte justorum!* ah utinam mihi quoque datum esset tam pia tam sancta morte defungi! sed alia ex Orbe altero judicia hausit soror illa, quæ paulo ante obitum rogabat, ut si Deo probaretur post mortem vitæ alterius statum consoroi suæ describeret. Condixit & sua cum fornicatione per noxium pu-

(22) Job. 31.

(23) Num. 23.

dorem tumulo illata mortem oppetiit tanta cum sanctimonia, ut multæ crederent, antequam tumulo committeretur, prodigiis à Deo interis coronandam. At vero dixerim hic loci, quod ibi locorum palam
(24) Isa. 3. Sacer vates (24) intonuit: *Populę, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* O Antistita! O Abbatissa! quotquot te beatam prædicant, totò cœlo aberrant! alia judicia cæcutiens mundus, alia omniscius Judex judicat. Altera nocte cum Soror illa mortuæ familiarius nota precibus in choro vacaret sola, grandem audiit tumultum in vicinia excitari, una spectrum vidit horridum tremulis ejulatibus aures & auram flagellans; hæsit primitus ad informes questus attonita precatrix, inde animo resumptò cœlitus confortata, monstrum compellabat, quis esset, & quid chorum Deo sacrum irrueret, infestaret? cui mox umbra hunc in modum respondit: Sum ego claustri hujus Antistita heri non in Domino sed in dæmone defuncta, nunc æternis Erebi tenebris damnata. Horrore quasi fulmine tacta Soror, cum triste nuntium ex præsente spectro haberet: hæccine Antistita sit nostra (ita secum timidè illa & subdubitante) siccine stygios intra focos nostra ardeat abbatissa, quæ vitam vixit tot annis rigidam, austeram, omnis Sanctimoniæ titulo illustrem? ita sine reposuit umbra, & una causam explicuit fulminatæ damnationis: eam adhuc in seculo viduam agerem lapsa sum in fornicationem cum juvene proco, inde noxius pudor animum corripuit, ut scelus in tumulum usque tacerem; à me enim tantum obtinere nunquam potui prædominante verecundia, ut scelus illud clavibus subjicerem. Sic vixi & perii æternum. Hæc sororibus nuntia & dic eis ut pro me nullas ultra preces effundant. Salus mea æternum conclamata est. Sic repetitos inter tumultus & enormes ululatus videri desiit, & totam vicinam jubberrimo timore complevit.

Hem AA. quot malis animum obruat stygius pudor ille quem agitamus! invehit confusionem æviternam; importat lancinationem perpetuam, Deique beatifica privat visione. Stolidus pudor, qui obstructo labiorum ostiò non permittit exire peccatum, cùm aliud obstructum non sit saluti apertum. Quæ vesania! non pudeat inquinatum ablui pudeat & expiari! prudentius egit, qui dixit, *labia mea*
(25) Ps. 39. K. *non prohibebo* (25) *domine tu scisti.* Nos charismata sectamur à poenitente Magdalena affatim exhibita. *Vides hanc mulierem* dictum hodie fuit Simoni & nobis. Vides beatam simul & damnatam? illa verè poenituit, hæc fictè. Illa post habito omni respectu & convivantium cœ-

Malæ verecundiæ victrix erat Magdalena.

se ultrò per hominum cuneos cœnaculo intrusit, ubi novit Hospitem Medicum convivari. Illa ex sancta quadam verecundia Christum adiit, non antè, cùm se divinissimo aspectu indignam esse crederet, sed retrò, *illa*, ut verbô dicam omnia, *viva fide*, *flammea charitate*, prout loquitur Aug. (26) *accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda; accessit ægra, ut rediret sana; accessit confessa, ut rediret professa*, viva fide ac fiducia in Deum hominem animata, à quo credidit peccata dimitti flammea charitate in Christum succensa, humili verecundia præsenti Deo subjecta, toto corde, ad Deum & Dominum suum conversa, & ab omni flagitio aversa, totis præcordiis contrita, lacrimarum fontibus irrorata, & omnibus veræ pœnitentiæ signis instructa; ideò meruit audire: remittuntur ei peccata sua, quia se palàm veluti summam peccatricem ad Domini pedes abjecit, quia toto ex corde scelus doluit, crinibus & lacrimis intensissimum dolorem professa, quia nihil pravitatis præsente Deo turpi peplo cooperuit, palàm testata, se dignam non esse, quæ oculos subeat divinos, turpitudinum cumulô vix non oppressa, quia cum Deo candidè agebat & sincerè, corde simul & ore, verbo simul & facto, Deo suo intimè reconciliari desiderans; hæc contra, pravi nominis Antistita plus homini detulit quàm Deo; plùs confessarium, pariter peccatorem reverita quàm divinissimam Majestatem; plùs sui nominis ac famæ quàm gloriæ divinæ studiosa, fateri erubuit, quæ non erubuit patrare; hæc Abbatissa cum Deo subdolè agebat & sacrilegè, perfidè, hypocriticè; hæc stygio pudore præceps acta jure meruit æterna confusione confundi, quæ tantillum obsequium Deo dare renuit, ut sponte sua nocens ac rea calcato pudore scelus confiteretur, timens modicam sui confusionem coram unico spirituali Patre sufferendam, ut in fatali judicio pro privata recipiat publicam & sempiternam coram mundo & Curia cœlesti universa. Spopondit Deus spontaneæ scelerum detectioni plenam remissionem, integram sanctificationem, & auxilia actualia oppidò copiosa; sponpondit ritè pudoratis pœnitentibus, qui pravâ verecundiâ corde & ore proscriptâ, candidè flagitia profitentur, plenum nitorem, undè animæ priùs deformissimæ splendidum decus recipiant, juxta illud Psaltis (27) oraculum: *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus*. In quæ verba bellè Aug. (28) *non dixit Deus pulchritudo & confessio, sed confessio & pulchritudo. Fœdus es? confitere, ut fias pulcher. Peccator es? confitere, ut fias justus. Amas pulchritudinem? priùs elige confessionem ut sequatur pulchritudo.* His verbis S. Pater nostrum hacte-

(26) S. August. hom. 23. inter 50.

L. Pœnitentium forma & patrona.

(27) Ps. 95.

(28) S. August. in l. c.

hactenus assertum firmat, roborat, quò diximus, optimum colorem esse candi-rubrum, ita tamen, ut rubor sacramentalis seu pudica & sincera confessio lucis æternæ candorem promoveat, quem candorem malè pudorati pœnitentes reprimunt, extinguunt, & in vicem stygiam nigredinem contrahunt, quam videmus hodie illam malè pudibundam Antistitam contraxisse.

Claudo totum hunc sermonem nobili sententia ex melleo Patre huc (29) translata: *Neminem pudeat dicere, quod non puduit facere; quod si fortè pudor est, uni peccatori peccata exponere, cogita, quid futurum sit in judicii die, ubi omnibus expositа patebit conscientia tua.* Cur vultus hominum plùs revereris, quàm vultus angelorum? hæc confusio à Deo separat, & procul omnes à cœlo profligat. Omnis spes veniæ ac misericordiæ divinæ in vera confessione subsistit. Simulata námque confessio non est confessio sed duplex confusio, adducens non gloriam sed pœnam, & interminabilem gehennam; excludit omnem Dei miserationem misericors simulatio. Humilis miseriæ compassionem sola provocat confessio; neque ulla tam gravis datur culpa, quam per puram confessionem non vicius excipiat venia. Vitia ergò cordis tui & pravos cogitatus candida manifesta, & pariter audies (30) *confessionem & decorem induisti*, qualem hodie induit pœnitens Magdalena pœnitentium Patrona luce immortalis gloriæ in cœlis irradiata, quam omnibus seriò pœnitentibus promptus est communicare ter clemens, ter misericors Deus.

Amen.

(19) S. Bernard. l. de interiore domo, c. 35.



CON-

# CONCIO XXVII.

# FESTVM S. JACOBI, Apoſtoli.

*Poteſtis bibere calicem?* Matth. 20.

## Ebrietatis probra.

NIhil tam ſanctum eſt, quod hodie ſuis ſordibus non affatim conſpurcet improba mortalitas AA. Id præ aliis Evangelion probat hodiernum. Quærit hodie ſuis ex Apoſtolis Servator, *poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* his verbis tacitè ſuos redarguit, qui hic & ibi eſſe ardebant glorioſi, per unicum ſaltum in altum eluctantes, gloriæ corollam ſine prævio certamine ambientes. Mirum id nemini videatur, quia necdum Spiritu Sancto illuſtrati ſunt ab alto. Dicere voluit Servator: Vos, ut videò, totô cœlô aberratis; vos primas tantùm cathedras & honorum trabeas prenſatis; vos ad mundi gloriam & delicias ambitiosè contenditis; ego verò aliam vobis viam ſurſum deſigno. Mihi credite, non eſt mollis ad aſtra via; illuc tendi debet per Crucem & Paſſionem; *Poteſtis bibere calicem?* Mecum prompti & parati eſtis mortem oppetere contumelioſam? hoc opus, hic labor eſt. Citatas voces perperam ſumpſerunt Apoſtoli, cùm neſcirent, quid propriè Calix ille loqueretur, nihil nempe niſi probra & convitia, compedes & catenas, morbos & infirmitates, virgas & flagella, gladios & romphœas, crucem & acerbiſſima mortis tormenta. Abutuntur iisdem vocibus hanc in horam quamplurimi tam in choro quàm in foro: in Choro joviali cantu repeti audias à bibacibus Muſicis; *poſſumus, poſſumus, poſſumus, po-po-poſſumus bi-bi-bibere*, ut palam omnibus innoteſcat, huic hominum generi idem eſſe *bibere* quod *vivere*. Repetuntur hæc tanto cum lepôre, ut Auditorum ora largos in riſus diſſolvantur, quibus fœcundi calices & ſpumantes cululli hac ludicra repetitione in perennem memoriam revocantur. Ita nempe Deus ſuis in templis ridetur; ita Eccleſia & Scriptura ſacra exploditur. Alii hodie iisdem ſe vocibus ad exhauriendos calices mutuis hortatibus exſtimulant: *Poteſtis bibere calicem?* donec madidi pedes

A. Hodiernis Evangelii vocibus graviter abutuntur bibaces Muſici & Choraulæ.

ferre recuſent nutantem truncum, & efrænis procumbat humi bos. Ita Sanctus hodie Jacobus luditur, quem ſcimus omni vino, omni carne, omni oleo, omnibus balneis, deliciis & mollioribus veſtimentis

B. Proſcinditur jure optimo abuſus iſte, & ebrietatis probra proclamantur;

abſtinuiſſe, pro Deo ac fide glorioſiſſima morte confectum. Non patior ego tam turpem notam præſenti Feſto & Scripturæ oraculis undique divinis inuri; in hos itaq; temulentos lurcones vocem ſimul & calamum ſtringere conſtitui, ut ſua currenti Feſto indemnitas ſalvetur. Eum in finem Ebrietatis probra unum ſub aſpectum locare cogito; erit forſan unus aut alter qui ab ebrietatis inſana conſuetudine ad ſobrietatis caſtra ſe conferat, & hoc mihi ſatis eſt, ut vocem cum calamo in hos ſalicum heluones exonerem. Unum ab uno fructum ſi retulero, jam hoc ipſo credam, me oleum & operam non perdidiſſe. Mordeant Eccleſiaſten, ut ut velint, ſiphones momi, caſſo vulnere ferient abſentem. Ad bruta hæc fulmina pridem animus occaluit; ebriorum ronchos fortiter deſpicio, exſibilo, conculco; mea atque omnium bono dicta, omnium ſaluti ſcripta, madidi popinones cavillentur, mihi pro minimo erit, ut ab his lurconibus judicer, aut ab humano die, quem toties bibuli gurguliones græcando exurunt. Omnium illorum calumniis pridem auri mea obſurduit. Pergo ego reboante bibonum lymphata cohorte ſcelus proſcindere ſalutis utriuſque deſtructivam, animæ peſtiferum, terris exitioſum, opum ac fortunarum decoctivum, famæ ac nominis mactativum, mille rixarum ac crudium turpe incentivum, flagitiorum omnium productivum, ipſius gehennæ accenſorium ſcelus, ſcelus verè monſtroſum, & diabolicum.

C. Primò Corporis & Animæ ſalus evertitur per ebrietatem.

Cùm homo corpore conſtet & animô, nil prius, nil charius, nil fortius, nil ferventius homo diliget, quàm ſe ipſum; ſervabit adeò totis exviribus corporis & animi ſui incolumitatem, integram valetudinem, ſenſuum integritatem. Hæc corporis, hæc animi ſarta tecta incolumitas ſicut bonorum temporalium ſumma eſt, ita ex ea tantò gravius, tantò deteſtabilius eſſe diceretur vitium, quô tantum bonum proſternitur aut enormiter mutilatur. Quæ inde ſoli corpori profluant nocumenta, experientia docet momentanea; quàm crudeles inde morbi progignantur, lippis notum eſt & tonſoribus; hinc ulcera oculorum, nervorum reſolutio, ignitæ febres, tremulæ manus, cuprea facies, tuberoſi & podagrici pedes, mille convulſiones, pleuritides, apoplexiæ, lepra, paralyſis, capitis gravedo, tympanitis, & varii mortis repentinæ caſus. Inde hoc hominum genus inter biotanatos ſeu, ſui carnifices locant Medici, quia vitam ſibimetipſis mutilant, & interitum præmaturum ſibi

sibi ultrò accelerant bibones, Nestoris canitiem superaturi, si sobrietatem coluissent. At verò cùm tot & tanta corporis mala ebrietatem sequantur, quæ vesania fuerit, hanc malorum iliadem tam indulgenter nos inter hanc in horam tolerari, tam molliter foveri, & tantô studiô passim in perniciem vitæ humanæ educari.

Quantùm corpori officiat, quantùm obsit valetudini, obiter diximus; sed non minùs animum nostrum, quô verè ac solidè homines sumus, impudensEbrietas infestat. Teste Orig. (1) *corpus simul cum anima per ebrietatem corrumpitur, spiritus pariter cum carne per ebrietatem vitiatur.* Teste Bonav. (2) *aufert officium membrorum, usum sensuum persumdat, ingenium obnubilat, rationem contumulat, rerúmque omnium tollit cognitionem exitiosa ebrietas, gratiâ Dei, qui animæ vita est, totum hominem spoliat, ac spiritum Dei capacem in latibulum mutat avernalium dœmoniorum.* De hominis anima pridem, dixit (3) Deus per Psalmistam: *hæc requies mea, hic habitabo, quoniam elegi eam;* hinc tricuspidatum est pectus nostrum, ut illud Pauli (4) verificetur; *Templum Dei sanctum, quod estis vos, & spiritus Dei habitat in vobis;* Quin tota SSS. Trinitas hoc sibi domicilium tanquam proprium vendicat, cor nostrum, animam nostram; at hinc Deum Deique gratiam exturbant efferi gulones; tot dœmonia, quot peccata in hoc templum deferunt heluones. Sic ipse Servator contra hos lurcones enunciat (5) *cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem & non invenit.* Ubi ergò requiem tandem reperit turpis Acheron? in undosis, in madidis bibonum & siphonum locis; huc tendit nequam spiritus, & septem alios se nequiores socios adducit, ut mactent & perdant, ut destruant & trucident, seu morte nunquam moritura animam auræ divinæ particulam extinguant; quin imò tantâ ultrò vesaniâ reprobi bibones laborant, ut pro modica oris & palati voluptatula, pro hausiu herculano, animam totam toto terrarum orbe millies pretiosiorem, tantis sudoribus à Christo reparatam animam Orco vendant æterna siti cruciandam, eámque crudelissimo tyranno transcribant interminabilibus pœnis dilacerandam. O quæ stultitia! *Tenent tympanum & cythara; cratéras magnos statuunt & vina coronant, & in puncto* (6) *ad inferna descendunt.*

(1) Orig. hom. 7. in Levit.
(2) S. Bonavent. in Ps. 35.
(3) Ps. 131.
(4) 1. Cor. 3.
(5) Matth. 12.
(6) Job. 21.

*Corporis atq; animi subvertunt pocula dotes,*
*Et faciunt ambos sub Phlegetonte mori.*

Ubi juxta Script. oracula, *Ignis & sulphur & spiritus procellarium pars* (7) *calicis eorum.* Hos & alios sulphureos ac piceos Orci calices pridem (7) Ps. 10.

(8) Isa. 5. omnibus lurconibus Deus intentavit per (8) Isaiam: *Væ qui manè consurgitis ad ebrietatem sectandam! Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem! væ ebriis Ephraim!* Ubi locorum alteri væ intonat Script. ibi juxta Cornelium Jansenium Orci tormenta
(9) Jer. 25. intentat. *Bibite & inebriamini & vomite* (9) ô reprobi heluones! Co-
(10) Amos 8. *detis & non resurgetis.* Amos (10) teste.

Casum unum vel alterum obiter libemus, inde ad alia ebrietati probra moturi. Scribit Æneas Sylvius (11) Alexandrum ex Moravia Ducibus oriundum, D. Stephani Viennæ olim Præpositum, profligatissimæ temulentiæ virum, crapulâ subitò confectum mortem oppetiisse, cui cùm exequiarum diem tricesimum tum Ecclesiæ Canonici, tum alii plures nobilitate conspicui hospites celebrarent, Sacerdos quidam Præpositi Sacellanus in vinariam cellam descendit, ubi Alexandrum inter dolia obambulantem, horridâ se formâ vidisse juramentô affirmat. Arguat inde qui volet, quid maximè lucri suis ex compotationibus ille Præpositus post fata in denso strepitu obita retulerit. Plus horroris incutiat Cæsarius (12) qui sequentia commemorat: fuit in Archidiaconatu Colonienſi miles quidam nomine Rudingerus; hic temulentiæ ita deditus erat, ut vix diem abire pateretur, quâ non alteris etiam vicibus crapulam edormiret, eámque iterum contraheret. Accivit tandem hanc barbara ingluvie ipsam mortem; jam proximus erat fato, en filia parentem rogavit, ut intra triginta dies se visendum daret, & alterius mundi statum exponeret. Condixit, & paulò post cum sanguinis vomitu vitam fudit. Necdum deni abibant soles, jam se visendum filiæ parens præbuit temulentus, formâ horridâ, semiflammea & undique fumigante, manu sua grandem cantarum ostentans, his filiam suam affatus: en bellum parentem tuum tetra stygе damnatum! hoc vase potus meus ex pice ac sulphure confectus concluditur, æternùm à me potandus, & minimè unquam ævô epotandus; quibus dictis mox evanuit, & filiam jam crudelinis assuetam docuit saniora. Ex his patet, væ sempiternum debitum esse à Justitia Divina ebriosis. Sed aliò pergamus, & sceleris hujus probra enumeremus.

D. Probatur exemplis. Hist.

(11) Æn. Sylv. l. 1. de reb. gest. Alphonsi.

(12) S. Cæsarius l. 12. hist. mem. c. 41.

E. Secundò parit omnis generis flagitia.

Flagitiorum omnium productivum est Seminarium ebrietas: hæc enim omnibus peccatis ansam porrigit: hæc omnibus pravitatibus reserat fenestram. Sicubi locorum nullum pedem figere possit procax temulentia, illuc certe temulentiæ obsequio coloniam ducet decumana petulantia. *Sedit populus manducare & bibere & surrexerunt* (12) *ludere*, inquit Exodus. Lusus mille furta dictat & rapinas, mille perjuria post & blas-

(12) Exod. 32.

& blasphemias. Lusum excipit chorea, choream idololatria, ob quam tot millia uno die victimantur, prout locô memoratur recitâto divo Ambrosio (13) *nullum est tam execrabile vitium, in quod non præcipitet ebrietas; hinc ira & fornicatio oriuntur; tunc impudicus morbum profitetur & publicat; tunc petulans nec linguam nec manum cohibet; crescit insolenti superbia, sævo crudelitas, livido malignitas; omne vitium grassatur & proditur.* Augustino teste (14) temulentus patrem occidit, matrem prægnantem per vim oppressit, duas Sorores efrontibus ausis usque ad mortem sauciavit. Da ebrium, da temulentum, & nullum erit vitium, quod non unâ ei fidelia imputes & adscribas. Adulterum si dixeris & luxuriosum. Idem multò antè dixit Hier. (15) *Nunquam ego ebrium hominem casum putabo.* Furem si dixeris & æris alieni depeculatorem, pauperum sanguisugam, idem multò antè palàm questus est Ludov. (16) Granat. his verbis: *Sitis pauperum hodie in delicias vertitur, & in temulentiam potentum. Si decoctis in taberna fortunis, nullum per fas peculium suppetit, per nefas corraditur, ut procax gula exsaturetur &c.* Nullibi frequentiùs Deus ac Superi blasphemantur, quàm ubi ebrietas baubatur. Nullibi proterviùs innocentiæ fama mactatur, quàm ubi pedem fixit avernalis ebrietas. Nullibi tot lites & jurgia, tot cædes & vulnera addensari videas, quam ubi malorum fæcunda ebrietas sæpe ob lanam caprinam vel asini umbram bilem inflammat; cùm enim quævis temerè effutiat temulentus, nil cogitans, nil curans, quis voce lædatur, quis dicteriô feriatur, ocius accidit, ut alter vitio vertat gravissimo assertum, vim vi repellat, dictúmque contumeliosum in authorem suum refundat, qua re utrinque crabrones irritantur, & mutua convitia punctim cæsim evibrantur; ubi semper erunt, qui gladiô ignes fodiant, quos rectiùs sopirent, ut tandem post uberes minas ultrò citróque jactatas, ipsi etiam pugni expediantur, ipsi vectes & baculi raptentur, ipsi pugiones & gladii evaginentur, ipsæ bombardæ in vicinum exonerentur, & funera funeribus accumulentur. In re obvia exemplis opus non est. Nostros inter germanos propinónes hæc pœnè sunt quotidiana; nec facilè una hodie prostat taberna, quæ hujusmodi certamina & prælia verè cruenta, cædes & vulnera non sit multoties experta. Sunt alii qui quidem in popina cum nullo litigant, at ubi proprios lares attrectant, tum ocius visô bursæ vacuô exorbitant, & nunc totam lucri dilapidati jacturam in servum aut ancillam, nunc in liberos aut uxorculam præcipitant. Est, qui culpam in herum refundat! obvia quævis arreptat, & in labis puros evibrat temulentus; ita multoties fuga captatur, & densiores tenebræ

(13) S. Ambros. l. de Elia & jejun. c. 12.

(14) S. August. Serm. 33. ad frat. in erem.

(15) S. Hieron. ep. ad Ocean.

(16) Lud. Gran. in Duc. peccat. p. 1. c. 8.

vestigantur; quibus se domestici occultent, dum cholera cum crapula deferveſcat. Has furias crapulæ ineſſe, eminus vidit antiquitas; hac de cauſa, ut recitat Diodorus, Bacchum veteres pinxerunt, manu thyrſum geſtantem non ſine myſterio; cùm enim nimiô Bacchô madidi, ebris litibus contendant, ſe mutuo baculis depalment, telîs configant & ſæpe occidant, cavebant, ne inter bibendum ullis armis uterentur, ſed baculis è thyrſo, quorum è plagis nullum vitæ periculum oriretur. Bella lex, modo ea quoque hôc ævô vigeret; ſic certè mala plurima, cædes, homicidia tollerentur, unà ebrii palam ſuô thyrſi ſymbolô oſtenderent, ſe veſaniâ laborare ultra naturam heluando, & quod optimum eſt in homine, totam rationem contumulando, ut jam non inter homines homo ebrius cenſeatur, ſed rectiùs brutis annumeretur, de Stygе certus, ſi temulentiæ ſuæ immoriatur. Hactenus dicta ebrios pugnunt, qua privatos & ſolitariè ſumptos. Eſt autem tot malorum pſtilens lerna ebrietas, ut ſui venenum etiam in regna & reſpublicas, urbes & in oppida transfundat. Bonum eſt diffuſivum ſui, parens eſt philoſophica; at verò malum quoque ſuam, quâ pollet, in obvios pavitatem eructat, tunc maximè cum ipſi Reipubl. primores impune runt, urbem pererrare temulentos. Pittacus Mytilenæus duplici pena mulctari voluit ebrios, ut formidine ſupplicii crapulam prompti evitarent. Hic ego jure redarguam licentioſam indulgentiam, quâ pſim Reipublicæ Summates ebrios tolerant gulones, quorum tamen nil eſt aliud quàm luſtra viſere & popinas, aleîs ludere, otiari, epulis & græcari, unde infinita totam in urbem aut rempublicam damna redundent, bonorum dilapidatio, enormes blaſphemiæ, rixæ continuæ, flagitiorum ſentina, anſa & occaſio, conſumptis opibus furta & rapagendi. In Deut. (17) propriis à parentibus filii temulentiæ tradimagiſtratui ex imperio divino, ut ſaxîs obruerentur. Moguntilim excommunicationis ſententia ſub Carolo Magno fulminati ſunmulenti, jam verò ubique impunita ebrietas graſſatur. Nempe! *gis ad exemplum totus componitur orbis. Qualis rector eſt civitatis inhabitantes in ea*, Oraculum eſt (18) divinum. Nulli hodie plus plus urbi & Orbi nocent, quàm temulenti & luxurioſi gentium Rores, urbium prætores, civium conſules & ſenatores. Ubi ad ſedent madidi ſiphónes, & ſitibundi pepónes, mirari nemo debet totum aliquod oppidum, tota urbs in popinam degeneret, cui pro Diogenis jocum adſcribas; cùm enim Sophus iſte in Maronia ſuis ſociis potaret gloriebatur Diogenes, ſe ſcire poſſe etiam velatis oc-

F. Populi Rectores hoc ſcelus plectant & extirpent.

(17) Deut. 21.

(18) Eccl. 10.

G. At verò unde plectant reos, ſi ipſi ſint rei?

ad quam domum urbis suæ duceretur; experimentum facturi oculos velabant socii, & circumductum rogabant, quæ & qualis hæc domus esset? quibus ocius Diogenes, caupona est, popina est; id sæpius cum repeteret, illi contra testabantur, non esse cauponas; quibus iterum Diogenes, imò cauponas ego tecta facie intueor, quid enim ô Maronii cives, vestræ urbis ædes aliud sunt quàm cauponæ, ubi nimium licenter majorum exemplô dies ac noctes impunè potatur? Magna sane & oppidò magna necessitas mundi hujus Rectoribus & urbium Præfectis imponitur, sobriè vivendi, ne per Summatum ingluviem aut gulæ publicæ dissimulantiam in præceps agantur suo cum capite membra. Grande scelus est ebrietas, quam qui tolerat, malorum omnium inde orientium iliadem propriam in perniciem derivat.

Miror ego & ad sceleris prodigium obstupesco, quoties flagitii hactenus depicti & omnium gravissimi turpe vilipendium expendo. Vidimus quanta malorum colluvies ex temulentia profluat. Vidimus, quantîs pœnîs Deus proscindat ebrietatem. Vidimus quàm horridum quam monstrosum & verè diabolicum scelus sit ebrietas; sunt interim, qui vel hanc in horam nec scelus reputent nec nisi peccatillum suspicient Ebrietatem. Dicatur quæso, quæ hujus vilipendii causa est? Scio, præsens quæsitum jam alibi locorum expedivi; sed quis prohibet, quò minùs id hodie vel repetam, vel alio ritu decidam? Gobat in suo quinario (19) quatuor hujus vilipendii Causas allegat, quas referam fidenter, ea tamen lege, ut ne in me vel culpam referant, vel cornibus arietent, qui suis ex meritis taxantur & cribrantur.

H. Passim vilipenditur hoc scelus, cujus quatuor causæ dantur.

(19) Gob. in Quinar. tr. 5. c. 7. s. 2.

*Prima* est vehemens amor & inclinatio multorum ad impias comessationes & compotationes; illa enim, ad quæ homines vehementer afficiuntur, vel bona esse putant, vel mala sed non magna, etsi ab iis malè affectis tam clarè non perspiciatur, quòd mala sint tam magna; hujus ratio est quam dat Philosophus (20) *tantò magis decipiuntur, quantò magis pravis passionibus reguntur.*

(20) Arist. l. de somniis c. 2.

*Secunda* Causa est grandis consuetudo ebrietatum; ut enim memi-nit Aug. (21) *peccata etsi magna sint & horrida cùm in consuetudinem venerint, vel parva esse creduntur, vel nulla.*

(21) S. August. in Enchir. c. 20.

*Tertia* causa est falsa persuasio, quâ creditur, talia gulæ peccata ad amicitiam cum aliis ineundam vel conservandam, ad honestatem & famam tuendam, ad lucrandos homines plurimùm servire; hinc fit ut etiam in quibusdam Sanctorum Confraternitatibus & opificum Sodalitiis plurimùm usitatæ sint potationes etiam excessivæ, prout fieri videmus

à Vi-

à Vinitoribus in Festo S. Vrbani, à Sutoribus in Festo SS. Crisp. & Crispiniani; quasi verò non sit absurdissimum *nimia saturitate velle Sanctos bonorare, quos sanctis Deo jejuniis placuisse*, ut bellè (22) monet Hieron. Novi locum, ubi opifices isti ultimùm memorati græcando & helluando totam, quâ soli gaudebant, Ecclesiam dilapidârunt, compotationum debitis tam enormiter adauctis, ut S. ædium structuram sutoribus propriam jure venditionis ad alios transportarent.

(22) Frid. Fornerus de mal. temul. l. 3. §. 25.

*Quarta* causa est, quòd non rarò his etiam malis laborent, omnes pietatem professi, mundo mortui Religiosi. Nimis multi hoc in præcto ævo currente extra chorum saltitant. Sunt nempe huic temulentiæ flagitio subinde graviter addicti, qui Sacris præsunt, & aræ ministrant defunguntur, vel docendi è cathedra populi pollent dignitate. Horreo præsentibus chartis allinere, quod suis in lucem datis Bambergensis Fornerus (22) inseruit, proferam tamen, quia meum assertum non est sed alienum. Sic loquitur citatus Doctor: *Hôc deplorandô seculô, prô dolor, vix ullum hominum genus est magis temulentiâ infame quam Clerici & Monachi.* Horum ergò pravô exemplô multi laici à sobrietatis studio avelluntur, & in omne flagitium præcipitantur, persuasi, rem tanti momenti non esse, quam etiam tanta præsentent aviditate Clerici & Claustrales. Quæ hæc nostro huic seculo impacta, nova non est. Scimus eam suô ævô Augustinum deposuisse (23) his verbis: *Quod pejus est multi hodie, qui cum aliis bonum sobrietatis jugiter deberent prædicare, id non solum non faciunt, sed etiam se aliosq; inebriare non erubescunt. Sed quæscant & doleant, qui tales sunt; quia si se noluerint emendare, & pro se & pro aliis necesse est eos æterna supplicia sustinere.* Aptentur hæc Oracula præsenti seculo, & fatendum erit, ea adamussim quadrare currenti, & ad finem properanti ævo. Optarem ego, ut omnes & singuli suis sanctæ Sobrietatis legibus ac regulis, statutis & constitutionibus exactè starent, ita sanè nullus esset querimoniæ locus & prædicus temulentiæ.

(23) S. August. Serm. 232. de temp.

Hactenus copiosè probatum fuit, quot probris hominem primò præditum obruat ebrietas; quot & quantis vitæ utriusq; periculis Christianum exponat temulentia. Vidimus, hominem tot bonis cœlitus dotatum, omnibus charismatis seu corpori à natura insitis, seu animo per gratiam animo affusis, per ebrietatem funditus spoliari, & ita æternantibus cruciandum Orco immergi. Quid restat, quam ut tot probrorum sementem, tot malorum ihiadem junctis viribus fugiamus & proscindamus. Triplicem vitam habet homo, ut meminit Aug.

(24) tum

(24) *vitam naturæ, vitam gratiæ & vitam gloriæ.* Sicut ergò latrones horremus & insequimur, qui corpori nostro vitam rapere gestiunt naturalem, ita vel maximè hunc decet latronem extirpari, & nullis modis foveri, qui non tantùm corporis vitam tot modis exasperat, tot annis abbreviat, & multò ante determinatum diem penitus suffocat, sed etiam gratiæ divinæ vigorem tollendo animam enecat, eámque gloriâ orbat cœlesti. Fuit hucusq; qui calices exsiccando, vel alios in idem perditionis barathrum pertrahendo, jam in cymbam Charontis pedem creditur posuisse, is hodie pedes retrahat, omnem pravam societatem evitet, fidem juret sobrietati, & eorum sodalium commercia quærat, qui tanquam ebrietatis colendissimi osores, ipsum possint meliorem reddere, & sursum ad gratiam simul & gloriam promovere. Amen.

(24) S. August. l. 4. Civit. c. 11. I. Latrocinans ebrietas triplicem tollit vitam.

# CONCIO XXVIII.

## FESTVM S. ANNÆ.

*Abundare te faciet Dominus Deus tuus in Sobole Vteri tui.* Deut. 30.

## Lætitiæ Partus.

Cùm olim coram Philippo Macedonum Rege Alexandri Magni parente verba facturus disertissimus Orator, Sabellio teste, laudum copiâ se obrui sentiret, conversus ad invictissimum Monarcham hunc in morem peroravit AA. Tacebo, Philippe, magnificentiam & gloriam tuam, quô ipsos etiam extraneos in stuporem das legatos. Præteribo illustrem Majorum tuorum prosapiam, quam tamen alter nunquam suspexisti, nisi ut propriis factis & heroicis virtutibus tanquam recentibus radiis plùs ultra illustraretur. Silebo amplissimas regiones & provincias incredibili celeritate tuis armis subactas. Umbris recondam Orbem pœnè universum paucis annis tuo unius imperio subjugatum. Nil dicam de palmis & trophæis, de victoriis publicis & triumphis, quos de numerosis hostibus reportâsti. Nil referam de tua in judiciis maturandis per hamatas munerum dotes flecti nescia & nec latum unguem in transversum acta æquitate. Nil

commemorabo de regio tuo benefaciendi ſtudio, vi cujus diem vitæ perdidiſſe, quô nullis mortalium datum tibi fuit benefacere. Nil dicam de regali tua etiam in apertos hoſtes clementia, quâ moribus hirſutas quaſi brutas gentes tua in obſequia traxiſti. Nil diſſeram de tua inſuperos munifica pietate, quâ tantam tibi hucusque félicitatem, & favoris fortunæ affluxum conciliâſti. Nil eloquar de rariſſima correctionum patientia, quâ te etiam ab edentula & deformi vetula corripi paſſus & cùm pro judicio reformando à dormitante ad vigilantem, ab ebrio ad ſobrium Juſtitiæ præſidem appellaret. Id unum ſupremam in laudem tuam dixiſſe ſufficiat, *filium te habere Alexandrum*, filium tam proletem, tam potentem, tam magnanimum, tam victoriosum &c. hæc & alia Orator.

O Sanctiſſima DEI Matris Mater Anna, JESU Chriſti Avia! ut currant alii quâ lingua, quâ calamo in elogia tua, regium ſtemma tuum ex familia David extollant; virtutum tuarum decora illuſtrent. A. ſacri Nominis tui myſterra meram gratiam ſpirantia cum Joanne Damaſceno cantu celebrent; te ſuper omnes matres verè beatam, & Deiparam omnibus reliquis Matribus anteferendam Matrem, *gratia per gratiam mulierem ſanctam* prædicent, commendent &c. hoc unum dixiſſe ſufficiat, *te Filiam habere Mariam*, & ſicut tota Mariæ dignitas his verbis continetur, *de qua natus eſt JESUS*, ita pariter Annæ tota in eo fundari: *De qua nata eſt Maria, quæ Deum peperit.* Fuit hæc prima radix omnium chariſmatum & gratiarum, quibus Anna excellens Virginem mundo dediſſe, quæ ad hoc cœlitus electa eſt, ut Matre ſua eſſet Creatoris; poterat adeò illis vocibus ſalutari Anna, quibus populum Iſraëliticum lactabat Moyſes, Deut 30. *abundare te faciet Dominus in Sobole Uteri tui.* Ex hujus Sobolis excellentia matris Annæ ſummam dignitas æſtimetur Fulberto (1) authore: *Verè beata, omni veneratione dignissima & ſacrô quodam privilegio prædicanda Mater, quæ omnes matres anteceſſit, generando eam, quæ ſuum atq; omnium generaret Creatorem.* Nempe! ſicut arborem ex fructu cognoſcimus & benedicimus, ſic Annæ præſtantiam ex Maria fructu ejus, quem fructum prodigiosa *ſumma cum letitia* utero ſuô progerminavit, legamus omnes. Digna ex capite ſumma cum lætitia Matrem Dei Mater Anna peperit. Utrumque mus obiter utrumque Lætitiæ caput, inde aliò moveamus.

Primum lætitiæ caput conſtituit Mariani fructus prænuntiatio. Beati ci ſunt, quibus hunc honorem ac lætitiæ fontem Deus indulſit, ut antequam naſcerentur, promitterentur, & priusquam in lucem ederentur

Annæ Matris Dignitas ex filiæ præſtantia colligatur.

(1) S. Fulbert. Sermon. de ortu Virg.

B. Summa cum lætitia filiam peperit, quia prænuntiatam,

tur, nominatim cognoscerentur. Primus horum fuit Ismaël (2) de quo Angelus ad Agar dixit: *Paries filium, & vocabis nomen ejus Ismael.* Alter fuit Isac (3) de quo Angelus ad Abraham: *Sara uxor pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Isac.* Tertius fuit Joannes Baptista, cujus ortum præsagiens Angelus (4) edixit: *Ne timeas Zacharia, exaudita est deprecatio tua, uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem.* Ex his liberè arguo hunc in modum cum (5) Bernardo: *Quod paucis mortalium constat esse collatum, fas certè non est suspicari, Virgini Matri negatum esse.* Decuit enim, ut nulli cederet, quæ Deum esset paritura. Decuit adeò per Angelum prænunciari Mariam, & quidem per Archangelum Gabrielem, quem Deus creditur, Eusebio teste, præclarissimæ Virginis tutelæ cœlitus destinâsse. Revelatum id etiam fuit S. Brigittæ, prout ipsa hisce verbis (6) expressit: *Gloria tibi sit Domina mea Virgo Maria, Mater Dei, quia ab illo Angelo quô Christus tibi nunciatus est, etiam tu parentibus tuis nuntiata fuisti!* id ipsum fusè (7) Salmeron, & (8) Poza tuentur.

(2) Gen. 16.
(3) Gen. 17.
(4) Luc. 1.
(5) S. Bern. ep. ad Lugdun.
(6) D. Brig. orat. 1. ad Virg.
(7) Salm. tom. 3. tr. 12.
(8) Poza in Elucidar. l. 2. c. 17. C. Et sine ullis doloribus uterô solutam.

Alterum Lætitiæ caput ex partu promitur undique libero, undique gaudioso; filiam enim sine ullo fastidio & gravamine, sine ullo dolore ac molestia peperit Anna; ita sanè in die Ortûs Mariani Ecclesia canit: *Nativitas tua Dei Genetrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo*, ergò nullos potuit dolore inferre Genetrici Annæ partus Deiparæ. Decuit potiùs, ex Anselmo, ut quæ sine peccato concepta est, etiam sine peccati pœna, sine lassitudine aut fastidio, sine virium detritione, sine uteri gravedine nasceretur. Pariant omnes aliæ prolem suam in doloribus & ærumnis; prolem uterô circumferant & in lucem edant originaria labe maledictam; aliter sanè hic loci loquendum est ac sentiendum: hæc Mater sicut filiam suam sine ulla Adæ macula concepit, sic mundi totius gaudium exlex peperit. Dolor & tristitia parientium feminarum multùm quidem ex partu levatur juxta Script. (9) oracula: *Mulier jam peperit, cùm non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum*; sed hoc gaudium verè spurium dixeris & proteum; *Quale enim gaudium*, inquit Jacob, *qui lumen cœli* (10) *non video!* cœci omnes nascimur, & iræ filii, Orci victimæ, Deo ipsi odibiles creaturæ, unde sanè nulla lætandi sed potiùs tristandi causa prosultat. Puras inter creaturas sola Virgo Mater Maria ex Anna prodiit benedicta, gratiis plena divinis, & procul ab omni *væ* remota, quæ adeò sola purum & illime gaudium Annæ peperit lectissimæ Parenti; quod gaudium nullo unquam casu turbari potuit, sed potiùs in horas crescere debuit & augeri; certa fuit Anna, quia cœlitus edocta,

(9) Jo. 16.
(10) Tob. 5. D. Gaudium ex hoc partu conceptum nullo casu turbari potuit Annæ.

Mariam sine labe conceptam, sine macula nascituram, labis integram, vitæ omnium sanctissimæ dies in terris exhausturam, in cœlis gloriâ Divinæ proximâ coronandam. Hoc gaudium tantæ fuit amplitudinis in Anna, ut ipsa Deipara S. Brigittæ (11) fateretur, *inexplicabile* fuisse; suo itaque modô aliquam *infinitatem* ex Virgine Matre ac Nepote JESU participavit.

(11) Revel. Brig. l. 1. c. 9.

Optimi AA. sistamus nonnihil in hac *inexplicabili lætitia*, quam de sua Filia toto vitæ tempore Mater Anna concepit, & unà hodie despicimus, quàm mancum & modicum, imò sæpè nullum sit gaudium, quod suis de prolibus moderni formant parentes. Hic centies exclamem (12) *extrema gaudii luctus occupat.* Gaudium hoc nimis præceps est & evanidum: vix modicè conceptum mille suspicionibus turbatur. Vix eminus libatum absynthiô miscetur, eventu perditur inexspectato, matura immatura pueri evertitur, dissipatur, vel sanè ita moribus deformi tâ amaricatur, ut eum parentes vicibus iteratis exoptent, primo in lecto suffocatum esse. Nostræ adeò mulieres ac modernæ matres hoc maximè seculô ita discolô & distortô, suo è partu utplurimùm lætitiam concipiunt nimis præcocem, nimis intempestivam. Edatur in lucem matre numeris omnibus absoluta soboles, vivus, vegetus, bellus undique puellus aut formosissima Juno, sæpè tamen, ut niemini, gravidæ turbæ ac conjecturæ virum premunt, quæ omne gaudium in acerbum transmutent. Quoties ob cuculos incerta proles patri redditur! quoties in diversa scinditur maritus, cùm vel à vultu paterno abludens, vel quamcunque secum notam alteri similem ex utero transportans materno! Fuit bellici nominis vir verè martius, qui nullum unquam hostem visus est extimescere; at verò uxorem suam plùs quàm hostem suum formidabat; cùm enim senior esset, conjugi juniori nunquam integro fidem detulit, semper in curis animum morsicantibus fluctuans & vacillans, ne ovis insudet alienis juvenis Camilla. Accidit tandem, ut innocens conjux ei filium pareret, sed vultu perquam deformem, & utrique parentum dissimilem; hîc ocius furere, bacchari, tumultuari, & fulminare maritus, cùm pro suo nollet tam deformem partum agnoscere; quis dolor uxoris nunquam perfidæ animos lancinatis innocuis matribus cogitandum transmitto. Deum bonum! quàm enormem inde dolorem hausisset, si adulterii vel eminus convinci potuisset? Præsentem, credo, efferus miles mactâsset, à qua undique innocua vix manus abstinuit cruentas. Verum est, non semper vanæ sunt suspiciones, quas hoc in negotio formant mariti; at si suis ritè momentis pensemus, ipsi non rarò Viri suas ultrò perfidas

(12) Prov. 14.

E. Gaudium undiq; spurium quod suis è prolibus moderni hauriunt parentes.

F. Id sæpissimè in acerbum degenerat.

unt uxores, ut adeò sibimetipsis culpam imputent mariti; cur enim uxores suas tantopere ornant oculis alienis? equum qui comit, eumque ephippio & phaleris undique splendidis exornat, caput cristis in altum surrectis irradiat &c. is ultrò emptores solicitat. Cur conjuges suas ad omnes nuptias & choreas dimittunt? cur eas omnium epulis & jocis, omnium ludis & spectaculis, omnium angulis & tenebris, omnium stationibus & sessionibus, omnium hortis & confabulationibus obtrudunt? talem uxorem qui patitur, imò qui eam incitat, instigat, ut se splendidis vestibus induat, &quod his omnibus est deterius, ut investem pectoris nudati pudorem aliis omnibus meretricio more venalem exhibeat, is etiam formæ admiratores simul & insidiatores patiatur; is cornua ferat, vel doceat domi duntaxat viro suo se ornare, oculis verò alienis se totam subducere. Minus insidiarum habebit, quæ minus habet munditiarum. Dum comuntur, venduntur, aut certè foro parantur & quibusvis emptoribus prostituuntur.

G. Turbæ hujus causæ sunt ipsi subinde Viri.

Turbatur sæpenumero modernis conjugibus gaudium ex liberis in amicam lucem productis, cùm acribus morbis infestantur, vel primis annis penitus exanimantur. Ossea falce metatur innocens planta, dolebunt & lugebunt pueruli parentes, baculum tolli senectutis, opimæ hereditatis successionem mactari. At si hujus etiam mœroris primam causam investiges, fatendum erit multoties, ipsos parentes propriam carnem fatô immolâsse repentino, si quocunque tandem modo bonorum & fortunarum suarum hæredem comparârunt parentes, legitimè seu illegitimè, gaudium ex prole per obliquam venerem conceptum durare non potest. Sap. teste (13) *filii adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen eradicabitur; etsi quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit novissima senectus eorum.* Expertus est hoc ipsum David (14) ut enim Script. perhibet, *percussit Dominus parvulum ejus*, quem peperit Davidi Uriæ uxor, & mox conclamatus est; sed fac à cunis in pueros, à pueris in adolescentes excrescere, unà sæpè in majores luctus parentes conjicientur, quo in majorem spem vivere filii ceperunt. Accidit hoc ipsum tunc maxime, quando socii thalami fœdera firmantur non tam prolis amore, quàm libidinis causâ, equi instar & muli concurrentibus sponsis; ita ex thoro impiè captato ut plurimum semen Chanaan seu nequam soboles progeneratur quia ut sic non filii intenduntur sed libido. Id pluribus exemplis è Script. petitis probrat (15) Salianus, quibus enarrandis supersedeo. Author Op. imperf. (16) hanc simul & aliam allegat causam, cur sæpè

H. Morbi & præmaturæ prolium mors.

(13) Sap. 3.

(14) 2. Reg. 11.

I. Hanc moram sæpè parentes accelerant.

(15) Salianus. a. m. 2323. n. 5.

(16) Auth. op. imperf. hom. 1. in Matth.

K. Turbatur sæpè gaudium à libidine, quâ fordent parentes; unde liberi cruces crucibus accumulant,

sæpè liberi parentibus suis recalcitrent, eósque mille curis & ærumnis obruant adulti, his verbis: *Nunc quia multi divitias eligunt & non mores, & quod in meretricibus quæri solet, hoc in conjugibus optant assequi, ideò multi non genuerunt filios vel sibi vel Deo subditos sed contumaces.* O quantos & quàm multos parentes hæc duplex premit causa! dic enim, quot numerô exhibebis hodie, qui cùm vincla jugalia quærunt, animi consilia volvant sanctiora? Numquid hodie benè multi ac multæ hanc duntaxat appetunt & libidinem, vel opes exambiunt & fortunas? **Gelt du bist mir lieb!** Interim non pensatur, quæ animi mala secum asferat compars, grandia, inusitata, quæ sæpè oculis etiam prævideri possent, nisi cœcus amor menti & oculis insideret; sibi proin hi parentes culpam imputent, si ex connubio, pravo fine contracto tollant liberos, qui cruces crucibus addensent, in omnem proterviam abjecti, in omnem insolentiam effusi, in omne probrum parentibus affricandum expediti.

L. Alii in nuptias feruntur modis illicitis, heteroclitis; in sceleris pœnam liberi recalcitrant,

Alii & aliæ non rarò ita in nuptias pruriunt, ut contra naturam & rectæ rationis leges mediis verè absonis & heteroclitis procentur, sequa etiam ad magica consilia & auxilia, ut suis votis potiantur, amore cœco abripi patiantur. Luculentam hac de re Historiam Vita exhibet SS. Cypriani & Justinæ 26. Sept. quam fusius Tuba dabit Clementina, præsentem Tragicam ocius secutura. Ab his artibus nec simplices hausus, nec amatorias literas tutas esse, fusè monstrat (17) Delrio ex quo unum duntaxat meis hisce attexo. Fuit Genuæ sub finem hujus seculi nobilis adolescens pius & probus, qui tamen ex imprudenti & incauto feminæ aspectu ita in amorem mulieris exarsit, ut divinum pectus animô excluderet. Mittebantur ultro citròque procaces literæ, vix primas evolvit, grandi morbo afflictus decubuit. Sacro simul & profano medicamine adjutus, immundas sordes evomuit, unguinum segmina, crines femininos, ossium fragmina & ferramentorum cum hoc sanguine. Rogatus an nullas ab amasia literas acceperit, annuit accepisse sed dilacerâsse. Lustrabant domestici arculam & pulpitum ut literas tollerent amatorias, sed cum clavem peterent, ori eam decumbens inseruit quasi præsentem voraturus, quæ nisi per vim ereptæ esset, fatum horridum æger acceleràsset. Sic repertæ literæ focô exustæ sunt, quô factô, sensus ægro redditi, absterso lues, & tam corpore quam animo sibi restitutus, pristinam sanitatem recepit, malô docto propriô nec literas Venerem spirantes impunè manibus teri, aut oculis evolvi. Taceo, sæpius evenisse, ut nupturientium desideria pu-

(17) Delr. Disq. Mag. l. 6. c. 2. s. 1. q. 3. & l. 3. p. 1. q. 2.

nùs casta amasii vel amasiæ forma ipse dœmon expleret, aut verius deluderet, cujus rei plura dedimus exempla præsente in Tuba. Dic autem modò si vel hodie similia ad connubium maturandum tententur, quid aliud ex talibus nuptiis aut conjugiis exspectes, nisi prolem hispidam, incultam, parentibus ipsis probrosam simul & onerosam, verbò maledictam.

Alii parentes optant quidem liberos habere, sed sibi ex illis ultrò per imprecationes aut execrationes horridas cruces assiduas & innumeros dolores fabricantur. Diritatibus hisce in filios eructatis pleni sunt omnes libri & annales. Ex Aug. (18) notum est, illam læsæ matris imprecationem liberis impactam, tantam vim habuisse, ut illicò filii totius corporis tremore quaterentur. Friburgi oppido Misniæ hôc adhuc ævô vestigia signantur in ligneo pavimento, quibus per aliquot annos filius hæsit contumax, nec vivus locô potuit moveri: donec moreretur, cui pater, ab eo ad immanem iram provocatus imprecari auditus est, ut quamdiu viveret, in loco illo immobilis staret Camerario (19) teste. Fuisse rusticam, memorat (20) Franciottus, quæ cum hac maledictione, *ut te lupi devorent*, vociferantem infantulum fulminabat. Quo lucrô? quo effectu? cùm anno 1592 ipsô festô Corporis Christi omnes domestici se in templum contulissent, relicta domi sola infantulâ, en proximâ è silva lupus erupit, ædes irruit, & infantem absumpsit. Altera illa Mater, de qua Gretserus (21) iterum iterumque somnô excita, cum vociferante puello poculum porrigeret, animô dixit indignabundo, *eja cum hoc diabolum bibe!* mox à dœmone infesta est innocens creatura, qui nullibi nisi Florentiæ ad S. Zenobii Episc. Florentini tumulum poterat expelli. Recentius ex Annuis Soc. subnecto. Mulier (22) in Austria sub annum 1608. ira & intemperantiâ furens filiolam immodicè flantem Orco devovit, eam ut humi dœmon allideret, imprecata; hem ocius visibili forma Styx apparuit & puellam è sinu matris abreptam, humi fudit, ipsamque pænè mortuam matrem reliquit. Anni pauciores fluxère Granatæ an. 1652. (24) parens filio, quòd longiùs domô abesset, mille diras imprecatus, id sæpius ingeminabat: *Faxit Deus, ut nuntium de te accipiam, te flumine mersum!* Mater per piam antitheſin oratione ad Deum conversa, *non sic fiat Domine, non sic, pereant potius vestes ejus salvâ vitâ & anima ejus!* matrem potiùs quam patrem Deus audiit; nam puer casu nescio quo flumine raptus, vestibus aquâ sublatis nudus, vivus tamen & salvus relictus est, ac suis restitutus, periturus forsan, nisi patris ferociam matris pietas mitigâsset.

M. Alii per imprecationem prolem destruunt.

(18) S. August. l. 22. Civ. c. 8.

N. Probatur. Hist.

(19) Phil. Camerar. Cent. 3. hor. subcisivar.

(20) Cæsar Franciottus in vit. S. Agnelli observ. 1.

(21) Gretz. de maled.

(22) An. Sac. Austr. ad A. 1608.

(24) An. Granat. ad An. 1652.

tigâſſet. Infinitus ſim, ſi alias numerô innumeras parentum dira jubear enarrare. Quam efficax ſit Stygis imprecatio à parentibus in filios detorta, paulò antè oſtendimus, id quòd etiam Calendis Januarii hôc annô per ruralem Bertam certum fecimus & luculentum. Occurrit tamen hic loci novum aliquod & fortè non auditum pio à patre ſuam in filiam fulminatæ execrationis portentum, quod cùm generis feminini intolerabilem ſuperbiam attingat, omittere non poſſum, quin illud in gratiam ſuperbientium puellarum hic loci producam. Aures arrigant faſtu turgidæ Junones, quibus tota cura, labor & induſtria eò intenditur, ut veſtibus ſplendidis, fucis & pigmentis meretricium in morem venalis corporis truncus excolatur; Do verba Nicio Erythræi (25) quibus tumidam puellam deſcripſit: Fuit quæ propriam & naturalem oris ſui nitorem contemneret, eique adventitium fucum quæſitum induceret, ſolidos dies purpuriſsô, ceruſsâ & aliis id genus pigmentis ſibi malas inficeret, ſtando ante ſpeculum, capitis ſtriatiſsimem tiaram comis aptando nobiles quotidie horas dilapidarent. Et quidem piis ſimul & honeſtis parentibus orta, fuit attamen piſsima in hominum conſpectum, meretricis in morem prodire non erubeſcit, licet nullum in paternis nullum in maternis veſtibus cultum cernens. Res hæc magnum propinquis & vel maximè parentibus ejus dolorem inurebat, qui non ceſſabant eam hortari ac monere, ut nimiam illam ſui corporis curam proſcriberet; ſed nihil proficiebant; nullius enim authoritate, nullius monitis & precibus adduci poterat, ut quidquam de inani ſtudio comendi corporis remitteret; cùm verò pius parens Deo inviſas eſſe procaces formas occineret, eique certam Dei vindictam à divino illius vultu perennem repulſam intentaret, ſi contumax ea pergeret, tam preces quam minas optimi parentis hiſpida ſoboles contempſit & arrogantibus verbis hortatori patri repoſuit: ſi me Deus meus ad ſe recipere, abigat me quocunque velit, ego certè conſpectum ejus haud moror; mihi enim certum eſt, ſuum corpori cultum non empore &c. Obiit paulò pòſt hæc puella, repentinô fatô confecta, & Chriſtianæ ſepulturæ mandata; ſed tellus tanquam illam amplecti dedignaretur, quæ Deum à ſe repudiaſſet, ſuo è gremio foras excluſit; idcirco Patri renuntiatum eſſet, templô elatam ad maris littus deportari & arena ſepeliri juſſit, quæ item apud ſe illam noluit retinere; fluctus itaque paulò pòſt foras evomuit: tum Pater juſtô zelô accenſus, detestatus filiam devovit, dixitque, ejus etiam corpus ſecum ad inferos raperet, cujus jam animam raptâſſet in Orcum. Præſtò fuiſſe creditur pœna.

(25) Jan. Nic. Eryth. Exempl. Virt. & vit. p. 107.

O. Ultima ſuperbientibus domicellis inculcetur. Hiſt.

periis hisce diabolus, nam infelix illud cadaver ab oculis repentè sublatam, nullibi ultrà repertum est. Timeant patres exitus, quotquot pari vestium cultu insolescunt, & monita piis à parentibus profecta impio pede conculcant. Fateor quidem, non omnes hodie tam tragicos imprecationum fructus experiuntur; at verò hos velim seriò meminisse, in se quoque destinata esse verba Sapientis (26) *ne dixeris peccavi, quid mihi triste accidit? altissimus est enim patiens redditor.* Scire debent hi socieni, quò magis judicium Dei differtur majore cum impetu irruet tempore inopinato, *subitò veniet ira ejus*, idem inquit Sirach, *& in tempore vindictæ disperdet te.* Similia per Isaiam (27) intentat: *Tacui semper, filui, patiens fui, jam sicut parturiens loquar, dissipabo & absorbebo simul.* Hoc inquam licet non semper eveniat, id tamen semper certum est, quod Hier. (28) affirmat: *Magna ira est, quando peccantibus non irascitur Deus*; timendum enim est, ne in furore suo reos arguat, mactet & disperdat.

(26) Eccl. 5.

(27) Isa. 42.

(28) S. Hieron. l. 1. ep. 38.

Alii quidem liberis suis non imprecantur, nec volunt etiam habere filios degeneres, interim tamen faciunt perpetim ut degenerent, & omnibus ærumnis suos oppleant parentes. Dic enim, si vanos habere nolunt, cur eos in omnem luxum educant & vanitatem? Cur eis omnia indulgent? cur omnia dissimulant, & perpetim connivent? cur aurô infasciant, qui necdum sciunt quid sit aurum? cur purpura involvunt adhuc à matre rubentes? cur mulsô & saccharô, quin multoties vino etiam adusto & execrabili tabaco caput & stomachum primis annis evertunt? vix pedibus insistere gnaris jam practicè fescenninos saltus ostendunt? cur inter pueros & puellas jam choreas instituunt, & docent jocando, quod seriò appetant peccando? Hic loci tragœdia quæso in memoriam revocetur, quam retulit Aug. & nos ex eo S. Josephi festo produximus currentis anni de hispido filio Cyrilli.

P. Alii per luridam educationem liberos exasperant.

Ex his omnibus ni fallor abunde patet, bonum prolis in conjugio plurimis malis amaricari. Ubi nec probi parentes his curis sunt exemti, mirari nemo debet malis obrui malos pænè innumeris. Nil horum prolis sanctissimæ Parentem Annam oppressit; sicut sine dolore Matrem Dei novem mensibus uterô circumtulit, & sine cruciatu mundi gaudium mundo peperit Mariam; ita summo cum gaudio productam fovit, aluit, lactavit, educavit. Hanc Matrem omnes hodie parentes implorent, ut grandibus Annæ Matris & Filiæ Virginis precibus & meritis suffulti liberos suos in conspectu Dei non ad gehennam educent sed ad gloriam æternam.

Amen.

Q. Nil harum Anna timuit; hæc à parentibus invocetur.

# CONCIO XXIX.

## FESTVM S. LAURENTII, Mart.

*Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*
Matth. 12.

## Novus Phœnix.

QUæstio est antiqua, & currentem in horam nunquam categoricè resoluta Opt. AA. An verus Phœnix in rerum deter natura? Affirmant multi & negant multi mordicus, atque hoc avium genus nonnisi obsoletis Cardani fabulis acce sent. Qui dicunt, dari Phœnicem, unum tantùm in tot terrarum orbe propugnant, qui aquilam æquet magnitudine, & cra collum rutilô præfulgeat aurô, ceterùm colorem referat purpureum, qui pennis cœruleo-roseis caudam distinguat, & caput plumeo apic illustret. Sic Plin. (1) loquitur. Novus autem Phœnix ita ex veteribus duci dicitur, ut vetus in eo quasi ex seipso reviviscere videatur. Si po rò quæratur, quot annis vivat Phœnix? Iterum dicas, quot capita ha sententiæ. Manilius ei vitæ annos tribuit sexcentos sexaginta. Sola nus quingentos quadraginta. Pomponius Mela quingentos. Tetres ul ultra septingentos. Martialis omninò millenos. Discrepant hi parum grandibus modis circa generationis modum. Quidam spargunt Phœ nicem fato proximum sibi more Pellicani rostrô pectus suum vellican ex emisso cruore vermiculum prognasci, mox pullum alterô extinctu Alii volunt Phœnicem in supremo palmæ vertice ex cassia, nardo, cyn namomo & myrrha extructo nido se super imponere, & excitato ali rum motu ad Solis radios incendio, medios inter odores vitam ponere ac comburi, ex illo verò cinere alterum Phœnicem reviviscere. Sanct pro Phœnice hactenus descripto Patres non pauci, qui aliquam in eo futuræ resurrectionis imaginem esse credunt adumbratam, inde argu mentum ducentes verosimile, ut probent corporum resurrectionem impossibilem haud esse. Hos inter Patres sunt maximè D. (2) Clemens D. (3) C

(1) Plin. l. 10. c. 2.

A. An verus Phœnix datur in natura? Argumenta pro, & contra.

(2) D. Clemens l. 5. Apost. Const. c. 6.

D. (3) Cyrillus. D. (4) Ambr. Lactantius (5) Firmianus. D. (6) Gregor. Naz. D. (7) Zeno. D. (8) August. Cornel. (9) Tacitus fidenter asserit, visum esse & palàm populo Romæ exhibitum fuisse Phœnicem. Idem seculo superiori David Abysinorum Imp. in Epist. ad Pium III. Summ. Pont. exarata, signatè retulit, sua in ditione tota retrò antiquitate famigeratum Phœnicem reperiri. His utcunque probabilis redditur existentia phœnicis. At verò omnibus enarratis prævalere videtur sententia meras inter fabulas collocans phœnicem! Primò quidem reclamare videtur S. Scriptura. Natô recens mundo (10) crescere animalia & multiplicari paulò pòst jubet (11) idem Dominus ex omnibus animantibus mundis in arcam tolli septena & septena, masculum & feminam, de animalibus verò immundis duo & duo masculum & feminam, sed & de volatilibus cœli septena & septena masculum & fœminam, ut salvetur, semen super faciem universæ terræ; at verò unde crescant & multiplicentur, si unitate phœnix gaudeat? unde septena, duo & duo in arcam tollantur, masculus & femina, si, ut ajunt, in tota rerum natura tantùm unus numerô datur phœnix? hic si masculus fuerit, dic ubi erit femella? si femella? ubi locorum masculus subsistet? dic porrò, quam avium speciem formabit phœnix, si numerô sit unicus. Unum quod est, nec numerum facit, nec speciem constituit, ut nôrunt Logicelli. Masculus & femina cum solitario phœnice non concordant. Unus phœnix sine sua comparte arcam non subintravit, ergò totus aquis haustus periit, & non revixit. Vel ergò hæc Scripturæ oracula erunt rebus cassa, emarcida, & sibimetipsis contraria, quod sacrilegum fuerit cogitâsse, quia antè cœlum & terra transibunt, quàm jota unum aut unus apex pereat in divinis, Scripturâ (12) teste, vel certè, ut Dei loquentis sancta Veritas & Scripturæ infallibilis veritas servetur, ad fabulas relegari debet phœnix. Secundô, primis etiam principiis sanioris philosophiæ repugnare videtur phœnix. Phœnix si datur, erit phœnix una ex nobilissimis avibus. Hôc suppositô, iterum admitti debet, unum aliquod nobilissimum & hoc ipso perfectum animal à cœlo ut à propria causa sua produci. At quis unquam dixerit, perfectum animal uno à cœlo progenerari? ut ritè præsens assertum etiam ab illis capiatur, qui unicâ Logicâ contenti conscientiæ casus eventilârunt, notetur ex Aristotele (13) distingui passim animalia in *perfecta* & in *imperfecta*. *Imperfecta* dicuntur illa, quæ ex materia putri prognata nullô indigent sexu, quia non generant, ut ait Albertus (14) Magnus, sed potiùs ex putrida materia terræ, unde aut stirpium, vel ex tabe cadaverum, vel ex animalium mortuorum corruptione

(3) D. Cyrillus Catech. 18.
(4) D. Ambrosi. l. 5. Hexam. c. 23.
(5) Lact. de Phœnic. Imagin. Christ.
(6) D. Gregor. Naz. Sermon. 3. ad Virg.
(7) D. Zeno de Resur.
(8) D. Augustin. ad frat. in erem. Sermon. 18.
(9) Tacit. Annal. l. 5.
(10) Gen. 1.
(11) Gen. 7.
(12) Matt. 5.
(13) Arist. l. 1. de hist. an.
(14) Alb. M. de veget. tr. 1. c. 4.

ruptione producuntur ſicut vermes & inſecta, quæ productio juxta communem Philoſophorum ad cœleſtis influxûs vim ac virtutem refertur. *Perfecta* ſunt illa quæ ex ſemine à ſui ſimilibus cum ſexu procreantur, cùm ergò phœnix vel ex ſanie parentis vel ex corrupto ejus corpore, ex cineribus naſcatur; tota hæc generandi ratio ex putri materia prodibit ſine interventu ſeminariæ virtutis, erit ſimul animal *perfectum* & *imperfectum*, illud ex ſuppoſita natura undique præſtantiſſima & maximè longæva, hoc ex corruptione, ergò nullum erit animal juxta meliorem Philoſophiam. Patres quod attinet, uſi ſunt quidem phœnice tanquam Reſurrectionis typo ad ſuadendam inde & illuſtrandam corporum Reſurrectionem; interim tamen ex propria ſententia, de realiter phœnicem non aſſeverârunt, ſed præcisè aliorum ex revelatione hoc inde argumentum formârunt ad hominem: ſi homines ſibi perſuadeant, poſſe accidere vi ac virtute naturæ, ut phœnix juxta horum authores ſuis è cineribus reparetur & reviviſcat, multò magis & fortius credere debent, poſſe humana corpora etiam in cineres redacta poteſtate divina in vitam reduci; nil proin Patrum authoritati derogatur, licet commentitium ac fabuloſum eſſe proclametur, quidquid de phœnice in medium profertur. Nec Scriptura, nec SS. Patres fabulosas narrationes dedignantur, cùm ædificationi ſerviunt, & morum communi dant informationi, prout fuſiùs dicetur in Tuba Mytholog. Sic narratio de Pellicano poſt triduum luctus pullos ſuos proprio ſanguine ſe perfuſos ad vitam revocante, tota quanta fabuloſa eſt, ut abunde probat (15) Aug. inde tamen hic ipſe Pater eruit, quantus in nos ineſt Chriſti Domini affectus, cujus ſanguine reſperſi ad vitam reviviſcimus. Exemplum phœnicis pariter fabuloſi, Patres contra ethnicos Patres adduxerunt; cùm enim phœnicem admitterent admittere pariter debebant putidæ carnis reſurrectionem, per ipſos conſtanter exploſam. Ipſa Scriptura non refugit fabulas, ut patet ex lib. Judicum &c. ſi maximè ad pietatem conducant, aut veritati jam ſat probatæ ſerviant explicandæ, aut telum præbeant ethnicorum è pharetra depromptum, & in ipſos denuò retorquendum, prout factum eſt in phœnice. At nolim ultrà de fabulosa phœnicis exiſtentia diſceptare; verum digito indice demonſtro.

B. Rectius ad fabulas Phœnix naturalis ablegatur.

(15) S. Auguſt. in Pſ. 101.

C. Si tamen myſticum ſpectare libeat, talis eſt Laurentius.

Hodie hodie ſi unquam aliàs veri nominis ſpectare licet Phœnicem. Eſt eſt Phœnix iſte glorioſiſſimus Martyr *Laurentius*, qui diſperſis in theſauros cœleſtes ſeu in pauperes Eccleſiæ facultatibus, ſcorpionibus & plumbatis cæſus, cœleſti voce ad majora animatus, craticulæ impoſitus, cùm vivus aſſaretur, gratias Deo concinuit, quòd cœli januas ingreſ-

ingredi mereretur, tandem in ferreo & igneo illo nidulo glorioſiſſimum Spiritum exhalavit. Eſt eſt Phœnix iſte S. Martyr Laurentius, cui pro nidulo Hiſpania obtigit fœcunda Sanctorum tellus regia, *Urbani*, ſeu *politici* & *humaniſſimi Hiſpani* nomine totum per orbem condecoratus, eò quod S. Stephani Protomartyris ſuo pariter ſepulchro inſerendi ſacro Corpori, dextram in tumulo, ſeu honoratiorem locum deferret. Solis avis phœnix eſt, ideò ſolus eſt & unicus phœnix, ut ſolus Soli ſerviat. Hem medium inter crepantes flammas Laurentium! propiùs focum pete, audies inde phœnicias voces cœlum verſus ejaculari: *Tibi ardeo Soli! Te Solum ardeo Solem!* Ignis ille interior, divinis- D.
mi amoris igneus amor, ignem inhibuit externum, ut profanum vel non adventeret, vel non curaret, cœlitus divinô ſuccenſus. Ita de Martyre noſtro ſentit (16) Auguſt. Solum Deum, ſolum JESUM ardebat Laurentius; hinc alios omnes ardores foris graſſantes elu- (16) Idem in Joan.
ſit, contempſit; jam toſtis & hiantibus igne carnibus, latere uno undique aſſato, flammis æſtuabant medullæ, manſit tamen in tanta tormentorum acerbitate Soli Deo intimè per amorem unitus Martyr, inſtar Phœnicis ab igneo fato ad immortalem vitam ſublatus. Audi porrò ſeu loquentem ſeu canentem, & ardentiſſimæ mentis flammas ejaculantem. Salutatus inquit ad Chriſtum: *Te Dominum meum confeſſus ſum, aſſatus ago gratias.* Hæc amoris cantica media inter incendia fudit Laurentius, idem præſtans in ſuo vivicomburio, quod Jobus olim præſtitit in fimeto. Laudentur tres Hebræi in ſuccenſæ fornacis innoxio buſto Deum ac Dominum benedicentes, plùs ſanè hodie Laurentius extollatur, inter noxii rogi efferos furores, Dei ſui aſſiduos amores profeſſus. Quid autem eſt, de quo gratias egit Deo ſuo Phœnix Laurentius? *Gratias*, inquit, *tibi ago, quia januas tuas ingredi merui*, ergò cratem ſuam veluti januam cœli ſuſpexit; ergò corporis ſui rimas & fiſſuras intuitus eſt, ac longo tempore captivus apertum è carcere exitum ſolet intueri, per quem animus ad æternam Beatitudinem avolaret. Sed quid tam humidas & terreos cogitatus de cœleſti Laurentio fòrmamus? Longè altiùs ſuos cogitatus evexit, qui ſine ulla mercedis ſpe, ſola Soli Deo placendi charitate intus exardeſcens ſupplicia pertulit, ea etiam cum gaudio integris annorum luſtris exantlaturus, ut Soli Deo ſuos amores probaret. Auguſtino teſte, *Longè ſegnior fuit ignis, qui foris uſſit, quàm qui intus Martyrem ſuccendit.* Nulla vitæ melioris in cœlo aucupandæ ſpes Lau- E.
rentium lactâſſet, neque tamen à charitate Dei focus millies accenſus Laurentium ſeparaſſet. Hic hic veri nominis amor eſt, gratis amare

D. Solem ardet in crepantibus focis.

E. Noſtra umbratilis patientia Laurentianæ opponitur.

Deum, & illi soli tormenta quævis invicto robore perpeti, si etiam nulla esset corona patientiæ nostræ in cœlis decreta. O quàm enormiter ab his Laurentii amoribus nostris discrepant ! O quàm verè frigidus est amor noster, si Laurentiano comparetur ! is medias inter flammas etiam grates Deo refundit, quòd dignus haberetur pati horridâ, nos vel levidensi digito attacti, vel modicâ febriculâ tentati, vel quacunq; contumelia despecti, Deo nostro obmurmuramus, ociùs blasphemamus, & in omnem proterviam abjecti desperamus. Summus nempe tantis virum intervallis ab amore, quô solum Deum Laurentius exarsit, distinctis quantis à terra cœlum discriminatur. Discamus saltem hodie Soli Deo amore nostros consecrare, & cum Laurentio medias inter acerbitates Deo grates refundere, cùm alia in cœlum via nulli sit aperta, nisi per gladios & crepantes flammas, per calamitates & ærumnas, per mille pericula vitæ.

F. A morte splendida vitam retulit, post fata superstes in gloria.

Phœnix emensô vitæ spatiô super aromaticam præstantium lignorum struem ultrò locatus, alas in conspectu Solis evibrat, & illis ceu flabellis suscitat ignes. Ita nempe vitam gestit per odoriferam mortem Laurentius prolongare, ad vitam per edaces flammas progressus nullis evò turbandam. Hinc jure igneo huic Heroi nobile lemma inscribas:

*Vita mihi mors est; post fata manebo superstes;*
*Vivam etiam, cùm me supremus aduserit ignis.*

Rectè adeo ævi nostri Phœnicem dixeris Martyrem hodiernum, medio ex ignibus firmum, vegetum, tragico de funere redivivum. Hunc ipsum didum Phœnicem sub hac ipsa phœnicis parabola pridem coluit & pietissimè salutavit Nazianzenus summâ vitæ sanctimoniâ conspicuus (17) Pater, cujus aureum carmen hic loci repræsento. Sic ergò de Laurentio nostro canit sanctitate ac doctrina illustris Poëta:

(17) S. Gregor. Naz. Serm. 3. ad Virg.

*Ut Phœnix moriens primos revocatur ad annos,*
*In mediis flammis post pl[illegible]ima lustra renascens,*
*Atq; novum veteri surgit de corpore corpus;*
*Haud secus egregia Martyr sit morte perennis,*
*Dum pia Divinis ardent præcordia flammis.*

G. Mors duplex Laur. naturalis & mystica.

Duplici morte vitam meruit perennem, vitam immortalem Laurentius morte sc. naturali & morte spirituali; hæ duæ tamen mortes ita sibi mutuò esse debent innexæ, ut si primam ab altera dissocias, hoc ipso non vitam sed mortem sit perennem paritura. Vis morte naturali ad vitam meliorem absumi? multò antè spirituali morte sano fuerit ac vegeto vitæ

vivis defungendum, ut Apostolus monet. Moriendum est continuò homini Christiano sed peccatis, ut Deo vivatur in cœlis. Quid sit mori peccato, bellè S. Prosper explicuit (18) quem juverit audivisse. Rem pono & substantiam S. Patris, non verba: quid est mori peccato, nisi mortuum in vita & in moribus referre? mortuus nulli detrahit, nullum despicit, nullius pudicitiam corrumpit, nullum opprimit; nec bibendi sitim magis ac magis bibendo accendit; qui mortuus est, is nullis odiorum facibus inardescit, is nec potentibus nec divitibus adulatur, is nec superborum injuriis irritatur, nec ventosa ambitione in præceps agitur, necad societatem turpium turpitudinis amore invitatur &c. Paulò post alio sub schemate ostendit quis propriè dici possit peccato mortuus, is nempe, quem impudentem non facit audacia, iniquum injustitia, varium inconstantia, delicioſum gula, rebellem inobedientia, vanum jactantia, infidelem perfidia, levem procacia &c. qui remotus est ab immunditiis & inimicitiis, ab occultis & apertis rapinis, à mendaciis & perjuriis, ab omni genere flagitiorum, quibus carnaliter viventes Deum offendunt; Accidat verò, ut homo peccatis immoriatur, actum est de vita in æternum & ultra.

(18) S. Prosper. l. de vit. Cont. c. 21.

H. Mors mystica omnibus necessaria est, qui volunt ad gloriam & perennem gratiæ vitam resurgere.

At quod hodie tragicum Exemplum glorioſissimus Martyr Laurentius submini ſtrat? Opt. AA. Suspeximus hactenus præsentis diei Patronum tanquam novum eumq; felicissimum Phœnicem flammis immortuum, & ad vitam gloriæ redivivum. Nunc, si placet, ex obliquo, novos alios exhibeo Phœnices eosq; numerô binos, sed infaustos, sed stygios à flammis profanis ad æternantes Orci focos miserè translatos, *Mussardum* nempe efrontem Gallum, & Damam ejus avernalem lupam. Vixit sub annum 1608, ut Joan. Ludov. Gottfrid (19) memorat. Homo nobilis in Gallia *Mussardus*, qui causam ratione patrati homicidii dicere jussus, ad aulam Henrici Quarti citabatur; cùm autem nec mandato Regis obsequi, nec ab arce sua pedem movere vellet, antequam Rex capitis accusatum vitæ redderet securum, Tribuno cuidam seu Chiliarcho, cui nomen Morlier, in mandatis dedit Rex, ut assumpto secum militum manipulô, hominis immorigeri castrum vi expugnaret, ac reum inde protractum Vrnæ sisteret Parisiensi. Non defuit Regio mandato Tribunus sed incassum. Restitit pertinax modis, quibus potuit, stetitque jam non uno capite præsens expugnatio; aucta ergò vis est, sed iterum fruſtra. Tandem ne tot militum suorum vitæ ausu temerario prodigus esse videretur, ad ingenii artes descendit Tribunus, & jam non fero, sed molliore consilio rem Regis agere constituit. Habebat penes se

I. Qui peccatis immoritur, nullam exspectet vitam nisi focos inter mortuales.

(19) Joan. Lud. Gottfrid in Chronic. Francof.

K. Qualem Mussardus retulit cum sua pellice à foco ad focũ translatus turpis Phœnix.

se Mussardus Damam (qua voce multi hodie abutuntur, ut honestiori Venere utantur) ex ea etiam prolem sustulit spuriam, illegitimam; hanc in rem Damæ matrem Tribunus subornat, rogatque ut filiæ persuadeat, dedat se Amasius, & tot militum sanguini parcat. Egit femina mater, quod agere jussa fuit à Tribuno. At noluit Mussardus secum dare precibus femininis; dimisit quidem ex arce famulos cum infante, & Lupæ suæ liberum reliquit, vel sociam se addat famulis, vel cum Amasio arcem defendat; ad quæ ocius illa: male vertat hoc mihi Cœlum, si ego te charissimum decus derelinquam, mortem potius sociemus, qui amorem sociavimus, simulque matrem amplexa rogat, obsecrat, ut animæ suæ placatum reddere velit Deum, certum sibi esse priùs mortem oppetere, quam ab amico avelli. O bellæ preces! cœlum ambire, & tartara amplecti; manus ad sidera erigere, & cum ad Orcum pedibus properare. Cum ergò tribunus actu cerneret, nihil etiam mitioribus consiliis promoveri, arcis portas majoribus ballistarum bombis & globis quatere constituit. Vidit Mussardus vim serio adhiberi, cui frustra solus cum sola reniteretur; quare desperatâ jam vi ligna comportans, rogum stramine fartum adornat, eique insidens lampam subsellii sociam efrons adhibet, cujus dextræ sclopum globo duplici oneratum inserit, ipseque capit alterum, eô consiliô, ut quam primum efractas castri fôres cernerent, injecto mox in rogum igne mutuis in pectus ictibus se conficerent, eoque pactô nulli hostium obvenirent. Dictum factum. Apertis castri portîs destinatis in se ictibus duplex funus focum irruit, injecto mox igne ardentem. Ita hoc mobile par *scilicet*, quas hic arsere flammas, in æternis inferorum ignibus continuârunt. Ut video, hîc ardere non sufficit Veneri, nisi unâ quæque ibi ustuletur, perpetim arsura nunquam exurenda.

Hic hic omnium oculis duo prostant Phœnices, sed stygii, & omnium diris execrandi, quibus ut ne ullus nostrûm in pœna tartarea justa flagitiorum præcedentium merita societur, Divum hodie Laurentium junctis vocibus imploramus, ut suis prodigiosis ignibus, in nobis omnes spurios ac fescenninos ardores retundat, iisque divini Amoris flammas substituat, quarum beneficiô cum S. Martyre Laurentio unum & solum Deum, unum JESUM in vivis ardeamus, post fata pii obita vitam omnis faustitatis bajulam in cœlis auspicemur.

Amen.

CON

# CONCIO XXX.

## Festum Assumptionis B. V. M.

*Intravit in quoddam Castellum.* Luc. 10.

## Castellum Marianum.

EMinet inter omnia splendida ædificia præsens Castellum, quod sibi extruxit Sapientia Divina, & JESUS dicitur subintrâsse Opt. AA. Nil poterat Marianæ Virtuti rectius aptari, quàm metaphora ab invincibili Castello deprompta. Bellè de illo Rich. disseruit (1) à S. Laur. his verbis: *Ædificavit Sapientia Divina cœlum Angelis & hoc est domus gloriæ: extruxit dœmonibus & damnatis hominibus infernum, & hic est justitiæ domus: erexit lapsis hominibus hunc spectabilem mundum, & hic est carcer miseriæ.* Ubi ergò multò antè ceteras fuit creaturas hospitata, nunc etiam pro se proprium hospitium intendit; ideò dicitur *Sapientia ædificavit sibi domum* (2) ubi rectius hodie cum Luca dixerim, inexpugnabile Castellum, at nunquid tantùm sibi Sapientia Divina hoc Castellum extruxit? Ita sanè sibi uni hoc Castellum fabricata est, in quo sola Sapientia habitaret, sed tamen unà etiam Angelis pro statione, justis hominibus pro munimento, peccatoribus omnibus pro asylo erectum est præsens Castellum. Antequam triplicem hanc Castelli ordinationem evolvamus, unà prius obiter Castelli hujus Architectum, formam ejus & figuram, situm & habitum, fossas & valla, muros & mœnia lustremus, mox iterum ad Angelicam Stationem, & hominum quorumcunque perenne Asylum redituri.

(1) Rich. à S. Laurent. l. 10. de Deip.

(2) Prov. 9. A. Rectè Deipara Castellum salutatur, juxta Richardum.

Nobilis hujus structuræ Architectus est ipse Deus, qui opus ita perfectum produxit, ut nec maculam haberet nec rugam cui nec addi posset aliquid nec demi, quô etiam nec melius dari posset nec prostantius effigiari. Ita sanè pridem asseruit Bonavent. (3) *Una est Deipara, quâ majorem Deus facere non possit. Majorem mundum facere potest Deus; majus cœlum producere potest Deus, majorem matrem quàm Matrem Dei non potest facere ipse Deus.* Fundamentum hujus ædificii ita profundum est, ut propè fundum attingere desperes. *Cogitas magnam fabricam extruere*

B. Architectus ejus est Deus.

(3) S. Bonavent. in Spec. B. V.

(4) S. Aug. de verb. Dom.
(5) S. Bernard. homil. 4. in Missus.

*celsitudinis?* Verba sunt Augustin. (4) *De fundamento prius cogita humilitatis.* Hæc humilitas tanta erat in Deipara, ut eam jure dixeris prodigiosam, verbis & factis stupendam. Juxta Bern. (5) *Non magnum est, humilem esse in abjectione, magna prorsus & rara virtus est humilitas comita.* Hem! Mater Dei eligitur, & se ultrò nuncupat ancillam; jam Dei Filii erat facta Virgo, ad Elisabetham pedes properat, eiq; largum exhibet ministerium, unum in Deum omnia laudum encomia transportans. Cui totius Orbis Dominum Virgineô Uterô circumferret, Cæsaris imperio submissa censum pendit exlex parens, ostia pulsat Bethlæa mendicans, antrum subit & inter pecudes habitat, quæ quatuordecim Reges annumerat; peractô puerperiô alias inter puerperas, quasi aliis nec pura esset, nec sanctior, lustrari exambit; fabrum lignarium veluti famulum caput, omni reverentiâ suspicit, ipsiq; per omnia sine murmure sine hæsitatione obsecundat. Post Dei ad cœlos ascensum omnium prima, omnium novissima, locúmq; tenet ultimum in cœnaculo, Luca (6) teste, *omnes in oratione perseverantes cum mulieribus & Maria matre Jesu* ipsâ etiam peccatrice Magdalenâ inferior, ex qua septem spiritus immundos ejectos; hac humilitate quid profundius, hac sui abjectione quid submissius? Discat hinc infrunita hominum mortalitas altum non sapere, ac de se ipsa humiliùs sentire. Tanto fundamini, quod nullus unquam remotus, nulla ætas evertat, impositum est Castellum undique quadratum, & quaternis turribus instructum, unde hostes omnes eminùs prospiciantur & profligentur. *Primam* turrim tenuit *Prudentia*, à cujus regulis nec latum unguem totô vitæ curriculô Virgo mater declinavit. Juxta hujus dictamen prudenti indagine discussit, qualis esset Salutatio? qualis esset legatus? fidus an subdolus? non omni spiritui credendum docta, sed potius probare, an ex Deo sint, probè gnara, hostes tam reos lucis angelos millies mentiri, & incautas hominum animas illudere. Juxta prudentiæ leges verba & voces singulas priùs ad linguam admisit quàm ad linguam, notatumque fuit à Bernardo, eam sæpiùs tacuisse, tùm in Evangelio locutam esse, ter cum Deo, bis cum Angelo, & totidem rum bis cum hominibus; cum hominibus quidem in Visitatione Elisabeth & in Cana Galileæ: cum Deo in templo, & vino deficiente in Nuptiis: cum Angelo in Angelica Legatione. Conservabat omnia verba, conferens hæc in corde suo, singula quasi ad trutinam vocans, & librum aurum ponderans, num quid desit, aut redundet. *Alteram* turrim *Justitia* constituit, quâ omnes puras creaturas innumeris gradibus ascendit. luit. Duas partes hæc Justitia tenet, quas dicunt integrales: Declinare

(6) Act. 1.

C. Fundamentum est humilitas.

D. Turribus instructum est quaternis, prudentiâ, justitiâ, temperantia & fortitudine.

*malo & fac bonum.* De malo, de peccato, malorum maximo nullam vult moveri quæstionem Aug. quoties D. Virginis memoria occurrit, quia ab omni criminis umbra, & ab ipsa labe originaria semper extitit immunis. Justitiæ operibus omnes alios longô intervallô transcendit, ita quidem, ut sola sibi illud Prov. (7) Virgo vindicet: *Meum est consilium, mea est æquitas.* Turrim *tertiam* eduxit *Temperantia*, quâ nullam unquam voluptatem pro condimento vel in cibo carpsit, vel in potu hausit, omnem luxum in vestibus moderata, omnium affectuum domina, crebris jejuniis addicta, quibuscunque voluptatibus infensa, & omni mundanæ gloriæ. *Quartam* turrim firmat *Fortitudo.* Hæc quidquid muliebre, quidquid molle, quidquid inconstans, vel modicam feminæ levitatis umbram importat, procul à Deipara propulsat. Hac duce fuit in periculis omnibus interrita, cupiditatibus intacta, inter adversa hilaris, in rebus secundis non elata, in tempestatibus æquè ac in malacia semper placida, semper sui similis, nunquam alia. Id unus ille actus abundè probat, quô Virginem ait Evangelista juxta crucem stetisse non jacentem, aut humi ex deliquio fusam, quod rudes aliqui pictores & cœlestium inanes Parrhasii, suo gloriæ Marianæ corrosivô penicillô contra evidentia Scripturæ Oracula perperam Virgini Matri adscribunt. Ex infracti ac semper intimè Deo suo uniti animi magnitudine semper Superior extitit omni mœrore, doloribus cunctis & cruciatibus, qui licet animam ejus instar gladii penetrarent, ipsius tamen imperio ac nutu perpetim regebantur, ut ne in motus Virgini minùs glorioso erumperent. Unde acerbissimos dolores illos, lacrimas, & singultus heroica oris gravitate ac rationis moderamine temperabat; quod cùm ritè Ambrosius (8) ponderaret, has in voces linguam & calamum suum resolvit; *Stabat Mater*, Scriptura teste, *juxta Crucem filii, & Unigeniti sui passionem spectabat. Stantem lego, flentem non lego;* quasi diceret: Stantem lego, humi ex inepto deliquio jacentem non lego. De Institutione Virginum (9) sic ait: *Stabat ante Crucem Mater, & fugientibus viris stabat intrepida;* & ut loqui placet Bonav. (10) *Stabat divinæ voluntati per omnia conformis, immobilis, impassibilis per patientiam facta Virgo;* gaudens Filium pro redemptione mundi Deo Patri litari, Filio suo commori prompta, cum Filio in Crucem agi parata. Stabat ubique inexplicabili quadam & inconcussâ constantiâ Virgo Mater. Prisci Ethnici constantiam olim supra rupem stantem pingebant, undique marinis fluctibus allisam cum hac epigraphe: *Eadem sum semper.* Stat Deipara in Golgothæo monte, undique doloribus cincta; sed circumcirca dolorum

(7) Prov. 8.

(8) S. Ambros. Orat. in obit. Valent.

(9) Idem de Instit. Virg. c. 7.

(10) S. Bonav. in Speculo, c. 6.

fluctibus impetita, semper erat eadem. Filius ut seductor & maleficior comprehenditur, & vinculis constringitur, coram Anna, Caipha, Pilato sistitur & Herode, flagris crudeliter dilaceratur; at illa semper eadem. Filius corona ex paliuris contexta redimitur, Barrabæ postponitur, cruci affigitur, lanceâ perforatur, myrrhâ & aloë lactatur; at illa semper eadem stabat interrita constans, invictæ virtutis, tot doloribus compuncta, quot plagis mulctatus erat Filius. Fuit etiam Deipara eâ animi constantia, ut juxta ritum antiquum oculos vitâ functis claudendi, ipsa hoc munus obiret intrepida, ut habetur ex Revelat. (11) Brig. O quàm longè à nobis hæc exulat tolerantia & robur, quos vel levis pulviculus dejicit, quos unicum amarius verbulum irritat, quos vel obliquus oculorum aspectus cruciat, quos quævis punctura invidiæ pulicis exagitat, quos unus acerbior casus ac tristior fortuna enervat. Hinc vel modicum patientiæ robur nostra in præcordia transporteamus, discamúsque æquioribus animis quævis adversa pro Deo cum Deipara tolerare.

(11) Revel. S. Brig. l. 4. c. 70.

E. Valla & muros posuit Virginitas.

Fossas Castello circumduxit, quæ ima jecit fundamina Humilitas. Valla & muros hostibus objecit *Virginitas*, quæ tanta erat in Deipara, ut mallet millies Maternitatis jacturam incurrere, quàm ut minimum Virginitati labem affricari pateretur. Tectum *Charitas* imposuit, de qua Princeps Apostolorum (12) ***Charitas operit multitudinem peccatorum.*** Tegi, protegi hoc in Castello maximos peccatores, sed contritos, ferius dicetur, cùm asylum probabitur. Restat Porta, quæ præter morem aliis passim castellis receptum, diu noctuque quacunque scelerum mole gravatis patula est. Ita sanè fronti ejus inscripta loquitur epigraphe: ***Porta patens esto, nulli claudatur honesto***, imò non tantùm honestatis studioso præsens patet Porta, sed mille flagitiorum reo, si modò suas ejuret pravitates, & sub hujus Castelli tectum velut in Asylum viva fide ac fiducia confugiat.

(12) 1. Pet. 4.

F. Tectum imponit Charitas.

G. His excubias agunt Angeli.

His præmissis, nunc ad Richardum regredimur, & sententiam ejus huic Castello adscriptam Mariano, quâ palàm dixit, datum ab pro statione Angelis, hominibus seu justis, seu reis pro munimento, pro asylo. Stabant hic loci in perennibus excubiis cœlestes Genii contra quosvis Virginis hostes & tartareas phalanges tantô numerô, ut juxta Georg. Nicomed. (13) ne quidem decies millia sufficerent, qui omnes Regis Virginis custodiæ admoti perpetim excubarent & prospicerent, ne quid paratum æterno Regi Hospitium ullus Orci hostis invaderet. Tutissimum & inexpugnabile Castellum, ubi facto agmine alati proceres excu-

(13) Georg. Nicomed. Orat. de Oblat. B. V.

bant

bant, idque summa in pace ac gloria coronant & propugnant. Rectè *fortis* dicitur *ut castrorum acies ordinata*, quam tot millia Beatorum Spirituum circumstant. Alia hodie terrarum castella multoties visu horridi lemures infestant, & avernales furiæ inquietant, ut vix incoli valeant & inhabitari. An placet unum pro millenis rei hujus experimentum captare? dabo visu horridum & solo auditu tremendum per transennam ex (14) Theophilo Raynaudo, omnium scientiarum Promptuario.

(14) Rayn. in prato Hist. 87. H. Terrarum Castella multoties Orcini lemures infestant & inquietant, Hist.

Erat in Belgio haud procul Bruxellis nobile castellum, sed nocturnis simul & diurnis lemurum tumultibus enormiter infestum. Dynasta castellanæ jurisdictionis multa Sacrorum remedia pacandæ arci adhibuit sed frustra. Se proin Bruxellas contulit, & levandi mœroris gratiâ in ipsum Societatis Collegium se recepit, ubi Patrem nactus est apprimè religiosum simul & animosum, illa in provincia primarium, postea totius provinciæ clavo admotum Scherenum nomine; is præsentis Dynastæ mœstu pectus largo solamine erexit, eique se ultrò obtulit ad locum cum Dei gratia & licentia Majorum omni in festatione liberandum. Nactus licentiam altero mox die se cum socio in arcem recepit, & ipso in cubiculo illo prægrandi aulæ adjuncto, ubi maximè infesti lemures grassabantur, quietis locum cum socio per noctem elegit, obseratô ritè ostiô, & sacris luminibus totum per cubiculum accensis. Sub mediam noctem cum adhuc preces suas ardentibus votis prorogarent, audiunt in aula vicina tumultuosam discursionem, valido ad cubiculi ostium pulsu tertiùm repetito concluſam; cum autem ad pulsum iteratum nil reponerent, nec signum ad ingressum darent concluſi; ecce tandem post tertium januæ ictum ostiô violenter apertô cubiculum subiit horridum hominis Spectrum, cui ex oculis subniger ignis scintillabat, exsertâ lingua, depressis genîs, & tota specie lurida, exsucca. Forma tam tetra nil uspiam Pater territus, voce generosa ex spectro quæritat, quid hic loci ageret, quid quæreret infestus hospes? interim sedem è regione Patris locatam spectrum occupat, aitque sedens: *Hæc & alia ex proximè venturo intelliges.* Vix delapso quadrante, adfuit eodem tumultu, eâdem formâ alterum spectrum, quod pari interrogatione à Patre solicitatum, occupata sede, idem quod prior responsum dedit, *hic quid agam, hic quid quæram, & cur huic arci ita sim infestus, ex proximè venturo intelliges.* Idem ad eandem quæstionem tertius reposuit, qui post alium quadrantem eodem impetu, eodem tumultu cubiculum irruit & tertiam sedem occupavit. Adfuit etiam quartus servatô eodem temporis interstitiô, sed longè alia specie ac formâ;

mâ; videbatur enim candidus, lætam faciem & permodestam totius oris & corporis compositionem foris ostentans; is cum aulam cubiculo adjunctam pacatè obambulâssет, quam alii impetuosè percurrebant, junctis quasi ad precandum manibus cubiculum subiit; hunc Pater placidè ac reverenter affatus, mox ab eo sequentia inaudiit: Sum ego Anima patris castellani dynastæ; tres, quibus alludeo, majores sunt mei, pater, avus, abavus; ab hoc abavo occupatum fuit primò præsens castellum, contra omnem juris tramitem vero domino ac possessori suo ereptum. Rescivit hoc ipsum avus, neque tamen castelli possessionem abjecit & legitimo arcis hero restituit. Pater meus de illegitima castelli ad se hæreditario jure devoluti possessione monitus, neglecta rei hujus discussione, tamen retinuit castellum; omnes ergo hanc propter noxam justo à Judice Deo ignibus addicti sunt sempiternis; mihi uni, quia bona fide castellum possedi, nec de alterius in id jure quam fui ambiguus, retentio fuit innoxia; justò tamen Dei judicio mihi purgantibus in focis tam diu hærendum est, donec castellum legitimo hero suo restituatur. Rogatus ulterius, quis legitimus castelli possessor esset? Joannem nominavit domesticum castelli servum, genere quidem nobilem, nunc verò ad imam famuli sortem per vim devectum vernam, unà enixè Patrem precatus, ut animam suam sacrificio expiaret, & vel integram arcis restitutionem, vel amicam transactionem cum arcis famulo maturaret. His dictis placidè abscessit, cetera tribus jam prius ad damnationis enuntiationem dilapsis. Adeste modò omnes falsi hæredipetæ, impii Mammonistæ, qui nulli hactenus conscientiæ vobis unquam duxistis, pauperes operarios mercede sua defraudare, viduas & pupillos emungere, per fas & nefas opes & fortunas corradere, templa & ecclesias annuis censibus privare, sacros reddítus & gazophylacia expilare, aut Ecclesiasticos proventus quocunque modo dilapidare! adeste omnes ac singuli ære alieno gravati Euchiones qui domum domui conjungitis, & dum liberos opibus augere allaboratis, vobis simul & illis æternum salutis exitium adscisciscitis! quod hactenus præconibus sacris toties è cathedra detonantibus credere noluistis, jam præsenti credite spiritum damnationem publicanti. *Nisi signa & prodigia videritis*, non credetis (15) dixit olim Servator ad obstinaces hebræos, id quod pariter hanc in horam vobis poterat Mammonistis exprobari. Videtis modò signa & prodigia ex Orco, ex purgatorio; credite ergò & resipiscite; reddite Deo quæ Dei sunt, templis, ecclesiis, sacerdotibus, & Cele-

(15) Joan. 4.

ri quæ sunt Cæsaris; malè parta restituite; id nisi feceritis, certa vobis est damnatio sempiterna, quâ modò tres illos nobiles castellanos è cœlo fulminatos esse intellexistis. Sed ad historiam revertimur. Securus quietis Pater socium ad residuam noctem tranquillè exigendam & somnum captandum invitat; ab illo enim tempore nulli ultra lemures arcem fecerant infestam. Adfuit primo mane Nobilis, & rem totam edoctus, cùm Majorum suorum pessimam sortem extimesceret, ex Patris consilio, soluta bona fide, qua huc usq; castellum possederat, animam Patris sui purgatoriô detenti seriò liberare, se ipsum exitio subducere sempiterno, & conscientiam tuto in portu locare constituit; eum in finem in Patris ac Socii conspectu, accito Joanne servo, tunc annonâ triturandâ in area distento, promptum se offert, paratumque vernæ suo toto cedere castellô, nisi malit pinguem aliquam conditionem pro se ac suis ultrò admittere. Stupuit Joannes ad nuntii raritatem, & accepta conditione herum jam non ut herum, sed ut amicum & castelli socium jure castelli penitus remisso securum reddidit de possessione nullo unquam tempore turbanda. Sic facta totali restitutione, quam tamen Joannes servus non acceptavit, contentus largiore victu sibi ac suis deputato, pravi spiritus toto castello proscripti, & nulla ulterius terriculamenta tota sunt arce audita.

Nemo quærat, cur toties etiam hôc ævô à mortualibus umbris & horribilibus spectris arces Nobilium infestentur, ut plurimùm grandis iniquitas per cubicula grassatur. Tollatur Mammona, sua etiam tranquillitas, castellis revertet. Suspiciant hic loci omnes opum helluones & avari eucliones cordatissimam resolutionem, quâ Nobilis iste insuper habito nobili statu suo, totam arcem malè hactenus possessam, suis cum juribus & pertinentiis trituranti operario, servo suo transcripsit, certus antè cum paupertate luctari, quàm cœlô æternùm proscribi. Hæc hæc resolutio summè necessaria est huic hominum generi, si quidem velint saluti suæ in secula prospectum. Nihil valet hic loci *ratio statûs*, quâ multi credunt perperàm, se à restitutione exemtos esse. Esto tibi inde eveniat ultima pauperies, certum semper est illud Augustini: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Et verò quid hodie *ratio statûs*, cujus intuitu sibi vendicant malè parta eucliones, aliud importat, quà excusationes in peccatis? nolunt quicquam delicato vivendi genio in vestibus & in mensæ bellariis, in esculentis & in poculentis detrahi, luxui vestium & mensarum assueti; sed videbunt & experientur, quàm fucato, imò quàm nullô prorsus argumentô erro-

errorem suum cum pertinacia tueantur, suis cum luridis prætextibus ad Oreum fulminati. Optimè proin & consultissimè fecit Nobilis ille, cùm totum castelli jus hactenus iniquè occupatum vernæ suo tanquam legitimo hero transcripsit, in crastinum minimè solicitus, quidquid inde malorum sequeretur, quæ pauper & ad incitas redactus Nobilis exhorriat. Licet huic Dynastæ cum suis ostiatum foret mendicandum, maluit tamen vivere pauper, & unà quasi de cœlo securus, quàm divitem tartareas fauces subire; quanquam longè aliter etiam huic Nobili Jovis taxilli ceciderunt. Retinuit hoc ipsô sua, cùm ea procul à se interius humeros devolveret, quia jure suo cessit famulus, quadrâ herus mensæ in tumulum contentus.

Dixi hæc Opt. AA. ex occasione Castelli Mariani, ubi numerô per innumerô excubias agebant aulæ cœlestis alati Proceres, ut adeô rectè dixerit Richardus jam suprà productus, hoc Virginis Castellum Angelis datum esse pro statione, ut Virgini Reginæ servirent, & quà prono vigiles omnes hostium orcinorum assultus ab hoc Castello prohiberent, peccatoribus nunquam exclusis, quibus datum est pro asylo teste Richardo, Castellum Marianum. Sunt quidem Dei ac Deiparæ capitales inimici peccatores quà peccatores, si tamen & hi ritè contriti jure asyli gaudere ambiant, quocunque tempore per excubitores Angelos admittendi. Ita non tantùm Rich. sed alii PP. passim maximè Bernardus (16) quem unum audiamus: *Si criminum immanitate turbatus, si conscientiæ fœditate confusus, si judicii horrore perterritus, barathrô tristitiæ aut desperationis abyssi incipias absorberi. Mariam cogita! ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsa tenente non corruis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis quovis.* En asylum, huc cum fiducia currite, properate, spondeo, scelerum veniam & gratiam à Deo recipietis per Mariam. Amen.

(16) S. Bernard. homil. 2. sup. Missus.

I. Castellum Marianum reis omnibus asylum est.




CON

# CONCIO XXXI.

# FESTVM S. BARTHOLOMÆI, Apoſt. & Mart.

*Pellem pro pelle.* Job. 2.

## Horrida excoriatio.

QUoties terribile Martyrium, quô vivus olim pro Deo ac pro fide excoriatus eſt Bartholomæus, animo recurrit, vel oculis obtruditur AA. toties illi quoque ſeu menti ſeu oculis obverſari videntur, quos ſcimus eâdem ſub excoriatione animam cum vita poſuiſſe, ita tamen, ut veri Martyris titulum nullatenus participarent, quia tantam corporis lanienam & terribilem carnificinam, non quà Chriſti ſed potiùs quà Diaboli martyres exantlarunt, hîc unà crudeliter excruciati, & ibi poſt horrida fata æternantibus focis & perennibus tormentis adjudicati. Hi quales ſint, ſine ulterioribus præambulis, & absque ullis ſuadæ fuſioris ambagibus mox detegam. Primus pelle ſua per vim ac violentiam exutus fuit Siſannes, urnæ ſub Cambyſe admotus Judex, ſed impius, iniquus.

A. Multis adhuc vivis detracta eſt pellis, neque tamen Martyres ſunt Chriſti ſed diaboli.

Erat Cambyſes Perſarum Rex, omnibus flagitiis coopertus, fratricida, inceſtuoſus, ſororum leno, gulæ & abdomini natus lurco, totas noctes bibendo exurere doctus ſipho, ipſa in cadavera ferociens tyrannus, in Amaſin Ægypti Regem jam tumulo illatum, ſed inde denuò erutum, ſummè injurius, centum fulminibus dignum caput; hunc tamen tot nominibus & titulis execrandum Regem unica virtus ſubditis fecit commendabilem, ut Cambyſem quantumvis ſceleratum, ad aſtra usque laudibus extollerent Perſæ, & Nili accolæ Ægyptii, Pellæi gens fortunata Canopi, quam jure belli expugnavit Cambyſes, ut per ſubreptitiam ſponſam graviter deluſæ Majeſtatis crimen ulciſceretur, Herodoto (1) teſte. At verò qualis hæc virtus fuit, quæ tot inter ſcelerum portenta laudem peperit & ſecularem fortunam Tyranno? fuit hæc unica Virtus *Juſtitia*, vi cujus ſibi ac tribunalibus ſuis de viris æqui juſtique amantibus proſpexit, & ipſe omnes ſine diſcrimine ad alloquium admiſit, ſua exuit.

(1) Herod. l. 3.

B. Rex Cambyſes impium judicem pelle

sit, nullique injuriam per pravos judices illatam unquam passus est abire inultam. Sic animos subditorum lucratus est Cambyses, ut Regem Justitiæ cultorem impensè laudarent, licet aliis grandibus flagitiis hirteiceret. Nullus major hostis urbi potest incumbere aut provinciæ, quàm ibidem Injustitia grassetur; hic enim intestinus & domesticus hostis brevi subruet & seditionibus miscebit universa. Sicut regni basis, reipublicæ fulcimentum, ac solidæ quietis fundamen est justitia, Cypriano (1) teste; sic iniquitas & injustitia regnum dissipat, rempublicam enervat, pacem & quietem publicam profligat; unde tandem illud Isaiæ (3) oraculum verificetur: *Dissipabitur terra, & direptione prædabitur, quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus.* Possent hæc mille exemplis stabiliri, sed placeat unum tantùm vel alterum ex Scripturis haurire. Dico ergò, quod dixi: non potest civitas aut provincia diu felix subsistere, si ibidem publicè protritam videas justitiam. Legatur hanc in rem caput alterum, Prophetæ Amos (4) ubi de peccatis agitur Israëlitarum, & publicum illud tot peccatis decretum supplicium describitur; hæc inter peccata ponitur quidem incestus, & idololatria, sed ante utrumque hoc scelus locò omnium primò statuitur *injustitia*, & tanquam potentissimum malorum communium causa producitur & inculcatur. Volvatur dicti Capitis versus sextus & septimus: versu sextu allegantur illi, *qui pro argento justum vendebant & pauperem pro calceamentis*; tanti sc. pauperem æstimando, quanti solent æstimari veteres calcei, hoc est nihili; versu septimo cribrantur, *qui capita pauperum conterunt*, seu quod idem fuerit, ita in curiis & forensibus judiciis premunt, ut causâ cadant bonâ omnium justissimâ. Legatur hunc in finem Caput primum (5) Isaiæ, ubi postquam Vates inclamavit, *væ genti peccatrici*, & alia multa de peccatis in genere, & de illorum publicis pœnis disseruit, tandem versu vigesimo primo in terminis *injustitiæ* peccatum commemorat, veluti primariam malorum omnium causam; de idolis aliqua primùm mentio agitur versu vigesimo nono. Potuit itaque hoc ex capite apud suos laudem aliquam mereri Cambyses, quòd Justitiæ tenax Princeps totis viribus inquitatum patronos exscinderet, extirparet, adeóque bono publico ritè conservando bellè prospiceret. Expertus est hujus zeli ardorem ac regiam virtutem Sisannes impius ac protervus judex; hic cùm ab opulento cive pecuniis corruptus innocentem viduam improbè judicâsset; hunc ocius vivum excoriari voluit Cambyses, ac pelle judici detractâ impium jussit tribunal insterni; inde filium officio patris admovit dixitque: *Memento, quo ex loco judices, & exitio sape paterno.* Sic Herodotus (6) & Val-

(1) Cypr. in 12. abus.
(3) Isa. 24.
(4) Amos 2.
(5) Isa. 1.
(6) Herodot. l. 5.

& Valerius (7) Maximus. Unicus Sisannes tantos metus pravis judicibus incussit, ut nullus ultrà contra Juris & Justitiæ tramitem sub quacunque lucri augendi spe urnam versaret judiciariam. O quàm rectè talionis lege mulctatus est reprobus judex! decuit omninò, ut qui tot alios exactionibus & pressuris, fraudibus & imposturis excruciavit, excoriavit, exanimavit, atque unà multos fecit Bartholomæos, ipse quoq; propelle pellem redderet, & vivus pro meritis decorticaretur. O ut Cambysis animum plures hodie terrarum principes referrent, paribus sanè imò majoribus laudum encomiis suos Magnates subditi extollerent. Vel unus Prætor impius, vel unus judex iniquus, aut iniquitatis fautor logodædalus, pari cum Sisanne supplicio plectatur, unus talis judex apella sat abundè sufficiat, toti urbi, toti provinciæ ad sacras justitiæ leges reformandæ.

(7) Val. Max. l. 6. c. 3.

Ita pariter cum illo egisse dicitur Solymannus Turcarum Imperator, cujus operâ usus est in expugnanda Rhodo. Promisit proditori, si victor insulam occuparet memoratam, se ei unam ex filiabus suis quam vellet, cum maxima dote in matrimonium locaturum; petenti postea præmium proditioni promissum, tyrannus, filiam, more regalis puellæ gemmis & auro affatim exornatam, eique dotem propè immensam assignari jussit; cùm autem proditor ille velut somnio beatus, dulci gaudio gestiret, mox tyrannus ad eum conversus, vides, inquit, me promissis meis stetisse; at verò cùm tu Christianus sis, filia autem mea nunc sponsa tua, professione sua sit mahometana, procul dubio vos inter parum conveniret; neque mihi ullus mortalium probatur, nisi intra & extra cutem fuerit Muslmannus; nobis autem non sufficiet, ut, sicut nonnulli tua ex secta dicis causâ, & lucri gratiâ facere solent, verbo ac lingua tenus Christum tuum in trabem actum abnegando, coram me totáque aula nostra fidem publicè Mahometo jures; sed multò antè quàm filiam meam in conjugem recipias, deponenda est tibi pellis tua baptizata simul & incircumcisa. His dictis coràm mandavit, ut genero suo tota cutis detraheretur, & sic deinceps in lectulum denso sale consertum locaretur, unde tandem novam cutem eámque Mahometanam sponsus reciperet, ac tum demum filiam suam quà conjugem domum abduceret. Ita proditor ille ludibrio habitus, dignam mercedem perfidiæ suæ, & præmium proditioni commensuratum accepit, inter intolerabiles cruciatus & pœnas extinctus. Dedit & hic pœnas tanto sceleri justissimè decretas; quis enim satis explicet immanitatem, quâ tot animas fidei nostræ domesticas in execrabilem Alcoranum devolvit, &

C. Solymannus Turc. Imp. pellem detraxit proditori nomine tenus Christiano.

D. Nullam gratiam proditores patriæ merentur, omni ævô gravissimis pœnis mactati.

Hist. Orco dedit glutiendas. Olim exquisitissimo tormentorum genere perfidi proditores confecti sunt ipsis etiam ab hostibus, quibus grata fuit proditio, invisus proditor. Ita quoque Selimus Turc. Imp. Ladislaum Kenezimum, qui Giulam prodidit in Transylvania, vasi clavis oblongis perforato inclusum, dolio de monte per declivia præcipitato, acutis clavis confixit. Hungari quondam hoc hominum perditissimorum genus, palis confixos, volatilium prædam fecerunt, vel vivicomburió mulctârunt. Plùs ultrà progredi visus est Paulus Kinisius infer. Hungar. præfectus; cùm enim præsidiarios milites suos, de Belgrado Turcis prodendo consilia mutuò agitâssent, in flagranti deprehensos singulos eorum singulis diebus hædorum in morem verubus affixos & ad ignem assatos, palàm sociis devorandos apposuit, identidem eos interrogans, ut palato saperet proditorum caro, ad immanem cruciatum asperitas convitii accumulandum; novissimum autem eorum, nemine omnium extante, cui cibus apponeretur, lentâ inediâ subdio confecit, prout fusius (8) recitat Bonfinius. Non absimili supplicio pœnas perfidiæ Hispanis dedit arcis Capuanæ præses Gratianus, à magno Sforcia condemnatus, ut vivus melle circumlitus ex arbore suspenderetur vesperum crabronúmque præda, corvorum pabulum, adhibitis undique excubiis, quæ etiam eminus mortem accelerandam prohiberent. Venetus Cardanum Tergestini castelli præfectum, de præsidii traditione convictum, tormentali machina concluſum, in hostium barbarorum castra subjecto tormentario pulvere exonerarunt. Carolus Magnus Ganetum legatum suum pecuniis corruptum, ut Gallorum aciem Saracenis prodederet, Aquisgrani comprehensum, jussit quatuor equis alligari, & in partes distrahi, spectante Belgio & diris omnibus efferum proditorem devovente. Nemo dicat barbaram crudelitatem, quâ patriæ proditor exscinditur. Omni tormento major est proditio. Bono publico irreparabile damnum pariunt proditores, tradendo hostibus sanguinem justum innocuum. *Judicium durissimum bis, qui præsunt*, ipse inquit Spiritus (9) sanctus, seu judiciô feriantur sine ulla misericordiâ, qui nullâ pauperum, nullâ civium & boni communis habitâ curâ, unam sibi suisque bursam prodendo saginant, nec anxii nec solliciti, quocunque tandem modô populares animi emacientur. Clementia non est, parcere uni, & alios innumeros in exitium præcipitare per unum. Impia pietas est, quâ flagitia foventur, & damna damnis accumulantur. Suspectum est patrocinium, quô proditorius actus extenuatur, ut mitiùs perfidia castigetur; ostendit talis patronus, se commissi sceleris complicem esse, & idem

(8) Bonfin. L. 3. dec. 5.

(9) Sap. 6.

& idem nefas animô circumferre, pari proin suppliciô dignum cum flagrione in flagranti deprehenso. Revertat ad præsens ævum antiqua in patriæ proditores austeritas; publici damni authores publicis iisque gravissimis pœnis excarnificentur, unde omnes alii justum horrorem concipiant, & ante millies pro patria mori statuant, quàm hostibus vel in minimo gratificari. Pari pœna deartuati essent, qui gallica lue hanc in horam infecti, & lucri gratiâ in omnem perfidiam abjecti, jam arces & præsidia, jam acies totas & evidentes victorias hostium stygiorum efferis manibus consignârunt, pridem pace sua Germani gavisi fuissent.

E. Etiam hôc ævô par supplicium ferant proditores, & nulla eruntbella &c.

Huc locorum vel maximè spectat Orentius ille, quem tanquam Ecclesiæ sacrilegum profanatorem Dom. 9. post Pent. præsentis Tubæ ex instituto fusius produxi. Non repeto ibi sat abundè descripta. Id unum hic loci moneo, peccatum in templo commissum, procationem in Ecclesia Dei exercitam, gravem irreverentiam per venereos actus, obtutus, aut cogitatus sacris ædibus irrogatam, ut cum templum petunt lupæ ac lenones formæ causâ ad aram explorandæ, tantum esse peccatum, ut & extirpando justus Deus etiam lictores mittat stygios, qui ex imperio Altissimi his ædium sacrarum temeratoribus cutem detrahant & mergant Avernô, sicut hac de causa justô Dei judiciô à Styge speciosam damam mentiente, excoriatus est vivus Orentius. Ex gravitate pœnæ gravitas culpæ mensuretur. Hæc in templis solo cogitatu patrata flagitia, Chrys. teste (10) non tantum fulminibus, sed etiam gehennæ supplicio digniſſima sunt. Isaias certè (11) hoc hominum genus pridem cœlo excluſit: *In terram sanctorum iniqua gessit; non videbit gloriam Dei.* Caveant itaque, ne ulli posthæc has Dei summi Regias, templa nempe & sacella subintrent ea pessima intentione, multîs hodie prô dolor recepta, ut videant & videantur. Non peccavit in templo Orentius ab Orco excoriatus, nisi solis oculis & cogitatu cyprio in avernalem damam reflexo, quem cogitatum turpis assensus excepit, & votum visa Venere potiundi; durius ergò judicium ex alto timeant, qui præter cogitatus etiam verba miscent fescennina, procando, lenocinando; judicium verè horrificum eminus prospiciant omnes illæ & illi, qui ex Dei Sacrario turpe faciunt lupanar, & posito pudore ad scandalum usque pectora nudant meretricantes damæ, unde tot oculos in scopulos agi videas naufragio irreparabili perditæ salutis.

F. Orentio sacrarum ædium impuro temeratori Orcus pellem detraxit.

(10) S. Chrysost. homil. 24. in Matth.

(11) Isa. 26.

Cepi Sermonem hodie à ludice profano & seculari, cui vivo propter repetitas iniquitates pellem detrahi jussit Cambyses, claudat hunc ipsum sermonem Judex sacer & ecclesiasticus, cujus summè tragicam catastrophen Vega (12) repræsentat. Competit hoc *Judicis* nomen illis

(12) Vega de Conf. c. 141.

(13) S. Augustin. de pœnit.
(14) Conc. Trid. Sess. 24. c. 5.

lis maximè Aug. (13) teste, & Concil. (14) Trid. qui sacris præsidere tribunalibus, & animas hominum seu potius conscientias eorum moderantur Confessarii titulô. Sacris hisce Judicibus ex officio incumbit, sine personarum respectu grandium peccatorum numerum investigare, omnes circumstantias accuratè perpendere, serium commissorum dolorem inculcare, firmum emendationis propositum urgere, proximas peccandi occasiones profligare, tam famæ quàm mammonæ restitutionem promovere, paratum ad hæc omnia pœnitentem reddere, contumacem aut luridum absolutione negata dimittere, prompto latisfacere, saluberrimas pœnitentias tot flagitiis proportionatas dictare, patris simul & Judicis personam agere, neque ulla grandium authoritate, neque ullis divitum fortunis, neque ullis mensæ bellariis ad mutiorem sententiam inflecti, multò minùs stibiô pictis vultibus, rotundis collaribus, radiantibus capitum tiaris, rosulis, plumulis fascinari, sed potius pari pretio rustici hircum olentis, quam muscô fœtentis aulici animam æstimare, non minùs promptè pauperem audire, quàm opulentum. Exhibet has probi Confessarii notas ecclesiasticus judex? Salva res: sui & pœnitentis sui animam salvabit; at verò pravorum judicum impiam classem adaugeat, qui activè & passivè malè audiat, qui oculis vel caligantibus vel conniventibus nihil unquam exanimet, nullos simulationum angulos excutiat, nullas occasionum pedicas præscindat, nullum acriùs reprehendat, nullum timorem incutiat, nulli absolutionem deneget, sed eadem turpitudinis cloacâ mersum impunè abire permittat, nulli vel famæ vel mamonæ restitutionem imperet, scelerum enormitatem non ostendat, quàm diminuat, gravissima scelera, & scandala verè decumana excuset, eáque velut culicem deglutiat, ac solopo nitentium numerô ac confitentium gaudeat affluxu, sibique imperi applaudat, si hoc unum ipsius tribunal à magnis pariter & à parvis, doctis simul & indoctis, à viris & à feminis, à lupis & à lupambulis gradi numero sine ullo confitentium fructu obsideatur &c. Talis sanè tam quam summè noxius judex Justum Numen provocabit, ut multiplex sacrilegium grandibus pœnis proscindat, & tam reprobum conscientiæ judicem stygiis justitiæ lictoribus excoriandum tradat & excarnificandum. Prostat ergò rei hujus evidens exemplum in Vega, quod mutuo in salutem confitentium & confessiones audientium coronidis loco fideliter propono.

Etiam Judici Sacro Ecclesiastico seu pravo Conscientiæ arbitro.

Hist.

Fuit avito stemmate nobilis Satrapa, qui sicut vidit se pluribus [illegible] liis nominis & sanguinis, muneris & officii dignitate præcellere, [illegible] quidvis sibi in quosvis licere credidit, pessima persuasione huic [illegible]

seculo multis locis recepta, Nobiles ubique vivere posse exleges, & licitum huic hominum generi esse, quidquid collubitum est, Decalogum adeò non pro illustri sanguine, claris scriptum esse palatinis undique exemtis, sed pro plebe tantùm atque ima hominum fæce; his astra precibus pulsanda, his fame ac inedia corpus emaciandum, ut per arctam & angustam portam cœlos penetrent, avitæ nobilitati diu noctúque sidera patere, quidquid agant homines isti, certos esse de sua beatitudine &c. at vereor, ne totô aberrent cœlô, cùm tot & tanta de cœlo penitus novo vana sibi somnia fingant. Nobilis iste, de quo dicere cepi, gyaris quidem & carcere digna perennibus ausis tentavit, interim pro mundi hujus genio noluit videri, qui esse voluit. Amabat scelera, & amata liberrimè patrabat, neque tamen se sceleratum vel haberi vel dici sustinuit, vitiô passim impiis usitatô; eum in finem arctam familiaritatem cum suo conscientiæ judice contraxit, quem iteratis vicibus invisere & suas in ædes solitus est invitare; publicè etiam visus sacra in tribunali animos expiare, unde à nonnullis rerum ignaris & simplicioribus arbitris famæ laudabilis nomen retulit, ab aliis contrà fallax hypocrita mille diras recepit. Novit apprimè sacer Judex, quantus nequam sub hoc fucatæ pietatis sipario delitescceret, sed tacuit, & scelerum portenta dissimulavit. Quoties nobili placuit, ad vota sua factum reperit Confessarium, mutum nempe & quasi elinguem ac sua cum miserrima absolutione Nobili suo gratificari accinctum. Nullum Mammonam suos jussit ad heros reverti; nullas peccandi occasiones sustulit; nullam crisin in apertam fraudandi & harpagandi, græcandi & procandi libidinem detonuit, sed byssimis semper verbis à se dimisit confitentem Mæcenatem, ei certam criminum veniam à cœlo aggratulatus, si modò pergat sua in pauperculos (ipsum nempe & socios fratres) larga & paterna manu dilargiri: quasi verò licitum foret furari & prædari, ut ex furto corrasis stipem possis largifluam in egenos erogare: quasi verò licitum foret corium alutario sublegere, ut inde valeas nudos pedes vestire. Ut ne fructu suo eleemosyna privetur, ex proprio dari debet non ex alieno. Deus ipsis ne quidem aris suis immolata recipit, si per fraudes fuerint & rapinas obtenta. Scimus Sacras etiam ædes ex Mammona ædificatas Altissimi Numinis imperio per Orcum dirutas esse. His interim fucis & Confessarii palpis sua in pravitate ita firmatus est fictus pœnitens, ut ne quidem de restitutione, aut sui seria emendatione unquam cogitaret, pessimè persuasus salva esse omnia, si modò sua obiter flagitia in aures gratissimi hujus & mollissimi Radamanti deponeret. Ita nec avaritiæ, nec luxuriæ, nec gulæ, nec acediæ unquam diem

dixit

dixit Nobilis iste, fautor potiùs & ampliator scelerum quam serius dissipator ad quorum ampliationem multum contulit is ipse, qui ex officio debuit omne scelus profligare. Explevit tandem scelerum suorum mensuram Deumque ad vindictam Nobilis provocavit. Mortuus est & quidem sine sacris mòrtuus est fatô inexspectatô. Funus nobile tanquam optime de sacris capitibus meriti Satrapæ templo illatum est; at divinis ex more peractis, subitò spectante hominum caterva suo è tumulo funus prosiluit, & recto tramite ad confessionale contendit, quod novit à suo conscientiæ arbitro occupari; hunc ita in patenti Ecclesia alfatus est præsens Spiritus: & cur mihi veritatem obvelâsti? cur pestilenti conniventia tua confessionis integritatem evertisti? absolutio pro te mihi data, omnis fuit irrita & nulla; post tot & tanta sacrilegia tuâ te duce, te promotore in luto scelerum ad ultimum usque spiritum, & ideò sententiam tuli damnationis sempiternæ; æquum adeò fuerat, quia tu scelerum meorum pars omnium maxima extitisti, nunc etiam pars fias pœnarum. His dictis irruit in eum toto impetu eumque a capite ad calcem excoriavit; ita vivus pati cepit teterrimæ stygis tormenta, quibus etiam immortuus à corporis totius horribili læniena in avernalem carnificinam defluxit, socius pœnæ futurus, qui fautor extirat culpæ. Hæc horridæ historiæ summa, quam suo Confessionali inseruit Vega.

H. Sapiant malo alieno molles Confessarii, ac simul rei pœnitentes.

Eant modò Procerum palpones & aliorum scelera foveant dissimulando. Nûlla crisi flagitia proscindant taciturni mitiones! cuivis temerè suam absolutionem impertiant molles confessarii! reos grandium flagitiorum miti suada excipiant, lucri ac mensæ gratiâ decumanas pravitates retundant! vident modò, quæ fata maneant etiam Confessarios & ecclesiasticos judices, si plus mundi genio, quàm Deo deferant & conscientiæ. Eant modò etiam ipsi Pœnitentes, & de acerba cum sacrorum judicum conquerantur, obmurmurent sacris animorum arbitris, si ex officio urgeant restitutionem, & petulanter relapsos vacuis manibus dimittant. Hoc ex judicio non tantùm salus pendet judicati sed etiam judicantis. Alterius culpa Judici sacro imputatur, & pœna cum reo pœna involvitur, quisquis hic loci sacro Tribunali & judiciaria potestate abutitur. Amens fuerit, qui alterius in gratiam seipsum spoliat divinâ. Stupidus fuerit, qui ut corpori putido sit benè, judicat male, judicium sibi manducans & bibens &c. miserum, horridum, invocabile. Me mea tam sævis subducat vita caminis!

Dixi.

CON-

# CONCIO XXXII.

## Festum Nativitatis B. V. M.

*Et Nomen illius erit vivens.* Eccl. 37.

## Nomen Vivificum.

CIrca Nomina infantibus danda mirabilis olim consuetudo viguit AA. Quærebant Majores nostri proli suæ tale nomen communicare, quô vita in plura etiam lustra & numerosas Olympiades extracta, benè longa redderetur & prolixa. Eum in finem certô numerô æquales cereos accendebant, quos certis Divorum nominibus signabant, persuasi, quicunque cereus flammam suam longiùs produceret, serviturum vitæ mille inter pericula firmandæ & prorogandæ. Imponebant proin hoc ipsum nomen infanti, eóque simul nestorios vitæ annos apprecabantur. Hujus antiquissimi ritûs mentionem faciunt duo Patres, Divus Joannes (1) Chrysostomus, & Divus (2) Cæsarius. Ille suo in Commentario Paulino sic loquitur: *Nomen Sancti alicujus imposituri, cereos quamplures accendebant, suum cuiq; Nomen assignantes, atq; ejus demùm, qui ceteris extinctis supervixerat, nomen quasi longioris ævi arripientes, puero imponebant;* à cereo nempe, qui diutiùs ardebat, vitæ producendæ ac tutandæ omnia depromentes. Hunc in morem Petrus Aragoniæ Rex, filio suo nomen hausit An. Dom. 1196. ut perhibet (3) Marinéus. Jusserat ille duodecim cereos albos ejusdem longitudinis, ponderis, & crassitiei in Apostolorum honorem accendi, quorum singula nomina singulis cereis inscripserat, factô simul votô, se illius Apostoli Nomen filio impositurum, cujus cereus, reliquis extinctis, longiùs durâsset. Sic Jacobi Nomen sortitus fuit infans: Hos tamen & alios his similes ritus, maximè si hanc ferant appendicem, vitam cum cereo producendam (quod quidem à Petro non legitur observatum) tanquam superstitiosos damnat citatus Pater.

A. Olim per cereos infantibus nomen quærebatur, quo vita eorum produceretur.

(1) S. Chrysost. in c. 4. Epist. 1. ad Cor.

(2) S. Cæsar. l. 8. Mir. c. 61.

(3) Marineus Sicul. l. 10. de reb. Hisp. c. 13.

B. Ut sic tuæpis est superstitio.

Cæsarius eosdem Apostolos in sortitionem divisos memorat, quis eorum vitale nomen puero subministret. *In duodecim candelis* (verba sunt Cæsarii) *duodecim Apostolorum nomina singula in singulis scribuntur, quæ à Sacerdote benedictæ, simul aræ imponuntur; accedens inde femina, cu-*

C. Tollatur abusus, & nemo carpet cereos.

*jus nomen per candelam extrahit, ill. plus ceteris spei ac vitæ impendit.* Ut autem constaret, quantus simul abusus hoc cum ritu irrepsisset, quem jure ipsi Cœlites acriter castigabant, refert ulteriùs sequentia: Occurrit alicui per sortitionem hanc S. Andreas, cujus virtuti cùm femina diffideret, repetita sortitione alium vitæ Patronum captavit; de alterius verò contemptu ab ipso S. Andrea coràm spectabili graviter fuit reprehensa. Alia pari ex diffidentia S. Judam Thadæum respuit; & ecce, non tantùm ab eodem sancto Apostolo propter informem repulsam, est increpita, sed gravibus etiam pœnis mulctata.

D. Hiberni nullius vivi nomen dabant infanti stolida superstitione.

Hiberniæ populi dicuntur in Nominum impositione, superstitum amicorum nomina mordicus aversari. Credunt stolidi parentes, hoc ipso propera eaque immatura morte infantem periturum, si alterius adhuc vivi nomen sortiatur; si verò defuncti sint amici, eorum nomina summa cum aviditate sectantur; quasi verò à mortuis vita profluere, à vivis timenda esset mors. Sed apage superstitionem, & turpem potatis abusum! mens nobis est vitale nomen indipisci? *Mariam cogita, Mariam invoca*, Bernardo hortatore. *Ipsam sequens* (4) *non erras*, ipsam invocans nequaquam à vita devias in mortem repentinam. Deiparam *vitæ altricem, vitæ dispensatricem, vitæ armamentarium*, Chrysippus, Chrysologus, Bernardinus prædicant & doctissimus Idiota. Hic loquuntaxat Nominis Mariani vitalem potentiam producere mens est; cum enim hac ipsa Nativitatis Marianæ festa luce, Virgini Matri prodigiosum sit Mariæ Nomen impositum, prout verior tenet & antiquior sententia magni Antonini authoritate (5) suffulta, æquum sanè fuerit, ut idem Nomen, tanquam nobile mortis antidotum, hodie ex instituto diluceat detur.

(4) S. Bern. in Cant.

(5) S. Antonini 4. p. cap. 13. de Angel. Salus.

E. Maria nomen est vivificum.

Non sine mysterio ab Ecclesia Matre Virgo Mater, *Viventium Mater* salutatur; quidquid enim vitam spirat, ab una Virgine derivatur, unde Mariæ Nomen, Omen dicas felicissimum vitæ. Idiotæ tam certum est hoc assertum, ut verba illa (6) Scripturæ, *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, audacter Deiparæ (7) adscribat; sicut enim prima illa Protoparentis caro, licet divinis esset manibus è limo elaborata, citò in tetram corruptionem, limum & pulverem abiisset, nisi per affusum humorem illitum, carnem illam cadaverosam solidiori vita Deus instruxisset; sic pulchrè per Mariam in hac vita vivimus, & in vita perseveramus. Idiota magnatè vocat Mariam *Spiraculum hominis, quia per te peccator respirat.* Profectò quisquis hoc Mariano halitu caret, is unà occasui propinquat. Sine Maria citò cadavera sumus, sine Maria citò in tumulum rumus, &

(6) Gen. 2.

(7) Idiot. l. Cont. c. 5.

F. Probatur ex Script. & SS. PP.

in vermes abimus. *Meum est consilium, mea est æquitas,* (8) ipsa tecto nomine Deipara clamat, ubi legunt Hebræi: *Mea est essentia*, seu quod idem est, *subsistentia*, cùm hæc ab illa per famæ sanctioris philosophiam nullatenus distinguatur. Quæ causa extitit, cur Andreas Cretensis (9) *vitæ sustentaculum* salutaret Mariam; nulla enim vita seu naturæ seu gratiæ diu subsistere potest sine hoc Mariæ fulcimento. Quisquis ergò hanc mortalem, quæ nobis cum brutis est communis, vitam satagit servare, vel prorogare; quisquis virtute seu vita Superis gratiosa perseverare intendit, hôc *vitæ sustentaculô* muniri exambiat. Procul hinc tetram mortem aufugere, ut primùm vivificans Mariæ Nomen audit proclamari, ex Luca & Joanne redditur manifestum, ubi Lazarus sine Maria non fuit suscitatus, Chrysologo (10) teste, hunc in sensum loquente, & Nomen Marianum illustrante: *Sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat cum Martha Maria! veniat vitæ bajula!* Mariophilos inter Scriptores celebris hanc in horam de Nomine Mariano mota fuit quæstio, cur altera syllaba in Maria passim produceretur, & in voce Maria à mari ortâ corriperetur? Varii varias afferunt rationes, quas in Echonica Tuba ex instituto producemus; nunc unam ex illis themati propriam, quod tractamus, huc transporto. Expressit eam suo in Mariali (11) Albertus Magnus, estque tantò majoris authoritatis, quantò majoris sanctitatis est ipse Author. *Tertiæ diei*, inquit ille, *opus est Congregatio aquarum in unum locum, id est, Uterum virginalem, congregatio omnium gratiarum; sed in hoc est differentia, quòd congregatio aquarum appellatur Maria mediâ correptâ; congregatio gratiarum appellatur Maria mediâ productâ. Illa Congregatio aquarum brevis est & transitoria juxta illud Apocalypticum* (12) *& mare jam non est; hæc autem est perpetua juxta illud* (13) *Lucæ: Optimam partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea.* Distinguit, ut patet l. c. Marianus author Marianam fœcunditatem ab aquarum feracitate, aitque in hac voce *Maria* mediam breviari, quia fœtus edit fluidos ac brevi duraturos; in altera verò mediam produci, quia mortalium vitam producit, & vel maximè immortalis æternúmque duraturæ vitæ essentiam seu subsistentiam procurat. Promisit hanc vitam, hanc vitæ essentiam & subsistentiam omnibus illis, qui seriò essent Mariam quæsituri. Ita sanè in Prov. (14) *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem a Domino.* Ubi per vocem *hauriet* vitæ ac omnímodæ salutis etiam corporeæ affluentia signatur, prout bellè observat (15) Damascenus, qui hoc ex capite Mariam vocat *Vitæ nostræ Antistitam*, à cujus nutu vitæ nostræ momenta decurrunt; sine cujus ope nulla

(8) Prov. 8.

(9) Andr. Cret. Sermon. de Assumpt.

(10) S. Petr. Chrysol. Serm. 64.

(11) S. Alb. M. in Marial. c. 162.

(12) Apoc. 21.

(13) Luc. 10.

(14) Prov. 8.

(15) S. Jo. Damascen. Orat. 1. de Nat. B. V.

nulla humana salus dici poterit permanere; ideò Christianos omnes quocunque morbo infectos, pridem monuit (15) Bernardus: *Ad Mariam medicam accedamus*, nostrarum omnium ægritudinum remedia obtenturi, quibus procul à tectis nostris funera proscribamus, & vitam nostram in ævum prorogemus.

(15) S. Bernard. Sermon. 2. super Missus.

G. Eo tempore nata est Maria, quo mundus iste visus est agonizare.

Si circumstantiæ temporis illius pensentur, quô nata & dicta est Maria Mater Dei, deprehendemus, eo ipso tempore natam, & Mariæ Nomine insignitam esse, quô mundus iste ingravescente morbo ad decimum quartum diem pervenit, qui passim pro critico summè omineso ac fatali die habetur; sic enim Hier. (16) in Libro Generationis JESV Christi Filii David, Filii Abraham &c. quatuordecim Reges reperit, quatuordecim Patriarchas, & quatuordecim Duces, ut adeò omnes Generationes ab Abraham usque ad David generationes essent quatuordecim, à David usque ad transmigrationem Babylonis iterum quatuordecim, & à transmigratione Babylonis usque ad Christum totidem Generationes darentur. Post has omnes nascitur hodie, & felicissimo Nomine coronatur Maria. Cur? ut omnibus innotesceret, mundum dies criticos & fatales extinctos esse, mundo natam & datam esse Mariam, quæ Salutem orbi christiano inveheret, juxta illud (17) Augustini Antistitis: *Genitrix Domini Salutem intulit orbi*, eámque duplicem animi & corporis, gratiæ ac vitæ temporalis, quam non rarò in uno oculi, & unicô temporis momentô tetra mors pessumdat. Grassentur ea, ut lubet, ruant corpora, crescant in dies cadavera, Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat à corde vitæ Servatrix Maria, mortis profligatrix Maria. Hanc vel solo nomine tenus salutâsse, metum incutit serpenti fato, ut retrò pedem moveat facto horroribus repressum. Contra impetuosos mortis assultus magnis sæpe impensis unguenta fundimus pretiosa. Nomine tenus ex animo Mariæ salutetur, & plùs proderit hoc unicum Nomen, quàm si totam pharmacopæi officinam unguendo exhauriat. *Melius est Nomen bonum, quàm unguenta pretiosa* Script. (18) teste. Nempe, unum Nomen Marianum millenis prævalet unguentis. Sic in terminis (19) Richardus: *Efficaciam hujus Nominis innuit Salomon dicens, melius est bonum Nomen, quàm pretiosa unguenta; nulla enim pestis tam efficax est, nulla sic bona, quæ ad Nomen Mariæ non cedat continuò.* Et verò potuit avis illa Nominis hujus nuda enuntiatione, de qua Lyræus (20) prædonis ungues effugere, servare vitam vix unô pilô à morte remotam, quidni idem à fortiori sperent, Sanctum Mariæ Nomen pleno affectu enuntiantes?

(16) S. Hieronym. in Matth.

(17) S. August. tr. 28. in Joan.

(18) Eccl. 7.

(19) Rich. l. 1. de laud. B. V. c. 2.

(20) Lyræ. in Trisag. l. 1. Son. 31.

Pre

Prodigia solo nomine Mariano patrata, non patiuntur ullam difidentiam mortales in animos irrepere. Ea tam ampla, tam prolixa sunt & numerosa, ut finem nullum sit Oratio inventura, si, quibus prodigiis supra omnem naturæ ordinem nobilitatum sit Marianum nomen, voluero recensere. Luctatur cum præsenti fato Andronicus Imperator, jamque à Medicis deponitur, & tanquam evidens funus conclamatur, ecce jam voce defectuosa undam petit è fonte Mariæ; affertur, bibitur, & toto corpore aspergitur. Credi poterant Mariæ nomine aquæ fuisse cœlitus medicatæ; mox enim & melius habere cepit, & totis viribus reparari.

H. Hoc Nomen prodigia parit, probatur ex Hist.

Ille cùm ex navigio in lembum descenderet, fallente vestigio lapsus ad ima maris defluxit, Vincentio (21) teste; at ecce post modicum tempus, qui pridem mersus esse credebatur, ad oppositum litus incolumis evasit; rogatus unde viveret undis absorptus? respondit, cùm caderem sacrum Mariæ nomen assidue invocavi, & hem mox diva Virgo me palliô suô involvit & per undas marinas ad portum usque deduxit, unde modo salvus ope Virginis emergo. Ita sacrum hoc Nomen aquæ maris reveritæ hominem suffocare timebant, qui sacerrimum hoc nomen etiam in profundo maris à se dimittere noluit.

(21) Vinc. Belvac. in Spec. l. 7. c. 88.

Petrus Thyræus (22) refert caput extincti militis in Valachia palàm sub dio tertium jam annum jacuisse & Mariæ nomen inclamâsse, quod cùm transeuntes audirent, & ossa inter vocem inquirerent, his verbis à calvaria compellatos esse exploratores: viri quid hic statis curiosi? Christianus sum & prodigiosæ Matri Mariæ semper impensè addictus; ante triennium inexpiatus hic loci cruento prælio cæsus occubui; at Virgo mater, cujus nomini devotus vixi, me reum supplicii æterni non patitur damnari; hæc me linguæ compotem jam triennio servat, ut & delicta mea valeam confiteri & veniam consequi merear. Sic accito è proximo pago Sacerdote, confessionem ritè peregit, acceptaq; novissima lustratione defuncti caput repente conticuit, ac perpetim quievit. Tanti nempe nomen Matris suæ Deus facit, ut tam inusitatô prodigio ejus Sanctitatem decantari vellet. Possem aliis pluribus prodigiis testatum reddere, quàm verè vivificum & vitale nomen si Marianum Nomen tetræ mortis in ictu oculi debellativum Nomen; sed ut sua etiam tragædia tragicam Tubam coronet, nunc sub finem obiter ostendo, sicut hactenus nominis Mariani cultus & reverentia mortem proscripsit, vitam firmavit & prorogavit; ita sacri hujus Nominis contemptu vitam corporis mutilatam, vitam animæ protritam, corpori & animo mortem

(22) Petr. Thyræus de loc. infest. p. 1. c. 14.

tem acceleratam esse. Aures arrigant Mariani Nominis osores. Factum quod huc loci ex Raynaudi centuria (23) transporto, accidit in Apulia non procul Bario sub finem Anni 1643. Ibi fuit Marchio sanguine quidem & opibus illustris, at verò carnis suæ & Satanæ procurmancipium. Vidit Virginem piam voto virginitatis Deo ac Deiparæ obstrictam turpis leno, & in eam tantis illico focis exarsit, ut in omnem ansam prædæ potiundi oculos & animos versaret. Audiit tandem solam domi delitescere, mox ergò per posticum procus irruit solitariæ vitium illaturus. Obstitit quidem turpibus ausis quanta vi potuit ac nisu, cumq; interim renitendum identidem Mariam inclamaret, sub cujus tutela se esse protestabatur, ac unà Virginis hujus indubiam ultionem lenoni oggereret, quæ illi futura esset pœnitentiæ uberrima fomentis, spurcus admissarius horis blasphemias stygiam vocem resolvit: *Ecquam tu mihi Mariam nocivam, à qua mihi fraudi hujus culpa veniat pœnitentia?* Non tulit Deus tantam blasphemiæ & atrocitatem enormi impudicitiæ junctam diu esse impunitam. Vix siliquis hisce porcus lutulentus libidinem exsaturavit, hem subita morte Sacrorum expers defungitur. Anima se abeuntis rectà in Orcum rapta est, cadaver autem à suis clanculò in Capucinorum ibi cœnobium concubia nocte delatum ac tumulo datum est. Nesciebant Patres quàm misera morte sit extinctus Marchio, Dei blasphemam libidinem vindicante, bona itaque fide exceptum, cadaver ejus tumulo condebant ritu Christiano non sine psalmis atque aliis suffragiis, quibus animam defuncti sublevarent, sed frustrà satagebant. Nocte tumulationem sequente, pius ex familia sacra Religiosus, templum fortè ingressus, super defuncti tumulum spectrum deprehendit, ita tetrum, ita horridum, ut solo ex aspectu propè proprius exanimaretur. Ut primùm verò ad se revertit, Cœnobii præfectum quid vidisset, admonitum, eam in mentem induxit, ut mandatum ipsi imponeret de repetendo loco & spectro interposita adjuratione urgendo ad patefaciendum, quid isthic quereret. Paruit impositò mandato Religiosus, quem Præfectus ipse cum suis eadem ex familia illicò sequebatur. Adjuratione ex obedientiæ præcepto adhibita, spectrum ocius, quod erat, aperuit his verbis: sum ego anima Marchionis hoc tumulo conditi, quam Deus justus Judex ob injuriam Deo ac Deiparæ, per votum obstrictæ virgini petulanter illatam, & ob Marianum Nomen à Virgine impleratum, à me verò grandi blasphemiæ sibilò explosum, morte subita è luxurioso corpore protrusam æternis ignibus addixit; fidem verbis facio-
ciendam, si referatò tumulo cadaver à dœmonibus asportatum non com-

(23) Raynaudus in Centur. I.

Stuprator Sacrilegus & Nominis Mariani blasphemator præda diabolo corpore datur & animo.

Hist.

compareret, sed putor duntaxat intolerandus ex imo telluris prodiret. Apertus est tumulus mox tamen inanis loculus aparuit, & tanta inde mephitis ascendit, ut complures ex illis qui aderant, quasi exanimati humi fluerent. Loculus instar carbonum nigricans è tumulo protractus, & in sterquilinium abjectus, (mirum dictu) mox præda fuit quatuor corvis, qui loculum rostris diffringere & frustatim visi sunt devorare. Magnum passim Oratoribus sacris hinc suppeditatum est argumentum ad incutiendos omnibus illis saluberrimos timores, qui sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, in scelera abripiuntur.

Quid ad hæc & alia omnes illi, quibus semper invisum & infestum Nomen est Maria? eludant sonante cachinno Nominis Mariani patrocinium! debitos honores Dei Genitrici Mariæ subtrahant perfidi! veniet tandem hora, quâ elusi & protriti Nominis mariani cassa pœnitentia subeat animos flagrantibus Orci focis immersos. *Oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt* (23) ad prodigia saxei, ad palmarem Dei vindictam flecti ferrei petrones. Eos summo terrarum Artifici Deo, qui solus nec oleum potest perdere, nec operam, reformandos committimus. Noverit ille, quòd vires superat humanas, truncas quinti evangelii arbores sculpere, limare, *donec formetur Christus in illis*, ut Paulus (24) meminit. Nobis cum nostræ fidei domesticis negotium est, qui ex dictis sibi firmiter persuadent, quanti Deus faciat suæ Matris sanctissimum Nomen, quod tantis ubique prodigiis in firmanda vita & profligandâ morte illustrat, tantis pariter pœnis vindicat contemptum. *Lætamini* proin *& exultate in Nomine sancto ejus*, verba sunt Isaiæ, (25) *omnes, qui diligitis eam! gaudete cum ea universi ut repleamini ab uberibus consolationis ejus*, quæ omnigenæ salutis pharmacum, vitæ promptuarium, sanitatis armamentarium, afflictæ valetudinis instantaneum remedium orbi communicat per Nomen Marianum.

Amen.

(23) Psal. 113.

(24) Gal. 4.

(25) Isa. 66.

# CONCIO XXXIII.

## FESTUM S. MATTHÆI Ap. & Evang.

*Vidit hominem sedentem in telonio.* Matth. 9.

## Opes Stygiæ.

PRô quæ cœcitas, quæ & quanta perversitas peccatores animos infestat AA. non æstimantur vitia suis licet suppliciis stipata. Non vitantur vitia, licet mille periculis vitæ coronata. Hæc pericula quocunque casu Deus submoveat, beneficii loco accipienda foret submotio; at cœci mortales pro gratia, quam nolunt agnoscere, mille murmura in ipsum Deum & divos Cœlites eructant. Hæc pericula nullibi citiùs incurras, quàm inter auri argentique acervos, eos maximè, quos cœca opum mater avaritia collegit, & iniquitas corrasit. Divitiis hâc viâ partis & vitæ tanta est affinitas, ut mutuo etiam nomine glorientur. Nil tam propinquum est divitiis, quàm vitiis oppleri, quibus in abyssum malæ fidei possessor mergatur. Plutus auri numen & Pluto numen Averni tanta se propinquitate contingunt, ut arctior dari haud possit, nisi ageas identitatem. Indicabant per hoc majores nostri, divitias & inferos summam inter se societatem fovere; sicut enim vix à se invicem literulâ distant Plutus & Pluto, ita non multùm inter se diffident divitiæ & Inferorum flammæ; quod ut innueret ipsa etiam natura, aurum & argentum in ima terræ viscera detrusit, ut ipso primæ originis situ vicinum esset Averno, neque erui posset, nisi ab iis, qui peterent profundum. Accedunt oracula divina (1) *dives difficile intrabit in regnum cœlorum*. Quæ difficultas ne modica esse videatur, mox subnectitur: *Facilius est, camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum*. Hæc sententia usque adeò Apostolos exterruit, ut dicerent: *Quis ergò poterit salvus esse?* Quibus responsum est: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt*, quasi diceret, Omnipotentia Dei & infinita ejus Pietas ad hoc exigitur, ut dives aliquis salvus fiat; est enim ingens prodigium, divitiis oneratum

A. Nullibi plus vita & animæ salus periclitatur, quàm inter opes, eas maximè quas malo titulo avaritia corrasit.

(1) Matth. 19.

sursum ad cœlos ascendere, cùm etiam opibus & fortunis vacuo grave accidat, per viam tam arduam ad Superos eluctari. Tale prodigium erat præsens Festi hujus Præses ac Patronus Matthæus Apostolus simul & Evangelista, quem vidit Deus in telonio sedentem, ut innueret, Mammonâ pressum stare ulterius haud potuisse, pondere deorsum trahente. Audiatur hanc in rem Ambros. (2) *sedebat, quia stare non valebat, pondere cupiditatis oppressus, & intus fraudum conscientiâ incurvus* avarus in lucro, insatiabilis desiderio, in debitis flexuosus, in exactionibus truculentus, in rapinis barbarus; hunc hunc sedentarium seu pravis auri motibus habituatum Euclionem Christus vidit, mox eum verbis hisce affatus: *Sequere me.* Notat hic loci Bonav. Christum tria fecisse pro Matthæo, (3) *exiit, vidit, vocavit? Exiit ut requireret: Vidit ut attraheret: Vocavit ut ad se converteret.* Secutus est vocantem & intuentem Deum Matthæus, ac relictis omnibus vestigia pressit Servatoris. His obtutibus etiamnum hâc horâ clemens Deus pessimos eucliones dignatur: his vocibus *sequere me* adhuc hodie jam è cœlo, jam ex Eucharistica theca ad sui sequelam bursarios invitat; sed quotus hôc ævô vocanti Deo obsecundat? quotus relictô telonio & iniquitatis mammonâ suum ad herum remissô, se bonis exuit malè partis, & sursum invitantem Deum sectatur? ah totum hunc orbem oculis obeamus, numerô sanè perpaucos reperiemus, qui prævia Matthæi exempla sibi vendicent, eaque verbô simul exprimant & factô. Passim divitiis & vitiis inhiatur, licet inde æternum *væ* incurratur. Passim in foro clamatur & in choro: *Virtus post nummos, quærenda pecunia primùm est.* Proxima gehennæ pericula inde procis suis nasci solita contemnuntur & explodunntur. At verò unde fit, ut tam rari divites salventur? quæ ratio raritatis? investigemus nonnullas.

Prima ratio in ipsi sresidet aureæ fortunæ donis. Ardet Deus opum largitione homines allicere, ut fortiùs ament Largitorem, hunc finem auri possessio aut cupiditas diruit, evertit, quia in vicem gratitudinis Deo refundendæ mentem hominis occupat cœcitate, & oblivionem Datoris inducit, & omnibus vitiis viam referat. Sic opes cedunt in exitium, quæ esse debebant Dei tam munifici memnosynon. Sic illi factum legimus, de quo sequentia memorat (3) Pædagogus. Jam ultimus articulus instabat, jam propè animam agere videbatur opulentus, nihil adhuc de Deo, nihil de cœlo, nihil de inferno audire voluit Moribundus, sed Confessario potius exesse jussô, lancem auro plenam per uxorem afferri voluit; quæ cùm

B. Prodigium est, si dives cum Matthæo sursum tendat ad Superos.

(2) S. Ambros. hom. de Vigil. Sancti.

(3) D. Bonavent. in Matth. c. 1.

C. Rari hodie Deo vocanti & ad se invitanti obsecundant. Causæ tantæ raritatis, cur tam pauci divites salventur, inquiruntur.

D. Causa prima ex eo trahitur, quod opes Dei oblivionem pariant, cùm potius gratitudinem excitare deberent.

(3) Pædag. Christ. c. 7.

Hist. ocius esset allata, eidem manus inseruit, illa identidem suspiria & preces aureos inter nummos reiterans: Tu tu ô aurum meus deus es! Tu mea spes es! Tu mea unica voluptas es! Tu vita es mea! Quidquid infesti popæ deblaterent, à te uno ego solidam opem exspecto. His dictis, caput aurô circumvolvens, illudque desuavians, ac veluti suum adorans idolum, animam tandem à pluto ad Plutonem transmisit. Prô quæ vesania! captare aurum & animum totô cœlô proscribere?

*Nimirum ingenti congesta pecunia curâ*
*Est deus, humanas nunc regit ipsa vices.*

E. Causa altera ex inhumanitate in pauperes sumitur.

Alteram causam parit inhumanitas, quâ utplurimùm pauperes egenos ope sua destituunt opulenti. Eum se erga hominem gerit Deus, qualem se suum in proximum homo exhibet. *Misericordes misericordiam consequentur, judicium autem* (4) *sine misericordia in eum vibrabitur, qui non fecit misericordiam.* Est divitiis ita propria immisericordia, ut ex centenis divitibus vix numerô totidem misericordiæ patres reperias, quot portas numerant Thebæ; cùm enim miseri non sint, nec sciunt, nec sentiunt, quid sit esse miserum; hinc miseris nec condolent, nec auxiliantur, indigni proinde sunt, quibus manum præbeat auxiliatricem clemens Deus. Scimus, quid de Evangelico divite illo in stygeo pulto dixerit (5) Stridonensis: *Ideò rogans dives non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudivit in terris.* Induebatur purpurâ & byssô, Lazarus interim nudus ante januam jacuit abjectus & contemptus. Misertus fuisset Lazari, etiam à Deo misericordiam consecutus fuisset. Damnatus erat dives ille non ob divitias, sed quia divitiis non usus est ad misericordiam pauperi Lazaro exhibendam. Habet hic loci multoties locum tritum illud:

(4) Jac. 2.

(5) S. Hier. homil. de div.

*Quò plùs sunt potæ, plùs sitiuntur aquæ.*

Quò ampliores fortunæ possidentur, eò fortiùs succendunt possidentem, eò crebrius exstimulant & inflammant habentem; quò autem fortiùs amantur, eò ægriùs in egenos dispensantur; hinc minùs liberales redduntur in miseros; hinc magis duri fiunt, & inhumani in omnes illos, quos dira premit paupertas, ac pluribus ex titulis digni, quos nullam pariter misericordiam à Deo consequantur, sed judiciô sine misericordia æternum castigentur. *Quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis* (6) cujus clarum specimen dedit dives in Orco sepultus; non ille

(6) Matt. 7.

rapuit aliena; non templi bona dissipavit; non pauperes oppressit; non pupillos exspoliavit; non viduas exhausit; non rusticellos emunxit, excoriavit, sed tantùm erat dives, purpurâ & byssо indutus & quotidie splendidè comessatus; quod ergò crimen commisit Orcò dignum? jacuit ante januam Lazarus ulceribus oppletus & nemo erat, qui jacentem vel vestibus, vel mensalibus micis aut bellariis refocillaret. Canes aluit epulo, Lazarum despexit; in vestium mensarumque pompam opes suas largiter effudit, Lazaro nec obolum transmisit; hinc illa horrida sitis excrevit, quam nulla Abrahæ trulla poterat refrigerare.

Tertiam causam Voces præbent, quibus mundi hujus continuam prosperitatem è cœlo Deus epuloni exprobravit, prout Scriptura (7) loquitur *recepisti bona in vita tua.* Verum est, immisericors fuit Euclio ille, sed hæc sola immisericordia non peperit tantam suppliciorum immanitatem. Ipsa opulentia & perennis fortunæ usus, omnium voluptatum affluxus, tantam post se trahebant malorum iliadem. Semper hic loci felicem esse & fortunatum, boni ominis signum non est. Timendum est, ne assiduam faustitatem infelicitas excipiat sempiterna. Noluit olim D. Ambrosius vel per horam in diversorio subsistere, cùm audiret ex caupone se nullis unquam adversis, nullô morbô, aut alia quacunq; calamitate tentatum, sed solibus semper placidis, semper innubibus & serenis gavisum esse. Ergò intulit S. Pater, migremus hinc; nolim ego hic loci pernoctare, ubi timendum, ne tantam felicitatem infelicitas excipiat, & nos cum ipso pari fato involvat. Migremus hinc. Migravit S. Pater cum suis, & eadem nocte collapsa domus, omnes inquilinos miserè obtrivit & contumulavit. En quàm nihil boni Mediolanensis Antistes ex continua felicitate præsagiit. Est nempe nimis verum, certumque quod suis olim epistolis (8) Hieronymus inseruit: *Difficile, imò impossibile est, hic ventrem implere & ibi mentem* mille deliciis saginare. Christus ipse hanc assiduam faustitatem pro signo posuit secuturæ damnationis (9) ideò palàm dixit: *Væ vobis divitibus, quia hic habetis consolationem vestram! væ vobis, qui saturati estis! væ vobis qui ridetis, quia lugebitis!* Item Apocalypticus Joannes illâ sententiâ expressit (10) *quantum glorificavit se, & in deliciis fuit tantum date illi tormentum & luctum.*

(7) Luc. 16. F. Causa tertia quia ex opibus se perpetim felices reddunt opulenti, ergò hic cœlum fortiuntur & ibi Orcum.

(8) S. Hier. ep. 34. ad Jul.

(9) Luc. 6.

(10) Apoc. 18.

Quarta eaque ultima causa ex aliis pænè innumeris hodie producenda est iniquitas vel iniquitatis Mammona, qui ut plurimùm divitias veluti prodromus præcurrere solet, aut comitari aut subsequi consuevit. G. Causa quarta est, quia multo-

ties opum gratia justitiæ cultus conculcatur.

(11) Ps. 84.
(12) Ps. 5.
(13) S. Hieron. Ep. ad Hedib.
(14) Plat. l. 5. de leg.
(15) Georg. Reb. in reg. prud. p. 2. c. 11. n. 20.

Hist.

suevit. Justitiæ virtuti cœlum debetur juxta illud: (11) *Justitia de cœlo prospexit*; injustitiæ verò & iniquitati decretus est infernus. Ita Psaltes regius (12) *non habitabit juxta te malignus, nec permanebunt injusti ante oculos tuos.* At verò juxta vulgatam S. Hieronymi sententiam (13) *dives vel iniquus est, vel iniqui hæres est.* Quod ipsum multò ante Hieronymum visus est Plato ethnicus enuntiare (14) his verbis: *Verum est, quod vulgò jactatur, admodum divites non esse bonos.* Quid ergo mirum est, si divites rarò admodum salventur, sed suis potiùs cum fortunis in Orco sepeliantur. Produxit talem oppidò divitem Mammonistam in regulis suis prudentiæ Christianæ Georgius (15) Reb. quem modo meis quoque Auditoribus bona fide communicò. Erat, inquit ille, superbia tumidus legista, qui verbis & vocibus ad omnem fraudem compositis, plures causas undique impias & iniquas præter omnium spem reboante conscientia lucratus, grandem sibi solicitantium & fores pulsantium clientum peperit affluxum, unde sibi nomen comparavit famosissimum ac numerosas opes collegit, quibus omnis generis delicias sectatus, improbè cuticulam explevit luxorius gulæ; at subito lue obrutus periculosa & undique fatali à sacris invisitur & à profanis, de periculo monetur, ad animos ritè ante obitum expiandos totis viribus inflammatur; at ille tanquam surdus & jam conclamatus oculos, aures atque animos avertit, rejectis tandem omnibus vestimentis & ipso lecto nudus in omnem se partem versat & reversat, tandem velut furore percitus horridam promit vocem: Adesto Deus & tu diabole adesto! certate modò & dimicate, cui vestrûm jus competat in hanc animam meam; hanc illi obsignabo, qui hac in arena victor evaserit. Tacuit per semihoram ad horrisonas hasce voces ore blasphemo eructatas, inde iterum linguâ stygiâ Stygem evocare audivi: eja propera diabole, cape animam meam, tu vicisti. Anima hæc non Deo debetur, sed tibi, age cum ea, quidquid placuerit. Deum ejurat, Divos execror, toti Cœlo nuntium remitto. His eructatis, in ingens acheronticos spiritum exspuit impii corporis inquilinum. Surgant omnes hæc audienti, tremant digiti hæc scribenti, lingua titubet hæc & similia proloquenti. Interim his exemplis libri & annales abundant, & quotus est qui opibus suis diffidat? jure hîc omnes opulenti contremiscant, jure divites metuant, etiamsi nullam ipsi fraudem commiserint, ne fortè aliquid alieni per alios malè corrasi æris possideant; sanè rerim adeò, ut non tantùm ab omni iniquitate se seriò abstineant, sed etiam

etiam summa cum solicitudine in suarum opum primas origines inquirant, quid si esset mammona, hæc pinguis & opima hæreditas, per reprobos fortè legistas & juris truncatores rabulas ad me devoluta? malim omnibus bonis carere, quàm ex alieno epulari, græcari, vivere, ludere, deliciari.

Faxint Superi, ut submotis omnibus hisce causis, quibus opum damnatio maturetur, opum Largitori Deo nos semper gratos exhibeamus, & donis è cœlo effusis ad supremi Numinis ignominiam nunquam utamur, sed opes potius & fortunas ad Dei honorem & gloriam, ad pauperum solamen & subsidium juxta leges divinas usurpemus, impensè semper cavendo, ne quid iniqui æris bursis nostris irrepat, illâpsum, verò suis æqui possessoribus ante Solis occubitum transmittendo; ita multiplex pecunia, quæ tot aliis divitibus hactenus peperit gehennam, nobis pariet immortalem gloriam.

Amen.

H. Tollantur hæ causæ, & opes nobis non gehennam parient sed gloriam.



# CONCIO XXXIV.

## FESTVM S. MICHAELIS, Archangeli.

*Væ homini, per quem scandalum venit.* Matth. 18.

## Væ Scandalosum.

A. Mirabilem Quæst format Tostatus, quærit an Jeroboam erigendo vitulos aureos plus peccarit, quàm omnes homines mundi? Respondet affirmativè.

QUid pessimus Israëlitarum Rex egerit Jeroboam, ex 3. Regum 12. & sequentibus abundè clarescit AA. Occasione vitulorum, quos nequissimus Jeroboam ex auro fabricavit, & publicæ adorationis cultui exposuit, totus Israël lapsus est in Idololatriam. Ita gravissimè peccavit Jeroboam peccatô non tantùm idololatriæ, sed & enormis scandali, quia causa fuit, cur totus Israël deinceps usque ad sui excidium hos vitulos adoraret. Ex gravitate pœnæ gravitatem culpæ metiamur. Hanc idololatriam a Jeroboam publicè productam, hoc scandalum, erigendo & colendo vitulos aureos, vero Dei cultu humi fuso & pessùmdato, grandibus plagis Deus castigavit, quas etiam multò antè prædixit. Primò, puerum ejus subita morte occubiturum. Secundò ipsum cum tota posteritate periturum, idque cum enormi infamia, ut nempe sepulturâ careret, & à canibus ac feris dilacerentur. Tertiò regnum à Jeroboam & familia ejus ad alios transportandum. Quartò tandem totum populum in captivitatem abstrahendum. Gravitatem hujus peccati, quod hoc loci Jeroboam peccavit, expendit & rimatur more suo perquam solidè & accuratè Tostatus Abulensis (1) Episcopus, inde hanc format quæstionem: *Quæritur, an Jeroboam peccaverit gravius, quàm omnes homines mundi?* Mirabilis quæstio! unde enim tanta profluat immanitas, ut celeberrimo Doctori percunctari liceat, num supra omnes mortales Jeroboam peccaverit, plùs quàm omnes Reges Juda & Israël, qui erant post ipsum, imò plùs quàm omnes mundi homines, ergò etiam plus quàm protoparentes nostri Adam & Eva, quos omnes peccandi malitiâ superâsse videtur Jeroboam. Lustretur S. Script. & ex ea dubii hujus resolutio hauriatur. De scelerato Rege Jeroboam ita S. Literæ protestantur:

(1) Tostat. quæst. 19. in lib. Reg.

tiant. *Fecit duos vitulos aureos & dixit, nolite ultrà ascendere in Jerusalem (2) ecce Dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Horum vitulorum alterum in Betel, alterum in Dan locavit, populóque author extitit, ut iis honores tribuerent divinos. Hac impietate ita commotus fuit Deus, ut quamvis omnes alias offensas promptè ac facilè remitteret, hujus tamen injuriæ tam vivacem semper memoriam retineret, ut plùs quam decies quater Jeroboamo exprobraret, *quòd peccare fecit Israel.* Tam atrox nempe, tam nefarius, impius, & protervus homo fuit Jeroboam, ut non contentus esset malitiâ propriâ, sed hanc etiam in subditos Israëlitas transfunderet, eósque verbô & factô induceret, ut venerationem uni supremo Numini debitam fictilibus vitulis impenderent. Hæc ergò malitia, quâ quis alios ad offendendum Deum inflammat, ita gravis & enormis est, ut eam ob rem jure quærat Abulensis, an Jeroboam, qui totas hominum myriades ad irritandum Deum provocabat, gravius peccârit, quàm omnes homines mundi? Nempe vitiorum omnium, quæ in hominem cadere possunt, nullum scitur gravius, quàm illud, quô plures alii homines adducuntur, ut in Deum suum impii existant & protervi. Nemini proin mirum videatur, si hujus farinæ scandalosi homines exoticô quodam modô animâ simul & corpore puniantur, morte simul temporanea & sempiterna castigentur. Hæc quidem dicta omnis generis homines altè in animos demittant, ii tamen maximè, qui aliis præsunt regendis. Poëta teste, *Omne animi crimen tantò est conspectius in se, quantò major qui peccat habetur &c.* Missis tamen hodie populi Rectoribus & præpositis, unicè statui, solos parentes muneris sui commonefacere, ne suas in proles & innocentes liberos temerario ausu peccare præsumant, quod in suos Israëlitas peccavit Jeroboam. His Evangelii præsentis divinas voces inculco: *Væ homini, per quem scandalum venit!* Væ patri! væ matri! si vèl per hanc, vel per illum peccare discat soboles! væ corpori! væ animæ! væ vitæ simul temporali & æternæ! utriusque jacturam incurrent suam in prolem quocunq; modo scandalosi parentes. Probemus assertum præsens Oraculis divinis & exemplô, verbis simul & factis.

(2) 3. Reg. 12.

B. Tanti erat scandalum, quo Israelitas induxit, ut cultum Deo debitum vitulis impenderent.

C. Væ scandalum dantibus! sed hodie solis parentibus quocunque modo in liberos scandalosis væ intentatur.

Teste Script. (3) *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Accedat pessimum patris aut matris exemplum jam in Orcum non labentur liberi sed trudentur, cogentur & impellentur, secumque trahent, vel eò præmittent pestiferos parentes. Non cupio è fabulis Medeas adducere aut Prognas, liberis suis fatales Proserpinas; faciunt ex his fabulis millies historias nostræ fidei domestici parentes,

(3) Gen. 1.

(4) Ps. 105. tes, qui ut Psaltes (4) quæritur regius, *immolant filios & filias suas dæmoniis* jam Pluto avaritiæ præsidi, jam Asmodæo Veneris procuratori, jam lucifero superbiæ præconi, jam sathanizanti gulæ ac Stygio furori &c.

D. Herodes in bimos olim, quos inter Christum certò statuit perimere, tantis furoribus exarsit, ut ne quidem filiis suis parceret tetra cruce dignissimus carnifex; hanc ob rem, teste Macrobio, Romæ de tanta barbarie edoctus palàm dixit Augustus, *melius est Herodis porcum esse quam filium*. Utinam soli Herodi hæc sententia competeret! at vereor, ne pravitatis herodianæ stygium semen nostro sit etiam ævo affusum. Multis certè parentes pluris hodiè suem faciunt, aut strigosum equum, quàm propriam sobolem; sues certè accuratè visitant, an omnes suo sint stabulo concluſi, equos & boves lustrant & explorant, an suò ritè pabulò vescantur, & nulla sint lue infecti; filios verò & filias per popinas & choreas, per avia & invia grassari patiuntur, donec in avernalis monstri letalem sinum devolvantur, unde nullus ultrà regressus speretur. imò potiùs ad omne pravitatis commercium, ad omnem fescenninam societatem ipsos secum liberos deducunt, testes futuros non tam malitiæ paternæ, quàm gulæ ac libidinis sequaces. Ita studiò volunt prolem suam in omne scelus adolescere, qui nec operam navant, ut probis moribus imbuatur, nec ullum adhibent conatum, ut ex oculis & ex animis suorum obvia quævis scandala removeantur; faciunt adeò herodiani parentes, ut in quamvis peccandi audaciam liberi excrescant & omnibus tandem ærumnis se ac luridos parentes suos in vivis obruant & post fata; nisi enim eos efficaciter velint malos reddere; dicite, quæso, cur eos in omnem vanitatem, luxum & luxuriam à cunis educant? cur eis omnia permittunt, si noxia quævis seriò velint à suis repelli? cur totam domum diris imprecationibus, enormibus blasphemiis, & labevam Venerem olentibus dicteriis incestant, si à suis ardeant castis precibus & perennibus votis cœlos pulsari? cur suos ædium domestico rarò admodum proprio nomine salutant, sed eos potiùs mordacibus sacasmis proscindunt, si nolint ut senes calvastros, rugosas anus Cerbefætentes spumas, servos & ancillas mille aliis convitiis efrænes libere spergant, illos jam cœcos, surdos & mucosos, has jam vetulas, triveficas & Luciferi sponsas, illos verberones & nebulones, has meretrices & Orci pabula proclament? cur ad omnes mensas, nuptias, saltus & tripudia, ludos & spectacula filias dimittunt, ut videant & videantur, si earum integritati esse cupiant consultum? cur prolis numerosæ pertiâ tantum iniquitatis mammonam coacervant, ut ex corio alieno hypo-

Parentum scandala enumerantur & exaggerantur.

pana resonent, & dies semper opimos & adipales vivant posteri, si suæ suorumque saluti providè velint in Nestorios usque annos prospectum? Sic plutus Plutonem provocat in exitium rapacium parentum & impiæ posteritatis. Cur reprobi parentes sobolem suam ita delicatè nutriunt, ita molliter fovent & enervant, ita protervè patiuntur, imò ambiunt, incitant, instigant, ut se ad omnem luxum & luxuriam exornent? sic sanè formæ simul & admiratores pariunt & insidiatores. Minus habent insidiarum, quæ minus habent munditiarum. Dum comuntur, venduntur, vel certè patenti foro parantur, & emptoribus aut raptoribus prostituuntur. Inspiciamus hic loci nonnihil præsens ævum & nostri temporis perversos mores, ac corporis vestiendi rationes cominus exploremus. Prô quantæ novitates in dies & in horas excrescunt! quantô pretiô, quantô vestium apparatu pupæ in forum, promoventur? Nemo dicat hæc levia esse statui suo consona ornamenta! Nemo palliandæ profusioni totale dominium suas in fortunas objiciat, quibus cuique uti liceat & abuti, modò propriæ sint expensæ, & non alienæ. De his longè aliter pronunciat (ʒ) Gregor. quem meditandum propono. *Sunt nonnulli* (verba sunt S. Patris) *qui cultum subtilium & pretiosarum vestium non putant peccatum esse, quod si verum esset, Sermo divinus tam vigilanter non exprimeret, quòd dives, qui apud inferos torquebatur, byssô & purpurâ fuerit indutus.* Juxta hunc Patrem grandes census aut notabilem patrimonii summam in pretiosam curiositatem tegendo corporis trunco expendere, interim nullam Miserorum rationem habere, quibus gravissima mendicitas mille gemitus extorquet & lamenta, grande scelus est Christianæ charitati è diametro oppositum, atque adeò ultricibus Averni flammi torquendum. Accedat huic vestium generi grande scandalum, quô juniores suas nudo pectorali mucidæ matres prostituunt, aut prostitui patres patiuntur, flamma duplô major prolem involvet & parentes.

(ʒ) S. Greg. homil. 40. in Evang.

Liceat mihi hic loci brevem aliquam digressionem facere ad femellas, hominum genus supra quàm credi potest formæ suæ & alienæ studiosum. Se ac prolibus suis ad usque scandalum fucandis non paucæ plurimas terunt horas, nullo alio fructu, quàm stygio, tartareo. Sunt has inter, quæ cum nullis artibus fieri possunt opulentæ, volunt tamen videri opulentæ, in quem finem suas etiam soboles magnifico luxu velut equas solis phaleris celebres, cœcutientibus procis venum exponunt. Sic totus earum mundus grandes divitias prurientibus spondet candidatis, sed *spondæis dives quilibet esse potest*; Domi nil præter horridam sorditiem & annosam paupertatem ostentant; foris splendicant

E.

Notæ in Matres fucandis pudicis distentas, ut subperbiam foris propugnent.

dicant corporis emaciati ornatu, propriis in ædibus sitiunt, esuriunt, uno sæpè cochleari contentæ, cœcô jusculô & fontanâ grœcantur; exteriùs sericis & attalicis vestibus putidam carnem exornant, interiùs nigris centonibus sordescunt; foris aurô, argentô, gemmis & unionibus superbum caput, nudum pectus & venale corpus circumferunt, intus lacerô undiq; linteo pellem tegunt meretriciam; ceteram si suppellectilem investiges, nec integram in mensis mappam, nec totum stragulum pro lecto reperies, aut totum si fuerit, censum feret hebdomadarium, proximis è laribus mutuatum; hæc sanè splendida est miseria, albis dextibus digna, quam nisi meis hisce sæpiùs spectâssem, nulli crederem, hominum superbiam eò vesaniæ grassari, ut malint antè cum inedia privatim luctari, quàm aliquid de luxu remittere in publico, veri nomen martyris, sed diabolicæ hîc miseriæ, & ibi suæ tumentis superbiæ pœnæ daturæ interminabiles. Alias procax lascivia eò temeritatis impellit, ut in se ac suis etiam opus Dei corrumpere haud reformident: crine colore mutant adultero, vultum mendaciô pingunt, aliumque ceram faciunt, quàm Deus contulit; sic tandem instar pupæ in compita prodeunt, duplex alienæ castitati facturæ vulnus in vestium elegantia morticinæ pellis prostitutione. Hunc in finem necessarium non est ut talis clades per malitiosam voluntatem intendatur; ut crimen imputetur, satis est occasionem moriendi propinâsse, etsi nulla mors consequatur. Audiamus Hieronymum (6) *si vir vel mulier se ornaverit & vultus hominum ad se provocaverit, etsi nullum inde sequatur damnum judicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, si modò fuisset qui biberet.* Ex quibus verbis sat abundè colligitur quantùm corpus ornatu peccetur, quem in suis prolibus vel ultrò promovent, vel pessimè dissimulant luridi parentes. His ego unà sumptis, & sui cultura tantoperè defatigatis, jure hodie acclamaverim, quod olim Thomas Morus, Angliæ Cancellarius, & nobilis Martyr, nobili puellæ objecit, quando eam multo cum labore ac dolore capillos rapidit crispantem & complanantem, ut frons latiùs pateseceret; latus utrumque arctissimè constringentem, ut gracilitatis gratiam corpori conciliaret; pectus scandalosissimè denudantem, ut meretricios amores reaccenderet; tum enim Vir Dei justô zelô exarsit, & hæc in verba prorupit: *Nisi Deus pro hoc tanto tuo labore tibi reddat infernum, magnam profectò injuriam tibi faciet.* Vidisset Morus, quod his primùm annis inter filias rioris auræ domicellas ceptum est tentari; spectâsset hanc vestium pompam, hanc totius corporis prosopopœiam, adhuc radiis in altum productis & crispato capiti superimpositis coronari, fulmen credo iteratum [illegible]

(6) S. Hier. l. cont. Helvid.

hanc ligulariam pravitatem è cœlis evocâsset. Miror sanè, tam enormem superbiæ proterviam summis à Capitibus & populi primoribus tolerari. Aliter hæc Damarum capitositas tolli non potest, nisi seriò ipsis à Magnatibus, ipsis à Magistratibus averruncetur. Si nolint feminini generis cristas proscindere Damarum immodici cultores, curent saltem ut hoc syrmatum & palliorum genere, his radiis capiti circumpositis & ligularibus mitris, palàm triviales etiam puellæ, imò lictorum quoque & apparitorum filiæ gloriari possint; spondeo, juro, una hebdomade totus iste apparatus evanescet, quia nulla se huic hominum generi ultrà æquiparari patietur. Sed hæc per transennam. Ad Morum redeo; hic magnus olim apud Anglos Cancellarius serio affirmavit, persuasissimum sibi esse, quamplurimos hac in vita parentes cum liberis suis, eò quòd ornando corpori tantos labores vel impendant ipsi, vel impendi patiantur, hoc pretioso apparatu Stygem mercari, cœlos lucraturi, si dimidiam laborum partem animæ cultui destinâssent.

Emit teterrimam Stygem hôc vestium pretiô uxor Veneta, virô suô viduata, quæ, ut perhibet Nicolaus (7) Vernulæus, maritô ad umbras dimissô, adeò mollis, delicata, & enormi luxu fracta est, ut carnem morticinam non aquis communibus, sed roribus matutinis, quos colligi laboriosissimè curabat, perpetim lavaret, nec cibos ad mensam manu contingeret, sed eos fuscinulis aureis ori admoveret. Corpus suum unguentis quotidie fragrantissimis perfunderet; cubiculum pretiosissimis aromatis vaporaret; quidquid luxus ingenioso feminæ genio suggereret, id totum sibi & corporis sui trunco vendicaret. Exemplum matris secuta proles tam in vestibus quàm in escis & corporalibus deliciis volupias prensabat nonnisi exoticas & paradoxas. At quousque tanta se licentia extendit? Annô alterô visus est Deus ad tam immanem proterviam connivere; inde divinitus gravi morbô mater percutitur, ex morbo corporis nascitur putredo, ex putredine tantus fœtor exoritur, ut intueri eam nemo posset, adesse illi nemo ultrà sustineret, ipsa etiam filiâ matris pullâ procul à lecto dilapsâ. Una ei & adhuc fida erat ancilla, quæ plurium aromatum auxilio & naribus probè occlusis raptim quotidie cibum illi porrigebat & festinanter inde pedem revocabat. Sic totis diebus ac noctibus suis in sordibus sibi relicta, & ab omnibus, etiam à suis deposita, tandem diras inter in Deum & in cœlum ejaculatas spiritum evomuit, rectà hinc, ut ajunt, suo cum corpore phlegetontæos in lacus demersum. Sapuit alienô matris malô filia, & valido calce seculari pompæ illiso, soli Deo sacra in solitudine nova veluti Philagia glorioſam servit servitutem, eum in finem, ut sanctius matre sua moreretur. Ti-

(7) Nicol. Vernul. Orat. 22. F.

Pretioso vestium apparatu & corporis luxu Styx emitur. Hist.

G. Væ luridæ Matri incentatum.

meant simile fatum matres quæcunque, imò etiam patres, si nonnihil ad luxum, & quæ luxum comitari solet, luxuriam, teneram sobolem à cunis educent parentes, horum ex manibus salus liberorum requiretur, si vel semel fuerit perdita vel destructa. Quod fusiùs de superbia parentes liberis instillata dictum est, servata proportione de omnibus aliis sumi debet vitiis per parentum malitiam tenellæ ætati affusis. Scandalo peribit, qui scandalum proseminavit. *Væ* æternum omnibus è cœlo decretum est, quotquot alios quocunque modo in grande peccatum, & quod crudius fuerit, in peccandi consuetudinem devolvunt. Caveant adeò parentes, ne pravitatis in liberos transfusæ rei, *dictum væ* incurrant præsenti Evangelio concluſum: *Væ homini illi, per quem scandalum venit* utplurimùm enim *hoc væ* non tantùm temporale, sed damnum etiam importat æternum, damnum non ipsis tantùm parentibus sed ipsis quoq; liberis fatale damnum. Melius sanè foret, nunquam genuisse mortales si eos pravis exemplis suis à cœlo abstrahant. Possent liberi sicut virgulta primis annis in omnem partem ac modestiam inflecti, si animæ curam sui quàm suorum curæ esset parentibus; exsurgat in truncum germen, actum est, quidquid agatur. Refert Fulonius (8) Mediolanensem civem nostra ætate filio suo reclamantibus amicis tantum indulsisse, ut post varia flagitia licentiosè patrata, etiam homicidium committeret, unde profusus banditorum se turmæ associaret. In hanc ipsam banditorum turmam cùm aliquando ipse pater incurrisset, agnitumq; filium admonitus rogâsset, quid hic rerum ageret homicida? Ocius nequam filius reposuit: ago hic loci, quod tu pater filium docuisti, simul eum ad pomiceram & annosam arborem deduxit, hortatus, præsentem ut truncum inflecteret; excusanti aliam humilem & tenellam ostendit arbusculam, monuitq; ut hanc flecteret, quàm cùm facili negotio flexisset, iterum intulit filius bandita, sic nuper fui filius tuus, cùm ad rectitudinem me flectere primis ab annis neglexisti, nunc in lignum ita curvum, hispidum & informe, tuâ unius culpâ indurui. Dixit hæc filius & unà luridum patrem occidit, seque ipsum mox facinorum suorum odiô Senatui Mediolanensi, à quo ad rotam damnatus pœnas dedit multiplicium flagitiorum. En parentes duplex vobis speculum exhibeo! Patres hunc Patrem inspiciant, Matres Venetam contemplentur, unà secum *væ* temporaneum, *væ* sempiternum suos secum in ædes asportent, ac sedulò caveant, ne per scandala liberis data aut in illis tolerata vel temporaneum vel æternum *væ* incurrant.

(8) Fulon. in lib. 2. Mach. c. 5.

H. Et lurido patri.

Hist.

Dixi.

CON-

# CONCIO XXXV.

# FESTVM SS. SIMONIS & JUDÆ,

## Apost. & Mart.

*Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Joan. 15.

## Lex Charitatis.

CElebris hodie quæstio inter Theologos post S. Thomam (1) eventilatur opt. AA. quæ dilectio majus meritum importet, an amici, an inimici? qui pro dilectione amicorum pronuntiant, sequentibus argumentis moventur.

(1) S. Thomam 22. q. 27. a. 7.

A. Quær. in Scholis, quis amor plus meriti pariat? amici? an inimici?

*Primò* sic arguunt: Ea dilectio creditur esse præstantior & consequenter majoris etiam pretii, majoris esse meriti censetur, quæ præstantius objectum fortitur; at verò præstantiùs habet objectum amor amici, quam amor inimici; inimicum enim ut plurimùm juxta mundi hujus sensum parùm curamus, & modico in pretio habemus, ergò &c.

*Secundò* hunc in morem ex Philosophicis principiis argutantur: Juxta meliorem philosophiam & experientiam pænè quotidianam agens semper agit fortiùs in id, quod vicinius est; quàm in id, quod remotius est; atqui vicinior est amicus, qui nobis nihil unquam mali exhibuit, quàm inimicus, à quo nihil præter convitia & calumnias, persecutiones & insidias reportamus; sicut ergò in amicum fortius & ferventiùs amor operatur, ita ex fortiori & ferventiori actione plus meriti amor colliget amici.

*Tertiò* sic à contrariis prædictos sensus suos obfirmant: majus malum est odisse amicum, quàm odio habuisse inimicum, ergò vicissim majus bonum erit amâsse amicum, quàm dilexisse inimicum.

*Quartò* hunc in modum sua probant asserta: plùs obligamur diligere amicos quàm inimicos, ita quidem ut si ambo in extrema necessitate versentur, amici debeant inimicis præferri, ergò etiam amor, qui fertur in amicum, rectè amori præferetur, quò prosequimur inimicum,

*Quintò* pro se quoque Oraculum allégant divinum, quô diserte (2) Joan. 15. prima Veritas (2) asseruit: *Majorem hâc dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* En hic loci *major dilectio* nuncupatur, quâ in amicos exardescimus. Hôc argumentô quid evidentius? hâc sententiâ quid clarius? Stant pro ea recentioris famæ Doctores Cajetanus, Bannez, Lorca, Turrianus & Valentia. Manet itaque tam à ratione, quàm ab authoritate certum, majoris meriti esse amicorum quàm inimicorum dilectionem. At verò nemo ex dictis judicium ferat præproperum; audiatur antè pars altera, quàm sententia proclametur.

B. V. Argumenta pro amore amici.

*Quidquid statueris parte inaudita altera,*
*æquum licet statueres, haut æquum fuit.*

(3) Sen. in Med. Magnus (3) inquit Seneca. Ego nec ratione moveor, nec authoritate, quam pro primatu meritorum dilectioni amicorum tribuunt citati. Asseteram sententiam, quâ palam asseritur, plus meritorum ex inimici dilectione in amantem refundi, quàm ex amore amici, fortiter propugnat S. Paulus gentium (4) Doctor & post ipsum S. P. (5) Augustinus, Dionysius, Malderus, Vega, Doultreman, Bennequin, Salianus, Salmeronus & alii passim, quibus & ego totalem præbeo assensum. Paulus dilectioni, quâ præ amico inimicus fovetur, meritorum primatum assignat his verbis: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus est, multò igitur magis justificati in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum &c.* Dicere voluit hic loci Paulus, inter homines nullum esse tantæ charitatis, ut pro viro justo ac pio mori exoptet, paucos etiam & raros esse, qui pro benefactoribus suis mortem oppetant, Deum vero Christum ex summa in nos charitate, utut impii & injusti essemus malefactores, mori voluisse; ex quo porrò clarè deducitur, Christum omnem omnium hominum charitatem multis gradibus superare. Describitur adeò hic loci Divini amoris immensitas, quô rebelle hominum hostilium genus ultrò fuit amantissimè amplexus. In genere quidem veri nominis objectum amoris *bonum* est, neque unquam homines aliquid amare solent, nisi sit pulchrum, sapiens, dives, delectum, delicioſum, nobile & in summa *bonum*. Dic autem quid boni Deus in nobis reperit? quid pulchri nos inter deprehendit, quod amaret? nunquid omnes fœdi fuimus & insipientes, viles, putidi, mendici, miseri & miserabiles? amavit tamen fœdos, ut pulchros efficeret. Inimicos amavit ut faceret amicos; insipientes amavit, ut sapientes red-

(4) Rom. 5. (5) S. Aug. Enchirid. c. 73.

C. Argumenta pro amore inimici.

ret; mendicos amavit, ut eos opibus ac fortunis ditaret; viles & abjectos amavit, ut eos ad primæ nobilitatis apices extolleret; miseros amavit, ut beatos redderet & glorioſos, Hæc hæc nobilitas est Amoris divini, quâ omnes creatos amores infinities transcendit, ut amoris objectum non reperiat, sed creet amando; ratio enim amandi in Deo non fundatur in objecto amato, sed in ipso Deo amante; ideò enim amat, quia infinitè bonus est, ut bona sua etiàm malis communicet, & ideò amat, ut amorem suum ipsos quoque in hostes transfundat, eosque ex hostibus amicos faciat imò filios ac regni cœlestis glorioſissimos hæredes. Totus hic Pauli Tharsensis discursus eò tendit, ut probet illum amorem summos perfectionis apices attigisse, quo Deus etiam usque ad mortem rebelles suos hostes amplexus est perfidos peccatores. Confirmat recitatam thesin suo potenti suffragio magnus P. Aug. l. c. his verbis: ***Minus magnum est, erga eum benevolum esse ac beneficum, qui tibi nihil fecit mali; illud multo grandius, & magnificæ liberalitatis est, ut tuum quoq; inimicum diligas.*** Taceo Script. loca passim obvia quibus amici amor ad gentiles, inimici amor ad veros Christi asseclas, probi nominis Christianos dirigitur. Nunc sententiæ contrariæ argumenta paucis expedio.

D. Refutatio priorum.

***Ad Primum*** Nego majorem, majus ac præstantius meritum ab objecti præstantia desumi. Amatur uterque tam amicus quàm inimicus propter Deum, ergò pretium ex amici bonitate nullatenus augetur. Mundi sensus & sententia ineptè ad divinum refertur; hic potiùs illum reformet & in ordinem redigat superis acceptum.

***Secundum*** argumentum nimium probat, ergò nihil. Si à fervore actûs præstantia sumatur, centies dici debebit, plus meriti per actum vereum comparari quàm per actum divinum, quod hæreticum fuerit cogitâsse. Cur? videas enim passim hodiè majori cum fervore & ardentiore cum zelo carnem appeti & inanem formam prensari, quàm Dei Gloriam.

***Tertiò*** verum quidem est, malitiam crescere, si odiô prosequaris amicum, optimè de te meritum Mecenatem, sed non ideò præferri debet amor amici amori inimici. Crescit malitia illa, quia novum ingratitudinis flagitium importat, quod amico infestum hominem jure suo iterum iterúmque execrabilem reddit. Amare inimicum sicut actus est sua ex natura magis heroicus, magis difficilis, & sui victoriam involvit decies majorem, quàm amici dilectio, ita pariter triplô majus meritum sibi vendicat inimici dilectio.

*Quartum*

*Quartum* rotundè negatur, quia in articulo potiùs tenemur inimico succurrere quàm amico; ratio est evidens quia ille ob fatalem inimicitiam suam de animæ suæ æviterna salute evidenter periclitatur, non item iste; ergò sicut anima plus est quàm corpus, ita pariter auxilium, quô salus animæ hosti reparatur, aut tuto in portu locatur, prævalet illi, quô amici corporea salus firmatur. Sic in articulo plus opis ferri debet peccatori notorio, aut hæretico formali quàm vitæ probæ catholico, cujus felicem obitum nemo prudens in dubium vocat.

*Quintò* Oraculum divinum inter amici & inimici dilectionem nullam instituit comparationem, ergò perperam adducitur, ut probetur, amici dilectionem alteri notabiliter præponderare. Comparatio adducta tantùm inter ea instituitur, quæ pro amico possunt profundi, inter quæ vita hominum mortalis omnium est preciosissima. Maneat itaque certa & evidens sententia, quâ inimicorum dilectioni summa merces, summa meritorum copia adscribitur, quam ipsam Deus ac Dominus noster nobis hodie veluti formale præceptum arctè servandum imposuit verbis talis: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem*, modô semper omnium perfectissimô & meritorum feraciissimô, qui etiam ad inimicos ac persecutores nostros se promptè ac liberaliter extendat. Opponatur merces inimicorum dilectioni propria alterius dilectionis mercedi, quâ dilectione nostros amicos amplexamur, hæc sanè vel modica erit vel nulla; *si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* hanc nempe Veritas divina ne quidem in numerum vult venire meritorum. Mandatum hoc de inimicorum dilectione palàm datum, novum quidem est, magnum tamen, & hujus præcepti eximiis cultoribus summè pretiosum ipsa Legislatoris cruenta morte obsignatum. *Novum* est; olim (5) Matth. 5. enim (5) *dictum est antiquis: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, dentem pro dente, oculum pro oculo &c.* Sed altius longè Lex *nova* intonat: *Ego autem dico vobis, mihi vindicta & ego retribuam; diligite inimicos, benefacite his, qui oderunt vos. Si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi & alteram*, seu, promptus esto pro Deo etiam alteram mulctandam exhibere.

*Magnum* est hoc præceptum, quia hostium dilectio ipsis etiam sacrificiis præfertur, quæ tamen ipsis etiam paganis tanto erant in pretio, ut nec corporis ustio puerum macedonem, nec Xenophontem (6) Valer. Max. l. 3. c. 3. mortui filii nuntius ab aris avertere posset, teste (6) Valerio. At vero in Evangelica lege tantò major est incruenti Sacrificii reverentia, quantò pecudibus & brutis præstat pecudum hominumque Creator, qui offe-

offertur; unde integritati hujus Sacrificii adeò cavetur, ut si quem Sacerdotem inter celebrandum casus opprimeret, alius eidem Sacrificio peragendo substituendus esset; & tamen etiam de hoc verum est dicere (7) *misericordiam volo & non Sacrificium*, Deoque longe gratiùs est, longè perfectius est injurias condonare vel inimico benefacere, quàm Missæ Sacrificium offerre. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo,* (8) *tunc offeres munus tuum.* Ubi Christus hos charitatis actus præcepit, unà etiam id subtexuit, quòd sequitur: *Estote perfecti, sicut Pater meus cœlestis perfectus est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos;* quibus verbis apertè innuit, summam perfectionem in hac inimicorum Dilectione consistere, quam ideò verticem charitatis, & perfectionis Christianæ coronidem dixit (9) S. Remigius: *Perfectio dilectionis ultra dilectionem inimicorum procedere non potest, imò in ea omnes aliæ virtutes suò modò continentur juxta illud* (10) *plenitudo legis est dilectio,* quâ malum in bono vincitur, ut hosti venia detur & succurratur.

E. Amor inimici magnum Dei præceptum est.

(7) Matth. 9.

(8) Mat 5.

(9) S. Remig. in c. 5. Matthæi.

(10) Rom. 13.

Hoc mandatum summè *proficuum est*, sicut enim hostium dilectio summa diligendi perfectio, & virtutum omnium coronis est, ita per memoratam dilectionem homo suô modô ipsi Deo exemplar est, nobis pariter omnem charitatem exhibendi, omnem injuriam condonandi; hæc enim dilectio non solum divinæ naturæ nos similes reddit (*estote perfecti sicut Pater meus*) sed vice versa per eam nobis ipse etiam Deus assimilatur. En dilectionis hujus summam nobilitatem & excellentiam. Nos ex præcepto divino preces fundimus, *dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus &c.* & ecce mox idem è cœlis recipio, teste (11) Theophylacto, cujus hoc est assertum: *Habet me Deus ut exemplar & quod facio alteri, faciet etiam mihi &c.* si quidem per hanc dilectionem Deum totius Bonitatis fontem fortiter imitemur.

F. Præceptum est summè proficuum.

(11) Theophyl. in c. 6. Matth.

Præcepto huic *novo*, nec non *magno* & omnium saluti *proficuo* annexa est ratio motiva, *ut sitis filii patris vestri*; ergò filiationis divinæ nota est hæc dilectio, cui jure suo Visio Beatifica debetur; ergò hæc inimicorum dilectio lapis lydius est, quô dicta filiatio adstruatur, quô prædestinatio ad gloriam notificetur; quô nil majus, nil præstantius fingi valeat aut excogitari. Hoc mandatum Christus ipse sua morte in Crucis ligno spectante tota hominum caterva obsignavit, & toti suæ Christianitati seu filiis suis moriens reliquit moriens commendavit, *Pater ignosce illis, quia nesciunt* (12) *quid faciunt*, pro suis crucifixoribus cœlestem Patrem deprecatus.

G. Est Divinæ filiationis nota, cui jure suo Visio debetur beatifica.

(12) Luc. 23.

Ponderat Auguſt. hæc noviſſima Chriſti in Cruce morientis verba, docet-
(13) S. Auguſt. tr. 10. in epiſt. Joan.
que (13) quàm inhumani & cœlica hæreditate indigni haberi ſoleant liberi, qui noviſſima morientis parentis monita violant, aut temerario auſu conculcant. Sicut inimicos diligentibus certa eſt ſalus & Viſio beata juxta paulò antè aſſerta, ita veniam negantibus, & inveteratos rancores animo foventibus certa eſt gehenna: illos Veritas divina filios lucis, filios æterni Patris prædicat, hos verò filios diaboli ſalutat, qui nihil magis amat quàm odium, qui nihil magis odit quàm charitatem.

H. Omnis ergò rancor vaneſcat! ne in fatale odium degeneret.

O ergò rimæ omnes præcordiorum noſtrorum probè undique obſtruentur & oppilentur, ne qua poſſit ira irrepere. Rodit, mordet, lacerat, occidit, niſi primis in principiis rancor opprimatur; in horas creſcit & momenta, niſi ſua in herba, ſua in radice ſuffocetur. Diem dicit omnigenæ charitati, omnium litium & rixarum, omnium ſimultatum & diſcordiarum ſentina. Ea quò diutiùs animô fovetur, eò magis augetur, ſicut augeri ſolet in utero fœtus, donec quà data porta, in damnum tertii ſimul & in exitium irati erumpat. Duret ira in pectore tuo unde unde concepta, mox inde tetri nominis inimicitia naſcetur, omnis amoris peremptiva, quæ ut graviùs ferire poſſit hoſtem ſuum, omnem ulciſcendi anſam explorant. Quis tragœdias recitet ab ira compoſitas, furore dictatas, tam corpore quàm anima tenus inimicis fatales? Ira ægraviſſima ſimul & crudiſſima, quâ inſtigante corpus mulctatur & mortalis vita proſcinditur; at ſi hæc ira in odium degeneret, vi cujus hoſtis non contentus ſit corpus mactâſſe, niſi unà & animam trudat in gehennam, tunc enimverò iram dixeris plùs quàm diabolicam, odium plùs quàm Stygium, vindictæ malitiam propè infinitam.

(14) Raynaud. in part. n. 96.

Producit talem (14) Raynaudus, vocatque novum Cain hornſceleris patratorem. Do verbis totum, ut pateat, quorſum enormitis ira durans & gliſcens odium ſeu fumans inimicitia graſſetur. Inhumanitatis ac truculentiæ diabolicæ recens exemplum noſtra vidit memoria Allobrogum metropolis Taurinum, ad cujus pomœrium B. Mariæ Ægyptiacæ ſacra ædes à PP. Franciſcanis incolitur; ibi ipſa dierum regio (hoc titulô glorioſiſſimam Domini noſtri Reſurrectionem S. P. Greg.
(15) S. Gregor. Naz. orat. 19.
Naz. (15) condecorat) Miles quidam præſidiarius Neapolitano è regno cui cum alio ejusdem gentis grandis ſimultas interceſſerat, poſt aliquot ex parte adverſarii ſimulatæ conciliationis ſpeciem & formam, conſcientiæ maculas poſuit, euchariſtico Pane in templo refectus; cum domum ab Eccleſia regrederetur, ea ipſa in via, quæ cœnobium inter & ſuburbium jacet, obvius ei redditur inimicus, armatus inermem

I. Enormis odii horribilis effectus.

rectà sc. sacris ab ædibus digresso pœnitenti. Nemo efferis ausibus per viæ solitudinem obstabat; mox itaque ira & furore in præsentem inimicum reaccensus, obvium irruit & humi fundit, jacenti altero genu superincumbit, vibrat pugionem, jubetque miserum Deo ac Deiparæ totalem nuntium remittere, cœlos ejurare, illicò confodiendum, si detrectet, servandum & veniâ donandum, si Divis omnibus promptè renuntiet. Quid ageret hoc in articulo positus hostis? territus præsentanea morte infelix homo, labiorum tenus Deum ac Deiparam atque omnia Ecclesiæ sacra ejurat, totique cœlo valedicit; quod ubi perfecit, ab impio hoste (rectius dixeris ab incorporato dœmone) impactâ pectus sica transfixus, spiritum ejecit, exclamante, qui transfixit, & quasi de erecto insigni trophæo in re omnium pessima triumphante: Evax! ita corpus & animam inimici mei uno ictu perdidi, & in Avernum præcipitavi; jam ritè virus suum injuriam mihi tot antè annis impactam &c. O hominem non hominem sed bestiam, sed tigridem, sed Diabolum, qui & ipse circuit quærere, non tam quomodo corpus in tumbam dirigat, quàm ut animam in tartarum detrudat! indignamini, ni fallor, hominem dari, qui tam enorme flagitium ausus sit committere. At verò veniam dete AA. si ostendam, multos hodieque illi truculento latroni pares reperiri, qui non tantùm in alios sæviant ritu belluarum, sed adiit ardeant diabolorum; neque enim satiantur, si inimicum opibus & fortunis evertant &c. ultrà furor eorum etiam ad animas perdendas extenditur. Agant hoc ipsum omnes illi, qui aliis scandalum præbent, eosque secum in omne genus flagitiorum devolvunt, ex innocentibus nocentes, ex castis procos & lupus, ex piis impios, ex Angelis diabolos efformant, eosque pravis moribus suis tantoperè inficiunt, ut qui antè impudica ne quidem nominari sustinent, nunc execrandam voluptatem totis januis recipiant. Idem præstant ebrii Siphónes, qui, ut ipsi baubantur, alios græcando contegunt & deponunt, unde tamen nunquam ultrà resurgant in temulentia sua scalas delapsi vel foveis hausti. Sed & irati quid aliud agunt, cum suis, quos execrantur, hostibus exoptant, ut dispereant, ut crepent medii, ut subitô fatô extincti sine cruce sine luce moriantur, vel à mille diabolis, cùm unus abundè sufficeret, in teterrimam Stygem raptentur. Quid aliud agant, qui alios in arenam provocant duellantes, vel qui vias insident, & lucri gratia multoties imparatos trucidant, aut vindictæ causâ per banditas vitâ simul temporali spoliant & æterna, pravo in statu comprehensos? huc huc

Hist.

ira ducit, huc rancor trahit inveteratus. Hæc malorum portenta etiam odium parit, quô vicinum persequimur. Sic Joannes (16) pridem asseruit: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem*, quare & animam suam occidit, cujus vita in gratia Dei consistit; quin & in proprium corpus desævit, quod nec dormire nec quiescere permittit, donec ritè ultus sit injuriam ex vicinia irrogatam, quod tandem est seipsum occidere & perdere in gehennam. S. Simon, qui pro sui serratoribus, S. Judas Thadæus, qui pro sui verberonibus exemplô Christi Patrem cœlestem pro sui crucifixoribus deprecantis, ad ultimum usque spiritum preces fundebant & vota, nostrum omnium præcordia sancto amore succendant, quô non tantùm amicos diligamus, sed etiam hostes nostros cultu & auxilio prosequamur, curemúsque non tantùm illorum animas sed & corpora illorum pro viribus servare, certi, hunc amorem hostibus nostris impensum, gratiâ & gloriâ in cœlis coronandum.

Amen.

(16) 1. Jo. 3.




CON-

# CONCIO XXXVI.

# FESTVM OO. SS.

*Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matth. 5.

## Filiationis Divinæ Characteristica.

MIlle vota fundimus mortales, mille animô coquimus & ore promimus desideria mortales, sed stolida & summè homini nociva, suum si tandem effectum sortiantur Opt. AA. Id Phaëton docuit suo è currû præcipitatus, & solaribus flammis exustus. Fuit Phaëton, prout fabulæ loquuntur, Solis filius ex Clymene, juvenis cereus & imberbis, qui cùm aurigandi imperitus patrem rogâsset, ut uno tantùm die currûs sui habenas filio transcriberet, votis potitus, ex ineptia regendi, cœlum propè ac terram succendit, ab irato Jove fulmine percussus, curru ejectus, & in flumen Padum demersus; hinc Sueton. (1) tritum illud adagium eduxit: *Phaëtontem orbi terrarum educate*, seu quod idem, pernicioſissimum orbis incendiarium Caligulam fovete, quod rectiùs hodie de Muslmani germano S. R. I. jurato hoste & archityranno, Sacrorum omnium Herostrato dixeris, quàm de Caligula. Sed hac super re Ovidium (2) audiamus, qui sic orantem producit Solis filium:

A. Currui regendo admotus Phaëton, cœlum propè ac terram succendit.

(1) Sueton. in Caligul.

(2) Ovid. l. 2. Metam.

*Phœbe pater, si das usum mihi nominis hujus,*
*Nec falsa Clymene culpam sub imagine celat,*
*Pignora da genitor, per quæ tua vera propago*
*Credar, & hunc animis errorem detrahe nostris.*

Quid pater ad ista? votis annuit, juravitque, se filii precibus locum ocius daturum. Petiit autem locô recitatô stolidus juvenis currus paterni

terni seu solaris currus habenas, ut hoc ex regimine Solis filius esse agnoscereturi

— — *Currus petit ille paternos,*
*inque diem alipedum jus & moderamen equorum.*
*Pœnituit jurâsse patrem &c.*

Habenas filio traditas esse, pœnituit Phœbum. Cur? quidquid enim petiit filius, obtinuit, sed simul in proprium exitium, & in alienum: se enim perdidit, & simul in flammas egit, everso curru terrarum orbem. Fac vel hodie currum Reipublicæ protervi Phaëtontes moderetur, adhuc hodie tali ex regimine nil præter clades & ruinas exspectes.

B. Inepti nempe sunt ad regimen juvenastri.

Inepta est juventus ad sustinendas imperii habenas; sicut enim novæ cytharædi multas perdunt chordas & fides, sic impetuosi juvenes rempublicam pessumdant; hac similitudine olim à curiis & à grandibus urnis juvenastros removit Xenophon. *A Senibus nomen mite Senatus habet.* Væ curiæ! Væ urbi! Væ reipublicæ, ubi ad pulpitum sedent juvenes! Romæ olim cùm ad imperitos juvenes regimen & Senatus consultum devolveretur, sub annonæ Porta hi subitò aureis literis exaratos versus apparebant:

*Roma vetus, veteres dum terexêre Quirites,*
*Nec dolus in patria, nec malus ullus erat.*
*Defunctis patribus successit prava juventus,*
*Cujus consiliô præcipitata ruis.*

Hanc adeò Phaëtontis ruinam veluti doctrinæ saluberrimæ synopsin pia mater Antiquitas posteris reliquit, ut exinde discerent, rempublicam à juvenibus pessimè administrari juxta illud Poëtæ:

*Vrbes, regna, domos juvenum quas rexerit ardor*
*Sint quamvis fortes, certa ruina manet.*

C. Petiit Phaëton in signum filiationis currus moderamen.

Sint ergò à curis & à curiis procul omnes juvenes ceu femina corrupte per eorum prava consilia in exitium subditi trahantur. Sed hæc & alia in Phaëtonte consideranda aliis relinquo. Ego in Phaëtonte hoc id unum suspicio, quòd in signum filiationis suæ currûs paterni posceret habenas, ut ex eo Solis filius prædicaretur. Vereor sanè, ne hac in horam multos numeret sequaces Phaëton etiam nos inter, qui Catholici dicimur & orthodoxi. Multi nostrum hôc etiam ævô scire gestiunt, an sint inter filios Dei, & an inter Christi cohæredes deputati sint? Pro signo hujus divinæ Filiationis & hæreditarii juris ad gloriam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

multi stolidè ponunt, si curru aureo sublimes, si sceptris & coronis decori, si dignitatibus præfulgidi, si opus ac fortunis fœcundi possint in terris eminere; hos verò stolidos dixerim Phaëtontes, quia sic sæpenumero bonorum omnium, pessimam incurrunt jacturam. *Regnum meum non est de hoc mundo*, pridem Christus (3) proclamavit; & sanè actum foret de pauperculis, si nemo Dei posset filius cognominari, nisi dives fuerit, splendidus, opulentus. Mens si fuerit verum divinæ filiationis Signum investigare, id cum omnibus Sanctis in ipso naturali Dei Filio Christo JESU Homine simul ac Deo suspiciamus. (3) Joan. 18.

Signum hoc divinæ filiationis nostris omnium oculis objacet AA. *Non est servus major Dominô suô* (4) nec decet, ut filius Dei tantummodò adoptivus, qualis est purus homo, molliùs tractetur, quàm tractatus sit filius naturalis Dei. Signum ergò Filii Dei ipse Dei Filius Crucem dixit, & crucis appendices, persecutiones, & omnis generis ærumnas corporis atq; animi dolores unde unde homini affusos. Hanc crucem & crucis appendices, varii generis calamitates & miserias tanquam filiationis divinæ clarissima signa omnes SS. Cœlites, cùm in vivis agerent, ardentissimè amplexi sunt, ita quidem, ut nec cœli gloriam aliâ viâ prensarent, quàm per viam Crucis & mille pericula mortis. Lustremus nonnihil hanc thesin, & inde nostrum leporem nostram ignaviam inflammemus. (4) Joan. 13. D. Signum filiationis divinæ nobis Crux est & Crucis appendices.

Antequam D. Joannes suam Apocalypsin elucubraret, dedisse legitur ad septenos Asiæ Episcopos totidem epistolas nomine ac imperio Christi exaratas. Ex omnibus epistolis illis una modo producitur numerô secunda, quam dedit ad Angelum Smyrnæ seu ad Smyrnensis Ecclesiæ Episcopum, qui tunc erat S. Polycarpus vir solidæ sanctitatis qui postea cum Germanico pro fide feris objecto, cum Pionio clavis confixo, vivus igni absumptus est Martyr. Hunc Polycarpum per epistolam hortatur Joannes ad constantiam in fide ac virtute usque ad mortis articulum prosequendam quam si ad finem usque tenuerit, promittit ei vitæ sempiternæ immortalem coronam aliter non obtinendam, nisi tribulationibus & ærumnis seculi hujus cordatè fuerit pro Dei gloria immortuus membratim do epistolam, ut tantò solidiùs capiatur; quæ enim Polycarpo dicta sunt, omnes tangit cœlorum candidatos, etiam laicos, & nullum perfectionis aucupandæ statum professos. Sic (5) sonat: *Hæc dicit primus & novissimus, qui fuit mortuus & vivit.* Sensus est, scio te gravissimè premi & enormiter tribulari; scio te ad mortem, ad martyrium quæri; at constans esto in virtutis proposito, & me veluti E. Probatur thesis hæc ex Script. ex PP. & DD. Cœlitum actis. (5) Apoc. 2.

specu-

ſpeculum tuum intuere; en & ego, licet verus Dei filius eſſem, occiſus ſum, at verò nunc ab umbris ad vitam reſurrexi; occideris etiam tu fili mi, ſed ad immortalem gloriam prævio exemplo meo reſurges. *Ne cede malis, ſed contra audentior ito*, intuitu vitæ per glorioſiſſimam mortem beatificandæ; probari debet fides tua fili mi, ideò quem diligit Dominus, caſtiget, & omnem filium quem recipit, flagellat; quod à Deo (6) Tobiæ dictum eſt, etiam tibi occinitur: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te;* quos nulla tentatio probat, timere poſſunt, ne à Deo ſuo accepti ſint; ſolet nempe filios ſuos crucibus & ærumnis Deus inſignire, crucibus & adverſis probare, cruce tanquam quadriga ad cœli gloriam promovere. Pergit porrò Epiſtola: *Scio tribulationem & paupertatem tuam*, ſeu quod idem eſt, ſcio & video te ab infidelibus ſociis, omnibus bonis & fortunis tuis exſpoliatum, rapinam bonorum cum gaudio ſuſcepiſſe. Scio, te grandem pati mortalium præſidiorum inopiam continuæ perſecutioni junctam, *ſed dives es*, gratiâ ſcil. & bonis ſpiritualibus, fide, virtute ac bonis operibus dives es, Numine plenus ac lumine; ut enim Hier. meminit (7) *affatim dives eſt, qui cum Chriſto pauper eſt*, qualis olim Paulum fuiſſe primum Eremitam ſeminudum, in eremo viventem & morientem idem Pater patheticè ſcribit, ex quo pauca (8) delibo: *Dicant, qui ſua patrimonia ignorant, qui domus marmoribus veſtiunt, qui prædia & villas coacervant, nudo huic ſeni quid defuit? vos gemmis habitis, ille cavis manibus naturæ ſatisfecit: vos tunicis veſtris aurum intexitis, ille ne viliſſimum quidem indumentum admiſit, ſed è contra illi patet oculo patet cœli regia, vos avaras corripiet gehenna: ille nudus Chriſti veſtem retinuit, vos ſericis veſtiti Chriſti & nuptialem innocentiæ veſtem perdidiſtis. Paulus viliſſimo pulvere coopertus jacet, in gloriam reſurrecturus, vos operoſa & pretioſa ſaxi ſepulchra premunt veſtris cum operibus arſuros. Det optionem Hieronymo clemens Deus, magis eligerem lucernam Pauli tunicam cum meritis ſuis, quam Regum purpuram cum enormibus pœnis ſuis.* Hæc Stridonenſis. Unô verbô ſpe ac fiducia dives erat Polycarpus, quia novit ſe fore Chriſti cohæredem. At ecce modum ac viam, quâ eum ad hanc ſpem inducit! non ſe Regem Regum nuncupat, ſed eum, qui *mortuus eſt & vivit*, ut jam ſupra memini ſed plus ultra, epiſtolam evolvimus: *Blaſphemaris ab his, qui judæi ſunt*, ſeu quos idem infamia & convitiis quaſi impius & conculcandus homo proſcinderis, dilaceraris. At quid tum? aliter Filii Dei nomen haud participas; in hoc ſigno vinces, & hereditatem capies æternam, regni cœleſtis cohæres filius. Ita in rem Aug. (9) *omnes, qui in Chriſto piè volunt vivere.*

(6) Tob. 12.

(7) S. Hier. ep. ad Heliod.

(8) Idem in vit. S. Pauli Erem.

(9) S. Aug. in ſent. n. 32.

*vivere, necesse est, ut ab impiis patiantur opprobria & despiciantur. Præsentia bona perdunt & invisibilia recipiunt.* Hæc despectio hæc irrisio in impios retorquebitur, cùm & abundantia eorum in egestatem, & superbia eorum transierit in æternam confusionem. *Missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem,* verba iterum sunt Epistolæ divinæ. Orcus in vos omne genus probrorum evomet & tormentorum, ut Vos in desperationis barathrum conjiciat, *sed durate, & vosmet rebus servate secundis.* Abel fieri non potest, quem Caini malitia non exerceat. Filii Dei esse si vultis, positi estis veluti signum ad sagittam, in quod omnes pravi collimment; at verò idem signum ad sagittam signum erit ad gloriam, si fortis patientia ad ultimum instans prorogetur. *Exemtus es à ratione flagellorum, excluſus & à conditione filiorum,* & ab hæreditate adeunda in regno cœlorum. Sic iterum Hier. *Decem dies* hic loci tribulationibus determinantur, ut ostendat Joannes brevi transituras, & in eorum locum gloriam perennem succesſuram juxta illud (10) Pauli, *momentaneum & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ex his præmissis fecit tandem sequens conclusum Dei nomine Joannes: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Coronæ hujus intuitu ad constantem patientiam Polycarpum hortatur, ut ore simul ac corde, verbo simul & facto identidem cum Paulo (11) exclamet: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram glo quæ revelabitur in nobis.* Quæ Joannes in Epistola hucusque recitata Polycarpo transcripsit, omnes SS. Cœlites tanquam sibi dicta memori semper animo versábant, in id unicè intenti, ut per uberem patientiam se morigeros Dei filios Deo probarent, ac tantò fortiorem spem æternæ illius hæreditatis post fatum adeundæ formarent, quantò plura in vivis tribulationum genera exhauriebant. Hinc illis suspecta erat omnis malacia, ne fortè Dei filiatione mortui exciderent, si vivi tanta prosperitate gauderent. Hic illæ voces Theresianæ: *Domine aut pati aut mori!* hinc illa Clementis suspiria: *Domine, nolim hanc crucem à me tolli, nisi illius in vicem mihi dare velis majorem!* hinc illa flagrantis animi jacula, quæ magna Xaverii anima ex imi pectoris pharetra sursum ad Superos emisit: *Ampliùs Domine ampliùs!* cùm expositas sibi cruces cerneret; at verò *Satis est Domine satis est!* cùm cœlestibus solatiis & gratiarum charismatis cœlitus perplueretur. Hujus hæreditatis gratia in cœlis aucupandæ, omnes alii nunc cœlis illati Cœlites ege-

(10) 2. Corinth. 4.

(11) Ro

ſtatem & inediam, injurias & tormenta, dedecus & infamiam tanto ambitu amplexi ſunt, quantô mortalium plerique honores & opes, plauſus & delicias ſolent inſectari.

F. Cui nimis eſt præcelſa patientia, à Dei filiatione ac cœleſti præmio petita, is plano pede SS. exemplô ſe metu ac horrore avernalis pœnæ flagitiis decretæ, ad patientiam extimulet.

Cui verò hæc patientia à prævio Dei Hominis exemplo, à Dei filiatione & cœlicæ hæreditatis jure à doloris præmio & gloria cœleſti petita, nimis præcelſa & ſublimis eſſe videtur, is alteram in plano comprehendat, tot pariter SS. Cœlitibus receptam. Horum mihi metu ac horrore pœnæ poſt fata peccatis decretæ ad perennem patientiam ſe ultrò extimulabant, ut parvo quodam mundi hujus malo grande illud & æternum *væ* redimerent. Nullus adverſitatis caſus, nulla dolorum & adverſitatum gravitas eſſe poteſt tam acerba, quàm gehennæ cruciatus. Nulla vitæ hujus confuſio conferri poteſt cum illa, quæ coram toto mundo in extremo judicio, & poſtea ſine fine graſſabitur in Averno. Ita ſæpe Deus hîc ſuos cruciat, ut eis in æternum parcat. Sic ſæpè alios grandibus flagitiis coopertos focîs damnè nullô ævô ſopiendis, ut alii malô docti alienô, ſaniora conſilia capeſſant, & in ardenti vitæ melioris propoſito firmiora capiant incrementa Deoque tandem ut fideles filii ſua in gloria uniantur. *Deſcendant in infernum viventes, ne deſinant morientes &c.* Ita fratres ſuos monebat de monte melleus Pater Bernardus. Nil tam acerbum nobis poterit accidere in vita, quod non promptè valeat ſufferre patientia, ſi modò memori animo recolatur pœna tot peccatis decreta in gehenna. Introſpexit vel una vice in teterrimum Orci carcerem Anglus ille, mox toto vitæ tempore omnibus deliciis valedixit, nunquam ultra riſum ora reſolvere viſus; quidquid ei malorum occurreret, quidquid adverſitatum hauriret, ſuo illo ſolenni lemmate eluſit, contemſit: *Pro ego longè acerbiora*, quibus hæc & hæc comparata nihil ſunt niſi pulvis & umbra. Hæ pœnæ quantæ ſint, imò quàm enormis ſit vel una illis, obiter ex damnato audiamus, quem vitæ SS. Patrum repreſentant.

G. Hæ pœnæ quantæ ſint, ex damnato audiatur.

Erant duo Viri ſanguinis claritate illuſtres, qui cùm ad ædem ſacram ſe conferrent, audiebant fortè ſacro è pulpito de Orci ſupplicio differentem Eccleſiaſten. Exaggerabat mirabili eloquentia Tartari cruciatus; varia tormentorum genera, quibus fontes in Erebo cruciantur, ad vivum depingebat; locum illum, ubi divinæ Majeſtatis perduelles ac Deo rebelles filii mactantur, palàm oſtendebat, aliud non eſſe, quàm omnium acerbitatum officinam, horridam mephitim, fo-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dium omnium colluviem, & malorum omnium interminabilem cloacam. Hæc eo accentu & vocis energia inculcabat, ut unà omnes horrisono metu quassaret; fuit tamen unus illorum, qui crederet, hæc magis ad pompam quàm ad veri normam ampliari, verba proin ferventissimi Ecclesiastæ ridendo exploderet; alter contra sibi dicta metuens, & tot pœnis jure suo consternatus, toti mundo calces illiserat, vitæ religiosissimæ statum amplexus, illud sibi perpetim occentans: *Omnia si perdas, animam servare memento.* Inter hæc tam disparia vitæ instituta alter ille Verbi Divini reprobus contemptor, post morbum satis prolixum ad supremam vitæ lineam devolutus est. Jam conclamatum erat de vita temporali, ecce alter amicus lectum accessit, qui cùm frustra ad pœnitentiam hortatus esset decumbentem, ultimùm obtestatus est veterem socium, ut ei saltem à morte appareret, & quis esset alterius vitæ status, describeret. Sic vitâ functus seipsi noctu ocius videndum exhibuit, cùm verò alter, quô locô esset amicus, inquireret, respondit spiritus, secum agi pessimè, se enim æternis pœnis addictum esse. Horruit ad teterrimum Orci fulmen Monachus, sibique ex intervallo redditus alteram movit quæstionem, an nempe tam horridi cruciatus in Orco darentur, atque eos ex suggestu acer Præco depinxit! ad quæ ocius anima Orcô mersa: O frater, omnes omnium linguæ in unam coalescant, nunquam pœnarum multitudinem numerare, vel earum acerbitatem exprimere poterunt; cùm autem solo cuperet odoratu experiri, quantæ Orci essent pœnæ, alter nigrum quô amictus erat pallium explicuit, & ecce tanta indè mephitis prorupit, & tam enormis fœtor prodiit, ut omnes illius cœtùs monachi veluti mentis impotes hinc inde totô cœnobiô discurrerent, ac præ intolerabili fœtore ita impetuosè agerent, ut tandem ex illo cœnobio ad locum procul dissitum migrare cogerentur, ne fœtore infecti vitam fatô mutarent. Deum immortalem! si unum unius damnati corpus tantam edidit mephitim, quid erit illic hærere inter trigesies mille milliones corporum damnatorum? unus iste fœtor naribus ex Orco receptus, ita in officio continuit Cœnobitas, ut corpus quotidianis jejuniis, flagris perennibus & ciliciis edomarent, de novo toti mundo mortui, ut tanto se fœtori maturè in vivis subtraherent, & vel hac ratione se eminus ad beatam mortem præpararent. Accidit, ut unus aut alter morbô affligeretur, & horridos in corpore cruciatus sufferret? id unum commiseratione tactis reponebant: quid ægro condoletis?

Hist.

doletis? Orate potiùs Deum ac Dominum nostrum, ut me ab æterno liberet cruciatu; hæc ulcera, hæc tormina cum Orcinis collata nil sunt nisi modici pulicis levidenses ictus. *Dum judicamur, à Domino corri-*
(12) 1. Cor. 11. *pimur, ut non cum hoc mundo* (12) *damnemur.* Præstat in hac vita mille miseriis oppleri, quàm unicâ premi in altera. Meliùs, ah melius est, hìc pœnas solvere, quàm post mortem æterna supplicia sustinere. Ejusdem sententiæ fuit S. P. Aug. & alii Cœlites innumeri, qui se hoc æternantis pœnæ assiduo rememoratu ad manutenendum divinæ filiationis titulum & regni hæreditatem filiationi annexam in cœlis obtinendam ardentissimè inflammarunt; hinc illæ Augustini voces pœne quotidianæ profluxerunt: *Domine hic ure, hic seca! modò in æternum parcas!*

Horum ergò Cœlitum charismata æmulemur Opt. AA. & si divinæ filiationis titulum & hæreditatis cœlicæ fruitionem seriò diligamus unà etiam crucem & tribulationem (sine qua non) verbis & factis amplectamur præsentem tanquam filiationis evidens signum, Dei ac Divorum exemplô exosculemur, certi, si in vivis Crucem Domini participemus, nos post fata etiam gloriæ filiis Dei præparatæ consortes futuros, regni cœlestis beatissimos cohæredes.

Amen.



CON.

# CONCIO XXXVII.

## FESTVM S. MARTINI Episc.

*Vide, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.*
Luc. 11.

## Cœcitas miseriarum Ilias.

SUmma corporis humani calamitas esse creditur AA. oculorum cœcitas, cui communis hodie loquendi & sentiendi favet usus, cùm passim inter homines omnium miserrimos locantur cœci. Ein blinder Mann ein armer Mann. Basil. Seleuc. (1) oculorum privationem vitam vocat minimè vitalem; per pedes malè podagrâ infectos corpori cursus adimitur, interim suo aspectu dolorem leniunt oculi ad pedes reflexi. Si aures virtute sua destituantur, oculi nutibus mitigant calamitatem; at verò extinctis oculis universa sensuum conspiratio emoritur, pedes cursum negant, manus artem excutiunt quamcunque, totum corpus inertiâ marcescit. Huic hominum generi frustrà Sol lucet & luna tot astris stipata. Quod probè expertus est cœcus Tobias, qui Raphaëli gaudium apprecanti, *gaudium tibi sit semper!* hæc repositi: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video!* (2) Quasi diceret: tu gaudium cœco apprecaris, at unà modum ostende, quò valeam gaudere, qui omni luce destitutus in tenebris cœcitatis undique obscuram, undique miseram & summis mœroribus oppletam duco vitam! hæc oculorum cœcitas tantam homini parit calamitatem, ut rectè possit *miseriarum Ilias* nuncupari. Ea olim tanquam pœnâ omnium gravissimâ perfidiæ ac perduellionis scelera sunt punita. Sic Hardradus Comes, Carolo Magno perfidus, sic Berengarius Dux Forojulienſis, Ludovico Imperatori rebellis, sic Bernardus Rex Italiæ, conspirationis contra Ludovicum Pium Imp. atque adeò læsæ majestatis reus, sic Ordinius, Alphonso quarto Hisp. Regi recalcitrans filius &c. pro summa scelerum suorum pœna oculis suis orbati sunt. Horridum est, quod Basilius Imp. hujus nominis secundus

(1) Basil. Seleuc. Ep. orat. 36.

A. Nulla major miseria datur, quàm cœcitas.

(2) Tob. 5.

B. Olim perduelles hâc pœnâ multati sunt.

Bulgarorum Regis victor tentâsse legitur in captivos; horum quindecim millia cùm cepisset, unà omnes in pœnam belli contra Basilium captati excœcavit, unô monoculô singulis centuriis relictô, qui reliquos oculis privatos domum reduceret. Quæras porrò quid causæ sit, cur tot cœci hodie Andabatæ circumvagentur, oculorum usu penitus destituti cœciones; varii varias proment causas, eásque physicas & naturales, quas cùm more hactenus recepto suis etiam moralibus causis illustro, à vobis unà dociles & attentos animos exspecto.

C. Cœcitatis causæ vestigantur physicæ & morales sc. senium, hirundo, libido, fletus, abortus, lux.

*Primò* quidem experientia docet, senibus ut plurimum in tetram mortem binos oculos hebescere. Beda, venerabilis Anglus hoc uno è senio cœcus templum intrabat; ecce quidam nebulo ex trivio senem irridendi gratiâ frequentem populum adesse dixit, qui concionem illius avidis auribus exspectaret. Credidit optimus Senex & suggestô ex tempore conscensô ad populum dixit more suo ardentissime, tandem cùm peroraret, & implorata SSS. Trinitate solenni formulâ preces concluderet per omnia secula seculorum, lapides alta & intelligibili voce responderunt: *Amen amen venerabilis Presbyter!* inde nomen *venerabilis Bedæ*. Divo Bedæ adhæsit.

(3) Tob. 2. *Secundò* patet ex Script. (3) Tobia dormiente calidum stercus hirundinum in oculos defluxisse, & bonum patrem excœcâsse, sanatum tandem piscis felle ab Angelo Raphaële.

(4) S. Ambros. in Luc. 4. *Tertiò*, scimus ab exemplis immodica libidine vel maximè Organum visus hebetari & funditus everti. De Theotimo certè Ambrosius (4) refert sequentia: cùm graviter ex oculis laboraret, ejusque à medicis uxorale commercium interdiceretur, nisi oculis penitus orbari vellet, libidinis impatiens, se licet in æstu suo privari oculis persentisceret, fertur tamen dixisse: *Vale amicum lumen!* oculorum usui libidinis æstu prævalente. *Tam brevis immenso nocet empta dolore voluptas!*

*Quartò* leguntur multi tam uberes lacrimas profudisse, ut organum visus destruerent. D. certè Ignatium medici monebant, nisi modum lacrimis statueret, eum utroque oculorum lumine viduandum.

(5) 1. Cor. 15. *Quinto* notatum est hactenus multoties abortivos, qui tempore non debito ex utero materno in lucem prodeunt, semicœcos progniscei. Ita sunt nonnulli, qui credant, Paulum, cùm se *abortivum* (5) nuncupat, suam hanc cœcitatem & luminis amissionem innuisse, quâ in via fuit mulctatus, de qua mox fusius agetur. Tales cœcos mundus hodie fovet innumeros verè *abortivos* & ante legitimum tem-

D. Sistitur in binis posterioribus causis abortu & luce.

pus

pus in apricam lucem protrusos: Doctores antequam probi essent discipuli; Superiores, antequam boni essent subditi, Concionatores antequam audito res essent; Duces antequam essent milites; Parochos antequam essent catechistæ. Tales cœci hanc in horam omnes illi sunt, qui tanquam fungi, una propè hiemis nocte non integra, sine libris, sine scholis, sine magistro, sine ullo ferventi studio perfecti, ad gravissima vel Reipublicæ, vel Ecclesiasticæ curæ munia plenariam cognitionem præ se ferunt, & inani bombo ridiculè ostentant, cùm potius ambobus oculis capti sint cœciones, & unum tantummodo eumque corruptum circum in stramineo capite circumgestent.

Nempe! organum visus nunquam citius læditur & aboletur, quàm si solares radii continuo assultu pupillam premant, & succendant; nimio lucis splendore obtutus disgregatur, imò penitus deletur. Hunc in finem Dionysius olim Siciliæ tyrannus domum legitur supra carcerem construxisse clarissimam & splendidissimam, in qua vinctos ex imo & obscurissimo carcere, quò ultra annum concluſi erant, eduxit, ut ex repentino conferti luminis occursu excœcarentur. Ita multorum ex sententia Sauli cœcitas non ex eo, quod abortivus esset, ortum traxit, sed ex nimia lucis ab alto in oculos evibratæ, & ex aëre circumfuso enormiter rutilantis claritate. Ita cum pluribus aliis sentit & loquitur (6) Rupertus Abbas. Tanto fulgore majestatis Christus apparuit, ut eum, quem vocabat, cœcum faceret, & sua claritate lumen corporeum hominis infirmi extingueret, veri luminis virtutem ferre non sustinentis. Apostolorum fastos excute, leges ibi (7) distinctè: *Circumfulsit eum lux de cœlo*, mox subditur: *Apertisq; oculis nihil videbat*, ergo divini splendoris excessus totum humani luminis acumen perdidit, extinxit; ita lumen, quod in Saulo erat, & pluribus aliis factæ sunt tenebræ. Mysticè si loquamur hunc ipsum lucis splendorem fugere visus est & declinare Psaltes regius; hinc illæ voces (8) *ab altitudine diei timebo*, seu quod idem est, solis meridiani ardentes radios cavebo, ne oculos irruant, & Davidem reddant cœcum. Horruit nempe casum ab alto; horruit solare lumen, quò tot alii in tenebras detrusi sunt cimmerias. O quis ad numerum vocet omnes illos, quos vel auri argentique rutilans fulgor, vel dignitatum honorumque aureus splendor excœcavit! hi dum in humili statu ceteris parem vitam agerent, ad divina mandata rîtè intelligenda erant acuti, ad varias virtutis Christianæ vias probè investigandas expediti; ad propriæ & alienæ salutis commoda fortiter promovenda

E. Paradoxum sit, verum tamen est multis lucem extinguí lucc.

(6) Rupert. Abb. l. 2. de oper. Spir. c. 19.

(7) Act. 9.

(8) Ps. 55.

F. Lux auri excœcat innumeros, & dignitatum splendor.

movenda oculati, ad quævis damna à toto Reipub. vel urbis corpore amovenda prompti paratique; at verò fac eos ad urnam sedere, aut aliorum capitibus inambulare, honorum titulis augeri, auri argentique copiâ circumdari? ocius malè oculis videre occipient; res omnium maximæ illis parvæ apparebant, eas adeò vel vilipendent, vel contemnent; nigricans gloriæ vapor omnem superbiæ grassantis conspectum impediet, paulatim dextrum oculum, quô cœlum intueatur tandem oculum etiam sinistrum penitus amittet, unde palpibiles tenebras incurret.

Hos inter cœcos primum tenent locum judices, prætores, consules, officiales, quos nimis frequenter auri rutilans fulgor excoculat. Mandat quidem Summum ac Supremum Numen per Moysen Legislatorem suum (9) in Deut. & in (10) Exod. *non accipies personam, nec munera, quia munera excœcant oculos sapientum & mutant verba justorum.* Item, *non accipies munera, quæ etiam excœcant prudentes, & subvertunt verba justorum.* Hæc dum Delrius exponit, observat, sermonem hic esse, non de corporis oculis, quibus lyncei muneris nent munerum prensatores, sed de mentis oculis, seu de judicio sincero, quod penitus tollitur munerum objectu; sensum adeò esse, quamtumvis oculatus fueris velut aquila aut serpens epidaurius, tui tamen oculi munerum unguentis eruentur. His cœcionibus prô dolor! omnes propè Curiæ & Dicasteria seu sacra seu profana erycium in morem hiscunt; cùm enim passim hôc ævô munera grassentur, & sine redplicatis muneribus nullum possit *fiat* obtineri, accidit planè, ut pluribus à cœcis præsens mundus regatur, quàm ab oculatis.

(9) Deut. 16.
(10) Exod. 23.

G. His cœcionibus Dicasteria scatent & Curiæ.

*Curia pauperibus clausa est; dat census honores.*
*Si nihil attuleris Pontice, vade foras.*

Utut centum Iliades artificiosè productas, in lucem extrahas, *ibis Homere foràs, si nihil attuleris.* Hic mundi hujus scabiosi stylus est; hæc pessima ratio statûs est, *munera muneribus lucrari, subsellia prima tueri pinguibus unguentis &c.* At hæc rectiùs in ultimam anni hujus homiliam transponemur, in annuam Ecclesiæ Dedicationem, ubi ex instituto hæc meditabitur, ut constet, quid distent æra lupinis.

H. Plures alios lux à misericordiæ sole proflua, turpiter excœcat.

Ego hic loci alium hodie & multis perquam noxium splendorem considero, qui lumine suo pænè innumeris lumen gratiæ dissipat, lumen gloriæ contrucidat. Intuentur hi perpetim Solem divinum, qui lucem suam malis æquè ac bonis dispensat; Solem divinum miseri-

misericordiæ Divinæ sæpiùs contemplantur, non item Justitiæ divinæ; Deum prædicant summè benignum & in omnes misericordem; de hac Bonitate Dei nimiùm confidunt, atque ita securò delinquunt, unà veros pœnitentiæ actus ab anno in annum, à mense in mensem, ab una septimana in alteram prorogant, procrastinant, quasi verò in ipsorum potestate vitæ tempora & momenta Deus collocâsset; at verò sors longè alia in contrarium premit incautos; mors enim hos homines laqueô suo repentè illaqueat, & spiculô ferit, antequam possint tam enormi malo occurrere. Prædixit excidium omnibus illis, qui nimis præsumptuosè hunc divinum misericordiæ Solem spectare solent, (11) Isaias his verbis: *Fiduciam habuisti in malitia tua, sapientia tua & scientia tua seduxit te* (quâ nempe eruditè de Misericordia Dei disputabas) *veniet super te malum, & nescies ortum ejus! irruet super te calamitas, quam non poteris expiare! veniet repentè super te miseria, quam nescies.* In hebræo ponitur *apoplexia*, qui morbus satis frequens improvidos obruit, omnes sensus occupans, omnia sensuum organa illaqueans, ut nequeat ægrotus rebus suis prospicere, aut animæ saluti consulere per pœnitentiam. Anvultis, ut hæc afferta unô vel alterô exemplô suffulciam? non contradico; video enim, hôc ævô plus fidei Exemplis deferri quàm verbis. E multis bina produco, eâque recentioris memoriæ, prout ea suis de peccato Moralitatibus (12) Lobbetius inseruit. Antiqua ipso seculorum lapsu detrita esse videntur; quæ verò nostræ fuerint ætatis, licet aliis careant parergis, gratiam tamen secum ferunt novitatis.

(11) Isa. 47. I. His exitium præcinuit Isaias.

K. Binis exemplis probatur ex Anglia. Hist.

(12) Lobbet. in op. mor. de peccat. l. 4. flag. 15. §. 3.

Fuit in Anglia sub finem lapsi seculi Vir genere ac prosapia illustris, Regni procerum & dynastarum nulli facilè secundus, cui nomen Richardus Hautonus; hic licet animô Catholicus esset, vitâ tamen & moribus erat Quakerianus. Multum nempe à sacro Christiani hominis nomine ipsa vivendi ratio distabat in luxum & libidinem turpiter profusa. Audiebat pessimè non domi tantum, sed foris etiam de insanæ vitæ licentia omnium pæne digitis notatus. Hæc agendi protervia eò dilapsa est, ut profana etiam Quakerorum fana frequentaret, non quod pravis eorum dogmatis subscribere vellet, sed ut, cum specie tenus se alium mentitur, sibi faventiores redderet heterodoxos, & hoc mediô bona sua servaret intacta, ita nempe usu venire solet hôc etiam ævô. Beata cœli regio, & cœlestes gazæ in curis ponuntur omnium postremis

mis, aurum contra terreum lutum & ſputum in oculis habetur & cuſtodia perenni. O pectora hominum verè cœca & ſtolida! quæ cœleſtia ſunt, abjiciunt, quæ æterna ſunt prodigunt & animas proſtituunt immortales, ut hominum oculis, gratiæ ſimul ac temporis ſervant. Zahnio (13) teſte. Legatus Hiſpanienſis nuper Conſuli Helvetio caſu quodam politico Scripturam alleganti reſpondit, ea nunc eſſe tempora, quibus rationem ſtatûs non ad Biblia, ſed Biblia ad rationem ſtatus accommodari oporteat; poſſe adeò ex omni religione proteum educi, qui in fidei negotio iis ſe paſſim hominibus accommodet, cum quibus verſatur. Erat talis Proteus Tartarorum Cham, qui mortuo Stephano Poloniæ Rege publicis in Comitiis ſuos per legatos palam edixit, ſe potentem eſſe & poſſe ſuis è terris plurimas equitum myriades educere, ſe ita frugalem eſſe, ut ſine ullis ciborum deliciis ſola equina carne contentus ſit; denique quod ad religionem de qua diſputatur, attinet, palam profiteri: veſter Pontifex meus eſto. Pontifex, veſter Lutherus meus eſto Lutherus, teſte (14) Lipſio. Talem fidei Proteum egit Richardus, ſed damnô ſuo. Ne tamen Catholicum penitus exuiſſe, & ſalutis obtinendæ omnem curam poſuiſſe videretur, mala inter quamplurima, quæ liberrimè patrava id unum boni erat reliquum, quòd domi ſuæ imis ædium penetrabus binos aleret ſacerdotes, quorum operam ſervabat in extremum vitæ & fati imminentis neceſſitatem; hac ne forſan ex improviſo obrueretur, uxori ſuæ, à genere, pietate, ac religione nobili matronæ in mandatis dedit, ut ne unquam domô abeſſe utrumque Sacerdotem pateretur, ſed alterum ſaltem ſibi ac ſaluti ſuæ ſemper domi retineret, perſuaſus, ita morti optimè proſpectum eſſe, qui tamen rem ſuæ peſſimè ibat conſultum. Ita ſibi in ultima brevis ævi linea de Sacerdote, de confeſſione ac pœnitentia properè expedienda ſat abundè proviſum, qui omnem vitæ anteactæ ſeriem ſine ullo pœnitentiæ actu inter aſſiduas pravitates duci voluit trahique; lachabat proinde præſumptuoſa ſpe illa: ſub vitæ finem reſipiſcam, & curabo ut meis à Sacerdotibus, hunc in finem magnis ſumptibus domum tentis, omnium flagitiorum plenariam abſolutionem recipiam: Deum ſummè bonum & clementem, qui ad extrema deductum audiit patronem, etiam me gratiâ ſuâ dignabitur: interim dum morbus intat, mundô fruar, & cupediis mundanis. Sic miſericordiæ Solem introſpexit temerè præſumptuoſè Nobilis iſte ſed hoc ipſo lumine

(13) Zahnius de mend. l. 1. c. 14.

(14) Lipſ. in Mon. pol. l. 2. c. 5.

adeò abusivè spectato lumen gratiæ lumen gloriæ extinxit, séque in acheronticas tenebras præcipitavit. *Dinumerare non possum*, inquit Augustin. (15) *quos hæc inanis spei umbra decepit. Absterreant quæso nos ab hac persuasione innumerabiles sub tali securitate nudi, bonis vacui & malis pleni ex hac luce sine luce prærepti. Quotidie expavescenda est transitus nostri hora; præveniendus est dies, qui prævenire consuevit.* Hic dolus fuit Nobilis hujus, hæc ars & malè vivendi licentia, quæ etiam occasio extitit malè pereundi. Decepit è cœlo Deus impiam spem, eámque in casum vertit & ruinam. Erat fortè de agro vicino hunc inter Nobilem & alios prolixa disceptatio, cui liti cùm recepto ex more foris leges & jura lucri causâ finem non facerent, tentata vi litem dirimere cogitabant. Sic nocte intempesta facta est irruptio; vis vi prohibetur, pes pedi, manus manui jungitur, micante luna utrinque arma vibrantur. Repellunt à contiguis ædibus vim seriò domestici & familiares, quos inter cùm etiam ipse Richardus strictô ferrô agrum tueretur, hem vulnus accipit letiferum, & sine mora humi fusus purpuream vomit animam, sine voce, sine sensu, sine confessione ac pœnitentia, in decumano rancore & pluribus aliis grandibus flagitiis miserrimè extinctus. En nunquid Nobilis iste suâ culpâ lumen, quô abusus est, in tenebras tartareas convertit? qui sapit, maturè pœnitentiam agit, neque eam ad extrema vitæ confinia rejicit. Qui sapit, is Dei summi Misericordiam à Justitia Dei nunquam separat; amat quidem Deum tanquam summè in omnes omni tempore misericordem Deum, sedeum simul timet tanquam justum, ac scelerum ultorem Deum, qui flagitia puniat in tertiam & quartam generationem hîc grandibus ærumnis, ibi æternantibus tormentis, nisi per maturos pœnitentiæ actus in vivis expientur.

(15) S. Augustin. Ser. 120. de temp.

Jungamus huic Tragædiæ aliam, quam pariter Anglia hôc ipsô D. Martini festô subministrat. Fuit ibidem in Lancastrensi provincia, nobili pariter prosapia oriundus, qui alia inter vitia liberè patrata domi suæ pellicem alebat. Monebant eum frustrà consanguinei & familiares amici, nostræ fidei domestici omnes; rogabant eum irrito affectu clancularii animarum Curiones, finem poneret cupediis, pravis amoribus nuntium remitteret, pellicem domô propulsaret, nisi in apertum discrimen animam conjicere vellet. Surdo fabulam canebant omnes. Piceum scelus libido est, vix hominem dimittit, nisi morientem, Hæc nullum frænum in memorato Nobili recepit,

Hist.

utut centies obtrusum, eò maximè, quòd adhuc esset in ferven
ætatis flore, à quo sibi plurium annorum usuram pollicebatur, fe
riter ultimo cum articulo, prout alter nobilis, lactare audax
jam pede libero pulsanda tellus, jam mundo serviendum & p
nio carnali: invisa pœnitentia in senium prorogetur, ibi unic
actu tota scelerum colluvies ultimô momentô eluetur: bonus e
Deus & summè misericors, quacunque hora ingemuerit peccato
audiet illum. Uno *Memento mei* reparari poterit gratia Dei di
Sic instar porci in volutabro luti se abdidit procax nobilis in omn
proterviam abjectus. Terrei monitores nil profecerant; adhi
proin sæpius altero ex orbe pridem vitâ functi parentis species do
mienti, eumque pro paterno in filium affectu seriò hortatus ut re
sceret; cùm verò neque his monitis locum daret pertinax, rever
parens minas monitis adjecit dixitque in faciem, nisi pravos amores
jiceret, & pœnitentiam ageret seriam, sciat modò, eum proxima D
Martini luce obiturum. At callum etiam ad minas obduxit contum
lurco. Nil potuêre preces, nil valuêre minæ; eluit spiritum tanqua
inane terriculamentum suam in perniciem præceps. Hæc somnia
fortiùs exploderet, ipso D. Martini festo die hodierno, nobile convi
um parat, perdito juveni connivente Deo. Abiit inter pocula pr
sens festum, abiit etiam nox tota, edormiendæ crapulæ conduc
Mane altero à somno experrectus cùm se vivum ac vegetum sentir
iterum iterumque vanas illas conspicui parentis minas explode
somnia eludere, ad vomitum redire, antiquam Venerem reiterar
pellicis suæ amplexus & oscula prensare visus, quæ inter & illud o
sacrilego jactabat: en! jam abiit, excessit Divo Martino festa lux
nox, quæ mihi ex ostento nugatorio esse debuit ultima, ego tam
adhuc vegetus vivo, spiro, ac veteres amores meos respiro. V
hæc ore protulit cyprio, fescennino, fætens anima simul à corpo
recessit & truncum funus in Dalilæ sinu destituit. Sic præsagio
stetit fides, lucem nempe Divi Martini huic lenoni fatalem fore. Pr
cax sodes iste calendarium eô studiô inspexisset, quô chartas fâ
bat lusorias evolvere, legisset, Divo Martino Episcopo dierum ord
ne supparem fuisse alterum Martinum eumque Pontificem simul
Martyrem, qui pedo graviore die altero post festum Turonensis Ma
tini feriret mactaretque Deo ac Superis rebelles.

Hæc

Hem! duplici Exemplo ostendimus, quanto cum periculo perpetuæ excœcationis Sol divinus tanquam in omnes beneficus secluſâ ejus Justitia, spectetur & adoretur. Vide, ne lumen, quod in te est, tenebræ fiant. Cave, ne lumen, quod ex solâ Dei misericordia ex præsumptuosa spe veniæ à Clementissimo Deo ultimâ horulâ obtinendæ hauritur, tenebras pariat ægyptiacîs densiores & lumen hoc vere erraticum, illud gratiæ illud gloriæ divinæ lumen extinguat. Amamus cum Aug. Deum clementissimum, timemus pariter cum Aug. Deum justissimum. Amore in Deum omnem desperationis actum propulsamus, timore in Deum omnem peccandi proterviam, omnem præsumptuosam libertatem proscindimus cum timore ac tremore salutem nostram operantes eamque tuto in portu locantes.

Amen.



# CONCIO XXXVIII.

## Festum Præsentationis B. M. V.

*Beatus Venter, qui te portavit!* Luc. 11.

## Templi Encænia.

QUid hoc rei AA. agitur hodie annua Templi nostri Dedicatio, & nullum uspiam signum prostat tantæ solennitatis? foris nullum ex alta turri vexillum propendet. Introrsum pedem exporrige, nullum in choro vestigium apparet. Silent tubæ, tacent tympana, toties ad fescenninos saltus, ad meretricias choreas & decumanos sanitatis haustus per immane sacrilegium ab aris in haras abstracta; cùm enim Sacris tantùm Divinóque cultui sint dicata & magnis sumptibus uni Deo ac Divinis sint coëmpta, è templis ad fœtentes lupambulorum lucos nonnisi per immane sacrilegium & sacrilegum Sacrorum abusum transportantur. Quâ conscientiâ? templorum viderint Curiones. *Sic vos non vobis vellera fertis oves.* Hæc divinissimi cultus instrumenta per Antiochum aliquem immanibus ausis adulterari, nemini mirum videatur; gentilis erat, Divorum expilator, Sacris omnibus infensus & infestus tyrannus; at similia per Catholicos tentari, intolerabile fuerit, & nonnisi centum fulminibus proscindi dignum scelus. Aræ nihil uspiam splendoris præ se ferunt; nulla promicant antipendia acu phrygia sumptuosè elaborata; nullis peristromatis subsellia rutilent; nullum prostat triperticale vexillum, quod num invidia retundat, aut sordida sacrorum injuria umbris recondat, Superi rescient, & suo tempore utrumque probrum probè ulciscentur. Ipsi etiam parietes nullis splendicant candelis. Video candelabra numerô tantùm quaterna, sed cœca & propria luce sua undique viduata; an altera duo sua cum luce stuba extinxit & dilapidavit? Nullos video togatos aris assistere; nullos video facigeros chorum illustrare. Nempe, quod unus ædificat, destruit alter. *Sic vos non vobis mella paratis apes.* Verbo: squa-

A. Agitur hodie Templi Dedicatio, & non est, qui recogitet.

squalore obsita jacent omnia. Ex levidensi apparatu ne quidem festus dies eruitur, ut taceam, encænia celebrari. Interim Templi Dedicatio agitur hac festa luce; at verò cujus Templi?

Nolim ultrà meos AA. suspendere; Templi Mariani hodie solennis Dedicatio totani per Ecclesiam celebratur; quid enim aliud est Præsentatio Virginis Deo facta, quàm trimulæ Virginis ad obsequia divina palàm facta Dedicatio? Nil tritius est apud PP. quàm ut Deipara veluti splendidum aliquod Templum ac Dei regia Basilica prædicetur. Rup. Tuitiensis certè (1) his eam verbis salutat: *Ave Templum Deitatis! Ave Regia Sanctitatis, in qua Deus habitat corporaliter!* Hôc *Templi* titulô alii pœnè omnes intemeratam Dei Parentem condecorant. Audiamus obiter nonnullos. S. Cyprian. (2) hanc Augustissimam Virginem *Templum* vocat *à Spiritu Sancto consecratum*. D. Gregor. Thavmat. (3) *Templum Dei animatum*. S. Andreas (4) Cretensis. *Templum novum, quod sibi Deus Artifex admirabili modo compegit*. S. Hildephonsus (5) *Templum cœlô majus*. S. Joannes (6) Damascenus, *Templum Dei Sanctissimum, quod pacis princeps Salomon extruxit & habitavit, non auró & inanimis lapidibus ornatum, sed auri locô Spiritu fulgens, pro lapidibus pretiosis margaritam ingentis pretii Christum comprehendens*. S. Bonavent. (7) *Templum SSS. Trinitatis*. S. Thom. Aquinas (8) *Templum septem columnis ceu rarissimis virtutibus instructum, quod sibi ædificavit Sapientia Divina; Templum Gratiæ, ad quod cum fiducia adeundum, ut misericordiam inveniamus in tempore opportuno. Templum, in quo omnes orationes quæ funduntur, exaudiuntur. Templum undiq; privilegiatum, ut omnes rei & malefactores, qui eò currant, salventur*, prout patet in Theophilo & aliis propè innumeris. Pientissimus unà & doctissimus Idiota (9) *Templum aureum Salomonis, de quo Deus: oculi mei semper erunt aperti & aures meæ rectæ ad orationem ejus, qui hoc in loco oraverit, Elegi & sanctificavi mibi locum istum; quidquid enim à Filio suo Deipara flagitat, facilè impetrat*. Bernardinus de Bustis (10) *Templum Dei pulcherrimum, ad quod confugientes, sunt à dæmonibus securi, nec violenter ad tartarum trahi possunt*.

Si ergô, prout hucusque vidimus, *Templum Dei* est Deipara, hodie certè cùm à parentibus ex voto anteriùs concepto, trimula Deo in Templo ejus divino cultui consecraretur, solenni ritu Dei dicatum est præsens Templum. Aderant huic actui, si quidem Isidoro fidem integram adstruimus, (11) facto agmine plurimæ puellæ, faces accensas manibus gestantes, viri primarii Jerosolimitæ ac mulieres cum cereis

B. Ipsa in Templo præsentata Virgo templum est.

(1) Rup. Tuic. in Cant.
(2) S. Cyr. Sermon. de Nativ. Christi.
(3) S. Greg. Thav. Sermon. 3. de Annunt.
(4) S. Andr. Cret. Orat. de Annunt.
(5) S. Hild. Serm. 3. de Nat.
(6) S. Joan. Dam. orat. 1. de Nat. B. V.
(7) S. Bonav. in Ps.
(8) S. Tho. Serm. in Purif. B. V.
(9) Idiot. p. 16. Contemplat. l. 7. de B. V.
(10) Bern. Bust. Sermon. 5. de Nom. B. V.
(11) Isid. Thessalon. Orat. de Festo.

reis accensis, læta palàm Virginis trimulæ accinentes, ipsis etiam Angelis suavi musica totum hunc solennissimum Oblationis actum celebrantibus phonascis. Sic hodie nemini mirum videatur aut paradoxum, si dicatur cum Germano Constantinopol. Patriarcha (12) versum esse hac festa luce in templo inanimato Templum animatum, præsentatum simul & Divino cultui consecratum. Hinc jure cum Evangelica muliere vocem extollamus, & tantæ Virginis parentibus summam *Templi* hujus *animati* dignitatem aggratulemur, cujus hodie solennis Dedicatio Jerosolimis celebrata est: *Beatus venter qui te portavit &c.* Templi hujus encænia & nos celebremus, quantùm quidem properanter à nobis possunt celebrari. Ego ut Templi hujus Mariani annua encænia dignis laudibus deprædicem, jam nunc Templi hujus simul Ecclesiasten ago & Ædituum. Quà *Ecclesiastes*, voce cornora Templi nostri splendorem pro viribus extollam, quà verò Æditu juxta receptissimum Ecclesiæ morem luminaria numerô duodec tanquam publicæ Dedicationis insignia, ordine accendam singu ut vel ex obliquo vel ex alieno lumine præsens Templum ritè illustretur.

(12) Germ. Constant. Patr. Orat. de Fest.

C. Hujus Templi Deo hodie consecrati festivitas exponitur.

D. Accenduntur hujc Dedicationi pro more 12. Cerei.

Repræsentant hi duodecim Cerei in singulis Ecclesiis duodecim Apostolos, fidei nostræ primos post Deum Authores & incentores, qui sicut Deum eumque Crucifixum cultu latriæ adorandum toto terrarum orbe proclamârunt, ita pariter Mariano hyperduliæ cultui ubique ampliando ardentissimè insudârunt. Dicam adeò quid universim omnes Apostoli hunc in finem collaborârint, inde quid singuli post Christi in cœlos Ascensum, ac Spiritus sancti adventum in varios orbis provincias dispersi Apostoli, non tantùm Christo proclamando & divulgando impensè vacârint, sed etiam Mariano cultu omnium pectoribus inserendo. Sic doctissimus Idiota (13) perhibet: *Per Apostolorum prædicationem in omnem terram exivit sonus SS. Nominis ô Deipara.* Hinc à S. Ephrem (14) *Apostolorum præconium* dicitur Deipara, & à Bonavent. (15) *Apostolorum omnium soror ra laus.* Hæc ipsa etiam causa extitit, cur tot exteros cupido incesseret Virginem prodigiosam videndi, & ideò Jerosolimas magnis itineribus contenderent, ut propriis spectarent Virginem tot honorum titulis concelebratam, Ignatio (16) teste. Multas secum in omnes terrarum partes icunculas deferebant Apostoli, ut vel sic plurium votis satisfacerent, & fidelium cultum in Deiparam augerent Canisio (17) teste. Juxta mentem ac sententiam Alani (18) etiam Angelicæ Salutationis

(13) Idiot. l. contempl. B. V. c. 5.
(14) S. Ephr. Serm. de laud. B. V.
(15) S. Bonav. super Salve Reg.
(16) S. Ign. Epist. 1. & 2.
(17) Canis. L. 5. de B. V. c. 12.
(18) Alan. in Apolog. pro Rosario c. 15.

tationis elogia sæpiùs ab Apostolis summa cum reverentia palam sunt recitata. Suarezium si sequamur (19) ipsis ab Apostolis ortum traxit festum Assumpt. Deiparæ. Wichmanum si audias (20) sua pariter primordia ab Apostolis trahit Sabbathum Marianum. Ei certè puris ex amoribus morienti omnes aderant Apostoli, Dormitionem illius honorificis titulis exornantes, teste Dionysio eóque oculato. Corpus virgineum radiosissima luce coruscum, & suavissimos spirans odores omnes palàm sunt venerati, ex tactu sanctificatione & benedictione oppleti, ut loqui placet (21) Damasceno. Corpus Angelico simul & Apostolico concentu tumulatum est, accensæ faces, sparsi flores, & unguenta, cantica & hymni in Deiparæ laudem sine fine sine numero effusi sunt. Elogia Divæ Virgini per Apostolos cantata in unum collegit Andreas (22) Cretensis. Hæc in genere de Apostolis dicta sunto.

(19) Suar. tom. 1. de relig. l. 20. c. 8. n. 14.
(20) Wichman in Sabbath. Marian.
(21) S. Jo. Damasc. Orat. de Dormit. B. V.
(22) Andr. Cret. Orat. 1. de Dormit. B. V.

Nunc propiùs singulorum ardentes Cereos suspicimus, quorum primum sibi vendicat S. Petrus Princeps Apostolorum. Hic sicut inter Apostolos primatum obtinuit, ita pariter aliis omnibus in amplando Deiparæ cultu primô poni locô meretur. Decuit omninò, ut qui à Deo per Deiparam maximi nominis gratiam accepit, pro gratia gratias redderet omnium maximas & perennes. Debuit singulari quodam pietatis æstu in Deiparam propendére, cùm probè sciret Petrus, se precibus & suffragiis Deiparæ è profundissimo trinæ negationis bárathro ereptum esse, ut autor est Greg. Nazian. (23) in tragœdia sua Dom. Passionis, ubi alma Dei Parens sic Filium suum pro venia Petro danda affatur:

(23) S. Gregor. Nazian trag. de Christ. pat. F. Repræsentant 11. Apostolos specialiter Deiparæ devotos. F. 1. Cereus est S. Petri.

*O chare Nate! O Nate mi! O Verbum Dei!*
*Peccare cùm sit insitum homini, ignoscito!*
*Quod Petrus in te admisit, id fecit metu:*
*Turbæ irruentis & frementis turbidus.*

Cui statim hunc in sensum Filius respondit:

*Jubeo: nihil sis anxia ô Virgo Parens!*
*Condono Petro, quidquid est lapsus, tuâ.*
*Unius hodie gratiâ; nam antè & tibi*
*Es me obsequentem experta semper filium &c.* Sic Greg.

Ut ergò Petrus grati animi ſpecimen præberet, & Deiparæ cultum ma ampliaret, memoriam ejus S. Miſſæ Officio inſeruit, ut patet ex ejus Liturg. tom. 1. Bibl. PP. Extra Sacrificium etiam Salutationem Angelicam, orationis formam inſtructam toti orbi Chriſtiano primus omnium colendam dicitur propoſuiſſe. His non contentus Petrus contendit Antiochiæ à D. Luca & aliis pictoribus plurimas B. V. imagines depingi, ut hôc medio cultus Deiparæ in omnium fidelium oculis & animis firmaretur. Ex Petri ſacrificantis manibus Deiparam jamjam moriturâm SS. Viaticum accepiſſe, refert Hippolitus (24) Maraccus. Hunc Deiparæ cultum à D. Petro hauſerunt omnes ejus diſcipuli, quaquaverſum ad fidem diſſeminandam dimiſſi; Marcus & Maternus, Marianus & alii.

(24) Hipp. Maracc. in lib. Apoſt. Mar.

Secundum Candelabrum D. Joanni Apoſtolo & Evangeliſtæ proprium eſt, cui ſcimus è Cruce à Magiſtro Matrem Dei commiſſam eſſe. Audiatur hanc in rem ſplendidè perorans (25) Villanova: *Fecit Chriſtus in Cruce moriturus, teſtamentum ſuum, Patri Spiritum ſuum, Eccleſiæ Corpus, peccatoribus Sanguinem, latroni Regnum, militibus Veſtes, Apoſtolis Paracletum, Petro Eccleſiam, Joanni Matrem ſuam commiſit. Ecce mater tua, ecce filius tuus!* Ita Chriſtus cordi Virgineo Amorem maternum in Joannem, Apoſtoli verò viſceribus filialem in Virginem reverentiam inſeruit. Ex alloquio, familiaritate, & magiſterio tanta Virginis tantoperè profecit Joannes, ut ſicut Aquila omnes alias aves ſuperat volando, ita Joannes omnes alios vinceret evangelizando. Hic ut in Matrem ſuam mutuos affectus refunderet, toto vitæ curriculo fidiſſimum Virginis Oeconomum egit, non tam victus quàm veſtitus ſedulum proviſorem, revelatumque fuit S. Gertrudi (26) B. V. ſpecialem gloriam in cœlis nactam eſſe ex obſequiis S. Joannis; ipſe enim omnia victui providente, liberiùs poterat divinis incumbere. Deipara. Ut cœlis illata eſt, eam mox ſcriptis extulit, ejusque laudes totum per orbem diſſeminavit, primus omnium Mariani elogii præco, qui etiam calamô Deiparam celebraret.

(25) S. Th. Villan. Sermon. de S. Joan.

G. II. Eſt S. Joannis.

Tertius Cereus D. Andream ſpectat, qui ſuum ſpecialem in Deiparam affectum diſtinctè explicuit, cùm in Apoſtolico Symbolo palàm enuntiaret: *Qui conceptus eſt de Spir. S. natus ex Maria Virgine*, ſic cùm Maternitatem Deiparæ ac Virginitatem ejus palàm profeſſus Virginem extulit, unà per duplicem hanc omnium chariſmatum radicem, omnes gratias hinc profluas expreſſit. Cùm porrò jam mortis glo-

H. III. Eſt S. Andreæ.

riosissimæ proximus esset Martyr, è Crucis cathedra pro Immac. Virg. Concept. palàm peroravit his verbis ut perhibet (26) Abdias: *Sicut primus Adam ex terra formatus est immaculatus, ita etiam Christus ex Virgine prodiit immaculata.* Hunc sensum ut omnium animis seriò inculcaret, idem ex alto reiterare auditus est: *Sicut primus Adam formatus est ex terra antequam esset maledicta, ita & secundus Adam ex terra Virgine prodiit nunquam maledicta*, ergò semper pro omni temporis momento, signo & instanti undique immaculata. (26) Abdias in Act. S. Andr. l. 4.

Quartus Cereus inscribitur Jacobo Hispaniarum Apostolo; hic Mariani amoris & cultûs singulare specimen exhibuit, cùm Cæsaraugustæ in Hispania primam totius mundi Ecclesiam Virginis Matris adhuc vivæ honori & nomini propriis manibus dedicaret, quæ ad usque finem mundi statura dicitur ex oraculo Mariano. Cæsarauguslæ primum Immac. Concept. festum instituit Jacobus, & post gloriosissimam vitam martyrio coronatam Archidonæ in Hispania equô vectus candidô, iconem Deiparæ Sacerdoti colendam veluti scutum contra Mauros in manus tradidit, quæ hanc in horam una tantum vice per annum publico hominum affluxui spectanda proponitur, grandibus miraculorum portentis stupenda, ut Atlas meminit Marianus. I. IV. Est S. Jac. Major.

Quintus Cereus est Thomisticus. Quàm splendido cultu & observantia in Virginem Matrem Indiarum Apostolus Thomas arderet, perspicuum fecit cum ex India Jerosolymas redux Virgini assisteret morienti, & jam Deo immortuæ panegyricam diceret Orationem, cujus initium hausit ex Psalm. (27) *abyssus abyssum invocat. Quis*, inquiebat ille, *tanta Virgine dignas promat laudes, ubi abyssus datur miraculorum, abyssus gratiarum, abyssus pietatis & misericordiæ, abyssus bonitatis & clementiæ, abyssus inexhausta divinorum charismatum, cujus profunditatem solus Deus metiatur. In hanc abyssum se tota mergat Christianitas, ut ab omni dæmonum ac tribulationum violentia liberetur & salvetur.* Digressus inde ad Immac. Virg. Concept. palàm asseruit, ipsam nec per momentum Dei sui inimicam sed ei semper amicam & gratiosissimam fuisse, nullum ex filiis Adæ fuisse, quem non aliquando pro inimico Deus habuerit præter Deiparam, ubi ne quidem vellet nominari culpam. Ex his abundè patet, quantis amoribus in cultum Marianum per Indias ampliandum Thomas ageretur. K. V. Est S. Thomæ. (27) Ps. 41.

Sextus Cereus alterum tangit Jacobum vulgò minorem, qui ut suæ in Deiparam observantiæ vivax daret paradigma, liturgiæ suæ splen- L. VI. Est S. Jac. Minor.

splendidam Deiparæ commemorationem inseruit his verbis ex PP. Biblioth. depromptis. *Commemorationem agamus Sanctissimæ & Immaculatæ Matris Dei, cujus precibus misericordiam consequamur. Ave Maria gratia plena Dominus tecum, quem Animarum nostrarum Salvatorem peperisti. Dignum est, ut te verè beatam prædicemus, honorabiliorem quàm Cherubim, gloriosiorem quàm Seraphim. Tibi ô gratiæ plena omnes serviunt creaturæ, tibi omnes Angelorum cœtus applaudunt & hominum genus. Te veluti Templum Sanctitatis & Spiritualem paradisum tota colit Ecclesia. Nos pariter ad templum sanctum gloriæ tuæ sublima, tuos respice Misericordiæ Mater, Virginum gloria, ex qua Deus carnem assumpsit, factus puer, qui est ante secula. Cœlis amplior Virgo cœlos refera!* Sunt hæc verba in laudem Virginis effusa, certe nullo alio quàm apostolico ex spiritu deprompta, quæ Marianam majestatem supra modum extollunt.

M. VII. Est S. Phil.

Septimus Cereus totus est Philippi, qui sua pariter panægyrica oratione Solem Marianum jamjam occidentem ita exornabat, ut tamen disertè probaret, non esse, qui se à caloribus ejus abscondat, lucem suam in obvios dispensare, omnibus misericordiæ sinum aperire; provocat cum Bernardo, tot seculis posthumo Patre totum hoc universum, ut qui suis in necessitatibus sit à Matre Dei destitutus, in apricam lucem se conferat, omnibus argumentis mactandus.

N. VIII. Est S. Barthol.

Octavus Cereus Bartholomæum designat. Quantus hic cultor fuerit nominis Mariani, assidua Sancti hujus oratio manifestum reddet. Ajunt hunc Apostolum centies interdiu & toties noctu Angelicam Salutationem recitâsse, adeóque juxta B. Alanum (28) Rosarii Deiparæ recitandi prima principia posuisse. Author prætereà fuit Apostolus iste toti Christianitati, ut per publicum Deiparæ cultum suis à laribus pestem Mariani cultores propulsarent, pharmacô præsentissimô per schedam cœlitus allatam contra pestem Monialibus impertitô, cui schedæ notoria illa *de Stella cœli* inscripta fuit Antiphona. Ubique prostat, eóque ex quotidiana & publica decantatione ita saltem hic Salisburgi nota est, ut eam quoque pueri calleant abecedarii. Sic nempe in cultum exarsit Marianum Bartholomæus, ut cœlô deflueret, & Mariæ cultum propellenda peste fidei nostræ domesticis commendaret; cui tamen ignota est Antiphona, reperies eam in Tub. Trag. germanicè reddita.

(28) Alan. Rupens. in Apol. pro Rosar. c. 8.

Nonus

O. Est S. Matthæi.

Nonus Cereus D. Matthæi aureum Nomen ostentat, ut manifestum reddat, summis ei in votis fuisse gloriæ Marianæ augmentum. Paucis omnia ut comprehenderet, & nucem iliade concluderet, quidquid de B. Virgine dici vel intelligi potest, paucis illis vocibus in totius rei summam redegit, *de qua natus est JESVS qui vocatur Christus*, in hoc Divum Andream ardenter æmulatus est, à Maternitate Dei ceu omnium gratiarum primo principio lineam duxit ad omnes alias prædicabiles gratias Deiparæ cœlitus affusas. Has voculas D. Thomas Valentinus sic explicuit (29) ut palàm ostenderet, omnia decora in hoc Maternitatis principio cogi & terminari; *Quid amplius*, ait ille, *in Virgine requiras? Sufficiat tibi, quòd Mater Dei est; quæ enim gratia quæ gloria non congruit Matri Dei? nil illi gratiæ ac perfectionis defuit, quam anima in pura creatura concipere potest, ubi ergò totum fuit, pars scribi non debuit, ne crederes, quod scriptum est, ei defeciſſe &c.* Quidquid ergò de Virgine Matre vel scire cupis vel intelligere gestis, id totum hoc uno clauditur breviloquio, *de qua natus est JESVS qui vocatur Christus.* Sic Evangelicam Matthæi breviloquentiam Thomas explicuit, ut plus ultra desiderari haud posset.

(29) S. Th. Valenc. Serm. 1. de Nativ. B. V.

P. 3. Ultimi sunt S. Sim. S. Jud. Thadæus & S. Matthiæ.

Tres ultimi Cerei residuos Apostolos concernunt. Liceat mihi hanc Apostolorum triadem unà proponere, qui eximios Deiparæ encomiastas in Oratione publica de Virginis laudibus Jerosolimis habita egerunt. Simon, Deiparæ post Christum gloriæ proximum locum aggratulatus hortari cepit omnes, ut Dei ac Matris ejus vestigia in puritate cordis sectantes sursum corda extollerent ad Dei gloriam Deiparæ tam largè communicatam. Pariter omnes in Domino hortari sunt auditi Thadæus & Matthias, ut Deum glorificarent, qui tantis cœlestium charismatum donis Matrem suam condecoravit, ut ea nec lingua possit angelica explicare. Datum sit eminus gloriam Virgini Matri affusam arbitrari, centies cum Paulo exclametur (29) *nec oculus vidit nec auris audivit*, quæ & quanta gloriæ suæ prodigia Matri suæ Filius Deus præparaverit. Qui plura de Mariano Apostolorum affectu nôsse desiderat vel Maraccium consulat in Apost. Mar. vel Amadæum in Apocal.

(29) 1. Cor. 2.

En ergò ardentes Apostolorum Cereos numerô duodenos Templo Mariano, cujus hodie facta Consecratio celebratur, palàm accensos. Id unum restat modò, ut verbis Psalmistæ (30) ad præsens festum ritè concelebrandum singulos invidemus: *Accedite & illuminamini!* en

(30) Ps. 33.

Deum ac Deiparam Cerei ardent Apoſtolici ! accedite fidei noſtræ domeſtici & lumen de lumine reaccendite, ut proſcripto omni algore pares in laudes Deiparæ concinnendas cum Apoſtolis effuſi, Dei ac Deiparæ gratioſa in terris obſequia deferatis, in cœlis olim uberrimis gloriæ ſertis coronanda. Sed & vos accedite, & à tot cereis Deiparæ per Apoſtolos accenſis unicum caloris radium haurite, quo cœlitus illuſtrati veſtros in fide graviſſimos errores hæretici anathematizetis, inde Deo & Eccleſiæ reconciliati Apoſtolica Virgini Matri elogia pangatis, à quibus hactenus Auguſtiſſima Deiparens nil præter horrida ſcommata & convitiorum retulit portenta. Ardentes cereos hanc in horam obſtinatè ſi contemnitis, cavete ſaltem, ne, ſi malignari pergitis, & oris veſtri cacochymiam in glorioſſimam Dei Matrem eructetis, repentinam ex alto vindictam incuratis, quam tot alii hactenus perditi Mariæ maſtiges ſuis promeritis reportabant. Longanimis & miſericors Deus eſt, neque tamen vel ſe vel Matrem ſuam toties patitur irrideri; laneo pede calumniatores inſequitur, & quâ horâ minimè putant, ſpurios chriſticolas perdit, deſtruit, proſcindit, & in patentem Orcum detrudit ſocremandos ſempiternis, qui honoris & amoris cereos Matri Virgini in vivis accendere detrectant. Retrò ad ſecula pridem lapſa vel etiam ad proximos unius ſeculi annos, oculos veſtros revolvite, grandes ubiq; pœnæ oculos irruent in Mariæ maſtyges juſtô Dei judicio decretæ. Do octonos, quos in flagranti corripuit divina Nemeſis.

Q. Hinc radium hauriant hæretici Mariæ maſtiges ac deſinant tandem Mariam criminari tanto perè per Apoſtolos cultam.

R. Grandibus pœnis hæc ſtetit criminatio.

*Arrius Preſbyter* hæreſiarcha Deiparæ partheniam Maternitatem primam omnium gratiarum radicem ſtygiis dentibus arrodit pœnam dyſenteria Conſtantinopoli correptus, inteſtina profundit, libris ejus Conſtantini ex imperio publico in foro per carnificis manum exuſtis, quibus grandi numero calumnias inſeruit in Deiparam deipurgatas.

*Neſtorius Preſbyter* Antiochenus, inde præſul & patriarcha Conſtantinopolitanus hoſtile bellum Deiparæ indicit, palam auſus effutire, ut Deus ab homine gigneretur, nullis viribus ac modis hic potuiſſe. In pœnam blasphemiæ ab Epheſina Synodo tanquam pertinax hæreticus patriarchali dignitate ſua ſpoliatur, à Cæſare Theodoſio in exilium agitur, ubi blasphemâ ejus linguâ à vermibus corroſâ, corpus ipſum, tantæ impietatis organum à dehiſcente terra abſorptum, anima verò ad Orcum detruſa eſt, (31) Caniſio teſte.

(31) Caniſ. de Deipar. l. 3. c. 18.

Conſta-

*Constantinus Copronymus* sic dictus Imperator, quòd baptizandus sacrum fontem omine pessimo fædâsset, impius, maledictus & blasphemus in Deiparam, quam bursæ comparabat tamdiu pretiosæ, dum aurum sinu suo reconderet, hôc extractô, omnium contemptui marsupium patere, fassus est, fato proximus turbulento, se ob Deiparam igni traditum esse inextinguibili; Baronio (32) teste.

(32) Baron. ad An. 767. S. Novem exemplis probatur. Hist.

*Scotus ille miles* in Handitovienſem Deiparam miraculis claram multa spargit convitia, prædans interim anathemata Virgini appensa; cùm verò spoliis dives reditum properaret, decidit repentè è templi tholo procera & magni ponderis Crucifixi effigies, quâ utique miraculoso casu prædo sacrilegus obteritur & mactatur.

*Alter ille Abredoniæ* in Scotia, hæresi calvinistica infectus lurco ad miraculosum Deiparæ fontem considet, & in Virginis Matris despectum protervis ausibus alvum exonerat, mox verò canina fame ac rabie correptus animam vomit, & cum Arrio & Juda ima fundit viscera, prout Atlas (33) perhibet.

(33) Atl. Mar. f. 778.

*Divæ Virginis Lucensis* in Italia criminator & illusor vivus à terra sorbetur, prout idem Atlas (34) testatur. *Ædem Nolanam procax* femina transit & pede cespitans humi ruit; mox ergò in prodigiosam B. V. statuam, quæ ibi religiosè colitur, diras evomens Xantippe, pedem dextrum corpore avulsum perdit; necdum damnô suô correcta, etiam post annum eodem die perdit sinistrum impia criminatrix Spinello (35) teste.

(34) Idem f. 190.

(35) Spin. in Chron. Deip.

*Tonat, fulminat* æstuans cœlum; incidunt in tempestatem duo Socieni, & cùm nullus effugio locus esset alter suam salutem juxta fidei catholicæ regulam Deo ac Deiparæ commendat facta itentidem ad fulgura cruce, alter hæreticæ pravitatis assecla comilitonem mulcarium ob sæpius formatam crucem irridet; mox sanus ille & incolumis domum repetit, hic verò fulmine è nubibus deciduo exanimanas Justitiæ fulminanti, prout memorat (36) Alanus.

(36) Alan. Cop. dial. 3. c. 29.

*Discite justitiam moniti, neq; temnite Matrem,*
*Quæ peperit pura Virginitate Deum!*

Amen.

CON-

# CONCIO XXXIX.

# FESTUM S. CATHARINÆ V. & M.

*Vigilate, quia neſcitis diem neq; horam.*
Matth. 25.

## Vigiliæ perennes.

A. Nemo ſe cogitat moriturum.

SUmus quidem, quotquot in hoc mundo vivimus, & dicimur mortales, Opt. AA. omnium horarum homines, certi de obitu, de hora & de loco penitus incerti; interim tamen loquimur & vivimus, non ut aliquando morituri, ſed ut hîc æternum victuri. Jam comeſſandi & græcandi, jam ludendi & ſaltandi, jam emendi ac vendendi, jam fœnerandi & negotiandi tempora quaſi certiſſima computamus; jam alia id genus patrani ſtatos dies & horas eminus aucupamur. Alios operoſa ſedulitas aſſiduis laboribus foris atterit; Urunt & finduntprædia ſua, arant, occant, ſulcant, fodicant, ſerunt, ſarriunt, haras & horrea dilatant, quaſi quidquid de Lybicis verritur areis, conditu-

(1) Luc. 12. ri; interim ex alto vox intonat lethalis (1) *hac adhuc nocte animam repetent a te;* dic ergò ſordide Euclio, hæc quæ parâſti, cujus erunt!

B. Licet ubique nobis mors fatales inſidias ſtruat.

ah! nec domi nec foris extra omnem teli jactum ſubſiſtimus. Nullibi tuti ſumus. Alphonſus VII. Hiſp. Rex frondoſæ ſub arboris umbra conſidet, & ſuave ſpirantis zephyri ore anhelo captat auram, ſed unâ ſpiritus intus agens in auram abit, nunquam ultrà ſuos ad lares reverſus. Æſchylus Nobilis Poëta ædium timens ruinam Siculæ urbis mœnibus egreditur, & hem deſuper volitans aquila unguibus geſtans incruſtatam teſtudinem, calvi ac depilis capitis ſplendore decepta, ei tanquam petræ teſtudinem alludit, ſuâ ut prædâ potiatur. Sic contuſo vertice infelix vates unà cum cerebro etiam animam effudit.

dit. In Insula, Lemno Cardano (2) teste, octo messores sub quercu prandentes è cœlo fulminantur & exanimantur; reperiuntur cadavera eo situ, quô discubuerant, ut unus comedere, alter bibere, poculô manibus ori admoto videretur, cùm verò omnes tetra fuligine fulmen tinxisset, exanimes æthiopes referebant. (2) Card. de rer. var. l. 8. c. 43.

C.
In silvis venatores prædatur.

Alios per avia & invia, per dumeta & viréta, per caligantes nigra formidine lucos venatrix Diana circumagit, ut damas figant, & trepidos cervos in retia cogant; interim prædatum excurrunt, & ipsi fiunt præda. Sic Phasilla Legionis in Hisp. Rex, Regis Pelagii filius, venationis studiosissimus Princeps, in montibus, in silvis & sub Jove frigido circumcursitans, tandem solus ab urso capitur & dilaniatur, ut Ritius (3) perhibet. Sic Guilielmus Anglorum Rex venatum egressus à Gualtero Tirello intimo Aulico parùm cautè in cervum ejaculante confixus, uno gemitu edito confectus, humi ex equo defluit regale funus, ut memorat (4) Polydorus. Sic Fulco Jerosolimorum Rex timidum leporem insequitur, sed mox equô excutitur, & à propriô jumento in herile pectus resupinato conteritur. Sic Basilius Orientis Imperator foràs prodit venatum, & mox grandis cervi serratis cornibus exceptus, per ardua montium, per densa veprium, per concava vallium raptatur, ut Majolus (5) meminit. Sic Membricius Britann. Rex inter venandum longiùs à suis excurrit, & à lupis, quibus id temporis scatebat insula, dilaniatur. Sic Otto Thorius Præfectus in Oettingen, Sueviæ Comitatu, vesperi venatur, & vulpeculam, quam canes captam discerpere ardebant, servaturus, festinanter adequitat, sed jumentô labitur, & simul ense vaginâ lapso seipsum induit & occumbit. En ut jocans etiam Diana suos opibus exuit & vita mortali. I nunc & vitam infidæ committe Dianæ.

(3) Ritius Neapol. l. 2. Reg. Hisp.
(4) Polyd. l. 10 Angl. Hist.
(5) Majol. Canicul. colloq. 23.

D.
In hortis florum & fructuum arbitrii affluat toxicum.

Alios in Hesperidum pométis, in Alcinoi viridariis & in rosariis præstánis prodigo sumptu excultis efrons Flora decipit & Pomóna, ut nec inter flores ac fructus curioso spectatori tuto datum sit pedem figere. Tollit è medio Kennethus Scotorum Rex Crutlinthum Fenellæ filium tuum etiam Malcolmum Duffum Fenellæ affinem clanculò trucidat. Fenella duplex fatum dissimulat, coquit interim celerem vindictam, Pomónæ statuam mirô artificiô in regali horto excitat, cujus manum pomô aureô rutilantibus gemmis refertô exornat; id quisquis attigisset, cujus toxicô omnium acerrimô afflari debuit & mactari. Eò

loci Regem nil horum suspicantem invitat, spectat pomum & palpat, una ore patulo haurit venenum, quod multò antè ad ima cordis penetrabat, quàm forte medicamen toxici virtutem proscriberet. Ita quidem (6) Cardanus.

(6) Card. l. c. l. 12. c. 58.

E. In undis piscatores hamat.

Alios piscoso in æquore Neptunus frustratur, atque insuper ipse sua graphicè delusos ipsis piscibus escam tradit piscatores; neque tamen alienô malô, imò nec suô toties ictus & monitus sapit piscator. Ajunt plures simul combibones in popina conglobatos varia de variis mutuô alloquiô eventilâsse; hos inter unus erat, qui piscatorum conditionem tot periculis obvallatam diris devoveret millenis, alterô ad tot vitæ discrimina ridente. Instabat ille, palàm diceret, ubi locorum pater ejus, avus & atavus obiissent? omnes, inquit, aquis hausti sunt. Mox iterum ille: qua ergò fronte tu aquis fragilem vitam tuam committis, vix tribus aut quatuor digitis à morte remotus? tulit crisin ictus piscator, & mox ab eo repetiit, ubi locorum ipsius pater, avus & atavus diem clausissent supremum? qui ociùs respondit, omnes in lecto obiisse; mox iterum alter, qua ergò fronte tu *lecto*, quod unâ tantùm literulâ à *leto* distat, vitam fragilem quotidiè committis, quam ego una tantùm vel altera vice totam per hebdomadem undis consigno? Optimè sensit uterque, cum crisin vel in undas, vel in lectum refunderet. Ubique locorum, ubique temporum fatis premimur millenis. *Dic quibus in terris*, dic quibus in lucis & in angulis, *& eris mihi magnus Apollo*, extra omnem teli mortiferi jactum tutus subsistas? quocunque pedem exporrigas, te laneo pede fatum sequitur, donec assequatur; his tamen omnibus insuper habitis & elusis ita in terris agimus, quasi nunquam esse-mus animam acturi. Tot inter discrimina vitæ *lethi* passim obliviscimur, quasi *lethen* bibissemus, qui fluvius omnium dicitur oblivionem generare. Ita centies accidit, ut multò antè mori nos potuisse discamus. Non dicerem ista tàm liberè, nisi dicta firmaret experientia pænè quotidiana; dic enim, quisquis Christianum agis, sed luridum, emarcidum, dic inquam, credisne te aliquando moriturum? credo, inquis; at verò ego non credo, à te credi te moriturum. Vis, ut credam, à te credi te moriturum fidem tuam non nudis & emortuis vocibus sed vivis operibus demonstra. Si credis te moriturum, dic, cur voluptatibus impallescis? cur vinô mades? cur tam enormi inertia torpescis? cur officia lucis & noctis tantòperè græcando evertis? cur

F. His tamen omnibus elusis, ubique ferè mortis memoria emarcuit.

cur tot nobiles horas in symposiis etiam nocte concubia exigis? nec occidentem solem nec orientem spectas propriis, quod Marcus Cato de sui ævi lurconibus dicere consuevit? cur totum everſæ vigiliæ tempus epulis & lusibus, risibus & choreis comburis? cur cibum in gulam & turpem intemperantiam deducis? cur potum in crapulam & ebrietatem diffundis? cur mentem toties facis amentem? cur ipsum corpus animi domicilium, spiritus musæum, Dei templum, in scenam criminum, in propudiosum omnigenæ pravitatis theatrum transmutas? cur mentiris Christianum, qui clanculò vivis Sardanapalum? cur nullum vesaniæ, nullum avaritiæ ponis modum? cur tanta procacitate Venerem déperis, & bipedes damas venaris? cur tantis æstibus Volupiam colis? cur tot tantisque fraudibus & dolis Mammonam colligis? & adhuc vis ut credam à te credi, te moriturum? credat Judæus apella, non ego, ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis. Si credis te moriturum, & nescis ubi, quomodo, quando? cur fidei hujus nullum exhibes fructum? cur nullum inde conclusum eruis æternitati glorioſæ proficuum? conclusum optimum his ex præmissis formatum Sirach (7) deduxit, verbis illis comprehensum: *Ergò ne tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius.* Item cap. 21. *Ne demoreris in errore impiorum! ante mortem confitere &c.* Cur non idem tibi quoque occentas, quod omnibus innuit (8) Tharsensis: *Ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis!* Cur non hodie intonantem Evangelistam promptè audis & impigrè sequeris monentem: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Hæc hæc bella est conclusio ex prævio antecedente prudentissimè illata: *Nescitis diem neque horam* abitus & obitus vestri, ergò diu noctúque *vigilate*, neque in crastinum seria salutis negotia trajicite. *Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies*, Augustin. (9) teste, *hunc ipsum diem, de quo loquimur, ad inducias conversionis accepimus*, Gregor. (10) teste; ergò hodie propter cras in excubiis sta, ne imparatum repentina mors offendat. Verum est, quacunque die, quacunque hora Deus indulgentiam promisit & veniam, sed nullibi legitur crastinum promisisse, vel longam vitam, ergò spes veniæ in peccandi securitatem verbi non debet, nec prorogari debet in crastinum, ubi adhuc hodie contingere potest, ut per quemcunq; assultum præceps agaris in tumulum. At verò sit ita, prout tibi perperàm spondes, fac vitam longam peccanti obvenire, ut tunc pri-

Nemo credit se moriturum. Probatur & exprobratur hæc incredulitas mundicolis.

(7) Eccl. 17.

(8) 2. Cor. 6.

(9) S. Aug. de Discipl. Christ.

(10) S. Gregor. homil. 12. in Evang.

Fac etiam longam tibi vitam obvenire, non ideò pœnitentia prorogetur.

primùm seriò resipisca, cùm altero jam pede Charontis cymbam attrectas, vel gravi morbô laboras, hæc tamen ipsa pœnitentia qualis sit, ritè considera; de ea sanè mirabiliter loqui solet Aug. (11) *agens pœnitentiam cùm sanus est ac vegetus, & postea bene vivens, securus hinc exit; agens pœnitentiam ad ultimum, si securus hinc exit, ego non sum securus; pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum.* Audi ulterius hac de re disputantem Augustinum: *exponam dicta mea planiùs, ne alius, quæ dixi, male intelligat: an ergò talis, qui pœnitentiam ad ultimum distulit, damnabitur? non dico, quod damnabitur, an ergò liberabitur? neq; hoc dico. Quid ergò dicis? nescio, non præsumo, non promitto. Nescio. Vis tę omni dubio liberare? vis quod incertum est, evadere? age pœnitentiam dum sanus es; tene ergò id, quod certum est, & dimitte id, quod incertum est.* Alibi (12) clariùs promit sententiam suam aitque distinctè: *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est; pœnitentia, quæ à moriente petitur timeo, ne & ipsa moriatur;* quis ergò credat ab illo credi se moriturum, si tam periculosæ expectationi se totum committat, & quod incertum est, præ illo, quod certum est seligat & amplectatur. In toto canone Scripturarum unicus latro legitur in ultimo vitæ puncto resipuisse & alii credant sibi pariter hanc gratiam, quæ est de rarissimô contingentibus, in articulo mortis obventuram? non credant hi homines, incertam esse mortis horam, cùm sibi annos fingant Mathusalæos nunquam onturos. Ita in spem peccant perpetim cum Chrysaorio, sed spes eos enormiter confundet.

(11) S. Augustin. l. hom. homil. 41.

(12) Idem in Serm. de temp.

H.

Pœnitentia in ultimum articulum extracta infirma, imo plerumque nulla est.

Erat Chrysaorius vitiis plenus euclio, ut perhibet (13) Greg. superbiâ tumidus, carneis voluptatibus collô tenus immersus, facibus avaritiæ succensus; statuit quidem tot malis finem ponere, sed quod statuit, in dies & annos prorogavit & procrastinavit. Morbô itaque à Deo percussus, & ultimæ lineæ admotus, oculis apertis tetros Orci lemures lectulo vidit magno numerô affusos, animæ in barathrum raptandæ intentos. Cepit pallere, tremere, palpitare & sudare, magnis etiam vocibus *inducias* petere, & filium suum nomine *Maximum* pridem antè cœnobio insertum, turbatis clamoribus invocare: curre fili mi, curre Maxime, & patrem tuum tuam in fidem recipe ac tutelam! Curre Maxime, & patrem juva, fili mi! adfuit Maximus tota cum familia lugens, lacrimans: nemo vidit orcinos spiritus præter moribundum, qui jam ad dextram, jam ad sinistram se vertebat,

(13) S. Gregor. homil 12. in Evang.

I.

Probatur ex Chrysaorio.

Hist.

bat, sed utrinque lemures instabant fumante rictu. Cùm nullibi effugio esset locus, horridis vocibus id unum repetiit, *inducias usq; mane, inducias usq; mane!* at cum irritis vocibus inducias peteret, & nullas uspiam obtineret, his vocibus immortuus animam tradidit orcinis lictoribus suo cum corpore decorticandam. Sic de pessimo Chrysaorii obitu conclamatè loquitur Gregorius.

Æquè tragicum & miserabilem obitum Religiosi Beda recensèt (14) novi, inquit ille, nobilis Monasterii fratrem sed suos inter ignobiliter viventem. Sæpius monitus audire noluit hortamenta; toleratus tamen fuit, quòd arte fabrili excelleret, & opere manuum suarum cœnobio serviret. Erat autem maximè in gulam & in ebrietatem effusus, remissioris vitæ illecebris addictus, preces & chorum exosus, Sacra pænè omnia enormiter pertæsus, & quod caput est, reprobis amoribus illaqueatus; hic ad extrema deductus vocavit quidem fratres suos, sed coram illis palam fassus est, se Orcum patentem conspicari, se Caipham cum ceteris Christi occisoribus oculis intueri flammis ultricibus immersos, in quorum vicinia heu misero mihi locum video præparatum. Hortabantur eum ad pœnitentiam affusi fratres, sed surdo fabulam. Has inter iteratas voces sine Sacris diem obiit supremum at unà pessimum. Nullus ait Beda pro eo tanquam pro damnato ullas preces fundere præsumpsit. Corpus in sylvestrem cloacam abjectum est; hoc factum longè lateque diffamatum, multos ad maturandam in vivis pœnitentiam provocavit, prout ipse Beda testatur.

(14) Beda. Hist. Angl. l. 5. c. 15. K. † Probatur etiam ex vitæ laxissimæ cœnobita. Hist.

Binis hisce etiam tertium addo, quem exhibet (15) Lobbetius. Venit fortè in urbem senex Eremicola & cum sportis, quas venales deferebat, tantisper ad ædes hæsit prædivitis hominis sed moribundi at ecce (mirum visu dictuque) citato cursu duo equites advolant truci vultu, ardentibus oculis, armata manu, non ferro sed ignito titione. Ut primum ex equis descenderunt, mox ædes & ægrotantis cubiculum subeunt, & lectulo propriores fati minas intentant. Vix jacentis oculos incurrerant, tetra Tartari monstra, cùm ingens illi horror, gemitus, lamenta, & miserabiles ejulatus, inter quos auditæ etiam hæ voces: ô Deus! ô Deus adjuva me. Hîc misellum hominem irridere, & explodere de Styge missi equites. Næ te, inquiebant illi amentem & insanum, qui Dei tui memor & in extremo vitæ limine, in ultima pereuntis ævi metâ, cujus tot annis immemor

(15) Lobb. Dom. 2. Quadrag. L. Et prædivite moribundo hinc citatis equis in Orcum properante. Hist.

fuisti; næ te perditum, qui sub occasum Solis hujus cœlum suspicis & imploras, nec prius adhæsisti, cùm tibi toties surgeret amica dies, dies sana, dies salutis, de qua in præsentia conclamatum est; ibis enim infelix, ibis in domum æternitatis, in tenebras ibis, profundamque Stygem, & nimium dilatæ pœnitentiæ dabis pœnas. Fuit olim fatemur, fuit illi locus, at modò præclusi sunt aditus, & adempta spes est omnis salutis & miserationis. Vix hæc ager inaudiit, cùm nequicquam reluctantem animam exhalavit, & ut in loquar, citatis equis ad inferos descendit, qui nimiùm tardo pede ad Superos per pœnitentiam redire contempsit.

Timeant pares exitus, qui pari protervia in dies & horas, in menses & annos vitæ suæ seriam correctionem protelant, sibique ultrò cœca calculatione nescio quam longævitatem præfigunt, quibus adhuc hodie tritum illud & tragicum modulamen occinitur: *Procul hinc migrate coloni.* Peccant hic loci aliquoties, qui certis precibus omnem fidem ac fiduciam deferunt, eáque cum hac spe singulis diebus deblaterant, ut ne subita morte præoccupentur, interim tamen esse pergunt reprobi, & in omne flagitium projecti. Mirum sanè est ac prodigiosum, tot Bertas male credulas hanc in horam reperiri, quæ vanissima hæc promissa evangelicis audeant oraculis præhabere, certò sibi persuadentes, se tridui antè monendas, antequam hinc migrent, si hæc & hæc recitaverint, cùm tamen ipsa Veritas hodie in terminis clamet: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam*; Nil tamen plerisque mortalibus promptius est hodie, quàm ut pœnitentiam in incertum cras projiciant; ita corvinum cras crocitatur, donec vita mortalis eripiatur. Ah! nemo

M Ergò ne sol occidat supra pravitates nostras, & perennibus excubiis mors eminus exploretur.

sit ita temerarius ac propriæ salutis contemptor, ut in tanta hostium multitudine & insecuritate vigilias tollat, & cum letali scelere uni co fidem habeat diei, aut cum grandi flagitio cubitum eat. Quàm frequens sit & crebra mors repentina, quotidianis exemplis docemur. Quot ipsi novimus, qui sani, vegeti, firmi & valentes cubitum irent, sed haut amplius resurgerent, è plumis ad flammas translati. Vigilemus itaq;, & nihil unquam hoc in supremo salutis æviternæ negotio procrastinemus. Vigilemus cum prudenti Virginum choro, nec patiamur unquam, ut sol occidat super iracundiam nostram, aut super alia quæcunque carnis & corporis, gulæ aut bursæ patrata flagitia. Vigilemus, excubemus, ne unquam scelerum nostro-

norum testes abeant sol & luna. Vigilemus, & antè cum Deo ac proximo nostro animos reconciliemus, quàm Morpheo mortis fratri fessum corpus noctu immolemus. Dies quæ peccati fuit, etiam sit pœnitentiæ dies. Vestis, vultus, pileus levi fæce maculetur, ocius eluitur, & cur non pari celeritate animi nævos abstergimus, proscriptâ omni procrastinatione. Centies itum sit cubitum, & à lecto reversa sit mortalis vita, quid tum? necdum extra omnem teli jactum subsistimus. Quid si hæc ultima foret nox, quâ in æternitatem migrandum & ultra? uno certè halitu à morte distamus. Uno gradu à morte dividimur. Quot corpori nostro pili sunt & pori, tot morti ad animam inde raptandam patent ostia. Ergò iterum iterumque dico, *vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Vigilate, ne mors irruat improvisa, & nos in malo sidere, in pravo peccati signo corripiat, atque Orco tradat mactandos &c. quod ter clemens Deus omnium à cervicibus misericordissimè averruncet!

Amen.




CON-

# CONCIO XL.

## Festum Dedicationis Ecclesiæ.

*Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.*
Luc. 19.

## Divitum Idea.

VEreor sanè AA. ne illa ipsa crisis, quâ olim cribratus fuit Deo dilectus Joannes, hac annua Templi hujus Deo consecrati festa luce in me quoque evibretur. Nil tam frequenter suis inculcabat Joannes, quàm Charitatem, *filioli mei* (1) *diligite alterutrum*, non mundum, sed Deum, qui prior dilexit nos, & Christum, qui nostri amore mortuus est, & proximum, quem ipse Deus vult diligi. Omnes illius Epistolæ nonnisi Charitatis ardorem spirant & vehementiam. Refert ipse S. Hier. (2) S. Joannem senio gravem suis in collectis nil ferè aliud prædicâsse, quam tritum illud, *filioli diligite invicem* &c. cùm verò auditores ejus ex toties repetita Dilectionis crambe tædiô afficerentur, quod semper idem per idem obtruderet, causamque toties repetitæ dilectionis rogarent, dixisse fertur, *quia Præceptum Domini & etsi solum fiat, sufficit.* Ita toties iteratæ dilectionis rationem dedit efficacissimam Joannes, cujus nullus porrò ausus est reboare. Dixi ego hôc annô in tragicis hisce Concionibus meis, frequentatis vicibus de necessitate Restitutionis; inculcavi sæpissimè tritam Augustini sententiam, non dimitti peccatum nisi restituatur ablatum. Dixi multoties, quàm irrita sint pœnitentiæ opera, si desit restitutio. Ostendi evidentibus exemplis, salvari nullatenus posse, nisi fiat ablatorum restitutio, si quidem fieri possit, ut supponitur; ad id enim quod impossibile est, juxta communem, nemo tenetur. Probavi practicè nullam esse absolutionem, unde unde profectam, si non una efficax propositum se ad hanc restitutionem extendat, non voce aut

(1) 1. Joan. 2. 3. 4. 5. &c.

(2) S. Hier. in c. ult. ad Gal.

A. Crisis in Joannem detorta, me quoq; petit hodie.

aut promissô tenui, (quod hypocriticum est) sed opere ipso & palpabili facto, totis viribus seriò in id connitendo, ut ad illum, cui ablata sunt, vel simul ac semel aut successivè devolvantur ablata. Si ergò hanc ipsam Restitutionem hodie iteratò urgeam Zachæi nostri exemplô, crisin acerbam difficulter effugiam. Dicent non pauci, ii maximè, qui æris acervos impiè corraserunt, & plùs ultrà flagrantibus desideriis opibus inhiant & fortunis, dicent inquam hi & alii: siccine hôc etiam Festô cramben nobis apponit recoctam infestus popa? siccine bursis nostris iteratò diem dicet invisus bursomastix? nihil aliud præconi nostro occurrit, quàm ut ex pulpito nostra divitum marsupia proscindat? ut hunc Momum Dii Deæque perduaxint, qui tot iterum tela in Mammonam nostrum ex alto statuit ejaculari! Ita me hodie denuò pessimus genius hoc in templum abstraxit, ut omnium in me oculi, omnium in me digiti colliment? At parciùs nonnihil, Viri optimi, si tamen feceritis, quæ suasero vobis. Nullum ego lædere constitui ex cathedra. Absit! omnium saluti calamus sudat & suada: *Omnia si perdas, animam servare memento;* animam divinæ particulam auræ, animam Dei summi vivacissimam imaginem, animam pretiosissimô sanguinis Dominici lytrô redemptam salvare, & ad immortalem gloriam sublimare, votum est meum, ne Orco cedat victima, cui decreta est gloria sempiterna. Hanc animam quia pro terræ gleba, pro modico auri frustillo, tetræ Stygi cœci Eucliones divendunt, in horridam illorum & sordidam avaritiam expedio romphæam, salvo corpore, salvâ nominis famâ, quia in genere de vitiis & contra vitia ex officio clamatur. Se italoribus depingo, non ut digitis notetur, sed ut alius à seipso domum regressus, efficax propositum resumat, furto vel fraudibus ablata integrè aliis restituendi, sine qua restitutione salus æviterna sperari quidem potest, obtineri nunquam potest. Si crambe sæpius recocta dicatur, non meô, sed illius vitiô dicetur crambe, qui se & suas auri cupedias pridem corrigere debebat, at verò hanc in horam necdum correxit, sed pia omnium monita explosit, conculcavit. Ponatur hæc insolens & efrænis habendi cupiditas, altum de hac materia silentium dabit cathedra. Curabo tamen, ut crambe hac festa luce auditoribus meis non apponatur, in id studiosè intentus, ut hoc in salutis negotio novi aliquid & horridi, coronidis locô

B. Is perpetim urgere visus est charitatem, ego hac luce opulentis iterum iterumque æris iniqui Restitutionem toties hoc annô inculcatam obtrudo.

C. Desinant opulenti clepere, & nil ultrà dicam de restitutione.

D. Crambe non meo sed divitum vitiô dicatur.

proponam. Non terreor itaque brutis hiſce minis & fulminibus prævorum divitum vel in me jam actu eructatis, vel adhuc hodie largo copiæ cornu evomendis. Scio ego, quàm neceſſaria, quàm probacua ſit Mammonæ reſtitutio. Novi ego, quàm noxius & ſummè damnoſus ſit reſtitutionis defectus. Accingo itaque manum & vocem huic operi, atque omnibus opulentis pro boni Divitis idéa præſentem Zachæum exhibeo, inde ad pravos opum lucriones digreſſurus, favete!

E. Erat Zachæus, ut perhibet Scriptura, princeps publicanorum, qui ſub ſe habuit plures publicanos ſeu vectigalium exactores. Huic hominum generi usque adeò infenſi erant Judæi, ut quaſi infames imò etiam veluti latrones traducerentur. Lingua hebræâ *publicanus* ſonat *pariſius*, quod Latinè *latronem* ſignat, hominem nempe prædis & ſpoliis aſſuetum, qui iniquis exactionibus peregrinos gravabat; hæc cauſa fuit, cur Phariſæi murmurarent, Chriſtum ad hominem peccatorem divertiſſe. Erat oppidò dives, ſed fraudibus & dolis opes ſuas enormiter adauxit, peculium ſuum ex malè partis maximoperè ampliavit, quibus tamen utplurimùm *non gaudet tertius hæres, nec parit eventus ſordida præda bonos.* Si proin certum Zachæi peccatum inquiras, unica infirmæ plebis deprædatio, ſeu iniqua facultatis alienæ diminutio allegatur; fecit tamen exactam ſuæ depeculiationis pœnitentiam, prout ex Evangelio conſtat hodierno, exhibita ſatisfactione non tantùm ſufficienti, ſed etiam ſuperabundanti. En nobilem ac ſplendidum perfectæ pœnitentiæ actum, *ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Ait in terminis, *ſi quid aliquem &c.* quidquid nempe ſeu magnum ſeu modicum quacunque fraude alteri, ſeu diviti ſeu pauperi, ſeu amico ſeu inimico, ſeu domeſtico ſeu extraneo, ſeu præſenti ſeu abſenti ſubtractum fuerit, id totum non verbô ſed factô tenus reſtituo; & verò ut ſecurus ſim, me nihil ex alienis vel mihi vel meis reſervare, non ſimplum præcisè, quod jure debeo naturæ, ſed quadruplum remitto, ut lucrum etiam ceſſans reſarciatur; ea proin à me pœnitentia captetur, quæ non tantùm æquet, ſed iterum iterúmque commiſſam ſuperet pravitatem. Sic Beda (3) teſte, ſe non tantum ex peccatore converſum, ſed etiam inter perfectos probat eſſe verſatum. Adeſte nunc omnes pauperum tyranni, æris alieni perfidi corraſores, mille iniquitatum promicondi, mille fraudum architecti, mil-

Dives erat Zachæus ſed probus ac beatus, quia malè parta in quadruplo reſtituit; hunc omnes ſequantur, & cœlum ſpondeo opulentis.

(3) Beda. hom. in Luc c. 9.

mille furtorum rei peccatores, & à Zachæo veri nominis pœnitentiam addiscite. Cessandum est à peccato, ut ritè pœnitentia formetur; quamdiu loco fixum hæret vetus delictum, à peccato non desistitur, sed in peccato pergitur, ergò pœnitentia non agitur sed simulatur; hæc ut vera sit, arcæ ac cistæ, bursæ ac marsupia probè lustrentur; unde tot prædiis & fundis, tot censibus & prægnantibus saccis auctus sit Eglon accuratè investigetur; hæc si alieni sint juris; hæc si ex pupillorum spoliis, ex viduarum pressuris, ex venditis in curia sententiis, ex mille fraudibus & imposturis, ex unguentis & in damnum tertii acceptatis muneribus, causæ impiæ patrocinantibus donis collecta & patrimonio conglutinata sint, pœnitentia non agitur, sed simulatur, nisi peculium malè partum legitimis possessoribus suis restituatur. Hoc usque adeò certum est & evidens, ut tritum illud Augustini (4) Canonis locum in scholis expleat: ***Si res aliena, propter quam peccatum est, cùm reddi possit, non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur; si autem veraciter agitur pœnitentia, non remittttur peccatum, nisi restituatur ablatum.*** Sic omnes Catholici loquuntur, & qui hos inter aliter loqueretur, is latæ sententiæ excommunicationem incurreret, quia apertam hæresin doceret. Ita de necessitate salutis necessaria est restitutio, ut hâc sublatâ, cùm poni posset, vitâ excidas æterna, Orci victima. Hac sine restitutione omnis pœnitendi labor irritus est, & ut verbô dicam omnia, omnis pœnitentia nulla est; omnis absolutio nulla est. In aliis dispensare potest Papa, in hoc autem puncto nulli dispensationi locus est. Ratio est evidens: quamdiu homo pœnitens & confitens delicta suo in animo ritè non conteritur, quamdiu firmô caret proposito se ocius emendandi, tamdiu absolutionis ecclesiasticæ incapax est; at verò qui alteri ablata non vult restituere, licet ea centies confiteatur, is caret sacramentali dolore ac proposito emendationis, ergò cruces millenæ super eum formatæ infirmæ sunt & inefficaces, & tam parum ad absolutionem serviunt reo peccatori, quàm meus iste sinister calceus ad crispandos capitis capillos conducat. Probo ulterius assertum: quamdiu peccator scienter ac deliberatè suis in flagitiis hæsitat; quamdiu Dei præcepta protervo pede conculcat, & contra divinas laudes perperam operatur; quamdiu suo proximo grave damnum conciliare pergit, tamdiu dici non potest, eum suis de peccatis seriò dolere, aut propositum

F. Quamdiu Mammona retinetur, pœnitentia non agitur, sed simulatur.

(4) S. Aug. ep. 54. ad Maced.

G. Aliter qui loquitur, hæreticè loquitur.

H. Sine restitutione nulla est dispensatio, nulla absolutio. Probatur ad oculum præsens assertum.

positum habere firmum à peccatis abstinendi, imò toties sacrileg confitetur &c. Hæc autem omnia de impio alieni peculii possesso non tantum præsumas, sed palàm prædices; qui enim alteri ablat non vult restituere, vult id quod alienum est, per vim retinere; ergò studiò furta sua & rapinas, fraudes suas & impostura tueri vult, & hoc ipso in malo gestit perseverare; boni scilicet alieni possessio & retentio deliberata aliud non est quàm furtum continuatum, quod cùm à te removere nolit, fur manebit, & septimum Decalogi præceptum explodet; quomodo ergò dici potest ritè confiteri, cùm confessio ut valida sit, ex vero dolore, & firmo emendationis proposito constari debeat. Verum est, durus est hic sermo divitibus sanguisugis, quos ad restitutionem rarò videas induci; pecunia enim avaris Euclionibus usque adeò agglutinatur, ut citiùs partem aliquam ab eorum corporibus divellas, quàm iniquitatis Mammonam extorqueas. Fateor; durum est, opes tot annis mala fide possessas refundere, tot annos census alteri resignare, familiam contrahere, mensæ lautitias amputare, vestium luxum rescindere, liberos operosissimis laboribus sustentare, quadra vivere aliena &c. Interim manet indispensabilis sententia hoc in hominum genus detorta: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Nihil hic ratio status extenuat; nihil mensæ tenuis inedia excusat. Sint laxi fratres, qui in his & in aliis vel ex imperitia vel ex vano hominum respectu, vel merendo lucro cum fucato pœnitente dispensent, habent quod timeant, ne pari vindicta cœlitus cum avaris plectantur, cujus rei Exempla jam dedimus complura, hodie coronidis locò novum daturi. Alia longè judicia justus Deus judicat, nullius hominis fautor, nullius personæ acceptator, quæ post fata sentient nimis subinde in proprium carnis commodum & gulæ fusioris incrementum profusi, pœnitentium animorum non patres sed laniones, quas his laxitatibus se ac suos in tartarum præcipitant. Nactus es tantæ laxitatis avernalem patronum? rogo, suadeo, aliam ocius quærito, excute, ubi saniora simul & sanctiora bono animæ sempiterno oracula fundantur. In mentem hic loci veniat, quod ferratus Vates (5) Isa. 3. (5) inculcat: *Populе, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Tu ne ventis ita dubiis, ita luridis animam committe, & pro certo tene, non dimitti peccatum, nisi restituatur ablatum. Ne ergò spiritum corporis inquilinum ad fumantis Erebi rogos audias damnatum, o-

cius

cius legitimis possessoribus, vel avito sanguine junctis restitue ablatum. Ipse à te remove in vivis, dum vivus es & vegetus, quod alienum est, quod furtò & fraudibus corrasum est, neque tuis hæredibus negotium salutis committe. Promittent aureos montes & nascentur ridiculus mus. Qui sibi nequam, cui bonus est. *Hoc modò, quæ moriens facta fuisse votes*, & animam serva tantò pretiò redemptam, ne pessimò fato tot aliis signato in æternitatis barathrum præcipitetur.

I. Defectu restitutionis plurimi damnantur.

Horridum est, quod Carolus Scribonius, Vir longa rerum tractatione & difficillimis in mercatura quæstionibus exagitandis versatissimus Doctor pronuntiavit. Dixit ille tria maximè flagitia homines in perniciem deturbare, superbiam, luxuriam & avaritiam, sic tamen, ut per Sacramentum pœnitentiæ ex centum superbis facilè ad quinquaginta, ex centum luxuriosis ad octoginta, ex centum verò avaris vix tres salventur, idque tantummodò propter annexam restitutionem, quæ cùm difficillima sit, etiam de rarò contingentibus esse soleat. Interim suo stat robore firmum Augustini oraculum: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Ad fidem certiorem hactenus dictis adstruendam, unum aut alterum Exemplum inculco, ad cujus sonum ambæ aures tinniant pecuniosis Euclionibus. Fuit, ut historia perhibet de Viris Illustribus Cisterc. (6) dives Euclio, ære alieno supra numerum gravatus, cujus nec obolum rapacissimis unguibus dimisit. Quò fatò tandem hujus farinæ homunciones hinc abeant è vivis, mox patebit. Deducitur hic Mammonista ad ultimam vitæ lineam, mox ergò Notarium vocat publicum, juratum, & requisitos testes, quasi ultimam voluntatem suam ordine legitimo dictaturus. Ea quæ fuerit, animis & auribus haurite opulenti! Scribe inquit ille, quæ scribenda suggero. Corpus meum terræ unde ortum traxit, transcribo; animam verò meam dœmoni obsigno. Horrent omnes ad stygias voces, instant, urgent, ut dicta revocet; at verò is iterum iterúmque vetus firmat assertum, animam meam dœmoni obsigno, addita etiam ratione, quia tot opes impiè corrasi, & nec obolum restitui. Perrexit porrò inceptis & plures alias animas Orco transcripsit, hoc ordine: eidem dœmoni animam mancipo uxoris meæ, ac liberorum meorum, qui me ad hæc furta, fraudes & rapinas provocârunt, ut semper in promptu haberent, quæ gulæ ac vestium luxui dedicarent; pari ex capite dœ-

(6) Hist. de Vir. illustr. Cisterc.

K. Horribile testamentum, quò animæ plures Orco sunt transscriptæ. Hist.

moni committo Confessarii mei animam, qui sua mecum agendi laxitate ac mollitie, suâ conniventiâ & diabolico respectu, jam lucri causâ, jam gulæ gratiæ mihi perpetim exhibito, me meis in flagitiis & iniquitatibus detinuit, qui potiùs ex officio suo me à tantis pravitatibus absterrere debuisset. Hæc dixit & vixit, eò recto tramite profectus, ubi vel hodie cum evangelico Euclione crepantes inter flammas sudat, ejulat. Eant nunc proximo sanguine juncti, cum matribus liberi, & per fas & nefas suæ litent procacitati, genas dilanient, comas dilacerent, si Mammonam suos velit ad heros dirigere moribundus. Vident modò, quid lucri ex Mammona reportent. Huic affine fuerit exemplum, quod Zacharias Boverius (7) subministrat. Fuit sub finem lapsi seculi Genuæ vir opibus dives & potens fortunis, qui multas ex obliquo divitias fraudibus & dolis coacervabat; has ne restituere cogeretur, cùm aprimè sciret necessitatem, à Sacramentorum usu, maximè verò pœnitentiæ pluribus annis abstinuit, timens identidem, ne in S. Tribunali ad restitutionem urgeretur. At sive urgeretur, sive à taciturno conscientiæ arbitro absolveretur, manssisset nihilominus, ipsis naturæ legibus fixa & cunctis inculcata restitutio, toties intimata; ut tamen quotannis suscepti Sacramenti fidem Ecclesiastico Curioni suo probaret, magno ære sibi schedam comparabat paschalem. Nimis sæpè improvidi sunt hic loci, etiam virtutem nescio quam professi, incautè schedas prostituunt, & sic ad multiplex damnum proximo accelerandum impiè irreligiosè concurrunt. Abusus est hic Sodes plurium annorum curriculô sacris Aris, ad Eucharisticam mensam alios inter digressus, licet nulla unquam exhomologesi purgatus. Non tulit Deus plùs ultrà immane sacrilegium. Morbo lethali afflixit impium & cum nulla scelerum pœnitentiâ duceretur tandem etiam è vivis sustulit inexpiatum. Sic miserè moriuntur, qui toties in vita Sacris abutuntur. Erat uxor ejus Patribus Capucinis devotissima; ut ergò extincti conjugis animæ simplex femina suffragaretur, habitum à P. Guardiano summis precibus obtinuit, quô defuncti corpus indui curavit. Defertur cadaver in domesticum Cœnobii sacellum, & circa id nocte concubia perennes excubiæ aguntur. At vix medium noctis abiit excessit, funus in feretro movere membra, & grandem strepitum, quasi præsentes in fratres transilire vellet, edere cepit; sic territi celeriter fugam capessere, & rem

(7) Zach. Bover. Demonstr. 4. de vera habitus forma, & cucullo.

L.

Male partis opibus suis immortuus dives Orco cedit Victima cum anima & corpore.

Hist.

rem totam Guardiano aperire, qui cùm alios binos funeri destinâsset, pari timore proscripti fugam captabant. Re ergò probè discussa totam, familiam suam convocat Guardianus, is verò stolâ indutus, & suis à Patribus stipatus in nomine Augustiss. Trinitatis funus conjurat, eique imperat, ut palàm coram tot testibus aperiat, cur tantos excitet tumultus, & quid in specie à suis requirat. Paret mortuus & mox horrida voce intonat: quid me de strepitu interpellas? quære potiùs cur non majores excitem tumultus. En habitus iste me longè acriori flamma exurit quàm fumans Avernus. Me scito Dei judicio damnatum esse, dœmones etiam dudum ad Tartara corpus raptâssent, nisi hunc truncum præsens habitus defenderet; hac proin veste me ocius exuite, tum veteri pace vestra gaudete. Vix corpus Sacro habitu spoliatum est, dœmones ocius magnô numerô arreptum corpus per patentes fenestras in Barathrum abstrahebant, fætore immani totum per claustrum relicto. Erant multi, qui his auditis, ut Boverius memorat, toti mundo calces illiderent, & fortunis omnibus in pauperes distributis, sibi ac soli Deo in austera solitudine vacarent.

M. Capucinorum togam dœmones reverentur.

Vident ex his abundè iniqui opum possessores, quo in periculo versentur tam ipsi quàm hæredes ipsorum, quibus malè parta transcribunt, nisi restitutionem in vivis capessant. Sequantur adeò charismata hodie à Zachæo exhibita, & adhuc ante Solis occasum verbô & factô ostendant, se pluris immortalem animam æstimare, quàm pecuniam reprobè corrasam. Facient cum Zachæo vivacem pœnitentiam restituendo, pariter audient, *salus hujus domui facta est.*

Sin minus, certa erit obstinacibus gehenna, quam nostris
à capitibus clemens Deus avertat!
Amen.

*F I N I S.*



# BENEVOLO LECTORI

Salutem!

*Prostant etiam apud eundem Bibliopolam*

Pauli Aresii Discursus super omnia Festa totius Anni, præprimis B. Mariæ Virginis, sub tit. Marianische Lob-Trompete.

R. P. Sebastiani Penzingeri Bonus Ordo triplicis formatæ Concionis Moralis in omnes Dominicas & Festa Sanctorum.

R. P. Andreæ Strobelii Sciathericum (Horologium solare) Sacrum, id est Liber Oeconomico- Festivali- Historicus; addito Indice concionali absolutissimo.

Melchior Kieselß Icones Biblicæ Veteris & Novi Testamenti, nec non notissimus Liber, idiomate Germanico vocatus: Historischer Bilder-Saal/ in quo tam sacræ quàm profanæ Historiæ à condito mundo ad nostra usque tempora nervosè & succinctè continentur; quatuor constans Partibus cum Appendice Generali.

Item, Heraldica Curiosa, Historicè, Politicè & Juridicè tractata.

# INDEX RERUM
## IN FESTA TUBÆ TRAGICÆ.

Nota Amice Lector : Numerus non paginam ſignat ſed Concionem. Litera numero adjecta, literam denotat marginalem. Numerus ſolitariè poſitus, ſignum eſto, Materiam fuſiùs per plures literas marginales explicari.


A.

*A foribus noſtris malè cum Joſepho repellitur Maria.* Conc. 5. Lit. C.

*Ab uno animarum lurido Curione non debet argumentum duci ad plures.* l. c.

*Acceptus non eſt propheta in patria ſua.* 12. D.

*Æſopus in aëre turrim extruit, ſi eousq; materia ſublimetur.* 8. C.

*S. Albertus proximô poſt Deum locô collocat Deiparam.* 25. D.

*Albertus Viſecrot crudus & craſſus Parochus jure punitur.* 5. C.

*Aleatio, Clericis & vel maximè Parochis interdicta, alios pariter luſus involvit.* 12. F.

*Aliter de coloribus diſputant Phyſiologi, aliter Theologi.* 26. A.

*Alſata vitrô ter fractô de imminente fato præmonetur.* 2. F.

*Amicitia vera ſe etiam in mortem, & ultra mortem extendit.* 6. B.

*Amicus in adverſis charus & rarus.* 6. A.

*Amor humanus à Divino eſt enormiter diſtinctus.* 22. F.

*Amor probat, an Spiritus S. noſtris ſit præcordiis illapſus.* 22. H.

*S. Annæ Gloria, Filia erat Deipara.* 28.

*Antigoni Regis prudens dictum de regalibus Coronis.* 19. C.

*Apologô in Paſchate rectè Auditores ex pulpito lactantur.* 16. A.

*Apostoli primitias suas Jerosolimis Festo Pentecostes celebrant.* 21. A.
*Archidiaconi Lugdun. tragica visio.* 1. B. C.
*Ars sagittandi ab Innoc. III. Sum. Pont. damnatur. Cur?* 10. B.
*Avarus Euclio justo Dei judicio fit Orci praeda.* 1. F.
*Aurei talenti pretium.* 25. G.

## B.

*Blasphemiae sunt plumbea tela in blasphemum recidiva.* 10. B.
*Poenae in blasphemos detortae.* 10. E. F. 12. F.
*Benedictio Vini Joannei prodigia parit.* 7. C.
*Illa hodie rectius dicitur* maledictio, *ob grandem abusum.* 7. D.
*Bethleemitica cruditas adhuc hodie grassatur.* 5. C.
Bibere & vivere *Germanis sunt synonyma.* 1. I.
*Budam expugnat Mendicabuli contemptus.* 2. F.

## C.

*Caecitas summum malum est.* 37.
*Ejus causae physicae & morales sunt senium, hirundo, luxuria, fletus, abortus, & lux.* l. c.
*Calix Joannaeus denotat Martyrium Joannis.* 7. A. B. E.
*Et mensuram scelerum inculcat.* 7. F.
*Campana totum per Aragoniae regnum audita.* 19. H.
*Carolus Burgund. Dux pravum Judicem bellissimè castigat.* 19. I.
*Castella saepenumero Orcini lemures infestant. Cur?* 30. H.
*Christus etiam hostes suos amat, & maximos peccatores.* 22. B.
*Cingarorum faex describitur.* 23. A.
*nullibi toleretur.* 23. B.
*Color albus est color coelicus & ecclesiasticus.* 26. B.
*Niger index humilitatis est.* 26. D.
*Rubeus gloriae ferax est.* 26. C.

Sensu

*Sensu reali & mystico color optimus est rubro-candidus.* 26.
*Confessarii munus quid exigat.* 24. F.
*Confessio nulla est, quæ efficaci proposito destituta est.* 15. E.
*Vel quæ sua caret integritate.* 4. F.
*Connubium etiam sanctissimum, quale fuit Josephinum, arumnis scatet.* 13. A.
*Credulum Thomam colimus incredulè.* 4. C.
*Cruces ubiq; dantur in copia.* 19. A.
*Habent suas etiam Magnates & Viri opulenti.* 19. B. C.
*Cultus Marianus signum est Prædestinationis.* 3. D. E. F.
*Cupido aurea & plumbea tela ejaculatur, DEVS aurea, spinea, & plumbea.* 10.
*Cura prolis acetum est conjugio affusum.* 13. D.
*Hoc acetum sæpè ipsi parentes multiplicant.* l. c.
*Cur tam pauci divites salvantur, ut propè sit prodigium, si cœlos penetrent opulenti?* 33.
*hujus raritatis quatuor causæ producuntur.* l. c.
*Cyrillus luridus civis & prolis suæ negligens curator punitur.* 13. F.

## D.

*DAri librum vitæ probatur.* 3. A.
*Definitio malæ mulieris.* 12. F.
*Deiparæ calumniatores graviter puniuntur.* 14. G.
38. R. S.
*Deipara, Gabrielis & Elisabethæ exemplô summis laudibus prædicetur.* 25.
*Suos cultores & cultrices etiam in ruralibus casis visitat.* 11. H.
25. F.
*Templum est, cujus Dedicatio duodecim Cereis per Apostolos culta est.* 38.
*Tutum est asylum, Castello comparatum.* 30. I.
*Deliciæ humani generis Christus est.* 22. A.
*Deo Beatitudinem proclamanti non creditur.* 4. C.

*Descensus parit ascensum, ascensus descensum. Probatur.* 20.
*Deus ac Superi volunt à nobis contra mundi politiam primo manè salutari* 14. A.
*Neglecta hæc salutatio vitâ stetit neglectori.* 14. B.
*Deus cum mundi Summatibus quasi pilâ ludit.* 12. D.
*Agnovit hunc lusum Zeno Imp.* l. c.
*Deus dedit sanctus Sutor.* 18. D.
*Deus est anonymus.* 8. A.
*Semper verus est amicus in mortem usque & ultra.* 6. B.
*Nullum deserit, nisi antè deseratur.* 6. C.
*Aliter loquens de Deo, graviter punitur.* 6. G.
*Sudat, & nobiscum in carceres descendit.* 6. D.
*Tanquam Nicolaus varia variis imponit, maximè virgam.* 2. A.
*Justitiam suam stipat misericordiâ.* 2. B.
*Pœnas nuntiat culpis decretas, ut pœnitentiam maturet.* 2. E.
*Probatur hæc thesis ex Script. & recentioribus exemplis.* 2. F.
*Vult omnes salvos fieri, ut tamen in Gratia Dei perseverent.* 3. E.

*Tribus digitis nostra pulsat præcordia.* 5. A.
*Diaboli titulô rectè sordescunt impudentes fœmellæ.* 16. B.
*Diabolus audit diabolum inclamantes nostram in perniciem. Probatur.* 8. H.

*Diabolus suis ficta erigit palatia.* 18. E.
*lactat vanis promissis suos.* l. c.
*Id expertus est Radbodus &c.* 18. F.
*Dei egit simium.* 1. A.
*Disputatur ultrò citrôq;, an vel amor amici, vel amor inimici plus meriti conferat amanti? Resolvitur pro inimico.* 35.
*Domum in aura exstruere, soli Deo proprium est.* 18. D.

## E.

EBrietas numerô decima, fatalis est biboni. 7. I.
EBrietas proscinditur & mactatur. 27.

*Ebrietas pœna plectitur æternâ.* 27. D.
*Omnium flagitiorum mater est.* 27. E.
*Populi Rectores hoc scelus exemplariter plectant & totis viribus extirpent.* 27. F.
*at verò unde reos plectant, ipsi hac lue si sordescant?* 27. G.
*Hoc scelus passim vilipenditur quatuor ex causis.* 27. H.
*Latrocinans ebrietas triplicem tollit vitam.* 27. H. I.
*Equus Sejanus quid? Aptatur S. Georgio.* 17.
*Excoriati sunt multi; neque tamen MM. sunt Christi sed diaboli: tales erant Cambysanus Judex, Insulæ Rhodi proditor, Orentius, & pravus Confessarius.* 31.

## F.

*FElix regimen duas exigit conditiones.* 19. D. E.
*Fidem mutat Germania nostra, inflammante invidia.* 1. H.
*Filiationis Divinæ Signum est Crux & Crucis appendices.* 36. D.
*Filii degeneres.* 23. F.
*Forma in homine millies fallit.* 18. A.
*Turpem sæpè ingenium nobile resarcit, ut in Æsopo.* l. c.
*Franciscus Cruz. Theologiæ Doct. & Professor per suam precatricem Bertam enormiter seducitur.* 11. D.
*Fridericus Palatinus, vulgò* Hiemalis Rex *dictus, coronæ regiæ vix par fuit ferendæ omine prævio secuturæ exauctorationis.* 19. C.
*Fructus Sacrificii Eucharistici, seu facti, seu auditi.* 21. C.

## G.

*GAudium ex partu hodie matribus millies turbatur.* 28. E.
*Germani plures vitris hauriuntur quàm mari.* 1. I.
*Gula quadruplex homicidium parit.* l. c.

## H.

*Hæreſes omnes ex Scriptura malè intellecta exortæ ſunt.* 12. A.
*Herodes primus erat falſæ politiæ magiſter.* 9. B.
*Politia illius ubiq; graſſatur.* 9. C.
*Ejus infelix obitus.* 9. D.
*Humili Franciſco ſplendicans Aula in cœlo extruitur.* 18. D.

## I.

*JESVS prævalet omnibus nominibus.* 8.
*Cultus ejus prodigiis firmatur.* 8. F. 20. D.
*Ilias malorum ex liberis prognaſcitur.* 13. C.
*Imprecationes ſuum effectum multoties ſortiuntur. Probatur.* 28. M, N. O.
*Incepti ad regimen & Senatum ſunt juvenaſtri.* 36. B.
*Infinita ſunt certô modò tria: Vnio hypoſt. Viſio Beatif. & Deip. Maternitas.* 25. C.
*In malè pactis reſcindi debet fides.* 11. D.
*Joannes Hurtadus Nob. Hiſpanus Deum contra blaſphemum ſtrenuè defendit.* 10. F.
*Joanni Alexandrino palatium in cœlo paratur.* 18. D.
*Ira eſt omnium maxima, quæ tumulum tranſcendit.* 22. G.
*Judæos Wormatienſes per Meſſiam ridiculè ludit ſtudioſus.* 11. B.
*Jumentum corpus eſt & caro noſtra.* 17. D.
*Juſtitiæ cultus boni regiminis ſtabilimentum eſt.* 19. F.

## L.

*Labores diurni primo manè ſuperis initientur.* 5. C.
*Lenonem equus raptat & mactat.* 16. D.
*Leontius, Machiavelli diſcipulus à Dæmone vivus muro allidítur.* 9. H.
*Libelli falſæ revelationis bajuli proſcribantur.* 11. F.
*Liberi cruces crucibus ſuis parentibus addenſant.* 28. K.

*Libido, altera est gehenna.* 16. C. D.
*Prodigale vitium est.* 1. G.
*Totum per orbem grassatur.* l. c.
*Lovanienſis Academiæ laus & grandia privilegia.* 3. G.
*Lupi Bethleemitæ.* 5. A.
*Luſoriæ & potatoriæ tabernæ blasphemiis ſcatent.* 10. C.
*Luſor* professionatus *mentiri præſumitur.* 12. E.
*Luſorum fraudes & blasphemiæ divinitus caſtigantur.* 12. E. F.
*Luſus verè dici poteſt* Orcinus. 12.
*S. Lutgardis cor mutat cum Chriſto & alii.* 12. D.
*Lux lucem extinguit duplici ſenſu. Probatur.* 37. E. F. G. H. I. K.

## M.

*Machiavellus Herodi ſimillimus.* 9. E.
*Ejus ſtygia dogmata.* 9. F.
*Ejus, & diſcipuli ejus miſer obitus.* 9. H.
*Magiſtratus blasphemias plectat, ne cum reis plectatur.* 10. F.
*Magni Domini magni ſervi.* 19. B. C. D.
*Mali publici tota culpa in diſcolos Superiores conjicitur.* 19. G.
*Manſiones in cœlo Sanctis paratæ.* 18. D.
*Matrimonia peſſimè divinantur.* 11. E.
*Mendicus nobilis Theologus.* 6. D.
*Menſuram dari ſcelerum noſtrorum, probatur ex Script.* 7. G.
*Expletur ſubinde uno crimine. Probatur exemplô?* 7. H. I.
*Ideò peccata ſingula vitentur.* 7. K.
*Mirabilis Thomas.* 4.
*Miſer ac miſerabilis Senatus.* 5. C.
*Miſeria major non datur, quàm ſit cœcitas.* 37. A.
*Miſericordiæ Sol multos excœcat. Probatur.* 37. H.
*Morbi commoda* 5. E.
*Mors ubiq; inſidias ſtruit homini.* 39. B.
*In ſilvis venatores prædatur.* 39. C.

*Mors*

*Mors in portu assiat tonicum.* D.
*In undis hamat piscatores.* E.
*Mortis piæ ac impiæ repræsentatio.* 11. H.
*Mortui se à vivis ludi non patiuntur.* 9. H.
*Multi nuptias prensant modis illicitis. Per liberos puniuntur.* 28. L.
*Mundi præsentis status undiq; peccaminosus.* 1. D.
*Musici S. Scripturâ turpiter abutuntur.* 27. A.
*Mussardus stygius phœnix.* 29. I.

## N.

*NEmo credit, quàm districtè Deus judicet.* 4. B. C.
*Nemo hodie se cogitat moriturum.* 39. A. B. F.
*Nili Ostia numerô septem cum septem mortalibus Peccatis comparantur.* 1.
*Nomen Deiparæ est undiq; vivificum.* 32.
*Nomine tenus Religiosus Cruciger.* 12. F.
*Nominis Mariani blasphematores Orco victimantur.* 32. I.
*Notæ in laxos fratres.* 4. G.
*in crassos Bethleemitas.* 5. A. D.
*in eos, qui perpetim diabolum inclamant.* 8. G.
*in ævi nostri Pseudopoliticos.* 9.
*in blasphemos lurcones.* 10. D.
*in precatricum Bertarum fautores Confessarios.* 11. D.
*in oratrices Bertas.* 11. D. E. F.
*in lusores.* 12. E.
*in discolè viventes Canonicos.* 12. F.
*in Potores musicos & assecias eorum.* 27. A. B. C.

## O.

*ODii & rancoris lethifer effectus.* 35. I.
*Orci pœnas practicè explicant Damnati.* 36. G.

## P.

*Parentes suas manus inspiciant, ut resciant, quid suis sit liberis futurum.* 23. C.
*Parentes suis prolibus sæpè mortem accelerant.* 28. I.
*Patientia nostra Laurentianæ opponitur.* 29. E.
*Patientiam nostram Orci pœnæ inflamment.* 36. F.
*Patriæ proditores & urbium traditores nullam gratiam merentur, pœnâ omnium gravissimâ mactandi.* 31. C. D.
*Pauci salvantur.* 1. B. C.
*Peccator suâ perit culpâ* 6. F.
*Pelagius Asceta defectu integræ Confessionis damnatur.* 4. G.
*Petri argentea & aurea clavis elucidatur.* 24. A.
*Petrus Aragoniæ Rex pravos Officiales bellè correxit.* 19. H.
*Phaëton currui solis regendo ineptissimè admotus.* 36. A.
*Philippi gloria filius erat Alexander Magnus.* 28. A.
*Phœnix pro & contrà disputatur; concluditur nullum dari naturaliter, mysticè verò quamplurimos, quos inter primas habet D. M. Laur.* 29.
*Plures ex Catholicis ob falsæ politiæ studium damnantur.* 9.
*Et ob relapsum.* 15. A.
*Pœnæ duodenæ in Mariæ-Mastyges detortæ.* 25. H.
*Pœnitentia non debet prorogari.* 39. G.
*Pœnitentia utplurimùm infirma, imo pœnè nulla est, in ultimum articulum protracta.* 39. H.
*probatur ex Chrysaorio, Cœnobita & Euclione.* l. c.
*undiq; nulla est, quamdiu Mammona retinetur.* 40. F.
*Potatoriæ & lusoriæ tabernæ blasphemis scatent.* 10. E.
*Prætextata ob Virginem malè educatam fatò perit inopinatò.* 13. G.
*Pretioso vestium luxu Orcus emitur.* 34. F.
*Prodigium est, si à parentibus proles abludat.* 23. E.
*Promoventur hodie ad sacra & profana munia tricubitales idiotæ.* 12. D.

*Prophetizantibus feminis non facilè haberi debet fides.* 11. D.
*Provincialis judæus.* 3. B.

Q.

*Quæstionem mirabilem de Jeroboam format Tostatus.* 34. A.

R.

*Rancori cœlum occludi, nemo credit.* 4. D.
*Rari in paschate & in articulo mortis hostibus suis ex animo ignoscunt.* 15. C.
*Rari venerem inolitam penitus animo proscribunt.* 15. D.
*Regnare servire est.* 19. C.
*Relapsus in antiquas pravitates tempore paschali necdum exacto arguitur.* 15. D.
*Restitutio æris iniqui iterum iterumq; inculcatur.* 40.
*Illius necessitas non creditur.* 4. E.
*Illius defectu nulla est pœnitentia, nulla dispensatio, nulla est absolutio, nullum jubilæum.* 40. F. G. H.
*Illius defectu plurimi damnantur.* 40. I. K. L.
*Revelationes fictitiæ dantur quamplurimæ.* 11. A.
*Veri nominis revelatio tria exigit.* 11. C.
*revelationum falsarum bajuli libelli proscribantur.* 11. F.
*revelatio S. Simeoni facta sancta fuit & vera.* 11. G.
*Ripaldi academici.* 3. G.

S.

*Sacri neglectores malis patent innumeris.* 21. D.
*Salutatio Angelica Deo placet & Deiparæ.* 14. C.
*Ejus multiplex fructus.* 14. C. D.
*Luem proscribit & Stygem.* 14. E.
*fieri debet puro corde.* 14 F.

*Sancti*

*Sancti sanctô quôdam odiô carnem suam prosequuntur.* 17. F.
*Scandalum, quod parentes suis dant liberis, æternum væ importat.* 34.
*Scripturæ lectio rectè laicis prohibetur.* 12. B.
*Eâ gravissimè lusores abutuntur.* 12. C.
*Simonia totum per orbem grassatur.* 20. A. B.
*Sobna pravus Pontifex exauctoratur.* 12. D.
*Cur gallo gallinaceo assimilatur?* 1. C.
*Spiritu sublimi aguntur omnes, etiam illi, qui omnem gloriam visi sunt conculcâsse.* 20. A. B.
*Superstitio, quâ infantibus nomen quæritur vitæ ampliativum.* 32. A. B.

## T.

*TAlenti aurei pretium.* 25. G.
*Tamerlanes quotannis nomen suum coli voluit Calendis Januarii.* 8. C.
*Ternio mirabilis.* 23. F.
*Testamentum horribile.* 40. K.
*Thama urbs Indiæ graviter à Deo punitur.* 2. G.
*Togam Capucinorum Dæmones reverentur.* 40. M.
*Toga non facit Monachum, sed Vita.* 3. B.

## V.

*VÆ Confessariis, nisi munus suum ad amussim expleant.* 24. G.
*Ubi deest auxilium humanum, adest Divinum.* 6. I.
*Venatio duplex, licita & illicita.* 12. F.
*Verecundia duplex est, bona & mala.* 26. G.
*mala in gehennam præcipitat malè verecundos.* 26. H. I.
*id experta est Antistita.* 26. I.
*& Pelagius Asceta.* 4. G.
*Verecundiæ malæ victrix fuit M. Magdalena.* 26. K.
*Virginis Spoletanæ superbiâ tumidæ tragica mors.* 1. E.
*Vis & Virtus Rosarii Mariani.* 3. G.

## W.

*Wulstanus lupam quasi Dæmonem Crucis signo profligat.* 16. E

## Z.

*Zachariæ domus per Deiparam omnibus bonis ac donis oppletur.* 25. E.
*Zelus fidei in S. Thoma.* 4. B.
*Zelus Principum pro Sacri reverentia.* 21. E. F.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# ERRORUM TABULA
IN
# FESTA TUBÆ TRAGICÆ.

## *Amico Lectori.*

NEmo miretur, plures nævos in præsentem *Tubam*, Stylô latinô redanimatam irrepsisse. Quidquid librorum typicô prelô educitur, secum trahit ex natura rei fuliginem. Nullum hôc ævô librum ostendes, qui ab omni errorum labe sit immunis, si quidem volupe fuerit, literarum entia scrutari. Habent nævos suos Schedæ Curiales; quid levius? errant in Substantialibus Tabulæ Canonicæ; quid brevius? Sordent typographicis erroribus etiam Sacra Biblia & Missalia; quid sanctius? Nos saltem *majoris notæ* nævos, qui sensum turbant, ob oculos locamus, reliquos *minoris entitatis* nævulos, Lectoris Benevolentiæ limandos committimus.

## *Menda itaq; primi generis sic emenda.*

Primô locô ponitur folium, alterô error, cui immediatè annectitur Correctura.


| | |
|---|---|
| 2. *ei palpito.* | ex pulpito. |
| 4. *ſponte.* | ſponſe. |
| 5. *profuerant.* | proficerent. |
| 5. *nauta.* | nautas. |
| 9. *probatas.* | probitas. |
| 9. *virgâ qui oculis.* | virgâ oculis. |
| 11. *perditio tuaq;.* | perditio tua. |
| 12. *Viro ſatrapâ.* | Viſô ſatrapâ. |
| 25. *videbis.* | videtis. |
| 33. *quoq; pugnatum.* | quô expugnatum. |
| 37. *locatus.* | locatur. |
| 39. *veneramus.* | veneramur. |
| 44. *qui.* | quia. |
| 44. *&.* | ad. |

53. com-

| | | |
|---|---|---|
| 53. | *complecterem.* | complecterer. |
| 74. | *tectione.* | tectiore. |
| 76. | *visus.* | virus. |
| 76. | *aut commodi spes.* | aut commodi aut lucri spes. |
| 77. | *Errabi.* | erebi. |
| 79. | *systariticè.* | sybariticè. |
| 93. | *salvaret.* | salva res. |
| 97. | *doncitio.* | conditio. |
| 112. | *Andreæ.* | Crucis inventæ. |
| 114. | *ad.* | &. |
| 120. | *terris.* | ternis. |
| 139. | *in equô.* | is equô. |
| 139. | *violatam.* | violentam. |
| 139. | *annotus.* | annosus. |
| 143. | *morsciatio.* | morsicatio. |
| 148. | *specimen.* | speciem. |
| 164. | *signati & dicies.* | signari & dicier. |
| 165. | *graphibus.* | gradibus. |
| 188. | *coquuntur.* | loquuntur. |
| 194. | *quem spiritus.* | quem spiritu. |
| 199. | *quà.* | quàm. |
| 201. | *vocatria.* | voratria. |
| 202. | *aditum.* | abditum. |
| 203. | *propotum.* | propositum. |
| 204. | *dilapidari.* | dilapidavi. |
| 205. | *ardentes.* | ardenter. |
| 206. | *si.* | sic. |
| 219. | *fundant.* | confundant. |
| 221. | *à mediis.* | à medicis. |
| 230. | *pepónes.* | pépones. *Secundâ brevi.* |
| 235. | *jam peperit, cùm.* | cùm peperit, jam. |
| 239. | *flantem.* | flentem. |
| 240. | *Calendas.* | Calendis. |
| 241. | *panes.* | pares. |
| 245. | *adventeret.* | adverteret. |
| 245. | *humidas.* | humiles. |
| 291. | *adiit.* | odia. |
| 304. | *apparebant.* | apparebunt. |
| 304. | *transportemur.* | transportemus. |

Collegii Societ. Jesu Paderborn 1699

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN